

23
17

SUMMA THEOLOGICA S. THOMAE AQUINATIS

QUINTI ET ANGELICI ECCLESIAE DOCTORIS
ORDINIS PRAEDICATORUM

EDITIO RECENS PARTHENOPEJA

CETERIS CUNCTIS ACCURATIUS A MENDIS EXPURGATA,

Appendicibus pro Ecclesia Sancta Dei Venerabilis P. SERAPHINI
CAPPONI A PORRECTA,

Notis historicis, ac dogmaticis P. JOANNIS NICOLAJI,

Dissertationibus critico-apologeticis P. BERNARDI MARIE DE RUBEIS

*Ejusdemque Annotationibus variantem alicubi Textus lectionem
signantibus, nec non Indicibus copiosissimis, & appositis
aucta, ornata, illustrata.*

SUPPLEMENTI TERTIÆ PARTIS
TOMUS PRIMUS.

Dissertationem præferens primam Apologeticam adversus nefarios
Regicida Assertores Doctrina, & Angelica calumniatores.



REGIA BIBLIOTECA ARBORE
R: 228258

NEAPOLI MDCCLXVII.

Expensis GREGORII, & MICHAELIS STASI

Typis JOSEPHI RAYMONDI
SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIO.

1912

DISSERTATIO

APOLOGETICA PRIMA

Qua Doctoris Angelici D. Thomæ Aquinatis Doctrina

A calumnia adprobati Tyrannicidii vindicatur.



T quæ D. THOMAS AQUINAS luculentissime, pluribus in locis suorum Operum, de homicidio, & tyrannicidio, sapientissimeque docuit, dilucide exponamus ad Recentiorum quorundam Calumniatorum os obstruendum, opere pretium duximus ambas hæc Dissertationes, eo modo quo ab erudito, & clarissimo Viro Eusebio Eraniſte effectum est, in plures paragraphos partiri, eo vel magis, quod Lectores omnes monitos volumus, Lucubrationes istas non nisi ex ejusdem Epistolis italice conscriptis, solum mutato idiomate, & epistolaribus phrasibus rejectis, esse compactas: Quod ut præstaremus alacrius, easque postremis Neapolitanæ hujus Editionis Volumini-

bus Summ. Theol. ejusdem S. Doctoris prævias vulgarem, auspaticissimum pariter ac inviolabile Serenissimi FERDINANDI utriusque Siciliæ munere plane divino REGIS Jussu nuper accessit, præ augusta Sua, spectatissimaque in Angelicam Doctrinam, in Publicam Rem, in Orthodoxam Religionem, Voluntate, Providentia, Pietate. His præmonitis.

§. PRIMUS,

Gesta & scripta in D. Thomam, quæ seu Tyrannicide Doctrina Assertor, & Patronus traducitur, breviter enarrantur & recensentur.

I. QUAM nostris hæc diebus afflictam D. Thomæ audimus eriminationem, quasi Tyrannicidii docuerit impiam scelestamque sententiam, nec nova quidem est, nec recenter inventa. Jam diu Regni Neapolitani Historicus Scriptor Antonius Summonte ausu plane temerario detestandam hunc errorem S. Doctori non est veritus appingere. Hic siquidem textum illius ex Sententiarum Libro depromptum (quo & recentiores D. Thomæ Detractores abutuntur) male interpretatus, ejusque sensum pervertens, doceri ab Angelico Præceptore affirmavit, licere aliquando, immo & meritorium esse, proprium Principem aliquo in casu enecare; Quam Doctrinam (subdit) damnavit postea, adversus S. Thomam definiens, constantiense Concilium. Adversus mendacem hunc Scriptorem, D. Thomæ & Personam, & Doctrinam P. Raphael Filamundus vindicavit & tutatus est in suo Opere, cui titulum fecit *Martiale Neapolitanum Ingenium* (a), ostenditque luculentissime tantum abesse D. Thomam a tam perversa asserenda Doctrina, quin immo illam, eodem in loco, firmissimis oppugnaverit argumentis. Porro cum nobis alibi de hocce a Summonte allato textu, qui & ab aliis quoque solet opponi, accurate tractandum sit,

a 2

id

(a) Genio bellicoso di Napoli.

id urum interea animadvertere pretium ducimus, celeberrimum Virum Joannem Gerfontum, qui in laudato Constantiensi Concilio strenuam navavit operam, ut Tyrannicidio favens sententia diris deverteretur, inter præcipua, quæ justæ damnationis protulit argumenta, Doctoris Angelici usum esse auctoritate, illum eundem citans articulum, quo Summontius abutitur (a). Qui plura hac de re scire cupit Caput quartum Dissertationis decimæ clarissimi Viri Bernardi Mariæ de Rubeis adeat; ubi facti seriem totam expositam luculenter reperiet (b).

II. Si vero Theologos consulamus, non paucos, e Societate Jesuitarum ut plurimum, reperire erit, D. Thomam tanquam homicidæ, quam ipsi tueri non exhorrescunt, doctrinæ Patronum & Assertorem allegasse, cujusmodi sunt Valentia, Molina, Lessius, Delrio, Becanus, Aquapontanus, Rulsembaum, aliique quamplures. Verum eorum citationibus insimile fidendum, eosque pessime tanti Doctoris abusus auctoritate, dum Ipsum ceu eorum opinioni faventem atque adhærentem jactant, luce clarius constabit, ubi Textus Angelici Doctoris à recentioribus Detractoribus allegatos ad celsam, revocabimus. Nos puniæ hujus fidei in citationibus alibi luculentissima exhibuimus argumenta, etiam in aliis adstruendis doctrinis, ostendentes plures non defuisse ejuscemodi Casuistas, qui ad laxissimarum opinionum tutelam D. Thomæ gloriosum Nomen venerandamque Auctoritatem allegarunt. Ea legantur, quæ in hanc rem in duobus *Epistolarum Theologicarum* Libris adnotavimus ex Sanchezio, Fillincio, Laimano, & Viva, qui postremus etiam, in laxioris Doctrinæ suæ confirmationem afferre, & distincto caractere signare, ceu genuina D. Thomæ verba ex quodam Opusculo desumpta, ausus est, quæ nec ibi habentur, immo plane contraria ab Angelico Doctore ibidem doctrina constabatur. Hoc tamen mirum videri non debet, cum jamdiu aliquibus in more sit positum S. Doctoris verba & textus obstruere, & corrumpere; quod de facinore sæculo elapso Summus Pontifex Clemens VIII. alloquens Franciscum Pegna Sacræ Rotæ Auditorem (qui rem totam narrat) conquestus est. Hic liquidem Doctissimus Pontifex, cui nihil magis cordi erat, quam illibatam, & intactam servare S. Magistri doctrinam, quam admirabilem, omnique errore immunem deprædicaverat (c) testatus est, se Patribus Societatis sæpenumero præcepisse, ut D. Thomam suis in Scholis, ceu unicum Magistrum suspicerent & sectarentur, eisdemque obedientiam spondidisse; attamen summo animi sui mæore conspicere, illos nec promissis stare, immo oppositum plane agere, dum in suis Commentariis non aliud moliantur magis, quam ut eum impugnent, aut arrepta ex quocunque verbo male detorto opportunitate, suas fanaticas confirmant opiniones. (d) Porro hanc Sanctissimi Pontificis de suorum temporum Scriptoribus querelam multo amplius, multoque justius ætatis hujusce nostræ Theologis quadrare, ea quæ in S. Thomæ Textuum examine notabimus, clarissime patefacient.

III. De his itaque recentioribus Theologis, quos præsertim refellere est in animo, verba faciens, calumiam de adprobata a D. Thoma Tyrannidii doctrina vulgatam

(a) Vide ser. 2. contra Assert. Magistri Jo. Parvi p. 2.

(b) De Vita & Gestis S. Thomæ in Fol. pag. 131. & seq.

(c) In Brevi ad Neapolitanos.

(d) Die 31. Maji, Pegnam ad se vocavit Sanctissimus Pater subjunxit se molestissime ferre immoderatam Patrum illorum licentiam in Scholis &c. Quantum attinet ad S. Thomam, ait se illis sæpius præcepisse, ut illum Scholarum Magistrum haberent; quod & illi se facturos sponderant, quamquam tamen oppositum plane agerent, nihilque aliud in suis ad illum commentariis molirentur, quam ut eum oppugnant, aut arrepta ex quocunque verbo male detorto occasione, fanaticas suas opiniones confirmarent. Apud Serry hist. de Auxil. Lib. 2. cap. 3.

A P O L O G E T I C A .

gatam primum in Italia fuisse comperio erratico quodam Folio, quod ut exilimatio-
nem illi conciliarent, venerationi Reformatoris Universitatis Patavinæ nomine honesta-
runt; postea vero quibusdam Apologeticis epistolis typis Antonii Zattæ Venetiis (sed
Fori sempronii e mentito nomine) impressis. Hisce duobus Opellis, quarum pervagata
fama Auctorem deprædicat famosum P. Zaccaria, homicida doctrina D. Thomæ tribui-
tor adducto in confirmationem Opusculo 20. de Regimine Principum; dicitur liqui-
dem erratico Folio, *eam conceptis verbis docere cap. 6.*, & in Epistolis subditur, *Je-
suitas usque ad annum 1610. docuisse licere Tyrannos enecare, qua tamen doctrina non
illis unice est adscribenda, cum fere omnes quoruncunque Ordinum eam in suis scholis
tradiderint . . . Immo D. Thomas Aquinas in libro de Regimine Principum eam in-
fuitat, hinc omnes S. Thoma auctoritate se tventur.* Verum quam iniqua sit hæc crimi-
natio, & in meis Epistolis *Status Administro* scripsis patefeci, & luculentius adhuc,
cum ad examen Textus in laudatis Opellis productos vocavero, evincam. Interim fati-
tis erit duorum Jesuitarum testimonium afferre, qui lubricationes suas post Opuscula
Confodalis sui Zacherji vulgarunt; nempe Auctoris Libri cui titulus *Demonstratio Apo-
logetica* &c. inserti Tom. XI. Collectionis Antonii Zattæ, & ejus Apologistæ in *Epi-
stola Ecclesiastici Viri*, & habetur Tomo XVII. ejusdem Collectionis, qui ambo fal-
sam esse eam criminationem ingenuè confitentur. Prior siquidem pagina 66. scribit-
„ Doctrinam tyrannicidii adprobantem ab aliquibus quidem Theologis, *sed injuria,*
„ ut mihi videtur, D. Thomæ auctoritate confirmari; quippe qui nonnullos ejusdem
„ textus ex Summa 2. 2. *qu. 42. art. 2. ad 3.*; & ex Commentariis in Magistrum
„ Sententiarum *lib. 2. dist. 44. quest. 2. art. 2.* & demum ex Opusculo de *Regimine*
„ *Principum* desumptos male sunt interpretati. In quo postremo Opusculo (subdit) si
„ quis contendere vellet non nulla reperiri dicta, quæ haud obscure perverse favere
„ sententiæ comperiantur; hoc profecto nobis suspicionem, quæ etiam animum subiit
„ Bellarmini libro de *Script. Eccles.*, ingereret, laudatum Opusculum genuinum non
„ esse D. Thomæ factum. In hac tamen sua suspitione, & credulitate fallitur, cum
„ saltem primum citati Opusculi Librum, ubi quæ afferuntur verba clare habentur, legi-
„ gitimum esse S. Doctoris Opus, nullus merito ambigere potest, vel suspicari, ut lu-
„ centissime a pluribus, & novissime a celeberrimo P. de Rubéis in citatis suis Disserta-
„ tionibus comprobatum fuit. Alter vero Scriptor *Epistola ecclesiastici Viri* &c., Senten-
„ tiæ adhærens Auctoris *Demonstrationis Apologetica* &c. testatur, S. Doctorem hocce
„ tractans argumentum *summa prudentia, summaque cautione scripsisse, & docuisse;* &
„ quendam explicans textum, qui opponi solet, animadvertit sapienter, D. Thomam so-
„ lum docuisse, *nullum teneri Principi obtemperare precipienti quæ mala sunt;* at affirma-
„ re *injunctis mali Principis jussionibus non esse obediendum longissime abest ab ea doctrina,*
„ quæ eousque prætenditur, ut eorum vitæ nullam esse habendam rationem adstruat.
Hæc tamen duorum Jesuitarum ingenua & aperta confessio impetrare haudquaquam po-
tuit, ut plures alii ejusdem societatis Scriptores ab hac appingenda Divo Thomæ ca-
lumnia cessarent; quod meam prosequens narrationem quomodo factum sit, ex libris
novissime vulgatis patefacere aggredior.

IV. Notum omnibus vulgatumque est Regni Galliarum Senatus (qui vulgari il-
lius Gentis idiomate *Parlamenta* vocantur), Parisiensis cæterorum omnium principis,
(quippe qui aliis æquæ & normam, & motum suppediat) exemplum imitatos, unacum
consensu in Jesuitas insurrexisse; eorumque Constitutionibus, Regulis, Doctrinæ vi-
tæque ratione in examen vocatis, & accurate discussis, in amplissimo illo Regno dis-
solvendam Societatem censuisse. Inter cætera autem criminationum capita, de quibus
arguebantur, unum ex præcipuis fuit, per eos infracto pectore tyrannicidii doctrinam
semper traditam propugnatamque fuisse; quod confirmabant præsertim ex summo illo
studio quo honorem & famam Auctorum illorum ex quorum libris nefaria illa opinio
cum aliis noxiis & periculosis decerpta fuerat, tueri & promovere satagebant. At quid

in hoc tam acerbo discrimine constituti, ut ab eorum cervicibus imminens fatale folmen averterent, consilii caperunt? Opportunioribus rejectis remediis, quibus fortassis validius ac melius ad extremam suæ Societatis ruinam declinandam uti potuissent, plures vulgarunt Apologias, quibus & Societatis Institutum, & ejus doctrinas tuerentur, & vindicarent; in quo defensionis genere illud præsertim culpandam, quod homicidæ, & seditiosæ doctrinæ Dominicanæ Ordinis Alumnos, & præcipue Angelicum eorum Præceptorem, tanquam assertores, patronos, & complices veriti non sunt accusare. Quæ nam fuerit in hocce ageandi modo eorum mens atque consilium, nemo facile deprehendet. Quid enim ipsis ad defensionem suam prodesse poterat, etiam si vera forent quæ suadere nitebantur? Num quia Jesuitæ nec primi fuerint, nec soli, qui perversam, vel instauraverint, vel docuerint de Tyrannicidio opinionem, minus rei deprehenderentur, aut emolumentum quidpiam inde capere potuissent? Conscios habere, & complices criminis, num Rei culpam imminuit? In quonam amabo Foro vel Judicio hujusce defensionis genus ceu legitimum admittitur? Num fortassis tali agendi modo, aut perverfis eorum doctrinis auctoritatem & pondus addere se posse arbitrabantur; aut Doctoris Angelici toto Christiano Orbe celebris, suorumque Discipulorum micante lucis splendore Judicum in eorum condemnationem conspirantium oculos perstringere, vel saltem Judiciorum suorum iniquitatem illis objicere maluerunt? At conjecturis parcamus, & ab occultis animis & consiliis pervestigandis absteineamus. Socii itaque Parisiis Senatoribus libellum obtulerunt inscriptum *Memoria &c.* Quo Doctorem Angelicum, nonnullosque ejus Discipulos ejusdem Ordinis, perveris Doctrinæ, cujus ipsi arguebantur, accusabant. Hisque minime contenti, in Apologiis, quas passim in vulgus disseminabant, criminationem ingeminare, ac inculcare, & Dominicanos ceu ejusdem criminis reos traducere non destiterunt. Hujusce rei testes sunt plures ab ipsis vulgati libelli, quorum nonnullos penes studiosum virum servatos novi, quorumve specimen hic Lectorum oculis subjicere nec inutile fore arbitror, nec injucundum.

V. Primus horum Libellorum, qui in meas incidit manus hunc præsertit titulum. *Reponse a un libel. &c. Responso libello data, cui titulus GENERALIS VI-TIORUM IDEA &c.* Hic itaque Scriptor; qui certe ex Societate est, ad robustissimos adversus socios circa doctrinam de Regicidio vibratos ictus retundendos, pagina mihi 30. sic respondet, „Omni no pertinaciter contenditur Jesuitas traducere, quasi ipsi „soli forent doctrinæ, quam detestantur, Magistri. Quid! In necessitatem rapimur „lectorum oculis subjiciendi horrendas omnes Doctrinas, quas magno numero Aucto- „res, etiam summæ existimationis in suis Operibus tradidere &c. „Dein citatis Soto, & Bannezio, duos assert S. Thomæ textus, quorum primum nostrum respicientem argumentum, desumit ex 2. 2. *quest. 9. art. 3.*, ubi Angelicus Præceptor docet, Hæreticos præter excommunicationem cui subjacent, posse etiam capite damnari; unde colligit S. Doctorem totum id docuisse, *quodcumque summæ odibile in Suarezii scriptis continetur.* Infra allatum expendemus textum. Interim ad futilitatem, & falsitatem institutæ Suarezii eum S. Thoma comparationis dignoscendam sufficere poterunt quæ Epistola XI. *Administro Status* inscripta, de Suarezii doctrina exposui, quam adisse & legisse non pigebit.

VI. Libellus alter ille est, cui titulus Epistola Laici hominis ad Theologum: *Lettre d'un Homme du monde &c.* Ejus Auctor tanta audacia, & adeo irreverenter de Doctore Sanctissimo, magno semper in tota Ecclesia in honore habito, loquitur, ut suspicari merito liceat eum ad Eiusdem minuendam existimationem, & obnubilandam sibi molestam illius gloriam totis viribus conari; summa etenim temeritate scribere illam non pudet, *Recentium Casuistarum causam cum S. Thoma causa intime colligatam, nec quidquam de illis pronunciari posse, quod & de Angelico Doctore non affirmetur, & cum commune sit utriusque erratum, communem quoque esse debere utriusque criminationem.* Oh audax facinus! Oh impudens mendacium! Ita ne Doctore Sanctissimo,

mo, tantq. in orbe toto existimationis lapitates omnes, & errores in christianam Ethicam a recentioribus Casuistis inuestos impudentissime appinguntur? Præter mox allatum textum, plures alios quoque se reperisse jactat in Ejus Operibus, quæ S. Magistrum Tyrannicidii Doctrinæ favisse patescit: *Sunt plura* (inquit temerarius Scribillator) *in Summa, in Opusculo de Regimine Principum, in Sententiarum libris, & ubi non sunt?* & in suæ assertionis confirmationem nonnullos ex Summa mutilos textus, quos suo loco ad crism vocabimus, sic exscribit: *Laudantur, qui multitudinem a potestate Tyrannica liberant Dicendum quod regimen tyrannicum non est justum; & ideo perturbatio hujus regiminis non habet rationem seditionis Magis autem Tyrannus seditiosus est, qui in populo sibi subjecto discordias, & seditiones nutrit &c.* At cum probe perspicat in nullo ex allatis textibus de Tyranno obtruncando nec mentionem fieri, audaci voce, quasi insultans subdit: *Nonne omnibus tyrannicis conceditur Tyrannum evocandi potestas, dum modi omnes adprobantur ad tyrannicam potentiam everisionem conducentes? Nonne ex omnium Gentium historiis patet, tyrannicam potentiam sine vi, sine pugna, sine clade de medio tolli non posse? & rebelliones omnes sine victimis non consummari?* Ita ille.

VII. Tertium & postremum de re nostra Scriptum, quod celebrius factum est, titulum præfert: *Appel a la Raison &c.* idest: *Appellatio a libellis & scriptis adversus Jesuitas Gallos ad recta rationis Forum &c.* Bisariam dividitur, inque posteriori parte contra *Compendium Assertionum* invehitur, quod sibi fingit Opus esse ignoti cujusdam Anonimi, licet vel sola Tituli fronte, opus esse jussu supremi Senatus Parisiensis compilatum, ab eoque adprobatum, a Guiljelmo Simone ejusdem Senatus Typographo impressum, a Supremo Præside Regi oblatum, aliisque Senatorum Cætibus, nec non totius Regni Episcopis transmissum, evidentem appareat: Quæ fictio tamen & simulatio, utpote crassa nimium & affectata, nihil prorsus Auctori profuit, nec felicem sortita exitum est; eo vel maxime, quod de eo Scripto enunciata in summum Augusti Senatus dedecus vertebantur. Demandata igitur de Auctoribus Inquisitio, doprehensumque fuit Patres *Berthier*, & *Bougat* e Societate, nec non Abbatem de *Caveiræ* Scriptum concinnasse, vel impressionem curasse, jussu propterea ut carceribus emanciparentur, at illi fuga se sorripuere. Porro in prælaudata secunda parte Scribillator ille, ut minus æquum evincat, minusque rationi consentaneum ostendat agendi modum supremi Senatus adversus Jesuitas, nonnullas inter illorum & aliorum Theologorum doctrinas instituit comparationes; quarum prima Dominicanos inter & Jesuitas versatur. Non omnes hic falsitates & imposturas recensere est in animo: nonnullas dumtaxat indigitabo. I. Supponit duodecim tantum ex Jesuitis Scriptoribus perverfam Regicidii docuisse sententiam, cum supra sexaginta publicis tabulis accusati, & convicti deprehendantur. Dein vero ut institutam prosequatur comparationem Dominicanos Scriptores ejus doctrinæ Patronos in lucem profert & enumerat, primoque loco tanquam Principem & omnium Magistrum D. Thomam collocat, cujus nonnullos textus producit: Illum sequuntur Cajetanus, Ledesma, Sorus, Bannezius, alique, & ut Syllabum augeat cunctos adjungit, qui Operum S. Thomæ editiones curavere, quos ad sexaginta dinumerat. Addit Jacobi Clementis facinus in Henricum III., cui nonnullos addit ejusdem Concellitas, qui ejusdem parriidii complices habiti sunt. Hinc ex consista hac inter duodecim Jesuitas, & supra sexaginta Dominicanos comparatione, se ostendisse jactat, adprobatae de tyrannicidio doctrinæ longe amplius Dominicanos reos habendos esse, & pronunciandos. D. Thomæ textus quos adducit iidem omnino sunt, qui & ab aliis in medium proferantur. Lubet eos hic prout ab auctore, immo criminatore exscribantur, solum mutato Idiomate adducere, ut Lectores uno veluti intuitu quænam tandem sint validissima illa argumenta, quæis atrox in D. Thomam calumnia superstruitur intueri valeant & dignoscere. „ D. Thomas (scribit ille) in 2. Sent. „ de Tyranno usurpationis loquens dicit: Si non adsit Superior potestate ad quem „ con-

„ confugiendum, qui de iniquo usurpatore iudicium ferat, tunc qui eum interficit, ut
 „ Patriam liberet; laudem promeretur & præmium: & alibi, licitum esse docet Ty-
 „ rannum Solio deturbare, saltem quando tumultus inde oriturus iniustitiam non su-
 „ peret, quam a Tyranno Subditi perpetiuntur: addit præterea de legitimo Rege
 „ dispensans; Turbam Subditorum in suam Regem insurgentium, ab eoque deficientium
 „ fidelitatem iurejurando fixatam nequaquam violare; quippe quia ipsemet Princeps
 „ in causa est hujuscemodi rebellionis, male in Regni gubernio; & Subditorum regi-
 „ mine se gerendo. Sententiam suam corroboret duplici exemplo scribens: hisce de
 „ causis a Romano Senatu iuste interfectum Diocletianum, & Aod Regem moabit-
 „ rum Eglon obruncando, se potius Populum ab hoste liberare, quam Regem eneca-
 „ re existimavit. Doctor iste metaphisicus magis quam Regius tandem asserit Ty-
 „ rannorum imperium iniquum esse, unde colligit conatus omnes ad eum evertendum
 „ adhibitos seditionis infamiam & nomen non promereri; immo potius Tyrannum
 „ ipsam seditionem audire, qui seditionibus ansam præbet. Hi sunt textus omnes
 „ quos, scrutatis, excussis, divexatis decem & amplius in Folio Operum S. Thomæ
 „ voluminibus, expiscati sunt ejus Accusatores ut calumniam suam aliquo modo fulcrent.
 „ Non lubet modo in citatorum textuum detorsionibus, corruptionibus, ac in pravum
 „ alienumque sensum interpretationibus detegendis immorari; sed abruptam gestorum
 „ seriem proseguor.

VIII. Facile cordatus quisque conjicere poterit quanto fuerint stupore correpti,
 quantumve justæ indignationis conceperint, & horroris Prædicatorii Instituti Alumni,
 videntes Magistrum Sanctissimum, quem tantopere venerantur, publico Foro, totoque
 vastissimo Galliarum Regno, ceu præcipuum regicidæ Doctrinæ Patronum, & Adferto-
 rem prædicari, traduci, accusari. Confestim querelas suas Senatus Parisiensis auribus in-
 gessere, & ceu de gravissima offensa, & injuria a detractoribus istis tanto Ecclesiæ
 Doctori, ejusque Doctrinæ toto in Orbe Catholico cum laude, & approbatione re-
 ceptæ, illata conquesti; publica quoque sponsione polliciti sunt, se Adversariorum cri-
 minationes nonnisi meras esse calumnias, ac impudentissima mendacia, ostensuros evi-
 dentissime; quam datam fidem non multo post, summo Bonorum omnium gaudio, &
 gratulatione, liberarunt. His minime contenti Reverendissimum P. Magistrum Gene-
 ralem suum Jo. Thomam de Boxadors de hujuscemodi accusationibus & calumniis
 certiozem reddendum censuerunt, qui exhorrescens iis auditis, Epistolam statim Mini-
 stro suo in Galliarum Regno dedit robustam plane & efficacem, qua Religiosis suis
 adjecit animos, studiumque excitavit ad illibatæ S. Magistri doctrinæ tutelam, & ad
 tetras dissipandas caligines a malignantium ingeniis ad illius candorem, puritatem,
 veritatemque obnubilandam offusas; insuper & Dominicani totius Ordinis dogmata,
 doctrinas, & sensa, in argumento de quo agimus, pandit omnibus & manifestat. Epistolæ
 hæc Senatoribus exhibita Parisiensibus, mirum quantum placuerit, quam cara omni-
 bus, & accepta sit habita; qui propterea productas ab adversariis accusationes, & cri-
 minationes, ceu iniquas, mendaces, & calumniosas contemnendas esse censuerunt.
 Monarca ipse illam perlegere non est dedignatus, sibi que gratam esse significavit, &
 non dissimilem ab Generali Societatis dari se cupere indigitavit. Non injucundum fore
 Lectoribus arbitror hic eam originali suo idiomate describere, præsertim quia, cum in
 nostra Italia vulgata non fuerit, eam alibi reperire difficile foret.

L E T T E R A

Del Reverendissimo P. Generale dell' Ordine de' Frati Predicatori al R. P. F. Giuseppe Hubac Dottore in Teologia dell' Università di Parigi, e suo Agente in Francia.

HO ricevuta la vostra Lettera dei 19. Dicembre, e resto altrettanto sdegnato, che sorpreso della calunnia che si è pubblicata contro la Dottrina di S. Tomaso nello Scritto di cui mi parlate. Ella è sicuramente cosa assai strana, che si trovino ancora delle persone, le quali ardiscano di rinnovare un impostura tante volte combattuta, mandata in fumo, ed all' ultimo segno smentita, come se bastasse il rinnovarla per conciliarle a giorni nostri quel credito, che giammai non ha potuto ottenere. Ma come la verità sempre trionfa per se medesima, spero, che la Dottrina del Santo nostro Dottore sfavillerà perpetuamente in tutto lo splendore della sua purezza, non ostante che con dense nuvole si procuri di oscurarla. L' approvazione, ch' essa tante volte ha avuta dalla Chiesa, sola basterebbe per convincere di ridicola temerità tutti i vani sforzi della malignità. Ciò non pertanto io lodo, e sempre mai loderò il zelo de' miei figliuoli, i quali come veri discepoli del Santo cercano per tutte le vie giuste di vendicare questa domestica dottrina dagli insulti della malizia straniera, principalmente in ciò che riguarda la sicurezza inviolabile della Sagra Persona dei Re. Il loro zelo nel tempo stesso, che ne contesta l' inalterabile impegno per la dottrina sicurissima del loro Santo Maestro, da a vedere il sommo orrore, con cui il nostro Ordine riguarda queste massime abominevoli; e micidiali sì contrarie ai doveri; ed al giuramento, onde i Sudditi vengono legati ai loro Sovrani. Io proverò sempre il più gran piacere, che tutti rimangano pienamente convinti che tai sono i nostri sentimenti, e che i miei figli senza uscir dai giusti limiti, ne diano in ogni incontro evidenti le pruove. Vi dò la mia paterna benedizione, ed insieme coi miei Compagni mi raccomando ai vostri Sacrificj.

Madrid 5. Gennaio 1762.

Conservus in Domino

F. Joannes Thomas de Boxadors Magister Ordinis.

IX. At præter Dominicani Instituti Viros alii etiam non defuere, qui atrocem calumniam Sancto suo Magistro, suæque doctrinæ compactam horrere, & detestati sunt. Quotquot fuere in toto Galliarum Regno cordati sapientesque Viri iniquam hanc audientes recriminationem in celebrem adeo, ac Venerabilem Doctorem, vehementer indignati consilium illorum reprobaverunt, qui ut se tuerentur adeo desperatæ causæ patrocinium suscipere. Nonnulli etiam S. Doctoris Apologiam suscipientes publicis libris Doctrinæ S. Thomæ abusus illis exprobrarunt, ac infidelitatis, ignorantix, pessimæ fidei in verbis & textibus citandis redarguerunt; adeo ut quidam illorum non sit veritus palam pronuciare; non nisi omnino cæcos non perspicere, haud alia de causa ab illis S. Thomam adduci, nisi ut Lectorum credulitatem fallant, & simplicibus ac imperitis fucum faciant. (a) Quod alii quoque iis exprobrare non omiserunt, ut videre est in libris de hocce argumento prælo datis.

Hæc sunt, quæ de criminationibus adversus D. Thomam vulgatis in doctrina Tyrannicidii novissimis hisce temporibus contigere. Modo ad illorum vanitatem, falsitatem, *Summ. S. Th. Tom. XIII.* b im.

(a) Let. d' un Curé de Campagne.

imposturam ostendendam accedo. Priusquam tamen huic paragrapho finem imponam; lubet nonnulla animadvertere de eadem accusatione contra alios Prædicatorii Ordinis Scriptores vulgata, eo vel maxime quia cum in animo sit soli D. Thomæ defensionem insistere, de illis sermo amplius non recurret. Fateor itaque ingenue illorum nonnullos in errorem Regicidii aut lapsos, aut ansam præbuisse saltem credendi ab eo non omnino abhorruisse. Absit tamen ut assentiar, hoc vere dici de illis omnibus, qui a citatis auctoribus recensentur; multoque minus ratam, rectamque admittam comparationem ab Auctore Appellationis institutam. Quo de argumento in medium tantum proferam Animadversiones Auctoris cuiusdam Libelli, cui Titulum fecit *Quæsitæ adversus Auctorem Appellationis*, &c. qui eo majorem meretur fidem, quod cum Dominicani Instituti non sit, præsumi propterea nequaquam potest, illum vel partium studio, vel anticipatione iudicii abreptum; sed solo veritatis amore illectum ea exarasse.

X. Hic Auctor itaque confutatis præcipuis capitibus primæ partis laudati Libelli *Appellatio* &c. ad examen progreditur secundæ partis, & præsertim comparationis institutæ inter Dominicanos Scriptores & Jesuitas; & ut punicam Auctoris fidem ostendat, nonnulla diligenter notanda præmittit, scilicet.

1. Auctorem Libelli alto silentio obvolvere duo præcipua criminationum capita Jesuitis exprobrata.

2. Societatis Auctores ob tyrannicæ doctrinæ patrociniū damnatos ad duodecimum numerum coarctare, cum cæteroquin certissimum sit, productum illorum syllabum 63. enumerare.

3. Nullam rationem habere diuturnitatis temporis ab utriusque Ordinis institutione.

4. Brevi Catalogo Dominicanorum ab ipso compilato, multo frequentiore Syllabum Scriptorum ejusdem Ordinis tyrannicam doctrinam oppugnantium non adjunxisse.

5. Præterisse silentio Universitatem Parisiensem, ac proinde quamplurimos Dominicanos in illa Magistros & Doctores, jamdiu doctrinæ suæ adversam docere, propugnare, tueri sententiam, & ab ea nunquam se recessuram Sacramento obtestari.

6. Fas illi non fuisse Doctorem Angelicum S. Thomam recensere, cum sibi probe notum, compertumque foret, Dominicanos adversus hanc accusationem reclamare, putidamque calumniam apertissimam falsitatem elata voce conclamasse, ac violentas explicationes, quæ aliqua S. Doctoris dicta corrumpere nitentur, strenue confutasse.

7. Silentio etiam premere Epistolam Reverendissimi Patris Generalis Ipsiis datam, qua illos hortabatur, urgebatque ad iniquam hanc criminationem retundendam illisque præcipiebat ut præfatam doctrinam toto animo detestarentur. Sic etiam data occasione illud notat quod jam paulo superius narraui, Epistolam videlicet Magistri Generalis O. P. omnibus gratissimam fuisse, & Regem a P. Generali S. J. similem scribi flagitasse, quod tamen Ipse præstare renuit.

8. Tandem animadvertit Dominicanos totius Ordinis nomine apud Senatū Parisiensem exposulasse, ab eoque petiisse sibi concedi, appositæ accusationis falsitatem juridice ostendere; obtortas & malignas interpretationes, necnon verborum & sensus D. Thomæ foedam corruptionem detegere: quæ agendi ratio profecto invictissime, & evidenter ostendit, quantum a Jesuitica doctrina Prædicatorum Ordo abhorreat, eamque detestetur.

IX. His prænotatis animadversionibus: Modo (subdit laudatus Auctor) comparationem instituamus, & argumentum ex paritate inter Dominicanos, & Jesuitas institutum Lectorum oculis subjiciamus.

1. Supremi Galliarum Magistratus publice testati sunt Regicidii doctrinam indivulso principijs fundamentalibus Instituti Jesuitici, cujus accuratim ac diligens examen instituerant coherere.

2. Iidem

2. *Iidem Magistratus in unum monumenta omnia validiora, & juridica collegerunt, quæ evidentissime ostendunt Jesuitas Promotores fuisse, ac Incentores plurimum conjurationum, atque conspirationum in Reges Galliæ, cujusmodi sunt Fœdus illud celebre, quod Sacrum dictum fuit; aliud quoque in necem Henrici III., nec non duarum priorum in vitam Henrici IV. machinationum, quarum Auctores conclamati sunt Jesuitæ publico Edicto mature pronunciato, & septimo Idus Januarii an. 1595. vulgato, ac in plerisque Senatum Regni Tabulis obsignato; quod nunquam hac in parte sive abolitum, sive revocatum est. Pari pacto Auctores fuisse conspirationum in vitam Helisabet Anglorum Reginæ: Item illius Pirii pulveris (delle Polveri) dictæ; sicut & novissime adversus Lusitanæ Regem, cujus quinque Publico Edicto proclamati sunt Auctores, sententiam ferente Tribunali, quod Inconfidentia vocant; consentientibus omnibus Universitatibus, & Episcopis confirmantibus Lusitanis: Quæ Edicta omnibus munita ad fidem faciendam adminiculis & signis, in Tabulario Parisiensis Senatus, & a Regiis Scriniis asservantur.*

3. *Hanc eandem doctrinam, quæ a Constitutionibus Jesuiticis sponte dimanat, & a Societate nostris etiam hisce temporibus ad praxim deducta fuit, supra LX. Auctores, quorum plures Classici audiunt, quorumque Volumina supra quinquagies typis edita sunt, docuere, explicarunt, tutati sunt. Hæc doctrina illa est, quam nullus Jesuita unquam oppugnavit, ac eorum Generalis, a cujus nutu, voluntate, potestate subditorum omnium placita, voluntates, opiniones, sensa pendente, omnino, etiam flagitante Galliarum Rege, abjicere ac damnare recusavit. Denique quinquaginta duo Senatus Parisiensis Decreta ducentorum annorum spatio lata leguntur, & promulgata, quæ Jesuitæ conclamantur, arguuntur, condemnantur, ceu qui singulis annis eandem regicidam doctrinam renovare, ac instaurare satagerunt.*

Ex opposito autem Prædicatorii Instituti Fratres de hoc crimine, nec accusantur, nec in suspicionem veniunt. Illorum Regula que S. Augustini est, nullum suppeditat periculosa doctrinæ argumentum, nullam despoticæ Potestatis ideam præfert, nulli infestam esse posse vel levissimum exhibet indicium. Trucentis quidem Sacri Fœderis (della Liga) temporibus juniore quodam Dominicano, ceu Instrumento, usi sunt Jesuitæ ad Henricum III. proditorie obruncandum. Instrumentum, inquam, Jesuitarum, quippe qui detestandum Parricidium, non ut Dominicanus, nec ex Ordinis Prædicatorum jussu, vel Instituto, una cum duobus ejusdem Ordinis Religiosis, aliisque perpetravit: sed ex Fœderis Sacri spiritu & mente, nec non Odonis Pigenati Jesuitæ, qui sexdecim Virorum Concilio præsidebat, suasionibus pertractus. Cujus Fœderis Incentores Jesuitas fuisse, expressis verbis Edictum anni 1595. aperte pronunciat; Jure propterea meritoque Senatores eo tempore sedentes publicis Tabulis adnotandum jussunt, Jesuitas vere reos esse necis Henrici III., ut ex Allocutione a Primo Preside Harleo coram Rege habita, manifestissime constat. Porro si hoc unum facinus excipiatur, solis privatis tribus ex Dominicanis adscribendum, pertractis tum turbulentissimi temporis circumstantia, tum Jesuitarum fraudibus, qui tunc temporis furorem hunc, ac rabiem in omnes inspirabant Cœtus, auditum nunquam fuit, Dominicanos Desectiones, Conjurationes, proditorias cedes esse machinatos. Immo ex opposito ingens Institutum hujus Doctorum turba regicidam doctrinam suis Voluminibus oppugnavit. Semper illius Ordinis Scriptores, plerique etiam jurejurando interposito ad saniores tenendas tuendasque sententias se obstrinxere, & facto etiam tutati sunt; nec non ut a suis Discipulis tuerentur strenuam navarunt operam. Paucissimi propterea ex eodem Ordine, toto licet Orbe diffuso, ex omnibus Nationibus coalito, & quinque & amplius abhinc sæculis vigente, inventi sunt Theologi, qui a communi hac de re sententia recesserint: quæ cæteri omnes confestim anathema dixerunt, & ad eorum confutandam opinionem nec minimum quidem cunctati sunt. Intentatum quidem fuit perversa Doctrinæ Afferentibus Caput & Principem dare D. Thomam, at illi de calumnia, de injustitia,

de falsitate subito clamore conquesti sunt, ad Tribunalia, ad Magistratus provocaverunt; & ad sanctissimi Præceptoris innocentiam vindicandam se paratos publicis actibus professi sunt. Jussa sui Generalis Magistri, ejusque Decreta propalarunt, quæ ad perverfam improbandam doctrinam urgentur, provocantur, compelluntur, quique illis in sanis rectisque adstruendis doctrinis consentit & adhæret. En quomodo, si una præ oculis veritas habeatur, sit Dominicanos inter & Jesuitas comparatio instituenda. Jam quid inde concludendum nemo non videt.

Hactenus Anonymus Scriptor, cujus optimæ animadversiones, æquissimumque judicium integræ Apologiæ loco Dominicanis esse valent, quos in hocce argumento fœde adeo, injuste, & pervicaciter Jesuitæ novissimis hinc temporibus oppugnare, & commaculare tentarunt.

§. SECUNDUS.

Status questionis Tyrannicidii doctrinam versantis dilucide exponitur.

I. PRÏUSquam præstitutum mihi scopum, Doctorem Angelicum a calumnia per suos Detractores vulgata tuendi, attingam, ipsumque quammaxime ab adprobanda Tyrannicidii doctrina abesse, ostendam; operæ pretium me facturum arbitror, si in antecessum, questionis de qua agitur, & in tota disputatione est agendum, statum & modum dilucide, & exacte exposuero: Sic enim fiet ut omnibus sophismatibus & equivocationibus, quæ unice adversariorum superstruuntur objecta, aditus omnis pœnitens præcludatur. *Tyranni* itaque nomen, sicut & *Tyrannicidii* vocabulum pluribus subesse significationibus potest.

Primo siquidem Tyranni nomine designatur privata quædam, & singularis persona, quæ ambitionis, odii, vindictæ, alteriusve pravi affectus impulsu concita adversus Regnum vel Rempublicam, & qua armis, qua fraudibus legitimam Principem Dominio spoliare, vel Rempublicam sua contendit libertate privare. Hic in duplici veluti statu spectari potest, videlicet, vel dum actu Regnum seu Rempublicam invadit, vel cum jam libertate violata, usurpatoque dominio in ejus possessione vi & armis se constabillire contendit, deficientibus Rempublicæ vel Summo Principi ad resistendum suumque jus vindicandum armis & viribus. Hujusmodi generis Tyranni in titulo vocitari solent, quippe qui omni prorsus legitimo titulo ac jure retinendi Principatum aut Regnum destituti concipiuntur. Porro de hujusmodi Principibus loquens D. Thomas in 2. *Sent. dist. 44. art. 2.* hanc statuit doctrinam. *Qui per violentiam dominium subripit, non efficitur vere Prælati & Dominus: & ideo cum facultas adest, potest aliquis tale dominium repellere, nisi postmodum Dominus verus effectus sit vel per consensum subditorum, vel per auctoritatem superioris.* Quæ doctrina quam vera sit pluribus tum antiquis, tum recentioribus ostendi posset exemplis, nisi res de se ita evidens foret, ut nulla egeat explicatione vel probatione confirmari.

II. Pari tamen pacto sentiendum non est de Principe qui adversus alium Regem decertans; præsertim si de belli justitia nulla sit dubitatio (de qua tamen judicare subditorum non est officium) armorum vi ejus Regni, vel Provinciæ potitur Dominio: In hocce enim eventu, qui haud rarus etiam vi extortus satis superque est, ut Princeps Victor verus fiat Dominus verusque Possessor eorum quæ sibi armis belloque comparavit: subditorum ergo novo jugo colla sunt submittenda, & novo Monarchæ, cujus effecti sunt subditi obtemperare & subesse tenentur. Secus vero est de priori dicendum; tunc enim assensus vi extortus parendi; vel se usurpatoris imperio subjiciendi,onus & debitum non valet inducere; sed ad hoc legitimi Principis, vel eo deficiente, liber Populi consensus accedat oportet, quo se iniquum usurpatorem pro Principe & Domino habere vellet significet: quemadmodum pari passu, siquam in Rempublicam

ari-

aristocratico se regentem gubernio, & in qua Senatus, vel Magnatum Concilio cuncta reguntur, privatus quispiam Civis insurgat, sibi Dominium usurpans, hic profecto nec legitimus Princeps evadet, nec in illis parendi aut obsequendi emerget onus & debitum, nisi vel Senatus vel Optimatum consensus accesserit.

III. Si vero ad Reges & Principes legitimos, qui æquo jure ac titulo Regni sui potiuntur sermonem convertamus, hos in tres Classes, juxta S. Thomæ doctrinam cap. 6. de Regimine Principum, dispertiri possumus. Nonnulli siquidem *Electivi* dicuntur, quippe qui vel a communitate, vel a populo, vel a magnatibus ita eliguntur, ut quibusdam tamen legibus, statutis, conditionibus obstringantur ab ipso Electo servandis omnino, & custodiendis, & a quibus si deficiat, jus illum e gradu disjiciendi sibi reservent Electores. Alii vero *Dependentes* sunt a superiori aliquo Principe, Cui jus est quibusdam in casibus illos puniendi, vel si libet etiam Dignitate spoliandi; cujus Regiminis specimen D. Thomas in Archelao Judææ Rege reperisse putat, qui a Romanis supremis Provinciarum illarum Dominis ita pendebat, ut a Judæis sævitæ & tyrannidis postularus, primum a Cesare Augusto solio deturbatus, postea vero a Tiberio pulsus in exilium fuerit. Demum in tertia classe, quæ communior est, collocandi sunt Reges & supremi Monarchæ a nullo pendentes; cujusmodi sunt qui jure legitimo, vel hæreditatis, vel successione, vel acquisitionis libero absolutoque Regnorum suorum dominio fruuntur, nec ab alio, præter Deum, pendunt. Cui uni gestorum suorum ac regiminis per ipsos est ratio reddenda; quod pariter servata proportione & de suprema aliqua Republica censendum est, quæ nullum agnoscit a quo pendere debeat superiorem. De hisce itaque legitimis Regibus ac Principibus æquo jure justoque nomine Regna sua possidentibus loquendo; si forte contingat illorum quempiam sua suprema abutentem auctoritate subditorum bonum negligere, propriæ utilitati ac privato commodo studere, nonnisi propriis indulgere voluptatibus & affectibus, ac propterea subditos populos injustitiis, sævitia, violentia, aliisque iniquis modis opprimere, divexare, affligere; hic inquam *Tyrannus* dicitur in regimine. Hujusce autem generis Tyranni heu quot elapsis sæculis sunt in orbe dominati. Horum in exemplum D. Augustinus in Libro 7. de Civitate Dei Neronem adducit, & plures alii non dissimili titulo possent recenseri.

IV. Penes mox distinctas Tyrannorum classes *Tyrannicidii* quoque nomen est intelligendum, explicandumque; cum & ipsum æquivocationibus subsit, variasque, & plane diffitas obtinere valeat significationes. *Primo* siquidem denotare potest eadem privati alicujus Civis adversus legitimum Regem, sive Rempublicam arma sumentis, ejusque Regna, ac Urbes invadere molientis, & occupantis, & qui etiam viribus prævalens & armis, Urbes ac Provincias obtinet vero ac legitimo Domino invito, ac reluctante; vel si de Republica agitur, repugnantibus, & obsistentibus senatu, & Optimatum catu. *Secundo* vero exhibere Ideam potest eædis Principis alicujus, aut Domini, qui præliis adversus alium Principem decertans felici eventu illius Provinciarum vel Urbium potitus est, quas jure belli sibi vendicat, repugnante, & invito Rege eisdem spoliato, vel reluctantibus Populis imperio suo subactis. *Tertio* denique loco sumi potest pro internectione cujuspiam Principis legitimi, sed vel sua auctoritate & potentia in regendis populis abutentis, vel tyrannidem, qua inique & crudeliter subditos sibi populos vexat & comprimit, exercentis.

V. Porro juxta triplicem hanc distinctionem quæstio moveri potest, num Tyrannum liceat interficere. Auctor *demonstrationis apologetica* de primo Tyrannorum genere, de usurpatoribus videlicet, differens sic scribit, pag: 66. „ Nemo mirari debet quid „ quid Theologi de primæ classis Tyrannis, priusquam pacifica usurpati Domini possessione fruantur, disputantes desinierint: quippe qui illi nec Reges sunt, nec Principes, sed scelesti homines seditionem commoventes, contra quos Principes omnes „ jure meritoque castra movere possunt, & subditos sibi populos ad eos oppugandos ad bella cives „. Doctrina hujus auctoris qua suadere contendit (ut ex

eo quem sibi præfigit scopum tuendi scilicet plurium Theologorum placita, de quibus neminem mirari, aut offensionem sumere debere præmiserat, clare colligitur) licitum esse cuique privato illum obruncare, nec iustitiæ, nec veritati consona est; immo absolute spectata falsa est, juxta S. Thomæ doctrinam, dicenda; de qua post pauca sermo instituetur. Interim fateor, utroque concedo, de Tyrannicidio quæstionem quam pertractamus non hanc Tyrannorum classem respicere; sed illam quæ *Tyrannos in regimine* complectitur, illos nimirum Reges vel Principes qui dominio aliquo potiuntur jure vel successionis, vel acquisitionis, vel electionis; seu illos quoque; qui licet vi & armis dominium aliquod occupaverint, eo tamen pacifice fruuntur, accedente Principis vel Populorum, ad quos ante pertinebat, libera voluntate & consensu. Uno verbo; quæstio versatur circa Principes legitimos, Tyrannice tamen dominantes in subditos, & de his inquiritur, num aliquo in casu contra vitam illorum liceat machinari.

VI. His itaque præsuppositis, quem mihi in hac Apologia scopum præfixerim, attendite: Evincere scilicet ac demonstrare contendo Angelicum Doctorem D. Thomam in omnibus Operum suorum Voluminibus nunquam docuisse cuiquam privato licere mortem machinari aut intentare alicujus Principis tyrannice dominantis, nec ullo unquam in casu illum obruncare licitum esse; immo ejus doctrinam homicidis & cruentis, quæ illi attribuuntur, opinionibus recte adversari; meram proinde esse calumniam & imposturam de adprobato in aliquo casu Tyrannicidio S. Doctorem accusare. Hoc est quod prætare polliceor, & agredior: primo perpetuam firmamque ejusdem S. Doctoris *de Homicidio*, & de Principibus licet Tyrannis & perversis Doctrinam, & sensa exponendo: deinde objectiones ex prava intelligentia & interpretatione aliquorum ejus verborum a modernis detractoribus oppositas dissolvendo.

§. T E R T I U S.

Doctrina S. Thomæ sententiæ Tyrannicidium ceu licitum adstruendi e directo opposita ostenditur.

I. **Q**UAMquam D. Thomas in sublimi & prope divino suo Opere, quod *Summa Theologica* inscribitur de *Tyrannicidio* quæstionem haud quaquam data opera versaverit, nonnulla tamen fundamentalia doctrinæ capita constituit, ex quibus clara, legitima, ac necessaria deducitur consecutione, nulli unquam adversus legitimi Principis, licet Regno suo tyrannice dominantis, Personam quidquam moliri vel intentare licitum, S. Doctorem existimasse. Præcipuum Doctrinæ caput a S. Thoma constitutum, quod nisi mea me fallit opinio omnem quæstionem dirimit, & ex imis radicibus difficultates omnes evellit, illud est quod *art. 3. quæst. 64. ex 2. 2.* habetur. Inquiri eo loci S. Doctor, num privatæ personæ scelestum hominem, & facinorosum aliquo in casu concessum sit interficere: *Utrum occidere hominem peccatorem liceat private personæ.* Quid amabo resolvit? accipite: nullo unquam in casu licere. Quod comprobatur i. D. Augustini auctoritate lib. 1. de Civ. Dei scribentis: *Qui sine aliqua publica administratione maleficum occiderit, velut homicida judicabitur & tanto amplius, quanto sibi potestatem a Deo non concessam usurpare non timuit.*

II. Eandem hanc veritatem, deinde, ratione ab Augustino accepta confirmat, scribens: *Dicendum quod, sicut dictum est, occidere malefactorem licitum est in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis, & ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis: sicut ad medicum pertinet præcidere membrum putridum quando ei commissa fuerit cura totius corporis. Cura autem communis boni commissa est Principibus habentibus publicam auctoritatem. Et ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis.* Cui doctrinæ cohærens objecta hoc pacto dissolvit. Primæ liquidem objectioni ex strage narrata, Exodi *cap. 32.*, illorum qui aurum Vitulam adoraverant, occur-

occurrit dicens: *Qui occiderunt proximos & amicos ex mandato Domini, non hoc fecisse ipsi videntur, sed potius Ille, cujus auctoritate fecerunt. Sicut & miles interficit hostem auctoritate Principis, & minister latronem auctoritate Judicis. Quam responſionem ſecondæ quoque adaptat objectioni. Attentioſiorem adhuc expoſcit obſervationem reſponſio quam tertio adhibet argumento. Objecerat namque ſibi D. Thomas: *Laudabile eſt quod homo, etiamſi ſit privata perſona operetur quod eſt utile bono communi. Sed occiſio malefactorum eſt utilis bono communi: Ergo laudabile eſt, ſi etiam privata perſonæ malefactores occidant. Quid vero reponit S. Doctor? Facere, inquit, aliquid in utilitatem communem quod nulli nocet, hoc eſt licitum cuilibet particulari perſonæ. Sed ſi ſit cum nocumento alterius, hoc non debet fieri, niſi ſecundum judicium ejus, ad quem pertinet eſtimare quid ſit ſubtrahendum partibus pro ſalute totius.**

III. Hanc eandem doctrinam inculcat S. Doctor *art. 1. quæſtionis ſequentis, qua inquit; utrum mutilare aliquem membro ſuo in aliquo caſu poſſit eſſe licitum: ac reſpondet: ſicut per publicam poteſtatem aliquis licite privatur totaliter vita propter majores culpas; ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores. Hoc autem non eſt licitum alicui privatæ perſonæ, etiam volente illo cujus eſt membrum; quia per hoc fit injuria communitati. Et in reſponſione ad 2. docet: Privare aliquem vita in nullo caſu pertinet ad aliquem, niſi ad publicam Poteſtatem, cui committitur procuratio boni communis: Cui doctrinæ ita etiam conſiſtit in 4. ſent. diſt. 3. art. 2. & alibi, ut nullum reperire ſit in omnibus operum ejus voluminibus, ſive verbum, ſive textum, ex quo ab ea aliquando reſceſſiſſe, vel conſtantiffime non adhæſiſſe, jure extendi poſſit.*

IV. Diutius fortassis quam opus erat in hocce ſtabiliendo principio, & enucleanda D. Thomæ doctrina ſum immoratus, at non inutiliter, cum vix ſit qui eam accurate perpenderit, & firmiſſimum quod ex ea eruitur argumentum ad præſentem quam verſamus quæſtionem dirimendam, menti meæ evidens omnino & peremptorium, conſideraverit. Paucis habeto quam inde claram ac facilem deduco argumentationem. Juxta D. Thomæ doctrinam nullus eſt aſſignabilis caſus, in quo privatæ perſonæ, ne adverſus quidem alterius privatæ perſonæ vitam, quidquam moliri, vel attentare liceat, niſi publica fulciatur auctoritate; ergo multo minus continget unquam licere in vitam Regis, ſive Principis legitimi, licet impii, & crudelis Tyranni, moliri & attentare: quam conſecutionem ſic evidenter evinco. Juxta S. Thomam, manum injicere, vel vitam eripere Regi aut Principi quamvis Tyranno nulli licet, niſi, quam ex ſe non habet, ab alio qui eam concedere poteſt, obtinuerit poteſtatem; quippe quia ſi in hujusce poteſtatis deficientia nulli eſt conſeſſum, nec privatam maleficum, immo nec mortalium ſceleſtiſſimum obruncare; quomodo, amabo, id conſeſſum affirmabitur reſpectu Principis, vel Domini, Tyranni licet & malefici? Porro poteſtatem hanc & facultatem nemini certe privato Deus concedit, qui eam ſibi reſervat, illiſque dumtaxat communicat, quos regimini & bono communi voluit præſidere, nempe Principibus & Dominis, ut ex ſcriptura docet & probat Doctor Angelicus: Nec ab aliquo alio terreno Monarca poterit illam obtinere; cum cujuſcunque Principis poteſtas intra ſui Principatus, vel Domini limites coerceatur: Non denique ab ipſomet Principe adverſus quem inſurgere intendit; quippe qui nec eam certe communicet, nec in ſui perniciem valeat communicare. Ergo ex S. Thoma nullus eſt unquam deſignabilis caſus, quo violentas manus intendere liceat adverſus Principes etiam Tyrannos. Hinc Reges omnes ſi D. Thomæ doctrina conſiſtat, eaque ab omnibus, ut par eſt, ſincere ſequatur, nil ſibi debent pertimeſcere; ſed omnino ſunt de ſua vita, & incolumitate ſecuri.

V. Adducta ratiocinatio, licet, meo quidem ſenſu, ſit ad intentum efficaciffima; lubet tamen uberius adhuc eam exponere, & declarare. Ut quis Divo Thoma magiſtro Principem Tyrannum obruncandi legitima polleret facultate, in ipſo Principis Regno poteſtatem aliquam & dominationem ſuæ, aut parem, aut ſuperiorem reperiret & deſignare oporteret; quemadmodum Romanorum Imperatorum ſæculis obtinebat:

Tunc

Tunc enim, ut notat Angelicus Præceptor, plures Reges ac Principes illorum subdebantur Imperio, quibus proinde moderabantur, ac præcipere poterant, nec non eos publice ac palam, inspecto subditorum bono, vel Regno deponere, vel etiam ob Tyrannidem in populos severiori supplicio pro meritis punire valebant: neque nostris quoque temporibus desunt hujus generis Principes, qui in exemplum adduci possunt. At modo de Regno & Principatu loquimur, qui nullam patitur potestatem vel auctoritatem, sive superiorem sive æqualem illi qua supremus potitur Princeps, aut Rex illius Regni Dominus: immo in quo qualiscunque potestas, sive in Magistratibus, sive in in Præsidibus, sive in exercituum Ducibus, sive denique in quocunque alio administrandæ justitiæ Præfecto residens vel elucens, tota quanta est, ita ab illo unice profluit, ac dimanat, ut ea non nisi dependenter a supremi Monarchæ voluntate uti valeant, nec nisi intra limites ab illo præstitutos, & juxta gradum atque mensuram ab illo concessam, ac denique ad suæ voluntatis nutum & arbitrium. At Theologi, qui seditiosam perversamque Tyrannicidii doctrinam tuentur, aliam plane diversam supremæ Principum Potestatis Ideam sibi confingunt, ut in sequentibus videbimus: Licet enim supremo Monarchæ publicam non denegent potestatem, aliam tamen in subditorum Communitate somniant, & cominiscuntur superiorem, & ab illo minime dependentem, qua subditi, quibusdam saltem positis casibus, uti valeant adversus Principem suum, vel solio deturbandum, vel etiam morte plectendum. Hoc profecto est in uno eodemque Regno, ac supremo Dominio, sive Monarchico, sive Aristocratico, duas summas ponere Potestates: quod nimirum defectionibus, seditionibus, turbis aliisque innumeris incommodis viam sternit planissimam. Atqui D. Thomas duplicem hujusmodi supremam auctoritatem in Regnis, Rebusque publicis nunquam agnovit, immo apertissime rejecit & detestatus est; nec aliam publicam potestatem supremam posuit, nisi penes Principem illum qui toti dominatur Regno, & curæ, ac gubernio Communitatis præest: inquit enim art. citato *Cura communis boni commissa est Principibus habentibus publicam auctoritatem*; Ab istis propterea omnem profuere potestatem concipimus, & in eos dumtaxat diffundi, quos illi administratos seligunt, ut melius commune bonum procurent, recta justitiæ administratione, & cæterorum officiorum functione, quæ magno numero necessaria dignoscuntur ad pacem in Regno fovendam, ad populos in concordia servandos, ad ordinis perversionem, & cætera incommoda (quæ pravi hominum affectus sæpe sæpius inducunt) avertenda, comprimenda, eliminanda; quique proinde depositarii & sequestres audiunt publicæ potestatis ad Principem unice pertinentis, quamque non nisi ad ejus nutum, voluntatem, consensum valent exercere. Hæc est hac de re D. Thomæ doctrina, ex qua quis non statim evidentissime colligat, nullum reperiri in Dominio sive Monarchico, sive Aristocratico, qui ad insurgendum adversus Principem, vel contra sacram ejus personam quidquam molendum, legitima polleat auctoritate?

VI. Ex hætenus exposita D. Thomæ doctrina, aliud deducitur confectarium recentium Theologorum doctrinæ diversum & adversum, *Tyrannos in titulo* respiciens; illos videlicet qui cum Principes aut Monarchæ non sint, sed privatæ dumtaxat personæ, in legitimum Dominii alicujus Principem insurgunt, principatu spoliare conantur, atque usurpato Regno vi & violentia, illo reluctante, potiuntur. Hos Tyrannos Valenciam, Lessius, Suarez, Molina, alique communiter, a quovis privato obruncari posse contendunt; at juxta D. Thomæ doctrinam, nec isti interfici licite queunt, nisi ab habente publicam Potestatem; cujusmodi sunt Milites in bello, & Ministri a Principe, vel Republica ad Regni defensionem, suæque personæ & totius Regni tutelam & custodiam delegati: *Hoc non est licitum*, inquit S. Thomas, *cuiuslibet private personæ &c. Nec debet fieri nisi secundum judicium ejus, ad quem pertinet estimare, quid sit subtrahendum partibus pro salute totius*. Hinc quisque colligere poterit quantum a *Regicidii* doctrina, quæ illi per calumniam tribuitur, longius absit Angelicus Præcep-

Præceptor, qui nec licere docet privatis manus inferre scelesto homini qualibet profusa auctoritate, & legitima potestate destituito, qui regium Diadema a legitimo Principe invito, & reclamante, vel surripit vel surripere attentat.

S. Q U A R T U S

D. Thomæ doctrinæ de propria vitæ defensione elucidatur, & præcedens confirmatur doctrina.

I. **D**octrinæ D. Thomæ, quam præcedenti paragrapho exposuimus specie tenus adversari videntur ea, quæ idem Angelicus Præceptor docet ac tradit *quæst. 64. art. 7. ex 2. 2.*, ubi de defensione propriæ vitæ tractationem instituit. In eo itaque articulo statuit licere cuique privato ad propriæ vitæ tutelam adversus injustum aggressorem se defendere etiam morte invaloris: Porro opponere quis poterit: qui hujusmodi occisiva defensione vitam suam tuetur, profecto cæcè publica persona non agit, nec ex sibi communicata publica potestate operatur; ergo vel exposita D. Thomæ doctrina concidat oportet, vel saltem aliqua exceptione coarctetur.

II. Propositam difficultatem, quæ cuique expositam D. Thomæ doctrinam expendenti in mentem venire facile potuit, eo lubentius solvendam suscipio, quoniam mihi viam sternit ad D. Thomæ mentem, recentioribus Casuistis minus compertam, minusque ab eis ad præxim deductam, aperiendam, & enucleandam; ut inde gradum faciam ad evincendum quam sapienter D. Thomas etiam de propriæ cujusque privati vitæ defensione disputando, incolumitati, salutis, securitati vitæ Regum ac Principum constantissimè profecerit; indeque pateat lucidius quam impudenter illum sint calumniati recentiores ejus Nominis detractores, dum eum audacter tanquam Patronum & assertorem perversæ & homicidæ sententiæ allegant. Tantum itaque abesta veritate, S. Doctorem illo articulo 7., ubi de propriæ vitæ tuitione differit, sibi met ipsi contrarium esse, aut traditæ prius doctrinæ oblitum, quin immo in hocce eodem articulo eam repetit inculcatque doctrinam; nunquam, videlicet, cuiquam licere aliquem interficere, nisi publica sit auctoritate munitus: *occidere hominem* (scribit) *non licet; nisi publica auctoritate propter bonum commune*, licet fateatur hac publica auctoritate minime fulciri illum qui in sui defensione injustum interimit aggressorem. Ad probe autem de hac doctrina S. Præceptoris mentem, sensumque dignoscendum, opere præmium me facturum arbitror, si integræ quæ in corpore articuli leguntur verba transcripsero, quibus deinde explicationem ac dilucidationem adjiciam.

III. Quærit itaque *utrum liceat alicui occidere aliquem se defendendo*. En quam adhibet responsionem, & integram quam sapientissime promittit doctrinam. „ Dicendum „ quod nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, „ alius vero sit præter intentionem. Morales autem actus accipiunt speciem secundum id, quod intenditur, non autem ab eo, quod est præter intentionem, cum „ sit per accidens ut ex supradictis patet. Ex actu ergo alicujus se ipsum defendentis „ duplex effectus sequi potest: unus quidem conservatio propriæ vitæ: alius autem occisio invadentis. Actus ergo hujusmodi ex hoc, quod intenditur conservatio propriæ „ vitæ, non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale quod se conservet „ in esse quantum potest. Potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens „ illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur majori violentia, quam oportet, erit illicitum. Si vero moderate „ violentiam repellat, erit licita defensio. Nam secundum iura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, ut homo „ actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius; quia plus tene- „ tur homo vitæ suæ providere quam vitæ alienæ. Sed quia occidere hominem non „ licet,

licet, nisi publica auctoritate, propter bonum commune; ut ex supradictis patet; illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei qui habet publicam auctoritatem; qui intendens hominem occidere ad sui defensionem, refert hoc ad publicum bonum: ut patet in milite pugnante contra hostes, & in Ministro Judicis pugnante contra latrones: quamvis & isti peccent, si privata libidine moveantur. Hæc sunt quæ in corpore articuli 7. quæstionis 64. leguntur. Modo ad hanc tutissimam sublimemque S. Thomæ doctrinam enucleandam progrediamur.

IV. Concessum est itaque, Angelico Præceptore docente, privatæ personæ propriam tueri vitam contra iniquum invasorem *cum moderamine inculpatae tutelæ*. At quid sibi vult Doctor Angelicus nomine moderaminis inculpatae tutelæ? Attendite, recentiores Casuistæ Evangelicæ ac Ecclesiasticæ Moralis corruptores. Horum verborum (quæ nunquam præterire quam diligentissime cavere) significationem ample adeo, laxè, & perverse sunt interpretati, ut eorum genuinum sensum a S. Thoma, & antiquioribus Ecclesiæ Patribus usurpatum mutaverint, corruperint, sædaverint. Censent nanque ipsi, servato etiam moderamine inculpatae tutelæ, licere, non solum intra angustissimos paræ & meræ defensionis contra actualem vitæ iniquum invasorem, limites & cancellos sistere, sed fas esse etiam in illum irrumpere & enecare. Addunt fas esse inviolato moderamine inculpatae tutelæ obtruncare non solum actu vitam invadentem, sed & illum qui hoc in animo suo statuit, decrevitque, sicut & cum qui ad hoc molitur insidias. Progrediuntur ulterius tertio affirmantes licere (clausula illa, *cum moderamine inculpatae tutelæ*, perpetuo abutentes) interficere quoque eum qui nostræ non insidiatur vitæ, sed qui verbis contumeliosis, aut signis nos dehonestat, qui calumniatur, qui infamat, qui falsum testimonium adversum nos præsto est pronunciare, qui aliquam pæcuniæ summam furatur, qui surreptam fugiens secum asportat, qui in nostram perniciem conspiravit; & sexcentis aliis in casibus quos alibi enumeravimus, & quod pessimum est & execrandum, S. Doctoris auctoritatem, ad has cruentas doctrinas (quas ille detestatur & damnat) confirmandas, non horrent interpellare: Hujus audacissimi facinoris unum ex millibus quæ promere possem exemplum exhibeo. Hermannus Busembaum Dub. 3. circa quintum Decalogi præceptum, omnibus cruentis homicidiisque doctrinis eo loci ab ipso venditatis, generalem hanc præmittit, ceu apud Theologos communem, quos inter primo loco S. Thomam constituit. *Jus natura permittit, ut vim vi repellas, & aggressorem qui inique eripere tibi conatur vitam, & que ad eam honestè agendam tibi sunt necessaria, ut bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem, PRÆVENIAS & OCCIDAS, ita tamen ut id fiat animo te defendendi, & cum moderamine inculpatae tutelæ, hoc est non inferendo majus damnum, nec utendo majori vi, quam necessarium est ad arcendam injuriam. Ita communiter S. Thomas 2. 2. quæst. 64. art. 7. qui revera locus est paulo superius recensitus. Vah sædam verborum corruptionem! siccine meram defensionem appellat *invadere*, aggredi, proditorie prævenire, & interficere hominem de nobis eripienda vita nec cogitantem? Vah impudentissimam contumeliam & calumniam, Angelicum Doctorem veluti præcipuum Patronum & assertorem doctrinæ abominandæ adeo & execrandæ toto Orbe christiano traducere?*

V. At S. Præceptoris mens, eo ipso in quo a Busembaum, aliisque casuistis auctoribus, citatur loco, toto cælo ab eorum cruentis doctrinis abest, & elongatur. Docet ille nempe, moderamen inculpatae tutelæ, quando actu ab iniquo aggredimur invasore, hoc unum importare, sistendum scilicet intra limites meræ defensionis, nec in mente aut in corde admittendam cogitationem, vel levissimam volitionem, vitam aggressori eripiendi; ne quidem si quando id ad propriam avertendam necem necessarium dignoscatur; ita ut si forte fortuna contingat aggressorem interimi, id *per accidens & contingenter* omnino eveniat, & præter voluntatem se defendentis, quæ in aggressoris cede nullas partes obtineat: *quia occidere hominem*, inquit Angelicus, *non licet*,

et, nisi publica auctoritate, propter bonum commune: illicitum est quod homo intendat occidere hominem ut se ipsum defendat (vel ut scribit in responsione ad 1.) ut seipsum a morte liberet, nisi ei qui habet publicam potestatem. Quibus verbis aperte docet illicitam esse cuique privato intentionem, ac voluntatem qualemcumque iniquum enecandi aggressorem; Unde merito affirmare possumus S. Doctorem nequidem concedere licitum velle hostis internecionem, etiam si volitione secundaria, & subordinata, nimirum tanquam medium ordinatum ad finem propriæ necis vitandæ. Quod evidenter constat ex ejus verbis; siquidem affirmat, & docet veritam esse cuicumque privato volitionem illam & intentionem, quam Militi, Judici, Ministro, & Carnifici tantum concedit, quibus quidem fas esse docet, intendere & velle eandem, sed volitione & intentione secundaria, & primario fini subordinata, nempe studio curandi boni publici alterius morte; adeo & isti peccent, si non ex motivo communis boni, sed privato aliquo affectu moveantur: quamvis etiam & isti peccent, si privata libidine moveantur. Nullam igitur cenam licitam concedit Privato suam defendenti intentionem, aut volitionem, sive primariam, sive secundariam, vel directam, vel indirectam, per quam necem Aggressoris intendat.

VI. Hæc porro doctrina læculentius apparebit, si quæ a D. Thoma docentur attendamus: ait siquidem: si forte aggressoris mors ex propriæ vitæ defensione sequatur, eandem hanc esse debere omnino *præter intentionem, & per accidens*; adeo nulli, sive bonitatis, sive malitiæ sublit moralitati, ut contingit in omnibus gestis & actionibus, in quas nec voluntas fertur nec intentio; cum, ut Ipse docet, *morales actus recipiant speciem secundum id, quod intenditur, non autem ab eo quod est præter intentionem, cum sit per accidens*. Sit exemplum in Fabro tignario, qui dum tectum conscendit, aliquid honestæ suæ artis opus moliturus, repente ruit, dirumpitur, moritur: Jam casus iste, cum nec volutus sit, nec bonus moraliter dicendus est, nec malus, cum sit *præter intentionem & per accidens*. Porro ita se habeat, vult D. Thomas, ille qui vitam suam adversus injustam aggressorem tuetur: „ *Ex actu*, inquit ille, *alicujus seipsum defendentis duplex effectus sequi potest, unus quidem conservatio propriæ vitæ, alius autem occisio invadentis. Actus ergo hujusmodi ex hoc, quod intenditur, conservatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti; cum hoc sit cuilibet naturale, quod se conservet in esse, quantum potest. Potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens illicitus reddi, si non sit proportionatus fini. Et ideo si aliquis ad defendendum propriam vitam utatur majori violentia quam oportet, erit illicitum. Si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio. Sed quia occidere hominem non licet, nisi publica auctoritate, propter bonum commune. illicitum est, quod homo intendat occidere hominem ut seipsum defendat. Hinc proximi necem nec in hoc casu intendere aut velle licitum est; sed si forte defensionis actum sequatur, semper ita sit præter intentionem oportet, ut tanquam involuntaria & accidentalis habeatur. Verum quidem est ex defensione aggressi eandem consequi aggressoris; at eo plane modo quo præcipitium & mors Tignarii ex ejus in tectum conscensu sequitur; & quemadmodum ille licite artis suæ opera ad victum sibi comparandam etiam cum aliquo involuntario vitæ suæ periculo exercet; ita injuste aggressus vitam suam licite tuetur, quamvis inde iniqui aggressoris cædes per accidens sequatur, quam tamen aggressus nec vult, nec intendit; cum quisque, ut ait S. Thomas, magis propriæ conservationi, quam alienæ prospicere teneatur; *nec est necesse ad salutem, ut homo actum moderata tutela prætermittat ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quam alienæ. Qua de re illud summopere, accurateque notandum, quam caute nempe, sapienterque loquatur Doctor Angelicus: aliud enim est magis vitæ suæ providere quam alienæ; aliud vero, hominem velle interficere ad propriæ vitæ tutelam; in hac siquidem posteriori positione actio exprimitur occisiva, quæ a priore longius abest; sicut abest & ab hac propositione: In extrema necessitate**

constitutus panem ad vitam sustentandam sibi reservat, & alteri denegat, quamvis alter æquali pressus necessitate, pane denegato, mortem incurrat. Porro S. Thomas nulli usquam concessum licitumque dixit, nisi publica auctoritate munito, velle, aut intendere occisionis actum, licet ad propriam vitam ab injusto aggressore tuendam necessarium.

VII. Quid inde vero? Primum quidem ex Angelica ista doctrina consequitur, quod si quis inquireat num liceat sine publica potestate injustum aggressorem mortem intentantem interficere, quando alio pacto vitam tueri non valeamus; Responsio adhibenda negativa est; & reponendum absolute *non licere* juxta D. Thomæ sententiam. Etenim consueto loquendi more, dum quaeritur, num liceat aggressorem interficere; perinde est ac inquirere, num liceat homicidium voluntarie committere: Sicuti dum quaeritur, num liceat seipsum interficere, quisque statim intelligit, quaeri, num id liceat, deliberate & voluntarie, non autem ex fortuito casu vel eventu, ex proprio munere, artis, vel officii exercitio contingente. At ex mente S. Doctoris *moderamine inculpate vite* necessario in proposito casu intentionem omnem, ac volitionem occisionis injusti aggressoris excludit.

VIII. Alterum ex D. Thomæ doctrina confectarium hoc est; nonquam licere, ad præcavendum, vitandumque vulnus, aut percussionem imminentem sibi ab adversario, quidquam moliri, quod ab intentione illum enecandi nequeat separari. Quæ Doctrina quidem rigida nimiam, & ardua, difficilisque praxis permixtis videbitur: at nihil mirum, quandoquidem perpauci pariter sunt qui æque ac S. Thomas Evangelicam immaculatam legem mente noverint, totisque præcordiis diligant; cujus proinde talis, qualem retulimus, mosum doctrina constantissime fuit.

IX. At si hujusmodi fuit in moralibus S. Thomæ doctrina, quis non statim latum patensque discrimen inter pura & illibata ejus dogmata, & cruentas ac perniciosas recentiorum Casuistarum superius indicatas opiniones luescens percipiat? Illi siquidem generalis illius S. Magistri principii: *nunquam licet aliquem interficere sine publica potestate potuit oblii, privatam quemlibet*, (ut agebat quidam (*) elapsi sæculi clarissimus Præsal) *Judicem supremum statuerant, cui parvem Regibus & Monarchis potestatem concessere*; & cuiuslibet privati manus sic & gladio munierunt, queis non solum propriam, servato prædicto moderamine, vitam tuerentur, sed etiam tot in casibus supra indigitatis, in alterius vitam insurgerent & attentarent. Quis proinde portentosam recentioris Galli Scriptoris Jesuitæ, cujus §. primo meminimus; non detestetur temeritatem, qua scripturæ ausus est pag. 32. *Recentium Casuistarum Causam cum S. Thomæ causa esse intime colligatam, nec quicquam de illis definiti posse, quod & de D. Thomæ pariter definitum non censetur*; & cum commune utriusque erratum sit, communem quoque esse debere criminationem? Verum quis pariter luce clarius non percipiat immane quantum ab execrabili detestandaque doctrina, quam illi audacissime appingunt, distet Doctor Angelicus? Cum enim ille nullo in casu concedat unquam, licitumque faciat privatæ personæ publica potestate non munitæ adversus alterius privati vitam attentare, quanto magis constantiusque tenebit, licere nunquam, nusquam concessum Principis, Monarchæ, Regis, cujusque publicæ Personæ (queis tanto amplior est habenda reverentia, quanto sublimius supra subditos evectur eorum suprema dignitas) vitæ insidiari?

X. Rogabit autem fortasse quispiam, num quia S. Thomas propriam vitam adversus injustum aggressorem, moderamine tamen superius explicato, tueri concedit; concessum itidem existimet illam defendere adversus Regem & Principem, si forte hic aggressoris personam assumat; an potius propriam defendendam tutelam doceat, quan-

(*) Mons. Del bene Eveq. d'Orleans, lett. Past. 1658.

quando vel præter intentionem & per accidens illius timeatur occisio? Sed priusquam respondeo, illud prænotandum puto, quod cuique facile in mentem venire poterit, nullam scilicet hic quæstioni huic superesse locum, & extra semitam divagari, quandoquidem instituta tantummodo quæstio est de *necesse Regis Tyranni*, seu *num liceat Regem Tyrannum occidere*, cui quæstioni negativa semper est adhibenda Responso, quocunque in casu, & quavis de causa, juxta verissimam hucusque traditam D. Thomæ doctrinam. Si vero ulterius progrediendo inquiratur, quid liceat ad propriæ vitæ tutelam, si quando Princeps aut Rex propriis ipse manibus vitam alienam invadens, necem intente? Jam fictitia plane & chimerica ponetur hypothesis, uti quisque videt; cum id fortasse acciderit, aut continget nunquam. Principibus siquidem Regibusque mille non desunt modi, quibus invisum sibi subditum de medio tollant ad libitum, quin Ipsi per se illum adoriri sit opus, propriisque manibus gladio, pugione transfodere. Directe nihilominus ut respondeam, id unum posito in casu subditis licere judico, iis dumtaxat uti mediis quæ vitæ suæ tutelæ & conservationi conducunt, cujusmodi sunt, fugam arripere, clam se subducere, ictus avertere, arma quoque Invasoris e manibus eripere, & similia; at non item aliis ex quorum usu mors Regis, trucidanti licet, ac facinorosi consequatur. Ita sentiendum censo, ut D. Thomæ insistamus Doctrinæ. Firmum etenim ratumque penes S. Thomam, ac sexcentis in locis suorum operum repetitum & inculcatum est, *Bonum commune ut sacrosanctum & pene divinum prevalere perpetuo, perpetuoque præponendum esse peculiari ac privato cujusque bono*; adeo ut in illius tutelam, & conservationem privatus quisque vitam & omnia sua prodigere teneatur. Porro inevitabile (ut in plurimum evenit) boni communis damnum sequeretur & perniciæ ex occisione Principis a Deo ad ejus custodiam & tutelam constituti, ob innumeras seditiones, turbas, & scandala, quæ inde profunderent, & orirentur. Poterit ergo posito in casu subditus licite iis tantum insistere, quæ vite suæ tutelam respiciunt, at mortem Principis intentare, vel iis uti mediis ex quibus illa consequitur, omnino non poterit. Hinc & illud animadverto, aliquando S. Thomam de simili eventu locutum, non alia usum phrasi, quam ista, *licitum esse RESISTERE Principi injusto: licitum ejus volentiam REPELLERE*, & similibus: quæ profecto verba quam limitatam, angustam, præcisam præferant significationem, nemo non videt. Immo hanc ipsam limitatam adeo se se tuendi potestatem non concedit Angelicus, quotiescunque inde vel scandalum, vel publicæ rei turbatio timeatur; nisi forte propter scandalum vitandam: cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur. Itaque phrasæ istæ cautæ adeo prudentesque, quibus uti maluit Doctor Angelicus solidum firmumque præbent argumentum affirmandi, ipsam nunquam sensisse vel docuisse, licere cuique privato eo usque vitæ suæ tutelam, & defensionem protendere, ut necem intente, vel inferat Principi quamvis injusto Aggressor. Juxta sanam illam artis criticæ regulam, quæ indicit, nulli scriptori eam tribuendam esse doctrinam, quam conceptis verbis, cum posset, non expressit: *Quod quis potuisset clarius dicere, non intendit.*

§. Q U I N T U S .

Alterius D. Thomæ textus Principum incolumitatem prospicientis cum recentiorum doctrinis comparatio instituitur.

QUANTUM a cruenta, & homicida sententia, quam recentiores S. Thomæ detractores illi audent adscribere abhorruerit Angelicus Præceptor luculentissimus alter comprobatur textus ex eadem Summa Theologica depromptus; ex illo, videlicet, aureo opere, quod præ cæteris perfectum absolutumque est; quodve sapientes omnes ceu illud, ex quo vera ejus Doctrina, legitimaque sensa hauriuntur, respexere. Sic

Sic igitur scribit D. Thomas 1. 2. *quest.* 96. *art.* 5. *Princeps dicitur esse solutus a lege: quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Unde super illud Psal. 50. tibi soli peccavi &c. dicit Glossa: quod REX NON HABET HOMINEM QUI SUA FACTA DIJUDICET.* Quæ omnia D. Thomæ verba peculiari & attenta sunt enucleanda consideratione; quippe quæ ejus mentem de Summi Principis potestate & dignitate declarant, ac patefaciunt. Princeps procul dubio legibus quo ad vim directivam ipse quoque subijcitur, cum illarum custodiam, exemplo maxime procurare teneatur, ac urgere: vere nihilominus de illo asseritur, legibus non subesse. *Princeps legibus solutus est: At quomodo, quæve de causa? Nempe quia si leges non custodit, si infringat, si impudenter violet, nullus est qui in eum condemnationis sententiam pronunciandi habeat potestatem: Nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat.* Quæ D. Thomæ verba, vel solitarie inspecta vim habent maximam, & palam ejus mentem exponunt: Verum eorum vis mirum in modum augetur, si sequentibus adjungantur, quæ in suæ doctrinæ confirmationem Glossæ adducit testimoniam, quæ Regii Vatis verba ad Dominum dicentis, *tibi soli peccavi*, sic explicat; sanctissimum Regem ita locutum, quia probe noverat, præter Deum, nullum esse in terris, cui Principes suorum teneantur operum reddere rationem; cum nullum sit reperire in terris, qui illum dijudicandi, vel ob violatas leges puniendi, polleat potestate: *Unde . . . dicit Glossa: quod Rex non habet hominem qui sua facta dijudicet.* Jure propterea modernus Scriptor (a) asserere non dubitavit, vel hunc solum D. Thomæ textum ad horrendam regicidio faventem opinionem funditus evellendam sufficere: quandoquidem si nullam est designare personam, quæ supremi Principis acta, quæcumque illa sint, dijudicare, vel levissimæ etiam pœnæ subijcere jure & potestate potiarur; multo minus illum interficere nulli concessum liquido constabit.

II. Etenim satis erit oculos in istorum auctororum sententias intendere, qui approbatæ Tyrannicæ doctrinæ postulati sunt & plane convicti, ut confestim eluceat, eos regulis, & doctrinis a D. Thoma constitutis adversari, & contradicere: Omnes siquidem, aut tanquam certum constituunt, aut ratum habent in quolibet Principatu & Dominio, Regem vel Principem etiam supremum, *alium supra se pati hominem qui sua facta dijudicet, & in ipsum valeat iudicium condemnationis ferre.* Quod & si superius jam indigitatum sit, operæ tamen prætium erit idipsum distinctius adhuc comprobare.

Gregorius de Valentia to: 3 in 2. 2. D Thomæ disp. 5. qu. 8. de Principe differens qui sua auctoritate cæteroquin legitima abutitur, ac in subditos Tyrannidem exercet, illum interficiendi potestatem denegat quidem cuique privato, scribens: *Tyrannum perperavum, & Communitati exosum, legitima aliquin auctoritatis usum, nullâ particulari licet occidere:* At simul potestatem hanc toti concedit *Reipublicæ, seu Communitati*, quo nomine, nec aliud designat, nec designasse concipitur, nisi Populum, subditorumque turbam, de Rege siquidem loquitur, qui absoluto supremoque pollet imperio. *Eum tunc coercere pertinet ad Rempublicam, quæ sola potest ipsum oppugnare & vocare in subsidium Cives.* In Regno igitur Monarchico juxta Valentiam alius viget Tribunal, alius imperat Judex, qui legitimi superioris acta expendere, & in illorum ferrendi condemnationis iudicium potestate pollet: qui & in Aristocratico Gubernio paritate causæ & rationis statuendus erit, si forte Optimatum senatus sua abutens in subditos potestate in Tyrannidem degeneret.

III. Eandem Valentiz doctrinam amplectitur, statuitque Molina to. 4. de Justitia & Jure, qui postquam *Tyrannum in Regimine* distinguit, & signavit, illum videlicet, *qui licet sit vere Dominus reipublicæ, in qua Tyrannidem exercet, inique tamen*

ac

(a) Dissert. Pol. p. 6.

ac iniuste eam administrat, statuit non licere quidem privato subdito illum de medio tollere, nisi quando de propria tuenda vita ageretur, ac huiusmodi potestatem toti Republicæ, *cujus est vere Dominus*, idest subditorum cætni elargitur; adeo ut possit Republica ipsa quoad capita convenire, eique resistere, lataque sententia deponere illum ab administratione, si id ita excessus illius, communæque bonum efflagitent, atque illum depositum punire. Hoc autem nonne profecto est directe D. Thomæ sententiæ contradicere, oppositum statuentis, & elata fronte adversus ipsum affirmare, docere, statnere quod, *vere Dominus Republica habet hominem supra se qui sua facta dijudicet?*

IV. Non minore fidentia palam idipsum confirmat & docet P. Leonardus Lessius *Lib. 2. de Justitia & jure cap. 9. dist. 4.* Tyrannum administrationis, Principem nimis legitimum & supremum, qui Regni dominatum non in publicum dirigit bonum, sed in privatum vergit commodum, subditos injustis opprimit vectigalibus, illisque vexat &c. Si eousque sua progrediatur Tyrannide, ut intolerabilis omnino fiat, nec aliud præsto sit remedium, tunc posse, docet, solio dejici, & Republicæ hostem a Regni Comitibus, vel aliis qui hac pollent potestate proclamari, quo peracto, jam licet unicuique privato ejus vitæ insidiari, cum post ejusmodi proclamationem Principem esse jam desinat. *Si tantum (verba sunt Lessii) excrescat Tyrannus, ut non videatur amplius tolerabilis, nec ullum aliud remedium supersit; primum a Republica vel Comitibus Regni, vel alio habente auctoritatem esse deponendum, & hostem declarandum, ut in ipsius Personam liceat quidpiam attentare. Tunc enim desinit esse Princeps.*

V. Præ cæteris tamen peculiari digna sunt animadversione quæ hac de re docet Franciscus Suarez in suo Libro cui titulus *Defensio Fidei catholica*; tum quia auctoritate sua cæteris præminet e societate Theologis, tum quia fatetur non aliam se tradere doctrinam ab ea, quam ejus universa societas tenet atque tuetur, scribens: *Nos omnes qui hac in causa unum sumus.* Tum denique, quia Auctor libri *Responsio* &c. ut hujus auctoris Apologiam texeret, ejus opiniones, doctrinas, sententias, odio etiam & execratione dignas, Angelico Præceptori tribuere, ausu quam maxime temerario molitus est. Suarez igitur in præfato suo Opere *Defensio* &c., quod Apologista fatetur adversus independentiam, & securitatem Regum exaratum, *lib. 6. cap. 4.* fusc omnes versat quæstiones de iis quæ contra Tyrannos moliri possunt subditi; & tanquam inconcussum statuit (quod etiam sponte ex præstitutis ab eo principiis fluebat): Ferri posse sententiam exauctorationis a Regno, quod propterea statim Fisco adjudicatum censetur, & ab alio potest occupari. *Hæc difficultas supponit contra Regem supremum etiam in temporalibus posse depositionis penam, & privationis Regni sententiam ferri. Est autem verissimum, & ex principiis positis in lib. 3. evidenter colligitur, & in sequentibus iterum dicitur. .* Ex quibus infert, si Rex legitimus in Tyrannum degeneret, nec illico emendationis aut spes aut remedium supersit, præterquam illum Solio deturbare; id a Republica, Civium & Magnatum accedente consensu, perfici posse; ideoque si Rex legitimus tyrannice gubernans, & Regno nullum aliud subsit remedium ad se defendendum, nisi Regem expellere, ac deponere; poterit respublica tota publico & communi consilio Civitatum & Procerum Regem deponere &c. Verum inquit: Hæc a Suarezio conficta Respublica, sive subditorum turba, poterit ne ulterius suam potestatem adversus supremum Dominum suum protendere? Utique, reponit Suarez. Post latam adversus Regem Tyrannum sententiam exauctorationis & privationis Regni; seu (quod perinde est) post declarationem criminis, cui hujuscemodi pænna pleno jure connectitur, qui sententiam pronuntiavit, sive alius per ipsum designatus, Regem Regno spoliare potest, necem quoque, quando latum judicium id ferat, inferendo. *Post sententiam condemnatoriam Regis de Regni privatione latam per legitimam Potestatem, vel, quod perinde est, per sententiam declaratoriam criminis habentis talem panam ipso jure impostam, posse quidem eum qui sententiam tulit, vel cui commiserit, Regem privare Regno, etiam illum interficiendo.* Poterat ne clarius sua promere sentia Suarez? Poterat

rat

rat ne itidem liberius S. Thomæ doctrinæ, qua hoc ipso in capite abutitur, adversari; & contradicere?

VI. Plures adhuc proferre Auctores possem vel ex una Jesuitarum Societate qui eadem sentiunt ac docent; verum ne morosus sim, unum addam classicum & celeberrimum P. Emmanuel Sa, qui suos, ut vocat, Aforismos ex aliorum doctrinis collegit, & veluti in succum & medullam christianæ Erices transtulit. Hic itaque nitidissime quid nomine *Reipublica*, cui potestatem eribunt Socii Theologi supremorum Principum gesta dijudicandi, intelligant, & significant, sic exponit. V. *Tyrannus*. Rex qui tyrannice populos moderatur suo Principatu legitime acquisito spoliari nequit, nisi publico instituto iudicio, sed latam sententiam quisque exequi poterit. Potest per populum Regno deturbari, licet sacramento obedientiam, & subjectionem sponderit, si admonitus suos mores mutare recuset. Ille vero qui tyrannice Regnum invadit, a quolibet interfici licet, si aliud mitius desit remedium. *Tyrannice gubernans iuste acquisito Dominio non potest spoliari sine iudicio publico. Lata vero sententia, potest fieri quisque executor. Potest autem deponi a populo, etiam qui juravit ei obedientiam perpetuam, si monitus non vult corrigi. At occupantem tyrannice potestatem quisque de populo potest occidere, si aliud non sit remedium.*

VII. Conferantur modo recensitæ doctrinæ, eisque similes, quas proferre præsto esset, cum D. Thomæ doctrina superius exposita, & confestim patebit quam longe inter se distent, quantumve sibi adversentur: Quis propterea non obstupescat & indignetur, dum audacia plane incredibili scriptam legit; *quid quid odio & execratione dignum apud Casuistas reputatur, totum id in D. Thomæ scriptis reperiri; & recentium Theologorum causam intime conjungi cum D. Thomæ causa; & cum commune sit utriusque erratum, communem quoque esse debere criminationem?* Profecto si in omnibus D. Thomæ Voluminibus, cunctis aliis etiam sepositis doctrinis jam relatis, & referendis, hæc una dumtaxat legeretur, non ne satis & abunde ad reprobandas damnatas hæc sedituosas homicidasque doctrinas, vel potius monstrosas opinioniones recentium Theologizantium, vel sola sufficeret? Si juxta D. Thomam supremus Monarcha *non habet hominem, qui sua facta dijudicet: si nullus contra Ipsum potest iudicium condemnationis ferre: si uni Deo suorum actuum rationem reddere tenetur, unde dicere merito possit cum Regio Psalte Tibi soli peccavi;* Ergo necessaria prorsus consecutione deducendum, Angelicæ repugnare doctrinæ, qui licitum docent in ejus Regno, & inter subditos Forum erigere, Judicem constituere cui subiaceat, & qui illum Solio dejicere, Regno privare, & etiam mortis sententiam in eum pronunciare licite valeat. Ergo jure meritoque conclamare possumus, & injuriæ, calumniæque postulare iniquos ocores ac detractores, qui S. Magistrum de hac detestabili adrobata doctrina insimulant & criminantur; & in his portentosis adstruendis opinionibus Valentæ, Lessio, Molinæ, Suarezio, aliisque hujus furfuris pluribus S. Thomam per summam iniquitatem attentant confociare.

VIII. S. Thomæ detractores qui in Galliis nihil intentatum per fas, nefasque reliquerunt, ut Jesuitarum scriptorum damnatas opinioniones a S. Thomæ doctrinis non recedere, evincerent; cum nihil in ejusdem Operibus reperissent, quod eorum Regicidis sententiis, consistæque a suis Regum dependentiæ, quorum vitam iudicio, seu vetus, furori & phanatismo subditorum exponunt, consonum & appositum videretur; hujusce criminationis ansam in doctrinis ab Anglico traditis de Ecclesiæ potestate in Principes ejus curæ & admonitionibus subjectos; si forte a fide per apostasiam deficiant, se nactos esse arbitrati sunt. Jam alibi protestatus sum, me quæstionem hanc nec discutere velle, nec dirimere, cum nihil ad rem de qua disputamus pertineat. Galli scriptores qui D. Thomæ Apologiam etiam de hocce argumento adstruunt, quænam sint S. Doctoris sententia, & quantum a recentioribus opinionibus ejus doctrina elongetur patefecere satis: non nulla & ego addere possem, quæ luculentius doctrinam mentemque illius de-

declararent, quippe quæ quoad substantiam, ut clarissimus scribit Bossuetus (a) non nisi purum succum Doctrina a Traditione & Patribus dimanans complectitur. Ne sunt autem alie que le pur esprit de la Tradition, & des Peres : At ne a scopo quem mihi præstitui longe discedam, hoc unum subdo ; nimirum quocumque in sensu de hoc argumento S. Doctoris verba, sententiæ, doctrinæ intelligantur ; vel explicentur, nihil ex illis extundi posse, quod Tyrannidii faveat doctrinæ ; quid insipienter effutire sit ausus Auctor ille recitatus *Epistole laici hominis* &c. ampullosis verborum phaleris, & longioribus usus ambagibus, quæ nihil omnino ad ejus intentum conducunt. Nec aliunde hujusce meæ assertionis confirmationem exquiram, quam ex alterius Jesuitæ verbis in Apologia pro suis Concellitis ab eadem criminatione vindicandis. Sic itaque scribit ille, & ratiocinatur (b). „ Licet concederemus reprehensione dignos „ habendos Jesuitas Theologos, qui Romanæ adhæserunt doctrinæ, attamen nonnisi per „ summam perversamque calumniam affirmari poterit, ex concessa ab ipsis Romano „ Pontifici in causa Religionis de temporibus Principum rebus disponendi potestate, „ etiam facultatem potestatemque scelestis hominibus illorum vitæ insidiandi esse largitos. Quid enim, amabo, commune in his doctrinis ? Quis enim unquam ita desipuit, ut crederet, sententiam, puta, nonnisi meram alicujus hæreditatis expoliationem indicentem, exilii quoque vel necis penam necessario inferre ? Quis unquam inter acriores etiam amplissimæ, & illimitatæ Pontificum auctoritatis Assertores & Vindicæ censuit unquam ex una ad aliam insidendam dilabi poenam concessum ? Nonne celeberrimus Cancellarius Gersonius errorem Tyrannidii totis viribus oppugnavit, ut ex Tomo 5. suorum Operum clare patet ; & tamen quantum Reipublicæ & Communitatibus in Principum depositione faverit, nullus est qui ignoret. In tanta gestorum frequentia, quæ a Pontificiis Theologis ad suam adstruendam sententiam afferuntur, unum ne, vel unicum assignare erit, quo Romanos Pontifices appareat subditis Principes suos districto pugione jugulandi fecisse potestatem ; aut scelestissimum hocce paricidium a quoquam patratum laudasse ? Audiatur quid de hoc argumento scribat Bellarminus in Epistola ad Archipresbiteros Angliæ. *Quod enim obtenditur de periculo vitæ Regis, si summus Pontifex eam in Angliam habeat potestatem, quam in omnibus aliis christianis Regnis habet, inano profus esse omnes, qui sunt aliqua prudentia præditi, facile vident. Neque enim auditum est unquam ab initio nascentis Ecclesiæ usque ad hæc nostra tempora, quod ullus Pontifex Max. Principem ullum, quamvis hereticum, quamvis Ethnicum, quamvis Persecutorem, cædi mandaverit, aut cædem forte ab aliquo patrata probaverit. Qua fronte igitur Jesuitis Theologis erit imputanda ; tanquam legitimum confectarium, sententia, quam nullus unquam adprobavit, quæve a quacunque eorum doctrina quam longissime distat ? „*

IX. Hæc porro Jesuitæ Scriptoris ratiocinatio, ceu recta, & ad suorum Theologorum, in hoc saltem capite, apologiam valida haberi posset, nisi Ecclesiasticæ & Pontificiæ in temporales Principes potestatis limites ultra æquitatis & justitiæ metam ipsi dilataissent ; & verum si foret, quod ipsi fidenter nimis affirmant, nimirum, se nullam illarum opinionum, neque ut corollarium ex aliis deductum adprobasse. Verum res non ita se habet. Nimium enimvero Ecclesiæ jurisdictionem dilatarunt, & non modo opinionem illam ut corollarium agnovere, sed ex suis præstabilitis Doctrinis expresse ipsi, ac directe eam deduxere ut videre est apud Suarez cap. 4. , lib. 6. citati. Verum validissima est, & omnino decretoria præfata ratiocinatio, si D. Thomæ applicetur Doctrinæ : quippe qui non solum opinionem illam, ut corollarium alterius non

Summ. S. Th. Tom. XIII.

d

admi-

(a) *Defensé de la Tradition Tom. 19. pag. 112.*

(b) *Auctor Italus Demonstrationis Apologeticæ pag. 88.*

admisit, sed data opera rejecit, refutavitque Doctrinis plane contrariis, a nobis expo-
sitis & mox exponendis; nec aliud tradit de Potestate Ecclesie in hac controversia,
nisi quod a periculo deceptionis, vel apostasie a fide, valeat fideles avertere: Nun-
quam vero vel minimum quod ad Principes potestate suprema, qua a Deo donati sunt,
spoliandos possit inducere: Quod facile ostendere possem si de hac quaestione tractatio-
nem adornare luberet.

§. S E X T U S.

*D. Thoma textus ex libro de Regimine Principum desumptus, de modo quo subditi
erga Principem Tyrannum se gerere debeant, affertur, & explicatur.*

I. **S**I quis in tot Operum D. Thomae voluminibus locus est, in quo clarius pariter
mentem suam, Tyrannicidii craentam doctrinam averfantem, declaret Angeli-
cus, pariterque evidentius recentium sui detractorum calumniam, pessimam fidem, &
imposturam confundat, Caput profecto est sextum libri primi de *Regimine Principum*.
Hujusce veritatis specimen exhibui in *Epistolis ad Status Administrum* datis To. 2.,
ubi audaciam cujusdam obscuri scribillatoris fregi, qui Italici auribus, D. Thomam eo
libro, & loco Tyrannicidii doctrinam tradidisse, non fuerat veritus insuffurrare. Ve-
rum opere pretium me facturam modo arbitror, si latius & pressius huic animadver-
sioni insistero, ad novas profligandas recens disseminatas criminationes, atque ad veri-
tatem luculentius patefaciendam, quam injustis, futilibusque accusationibus obscurare
conantur. Eoque potissimum titulo necessarium duco, doctrinam & mentem S. Præcep-
toris acuratius enucleare, quod isto in Opusculo, recitato capite, data opera Quæstio-
nem hanc versarit Aquinas; quam nullibi præter hic ex professo tractasse comper-
tum est.

II. Scopus itaque quem sibi eo loci præfigit Angelicus est, docere ac instruere
subditos christianos quomodo se gerere debeant, si quando supremum eorum Principem
in Tyrannum degenerare contingat: *Qualiter multitudo se debeat habere circa ipsum
(Tyrannum)*. Duplicem propterea distinguit Tyrannidem, aliam intolerandam &
acerbissimam, mitiorem aliam ac tolerabiliorem: De hac posteriore loquens, quod ex-
tra controversiam est, omniumque constat approbatione, statuit; nimirum patienter ac
pacato tranquilloque animo tolerandam: Ea propter feralia turbaram, defectionum,
ac seditionum consecraria ob oculos ponit; ostenditque ista potius ad augenda vel mul-
tiplicanda mala, nunquam vero ad ea vel avertenda, vel minuenda conducere; plu-
ribusque confirmat exemplis, subditos dum unam vitare tyrannidem tentarunt, in aliam
incidisse pejorem. De priore vero, intoleranda videlicet, & acerbissima sermonem in-
stituens, primo quorundam refert opinionem sentientium, tunc intrepidi viri munus
esse Tyrannum obruncare; & ad liberandum ab oppressione Populum, vitam pro-
prium ultro exponere neci; quam sententiam exemplo Aod confirmari putabant, qui
ut Dei populum Eglon Moabitarum Regis Tyrannidi subtraheret, hunc sic ancipiti
ransfodiendo enecavit. *Si sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum fuit,
ut ad fortium virorum virtutem pertineat Tyrannum interimere, seque pro liberatione
multitudinis exponere periculo mortis. Cujus rei exemplum etiam in veteri testamento
habetur. Nam Aod quidam Eglon Regem Moab, qui gravi servitute populum Dei præ-
mebat, sic infixit in ejus femore interemis. & factus est populi Judæ. Et hæc ipsissi-
ma est detestabilis Tyrannicidio favens sententia, quam recentiores instaurarunt ut plu-
rimum e Societate Theologi.*

III. At quid de ea Doctor Angelicus? Num approbat? Absit! immo rejecit,
refutat, damnat; ceu Doctrinis Apostolorum, primorum Christianorum exemplis, Di-
vinæ Scripturæ testimoniis plane contraria; nec non maximarum seditionum, & pha-
nati-

naticarum turbarum feralem fontem elata voce deprædicat. Audiantur quæ statim subdit. *Sed hoc Apostolica doctrina non congruit.* Ecce? Quia Apostolus Petrus docet obtemperandum & servendum terrenis Principibus, ne dum modestis & bonis, sed pravis etiam & discolis: sic enim triumphat, & vincit Gratia Jesu Christi, quæ ad duriora, & asperiora toleranda mala, calamitatesque ferendas; necnon pravorum hominum malitiam, & iniquitatem patientia vincendam, nos sustinet, roborat, confirmat. *Sed hoc, verba sunt Aquinatis, Apostolica doctrina non congruit. Docet enim nos Petrus, non bonis tantum, & modestis, verum etiam discolis Dominis reverenter subditos esse.* (i. Petri 2.). *Hæc est enim gratia Dei si propter conscientiam Dei sustineat quis tristitias patiens injuste.*

VI. Hoc muniti subsidio (prosequitur D. Thomas) primorum seculorum Christiani ab Apostolis edocti, patientiam & mansuetudinem, etiam sævissimas inter, & atrocissimas persecutiones custodire, licet Romanorum Imperatorum in eos crudelitas deserviret, & christianam Religionem ubique terrarum exterminare conaretur; & licet Christi fideles tum ex Proceribus, tum de Plebe magno forent numero, potentisque suis obfistere persecutoribus, nunquam tamen in illos insurrexere; sed & armis instructi, patienter nihilominus mortem, quam iniquis intentare valebant, pro Christo oppetere maluerunt; summis propterea laudibus efferendi, ut in Thebeorum Legione compertum est. *Unde cum multi Romani Imperatores fidem Christi persequerentur, magnæque multitudo tam nobilium, quam populi esset ad fidem conversa, non resistendo, sed mortem patienter, & armati, sustinentes pro Christo laudantur, uti in Sacra Thebeorum Legione manifeste apparet.*

V. Doctrinam suam roborat Doctor Angelicus argumento petito ab iustissima, qua malectati sunt, pœna in veteri Testamento Joas Regis Judæ interfectores; quamvis illum interemerint, quia impius ille, & crudelis Monarcha Idolatriam & Apostasiam, Summi Sacerdotis Jojadæ, cujus Patri, pro servatis sibi Regno, & vita, obstrictus erat, in ipso Sacro Hierosolymorum templo patrata internecione, novo & atrociori crimine cumulaverat. Falso illi imprudentique zelo permoti, proculdubio summam Deo obsequium, magnum Religioni & Patriæ beneficium, Regnum a tam immane, scelestoque Tyranno liberando, se præstitisse arbitrabantur; at cum Amalias Joas Filius iniquos Paricidas enecandos jussit, punitionem hanc æquam, justamque agnoscit & fateretur Angelicus Doctor, eaque in exemplum adducta, confirmat, nunquam licere Principibus, facinorosis licet & impiis, violentas manus inferre. *Unde & in veteri Testamento leguntur occisi fuisse, qui occiderunt Joas Regem Juda, quamvis a cultu Dei recedentem.*

VI. His minime contentus S. Thomas, postquam veritatem Tyrannorum necem factæ scripturæ documentis evicerat; ulterius ad ejus pravitatem ostendendam progreditur alia argumentatione, desumpta tum ex pessimis & horrendis inde exorituris effectibus, turbis scilicet, seditionibus, & civilibus bellis in Reipublicæ perniciem; tum ob periculum quod inde itidem Principibus quoque optimis, communisque Boni studiosis immineret, in quos, fallaci mendacique affectatæ Tyrannidis obtentu, ac nomine, scelestus quisque insurgere posset, ac debaccari; quippe cum Principes æquo prudentique consilio debitas infligentes scelestis hominibus pœnas, hujuscemodi scelestorum turbæ (cui nihil exosum magis, quam suis criminibus promeritum semper presto esse supplicium) invidiam facile subeant & odium, juxta illud Proverb. 20. *dissipat impius Rex sapiens.* Hi porro ad turbas ciendas, seditiones excitandas, homicidia, cædesque patrandas proni semper inveniuntur atque parati: ea propter si perversa Tyrannicidio favens sententia vigeret, facile posset contingere, meliores, optimosque Principes fanatici furoris victimas fieri, eorumque insanix & violentiæ subjacere: quare detestanda, vel hoc nomine, tyrannicida sententia est, ceu communi bono, publicæque tranquillitati infesta omnino, & perniciosa. *Esset autem hoc (verba sunt S. Thomæ) multitudine*

dini periculofum, & ejus Reſtoribus, ſi privata præſumptione aliquis attentaret Præſidentium necem, etiam Tyrannorum. Plerumque enim hujusmodi periculis magis exponunt ſe mali, quam boni. Malis autem ſolet eſſe grave dominium non minus Regum; quam Tyrannorum, quia ſecundum ſententiam Salomonis, diſſipat impios Rex ſapiens. Magis igitur ex hujus præſumptione immineret periculum multitudini de ammiſſione Regis, quam remedium de ſubtractione Tyranni.

VII. Sicce igitur adverſus Tyrannum, qui crudelitate ſua ac iniquitate ſubditos opprimere ac divexare non ceſſat, licet ejus Tyrannis eoſque excreſcat, ut intoleranda omnino fiat, nullum erit ſperandum auxilium, nullumque levamen? non aliud proſecto ſuppeditat, & ſuggerit S. Præceptor, niſi quod æquitatis honeſtatique regulis conforme ſit, & ab omnibus laudari mereatur, & adprobari. Tres itaque illas diſtinguit Principum claſſes, quarum ſuperius meminimus, & quæ ad duas reduci commode valent. Principum videlicet qui *Supremi* ſunt, & eorum qui ſunt alteri *ſubordinati*. Hi ſuperiorem habent, Illi nullum ſupra ſe cognoscunt. Si Princeps ab alio, ſive monarcha, ſive Republica ceu ſuperiore dependeat; tunc qui opprimuntur ſubditi a Regnantis Tyrannide ad legitimam ſuperiorem queunt provocare; & ab Eo qui illum reprimendi, puniendique, ac ſi opus ſit etiam dignitate, qua abutitur, expoliandi, pollet poteſtate, remedium & levamen eſſagitare. *Si ad jus alicujus ſuperioris pertineat multitudini providere de Rege, expectandum eſt ab eo remedium contra Tyranni nequitiam.* Quod exemplis confirmat Romanæ Reipublicæ, quæ Tarquinium ſuperbam ſolio dejecit; Cæſaris Auguſti, qui Judææ Principatu Archelaum ſpoliavit, ejuſque Regnum duobus ejus Fratribus partitus eſt, & denique Tiberii, qui eundem Archelaum eſt etiam exilio mulctatus.

VIII. At ſi Princeps ſapremus ſit a nulloque dependens, nec Superiorem agnoſcat in terris, cujuſmodi ſunt Reges plerique; quid tum? quale adhibendum remedium, ſi in ſædam, intolerandamque degeneret Tyrannidem? Non aliud promit conſilium Doctor Angelicus, non aliud ſuggerit remedium: niſi conſtanti patientia animum munire; præcibus & votis ad Deum Regem Regum, & Dominum Dominantium conſugere, qui noſtrum eſt reſugium & virtus in tribulationibus; in cujus manibus, ut ait Salomon, corda Regum ſunt poſita; & quocunque voluerit inclinata; qui ab illo cor lapideum & durum auferre poteſt, & cor donare docile, clemens, manſuetum; qui denique poteſt, cum ſibi placuerit, juſtiſſima & mira punitione Tyrannum de medio tollere, & populum ſuum ab oppreſſione vindicare. Sic ille in Aſſuero præſtitit, quæ univerſæ Judææ gentis publicis tabulis cædem & ſtragem indixerat, illius cor immutando: Sic in Nabuccodonofor præſtitit, illum ex crudeli Tyranno in ſuæ divinæ Omnipotentæ laudatorem convertendo: Sic Populum de duriffimo Pharaonis imperio eripuit, ipſumque cum exercitu toto in mari rubro demerſit: Non enim ita eſt abbreviata manus Domini, ut in ſe ſperantes a quacunque iniquitate & perſequentium Tyrannide non valeat liberare. Quæ tamen beneficia a Deo impetrare ſi avemus (ſubdit Doctor Angelicus) oportet, ut Populum dignum ſe Divina Pietate reddat, vitæ morumque reformatione, & peccatorum deteſtatione ac fuga. Hæc enim in cauſa ſunt cur Deus impios, ſceleſtoſque homines ſinat ad Regnum & Dominatum conſcendere, tanquam æquiſſimi furoris ſui, juſtæque indignationis miniſtros & ſatellites: quemadmodum Deus Ipſe ſuorum Prophetarum ore in ſcripturis non ſemel teſtatus eſt. *Quod ſi* (verba ſunt aurea plane S. Thomæ) *omnino contra Tyrannum auxilium humanum haberi non poteſt, recurrendum eſt ad Regem omnium Deum, qui eſt adjutor in opportunitatibus in tribulatione.* Ejus enim potentæ ſubeſt ut cor Tyranni crudele convertat in manſuetudinem, *ſecundum Salomonis ſententiam Proverb. 21. cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. Ipſe enim Regis Aſſueri crudelitatem, qui Judæis mortem paraverat, in manſuetudinem vertit. Ipſe eſt, qui ita Nabuccodonofor crudelem Regem convertit, qui factus eſt divina potentia prædicator Tyrannus*

nos vero, quos reputat conversione indignos, potest auferre de medio, vel ad infimum statum reducere, secundum illud sapientis. Ecclesiastici 10. . . . Sedem Ducum superbiorum destruxit Deus & sedere fecit mites pro eis Nec enim abbreviata manus ejus est, ut populum suum a Tyrannis liberare non possit: Promittit enim per *Isaiam*, requiem se daturum a labore, & confusione, ac servitute dura, qua ante servierat. Sed ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare: quia in ultionem peccati, divina permissione, Impii accipiunt Principatum, dicente Domino per *Oseam* 13. Dabo tibi Regem in furore meo. Et in *Job*. 34. dicitur: regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Tollenda igitur culpa, ut cesset a Tyrannorum plaga. Hactenus D. Thomas, qui laudatis verbis capiti sexto libri primi *De Regimine Principum* finem imponit.

IX. Nunc itaque totius Orbis terrarum fidem appello, univerforumque, qui cordati, prudentes, sapientes audiunt, judicium efflagito, quidve sentiunt, rogo, promant judicent, definiant; num S. Doctor toto hoc capite, cujus analisim cunctorum oculis subjecimus, aliquo pacto Doctrinæ Tyrannicidæ faveat, illam doceat, illi adhæreat: num saltem vel leve aliquod de illius adprobatione indicium, argumentum, suspicionem suppeditet, præbeat, inducat? Immo ex opposito, nonne rejectam illam, reprobam, damnatam ab Angelico Præceptore, luce meridiana clarius constat, & evidentissime patescit? Porro si sanctissimus Doctor eam non semel sed pluries reprobat, etiam cum de Tyrannide agitur summa plane, & intolerabili: si eam rejicit, illorum opinionationem refellendo, qui saltem in hujusmodi extremis Tyrannicidium concessum arbitrantur, tanquam adversam, & repugnantem Apostolorum Doctrinæ, quæ reverentiam, obbedientiam, subjectionem subditis erga Principes & Reges etiam impios, & crudelēs, indicit: si damnat exemplis primorum fidelium, diris persecutoribus minime obfistentium, & qui mori maluerunt, quam rebellare; nec non punitionem, & vindictam referens in eos qui regio sanguine se polluerunt; ut in Regis Joas interfectores factum est, ac istorum damnationem & necem justissimam, æquitatque conformem fuisse asserit, & notat. Si rursus damnat consideratione malorum, seditionum, cladum, turbarum ejusmodi doctrinæ praxi fere semper profluentium. Si denique abominatur docendo, & obtestando, hujusmodi vigente Tyrannide, non alio esse confugiendum quam ad Deum, illum exorando, ut dira, & ferina Tyrannorum corda emolliat, & in viscera misericordiæ, clementiæ, mansuetudinis vertat & immutet. Si, inquam, tot modis, argumentis, & rationibus insectatur, odit, execratur Tyrannicidam illam sententiam; non ne (proh Deum hominumque fidem!) calumniæ, mendacique impudentissimi rei convicti deprehenduntur Detractores, oforesque illi tenebrosi, qui lucidissimo, & vere Angelico Ecclesiæ Doctori S. Thomæ perversam, qua de agitur, doctrinam audent adscribere; immo obdurata plane fronte coram affirmare, illam docuisse in hocce eodem relati Operis capite, in quo tot luculentissima, evidentiā, peremptoria condemnationis protulit argumenta?

Sed jam primæ huic Apologeticæ Dissertationi finis: De mente, doctrinaque illibata, sanctissima D. Thomæ ab Tyrannidarum impiis opinionationibus immense distante, oppositaque directo, satis, ex dictis, superque constat. Adversariorum objecta, sophismata, commenta, diluere, dissipare, exsufflare alterius erit Dissertationis opus & pretium Tomo sequenti præfigendæ.

I N D E X

Q U Æ S T I O N U M , E T A R T I C U L O R U M

Quæ in hoc Primo Volumine continentur.

S U P P L E M E N T I

T E R T I Æ P A R T I S

S U M M A Æ T H E O L O G I C A Æ .

Q U Æ S T I O I.

De partibus pœnitentiæ in speciali, & primo de contritione.

- 1 **U**trum contritio sit dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi.
- 2 utrum sit actus virtutis.
- 3 utrum attritio possit fieri contritio.

Q U Æ S T I O II.

De objecto contritionis.

- 1 utrum homo debeat conteri de peccatis, & non solum de culpa.
- 2 utrum contritio esse debeat de originali.
- 3 utrum de omni actuali commisso.
- 4 utrum de omni peccato actuali committendo.
- 5 utrum de peccato alieno.
- 6 utrum de singulis peccatis mortalibus.

Q U Æ S T I O III.

De quantitate contritionis.

- 1 utrum contritio sit major dolor qui esse possit in natura.
- 2 utrum possit esse nimis magnus dolor.
- 3 utrum possit esse major dolor de uno peccato quam de alio.

Q U Æ S T I O IV.

De tempore contritionis.

- 1 utrum tota ista vita sit tempus contritionis.
- 2 utrum expediat continue conteri de peccato.

- 3 utrum anime separata contritionem de peccatis.

Q U Æ S T I O V.

De effectu contritionis.

- 1 utrum remissio peccatorum sit effectus contritionis.
- 2 utrum contritio possit totaliter auferre reatum pœnæ.
- 3 utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnotum peccatorum.

Q U Æ S T I O VI.

De confessione, & ejus necessitate.

- 1 utrum confessio sit necessaria ad salutem.
- 2 utrum sit de jure naturali.
- 3 utrum omnes teneantur ad confessionem.
- 4 utrum quis possit confiteri peccatum, quod non habet.
- 5 utrum teneamur statim confiteri peccatum.
- 6 utrum possit cum aliquo dispensari, ne homini confiteatur.

Q U Æ S T I O VII.

De confessionis quidditate.

- 1 utrum Augustinus convenienter confessionem definiat, quod confessio est, per quam morbus latens cum spe veniæ aperitur.
- 2 utrum confessio sit actus virtutis.
- 3 utrum sit actus virtutis pœnitentiæ.

QUE.

De ministro confessionis.

- 1 *utrum sit necessarium confiteri sacerdoti.*
- 2 *utrum liceat in aliquo casu alteri confiteri quam sacerdoti.*
- 3 *utrum aliquis non sacerdos possit audire in confessione peccata venialia extra casum necessitatis.*
- 1 *utrum sit necessarium confiteri proprio sacerdoti.*
- 3 *utrum possit aliquis alteri sacerdoti confiteri quam proprio, ex privilegio, vel mandato superioris.*
- 6 *utrum moriens possit absolvi a quolibet sacerdote.*
- 7 *utrum pena temporalis taxetur secundum quantitatem culpae.*

QUESTIO IX.

De qualitate confessionis.

- 1 *utrum confessio possit esse informis.*
- 2 *utrum oporteat confessionem integram esse.*
- 3 *utrum quis possit per alium, vel per scriptum confiteri.*
- 4 *utrum illa sexdecim conditiones quae assignantur a magistris, requirantur in confessione.*

QUESTIO X.

De effectu confessionis.

- 1 *utrum confessio liberet a morte peccati.*
- 2 *utrum liberet aliquo modo a pena.*
- 3 *utrum aperiat paradysum.*
- 4 *utrum tribuat spem salutis.*
- 5 *utrum confessio generalis deleat peccata mortalia oblita.*

QUESTIO XI.

De sigillo confessionis.

- 1 *utrum in quolibet casu teneatur homo celare ea quae sunt sub sigillo confessionis.*
- 2 *utrum sigillum confessionis se extendat ad alia, quam quae habita sunt in confessione.*
- 3 *utrum solus sacerdos sigillum confessionis habeat.*
- 4 *utrum sacerdos possit revelare confessionem de licentia confitentis.*
- 5 *utrum teneatur celare ea quae etiam aliter novit.*

De satisfactione, & ejus quidditate.

- 1 *utrum satisfactio sit virtus, vel actus virtutis.*
- 2 *utrum sit actus iustitiae.*
- 3 *utrum definitio satisfactionis convenienter assignetur ab Augustino.*

QUESTIO XIII.

De satisfactionis possibilitate.

- 1 *utrum homo possit satisfacere Deo.*
- 2 *utrum unus pro alio possit satisfacere.*

QUESTIO XIV.

De qualitate satisfactionis.

- 1 *utrum homo possit de uno peccato sine alio satisfacere.*
- 2 *utrum possit satisfacere existens extra caritatem de peccatis aliis sibi prius dimissis.*
- 3 *utrum homini, postquam habuerit caritatem, satisfactio praecedens incipiat valere.*
- 4 *utrum opera satisfactoria extra caritatem facta sint alicujus boni meritoria.*
- 5 *utrum valeant ad mitigationem pena infernalis.*

QUESTIO XV.

De his, per quae fit satisfactio.

- 1 *utrum oporteat fieri satisfactionem per opera poenalia.*
- 2 *utrum flagella quibus punimur a Deo in hac vita, sint satisfactoria.*
- 3 *utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria.*

QUESTIO XVI.

De suscipientibus hoc sacramentum.

- 1 *utrum poenitentia possit esse in innocentibus.*
- 2 *utrum in Sanctis qui sunt in gloria.*
- 3 *utrum in Angelis bonis, vel malis.*

QUESTIO XVII.

De potestate clavium.

- 1 *utrum claves debeant esse in Ecclesia.*
- 2 *utrum*

- 2 *utrum clavis sit potestas ligandi, ac solvendi.*
- 3 *utrum sint duæ; vel una tantum.*

QUÆSTIO XVIII.

De effectu clavium.

- 2 *utrum potestas clavium se extendat ad culpæ remissionem.*
- 2 *utrum se extendat ad remissionem pœnæ.*
- 3 *utrum sacerdos per potestatem clavium possit ligare.*
- 4 *utrum sacerdos possit ligare, & solvere secundum proprium arbitrium.*

QUÆSTIO XIX.

De ministris clavium.

- 1 *utrum sacerdos legalis claves habuerit;*
- 2 *utrum Christus claves habuerit.*
- 3 *utrum soli sacerdotes claves habeant.*
- 4 *utrum sancti viri non sacerdotes claves habeant, vel usum.*
- 5 *utrum mali sacerdotes usum clavium habeant efficacem;*
- 6 *utrum schismatici, heretici, excommunicati, suspensi, degradati habeant usum clavium.*

QUÆSTIO XX.

De his in quos usus clavium exerceri potest.

- 1 *utrum sacerdos possit uti clave, quam habet, in quemlibet hominem.*
- 2 *utrum sacerdos possit semper suum subditum absolvere,*
- 3 *utrum aliquis possit uti clavibus in suum superiorem.*

QUÆSTIO XXI.

De excommunicatione.

- 1 *utrum convenienter definiatur excommunicatio.*
- 2 *utrum Ecclesia debeat aliquem excommunicare.*
- 3 *utrum aliquis sit excommunicandus pro aliquo damno temporali.*
- 4 *utrum excommunicatio injuste lata aliquem habeat effectum.*

QUÆSTIO XXII.

De his qui possunt excommunicare, & excommunicari.

- 1 *utrum quilibet sacerdos possit excommunicare.*
- 2 *utrum non sacerdos possit excommunicare.*
- 3 *utrum excommunicatus, vel suspensus possit excommunicare.*
- 4 *utrum aliquis seipsum, vel æqualem, vel superiorem possit excommunicare.*
- 5 *utrum aliqua communitas possit excommunicari.*
- 6 *utrum semel excommunicatus possit iterum excommunicari,*

QUÆSTIO XXIII.

De participatione cum excommunicatis.

- 1 *utrum liceat excommunicato communicare in rebus corporalibus.*
- 2 *utrum participans excommunicato sit excommunicatus.*
- 3 *utrum participare excommunicato in rebus non concessis sit semper peccatum mortale.*

QUÆSTIO XXIV.

De absolutione ab excommunicatione.

- 1 *utrum quilibet sacerdos possit suum subditum absolvere ab excommunicatione.*
- 2 *utrum aliquis invito possit absolvi.*
- 3 *utrum possit absolvi ab una excommunicatione, & non ab alia.*

QUÆSTIO XXV.

De indulgentia.

- 1 *utrum per indulgentias possit aliquid remitti de pœna satisfactoria.*
- 2 *utrum indulgentiæ tantum valeant, quantum sonant.*
- 3 *utrum sit indulgentia facienda pro temporali subsidio.*

QUÆSTIO XXVI.

De his qui possunt indulgentias facere.

- 1 *utrum sacerdos parochialis possit indulgentias facere.*
- 2 *utrum diaconus, vel non sacerdos possit indulgentias facere.*
- 3 *utrum Episcopus possit indulgentias facere.*
- 4 *utrum existens in peccato mortali possit indulgentias facere.*

QUÆSTIO XXVII.

De his quibus valent indulgentiæ.

- 1 *utrum indulgentiæ valeant existentibus in peccato mortali.*
- 2 *utrum valeant religiosi.*
- 3 *utrum valeant illis qui non faciunt id pro quo dantur.*
- 4 *utrum valeant illis qui dant.*

QUÆSTIO XXVIII.

De solemnâ ritû penitentiar.

- 1 *utrum aliqua penitentia possit publicari, vel solemnizari.*
- 2 *utrum solemnis penitentia possit iterari.*
- 3 *utrum publica penitentia sit imponenda.*

QUÆSTIO XXIX.

De sacramento extremæ unctiois.

- 1 *utrum extrema unctio sit sacramentum.*
- 2 *utrum sit unum sacramentum.*
- 3 *utrum hoc sacramentum sit a Christo institutum.*
- 4 *utrum oleum olivæ sit conveniens materia hujus sacramenti.*
- 5 *utrum oporteat oleum esse consecratum.*
- 6 *utrum materia hujus sacramenti debeat per Episcopum consecrari.*
- 7 *utrum hoc sacramentum habeat aliquam formam.*
- 8 *utrum forma hujus sacramenti debeat preferri per orationem deprecativam.*
- 9 *utrum predicta oratio sit competens forma hujus sacramenti.*

QUÆSTIO XXX.

De effectu hujus sacramenti.

- 1 *utrum extrema unctio valeat ad remissionem omnium peccatorum.*
- 2 *utrum sanitas corporalis sit effectus hujus sacramenti.*
- 3 *utrum hoc sacramentum imprimas obprobrium.*

QUÆSTIO XXXI.

De ministro hujus sacramenti.

- 1 *utrum laicus possit conferre hoc sacramentum.*
- 2 *utrum diaconus.*
- 3 *utrum solus Episcopus.*

QUÆSTIO XXXII.

Quibus hoc sacramentum conferri debet & in qua parte

- 1 *utrum hoc sacramentum debeat conferri sanis.*
- 2 *utrum in qualibet infirmitate.*
- 3 *utrum furiosis, & amensibus.*
- 4 *utrum pueris.*
- 5 *utrum totum corpus debeat ungi.*
- 6 *utrum convenienter determinentur partes in quibus ungitur.*
- 7 *utrum mutilati in predictis partibus tantum ungi debeant.*

QUÆSTIO XXXIII.

De iteratione huius sacramenti.

- 1 *utrum hoc sacramentum debeat iterari.*
- 2 *utrum in eadem infirmitate debeat iterari.*

QUÆSTIO XXXIV.

De sacramento ordinis.

- 1 *utrum ordo in Ecclesia esse debeat.*
- 2 *utrum convenienter definitus.*
- 3 *utrum sit sacramentum.*
- 4 *utrum ejus forma convenienter exprimitur.*
- 5 *utrum hoc sacramentum materiam habeat.*

QUÆSTIO XXXV.

De effectu hujus sacramenti.

1. *utrum in Sacramento ordinis gratia gratuita faciens conferatur.*
2. *utrum imprimatur character.*
3. *utrum sacramentum ordinis supponat characterem baptismalem.*
4. *utrum præsupponat characterem confirmationis.*
5. *utrum character unius ordinis præsupponat characterem alterius.*

QUÆSTIO XXXVI.

De qualitate suscipientium.

1. *utrum in suscipientibus hoc sacramentum requiratur bonitas vitæ.*
2. *utrum requiratur scientia totius Scripturæ.*
3. *utrum ex ipso merito vitæ aliquis ordinis gradus consequatur.*
4. *utrum promovens ad ordinem indignum peccet.*
5. *utrum in peccato existens possit sine peccato uti ordine suscepto.*

QUÆSTIO XXXVII.

De distinctione ordinum.

1. *utrum ordo debeat in plures distingui.*
2. *quæ sint ordines.*
3. *utrum debeant distingui per sacros, & non sacros.*
4. *utrum actus ordinum convenienter assignentur.*
5. *quando ordinum characteres imprimantur.*

QUÆSTIO XXXVIII.

De conferentibus hoc sacramentum.

1. *utrum solus Episcopus possit hoc sacramentum conferre.*
2. *utrum hereticus, vel quicumque ab Ecclesia præcisus possit hoc sacramentum conferre.*

QUÆSTIO XXXIX.

De impedimentis hujus sacramenti.

1. *utrum sexus feminæ impediat hujus sacramenti susceptionem.*
2. *utrum cæcitas usus rationis.*
3. *utrum servitus.*
4. *utrum homicidium.*
5. *utrum illegitima natiuitas.*
6. *utrum defectus membrorum.*

QUÆSTIO XL.

De his quæ annexa sunt Sacramento ordinis.

1. *utrum ordinati debeant habere coronam rasiuram.*
2. *utrum corona sit ordo.*
3. *utrum per acceptionem coronæ abrenuntiet aliquis bonis corporalibus.*
4. *utrum supra sacerdotalem ordinem debeat esse potestas episcopalis.*
5. *utrum episcopatus sit ordo.*
6. *utrum supra Episcopos sit alia superior potestas.*
7. *utrum vestes ministrorum sint convenienter institutæ.*

QUÆSTIO XLI.

De Sacramento matrimonii.

1. *utrum matrimonium sit de jure naturali.*
2. *utrum cadat sub precepto.*
3. *utrum ejus actus sit licitus.*
4. *utrum possit esse meritarius.*

QUÆSTIO XLII.

De matrimonio in quantum est sacramentum.

1. *utrum sit sacramentum.*
2. *utrum debuisset institui ante peccatum.*
3. *utrum carnalis copula sit de integritate matrimonii.*

QUÆSTIO XLIII.

De matrimonio quantum ad sponsalia.

1. *quid sint sponsalia.*
2. *qui possint contrahere sponsalia.*
3. *utrum sponsalia dirimi possint.*

QUE.

QUÆSTIO XLIV.

De matrimonii definitione

- 1 *utrum matrimonium sit in genere conjunctio- nis.*
- 2 *utrum convenienter nominetur.*
- 3 *utrum convenienter definiatur.*

QUÆSTIO XLV.

De consensu matrimonii.

- 1 *utrum consensus sit causa efficiens matrimo- nii.*
- 2 *utrum oporteat consensum exprimere per ver- ba.*
- 3 *utrum consensus per verba de futuro faciat matrimonium.*
- 4 *utrum consensus etiam per verba expressus, si desit interior consensus, faciat matri- monium.*
- 5 *utrum consensus in occulto factus per verba de presenti faciat matrimonium.*

QUÆSTIO XLVI.

De consensu cui advenit juramentum vel copula carnalis.

- 1 *utrum juramentum consensui per verba de futuro expresso adjunctum faciat matrimo- nium.*
- 2 *utrum copula carnalis eidem consensus adve- niens faciat matrimonium.*

QUÆSTIO XLVII.

De consensu coacto.

- 1 *utrum aliquis consensus possit esse coactus.*
- 2 *utrum aliqua coactio cadat in constantem vitam.*
- 3 *utrum consensus coactus tollat matrimonium.*
- 4 *utrum consensus coactus faciat matrimonium ex parte cogentis.*
- 5 *utrum consensus conditionatus faciat matri- monium.*
- 6 *utrum aliquis possit cogi a patre ad facien- dum matrimonium.*

QUÆSTIO XLVIII.

De objecto consensus.

- 1 *utrum consensus qui facit matrimonium, sit consensus in carnalem copulam,*
- 2 *utrum consensus propter aliquam causam in- honestam faciat matrimonium.*

QUÆSTIO XLIX.

De bonis matrimonii.

- 1 *utrum debeat habere aliqua bona, quibus excusetur.*
- 2 *utrum sufficiens bona illa assignentur.*
- 3 *utrum bonum sacramenti sit principaliter in- ter alia bona.*
- 4 *utrum actus matrimonii per prædicta bona a peccato excusetur.*
- 5 *utrum sine eis aliquando excusari possit.*
- 6 *utrum quando est sine eis, sit semper pecca- tum mortale.*

SUPPLEMENTUM

TERTIAE PARTIS

SUMMAE THEOLOGICAE

D. THOMAE

AQUINATIS

DOCTORIS ANGELICI

Ex ejuldem Auctoris scripto in Quartum Sentent.

COLLECTUM.

TOMUS PRIMUS.

QUESTIO I.

De partibus Pœnitentiæ in speciali: & primo de Contritione, (1)

In tres articulos divisa.



Einde considerandum est de singulis partibus Pœnitentiæ: & primo de Contritione; secundo de confessione; tertio de satisfactione. De contritione autem consideranda sunt quinque.

Primo, quid sit. Secundo, de quo esse debeat. Tertio, quanta esse debeat. Quarto de duratione ipsius. Quinto de effectu ipsius.

Circa primum quæruntur tria.

Primo, utrum convenienter definiatur.

Secundo, utrum contritio sit actus virtutis.

Summ. S. Th. Tom. XIII.

Tertio, utrum attritio possit fieri contritio

ARTICULUS I.

Utrum Contritio sit dolor pro peccatis assumptus &c.

S. Th. IV. dist. XVII. quest. II. art. I. quest. I. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod contritio non sit dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi, ut quidam definiunt. Quia, sicut Augustinus dicit in Lib. XIV. de civit. Dei (cap. VI.) (2) dolor est de his que nobis nolentibus accidunt. Sed peccata non sunt hujusmodi. Ergo contritio non est dolor pro peccatis.

2. Præterea. Contritio nobis a Deo datur. Sed quod datur, non assumitur. Ergo contritio

A tritio

(1) Theologico usu in subsequentem sensum consecrata, qui satis indicari videtur ex professo in illis verbis Psalm. 50. *Cor contritum non despicias*; & quem etiam Augustinus in illis notat Psalm. 146. *Sanas contritos corde, vel qui obriverunt cor*, ut loquitur; ac in eundem locum Cassiodorus dicens *mirabile curationis genus edici, ut si volumus restaurari, nosmetipsos vivacissime conseramus*: Quamvis alio passim sensu accipiatur in Scripturis pro exitio & devastatione Prov. 16. Eccles. 40. Esai. 24. 30. 51. 59. &c.

(2) Velut ex libro 21. cap. 3. in Sententiis lib. 4. dist. 27. qu. 2. notatum est; sed implicite tantum inde colligi potest; ubi ait: *Sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo,*

nec doloribus corporis carere moriendo: Prima mors animam nolentem pellit de corpore; Secunda mors animam nolentem tenet in corpore: Ab utraque tamen morte communiter id habetur ut quod non vult anima de suo corpore patiarur: Et inferius versus finem: *Frustrata cupiditas, vel non perveniendo que tendebas, vel amittendo quo perveneras, vertitur in dolorem*: Sed expressius lib. 14. cap. 6. *Cum dissentimus ab eo quod accidere volumus, talis voluntas metus est*: Cum autem dissentimus ab eo quod nolentibus accidit, talis voluntas tristitia est: Per tristitiam autem dolorem intelligi, sicut appellat Virgilius, notat subinde in cap. 7. prope finem; etsi so- ciale tristitiam dicere addit, quia dolor usitatus in corporibus dici solet.

tritione non est dolor *assumpsus*.

3. Præterea . Satisfactio, & confessio sunt necessaria ad hoc quod pœna remittatur, quæ in contritione remissa non fuit . Sed quandoque tota pœna in contritione remittitur . Ergo non est necessarium semper quod contritus habeat *propositum* confitendi & satisfaciendi .

Sed contra est ipsa definitio,

Respondeo dicendum , quod , ut dicitur Eccli. x. 15. *initium omnis peccati est superbia*, per quam homo sensui suo inhzrens, a mandatis divinis recedit . Et ideo oportet quod illud quod destruit peccatum, hominem a proprio sensu discedere faciat . Ille autem qui in suo sensu perseverat, rigidus, & durus per similitudinem vocatur; sicut durum in materialibus dicitur quod non cedit tactui : unde & frangi dicitur aliquis quando a suo sensu divellitur . Sed inter fractionem, & comminutionem, sive contritionem in rebus materialibus, unde hæc nomina ad spiritualia transferantur, hoc interest, ut dicitur in IV. Meteor. (cap. VII. & IX.) quod frangi dicuntur aliqua quando in magnas partes dividuntur; sed comminui, vel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc quod in se solidum erat . Et quia ad dimissionem peccati requiritur quod affectum peccati homo totaliter dimittat, quem per quandam continuitatem, & soliditatem in sensu suo habebat; ideo actus ille quo peccatum dimittitur, contritio dicitur per similitudinem . In qua quidem contri-

tione plura possunt considerari, scilicet ipsa substantia actus, modus agendi, principium, & effectus . Et secundum hoc de contritione inveniuntur diversæ definitiones traditæ . Quantum enim ad ipsam substantiam actus datur prædicta definitio : & quia actus contritionis est actus virtutis, & est pars pœnitentiæ sacramenti; ideo manifestatur in prædicta definitione, inquantum est actus virtutis, in hoc quod ponitur genus ipsius, scilicet dolor; & objectum in hoc quod dicitur *pro peccatis*; & electio, quæ requiritur ad actum (1) virtutis, in hoc quod dicitur *assumpsus*: sed inquantum est pars sacramenti, per hoc quod tangitur ordo ipsius ad alias partes, cum dicitur, *cum proposito confitendû* &c. Alia etiam definitio invenitur, quæ definit contritionem, secundum quod est actus virtutis tantum; sed additur ad prædictam definitionem differentia contrahens ipsam ad specialem virtutem, scilicet pœnitentiam . Dicit enim, quod *contritio est dolor voluntarius pro peccato, puniens in se quod dolet se commississe*. In hoc enim quod additur *puniens* ad specialem virtutem contrahitur . Alia autem definitio invenitur Isidori (Lib. II. de sum. bon. cap. XII.) quæ talis est : *Contritio, & compunctio est humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recordatione peccati, & timore iudicii* &c. (2) Et hæc quidem tangitur rationem nominis in hoc quod dicit, *humilitas mentis*: quia sicut per superbiam aliquis in suo sensu redditur rigidus; ita per hoc quod a suo sensu contritus recedit, humiliatur :

(1) Ut ex 3. Ethicorum cap. 4. græco-lat colligitur, vel in antiquis cap. 5. & apud S. Thomam lect. 5. ubi dicitur electio vel *familiarissima virtuti esse*, sicut recentiores vertunt græcum *οὐκίστατος*, vel *maxime propria*, sicut vetus Interpres usurpavit & inde ibi S. Thomas.

(2) Paulo aliter tamen Isidorus lib. 2. de summo bono (sive Sententiarum) cap. *Compunctio cordis est humilitas mentis* &c. Sed *compunctio* ipsa idem quod *contritio* dici potest, ut Gregorius homil. 22. super Ezechielem innotat, cum de sacrificio compunctio- nis intelligit quod Psal. 50. dicitur; *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*: ubi & subjungitur, *Cor contritum & humiliatum Deus non despicias* &c. Præcedens autem definitio quod sit *dolor voluntarius* &c. colligitur ex libro de vera & falsa pœnitentia cap. 8. inter opera Augustini supposititia tom. 4. unde refertur in Decretis dist. 3. de pœnitentia cap. *Pœnitentia est quedam* &c. Sed alia quæ subjungitur velut ex verbis Augustini desumpta non occurrit, etsi Albertus quoque 4. Sent. dist. 16. art. 7. ejus nomine illam refert; Non super Psal. 73. unde in Sententiis loco infra notato indicabatur ad marginem, cum nihil ibi tale: Non super Psal. 74. ubi tantum dicitur scriptum esse quod *prope sit Dominus his qui obtri-*

verunt cor (vel *his qui tribulato sunt corde* Pl. 33. & inde subjungitur; *Tristitia cordis, pietas, humilitas: Qui se conterit, intravit sibi: Se habeat invatum us Deum habeat propitium* : Non super Psal. 146. ubi sic tantum: *Sanat contritos corde, quia illis propinquas us sanat* : Quo & refert quod jam ex Psal. 33. notatum est: Ac deinde paulo post. *Sanat contritos corde, sanat humilitatos corde, sanat confisentes, sanat seipos punientes, & in seipos iudicium severum exercentes ut possint esse illius misericordiam sentientes* : Nec vero super Psal. 50. ubi etiam tantum: *Nihilne offeremus Deo? Et unde illud placabimus? Offer quod in te habes, cor contritum* &c. Sed neque libro 1. contra Cresconium cap. 12. ubi *sacrificio contriti cordis peccata mundari* ait, ut jam supra : Num ex Enchiridio cap. 65. expressius colligi potest. *Quia plerumque (inquit) dolor alterius cordis occultus est alteri, recte confitentur ab iis qui Ecclesie præsumunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesie in qua remittuntur ipsa peccata*. Quasi ea supponens per dolorem remitti, ut prædicta definitio dicit. Denique illa quæ desumi ex Gregorii verbis adjungetur, inde colligi potest quod lib. 33. Moral. cap. 11. explicans illud ex Deuteronom. 24. *Non accipies loco pignoris superbi-*

tar : tangit etiam modum exteriorem in hoc quod dicit, *cum lacrymis* : & principium contritionis in hoc quod dicit, *veniens de recordatione peccati* &c. Alia sumitur ex verbis Augustini (implic. sup. Psal. xlvi. ante med.) quæ tangit effectus contritionis, quæ est, *Contritio est dolor remissens peccatum*. Alia sumitur ex verbis Gregorii (hom. xxi. in Ezech. a med. & Lib. XXXIII. Moral. cap. xi.) quæ talis est : *Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum, inter spem, & timorem*. Et hæc tangit rationem nominis in hoc quod dicit, quod contritio est *humilitas spiritus* ; & effectum ejus in hoc quod dicit, *annihilans peccatum* ; & originem in hoc quod dicit, *inter spem, & timorem* : nec solum ponit causam principalem, quæ est timor, sed etiam concausam, quæ est spes, sine qua timor desperationem facere posset.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis peccata, quando acciderunt, voluntaria fuerunt ; tamen quando de eis conterimur, voluntaria non sunt : & ideo nobis nolentibus accidunt ; non quidem secundum voluntatem, quam tunc habuimus, cum ea volebamus ; sed secundam illam quam nunc habemus, qua vellemus quod nunquam fuissent.

Ad secundum dicendum, quod contritio est a Deo solo quantum ad formam, qua informatur ; sed quantum ad substantiam actus est ex libero arbitrio, & a Deo, qui cooperatur in omnibus operibus, & naturæ, & voluntatis.

Ad tertium dicendum, quod quamvis possit tota poena per contritionem dimitti ; tamen adhuc necessaria est confessio, & satisfactio : tum quia homo non potest esse certus de sua contritione, quod fuerit ad totum tollendum sufficiens : tum etiam quia confessio, & satisfactio sunt in præcepto. Unde transgressor constitueretur, si non confiteretur

& non satisfaceret.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem rejicias errorem Petri Oxomensis, ut est in suo libello tempore Sixti Papa IV. examinato per deputatos. Vide summam Conciliorum circa vitam ejusdem dicentis : contritione sola sine proposito confitendi deleri peccata : sive, ut ad verbum ejus literis utar, *peccata mortalia quantum ad culpam & poenam alterius seculi delentur per solam contritionem cordis sine ordine ad claves*. Item Joannis Wicleff, ut refert Concilium Constantiense sess. 8. dicentis : si homo debite fuerit contritus : omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis. Item Luberi, ut refert Bulla Leonis X. dicentis : *verissimum est proverbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius, de cetero non facere, summa poenitentia, optima poenitentia, nova vita*. Lutherus ergo, ut hinc ex verbis ejus conjicitur, definisset contritionem sic ; Contritio est propositum de cetero non faciendi peccatum, novamque vitam vivendi. Per quam desinationem omnem vim, & usum satisfactionis tollunt novatores : ut ex Concil. Trident. sess. 14. cap. habetur. Item quorundam, ut refert Concil. Senonense decretorum suorum cap. 17. dicentium, quod non licet inducere homines ad poenitentiam per timorem gehennæ. Errorem hunc innuisse, vel innuere voluisse, videtur Lutherus. Præterquam quod pejora adjunxit, quod dixit : *contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem ; &c. facit hypocrisim, immo magis peccatorem*. (Vide supra exam. 2. definitionis secunda) Ideo & Lutherus per articulum hunc D. Thomæ potest rejici dicentem, quod contritio nascitur ex recordatione peccati, timore judicii, inter spem, & ti-

rem aut inferiorem molam, sic ait : *A debitore pignus accipitur, cum a peccatore iam peccati confessio tenetur ; Superior autem & inferior mola est spes & timor : Spes quippe ad alia subvehit, timor autem cor inferius premit : Sed mola superior & inferior ita sibi junguntur ut una sine altera inutiliter habeatur : In peccatoris itaque peccato incessanter debent spes & timor conjungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam justitiam timeat ; incassum justitiam meruit, si non etiam de misericordia confidat &c. Supradictarum porro definitionum & aliarum quarumcumque diversimode a Theologis assignatarum summa hæc est quam Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 4. sic assignat : *Contritio quæ primum locum inter actus poenitentis obtinet, animi dolor ac desectio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero* : Indequè illam Catheticus Ro-*

manus mutuatur ; addens quod contritio a Patribus & in Scripturis modo vocetur *compunctio* (ut Act. 2.) modo *scissio cordis*, ut Joel. 12. modo *anima amaritudo*, ut Esai. 38. &c. Quia tamen definitio illa generalis est & ad poenitentiam omni statui ac temporari necessariam spectat, propterea Concilium statim subjungit ibi quod hic motus *contritionis ad impetrandam veniam peccatorum omni tempore necessarius fuit* ; addendum est ut ad poenitentiam novæ legis determinari possit, cum proposito confitendi & satisfaciendi ; sicut & Concilium ipsum insinuat immediate, cum subjungit quod *in homine post baptismum lapsa ita demum præparat ad remissionem peccatorum si cum fiducia divine misericordie conjunctus sit & cum voto præstandi reliqua quæ ad vitam suscipiendum hoc sacramentum requiruntur*.

A 2. & ti-

& timorem. Contra hos enim omnes, ac similes errores movetur articulus præsens, ac illos egregio, ut semper, expugnat. Requiritur tamen hic, & alibi, a pio lectore, ut bene sciat applicare singula singulis. *Secundo* habes: quomodo per ejusdem articuli rationem ostendas, hos omnes merito damnari a sacris literis Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quasi dicat: Nisi vos dimiseritis, non remittentur. Alioquin necessarium non esset sacramentum confessionis iis, qui mortale peccatum post baptismum incurrisserent, cujus contrarium docet Synodus Tridentina sess. 14. can. 6. *Si quis negaverit, confessionem sacramentalem ad salutem necessariam esse, anathema sit.* Præmiserat autem eadem Synodus cano. 1. pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis. Item Eccles. 9. *Timor Domini expellit peccatum.* Item Luc. 1. „ Dico vobis amicis meis, ne terreatis, „ mini ab his, qui occidunt corpus, & post „ hoc non habent amplius, quid faciant. „ Ostendam autem vobis, quem timeatis. „ Timeate eum, qui postquam occiderit, „ habet potestatem mittere in gehennam. „ Ita dico vobis; hunc timeate. „ Ecce. De timore servili apertissime loquitur Dominus: & per hunc timorem ter replicatum inducere nos conatur ad bonum. Ter, inquam, replicatum. *primo ly ostendam, &c. timeatis, secundo ly timeate eum, &c. tertio ita, &c. hunc timeate.* Item a Concil. Tridentino sess. 6. cap. 14. „ docendum est, „ Christiani hominis poenitentiam post lapsum „ multo aliam esse a baptismali: eamque „ continere non modo cessationem a peccatis, & eorum detestationem, aut cor „ contritum, & humiliatum; verum etiam „ eorumdem sacramentalem confessionem, „ saltem in voto, & suo tempore faciendam „ & sacerdotalem absolutionem: itemque „ satisfactionem per jejunia, elemosynas, „ orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, „ quæ vel sacramento, vel sacramenti voto „ una cum culpa remittitur: sed pro pœna „ temporalis, quæ, ut sacræ literæ docent „ non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur „ illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum sanctum „ contristaverunt, & templum Dei violare non „ sunt veriti. „ Hæc ibi. Ubi vides quod Concilium culpæ remissionem cum pœna æterna attribuit, non contritioni sine voto sacramentalis confessionis, sed contritioni ha-

benti talem confessionem in voto; & hanc (juncta satisfactione) dicit esse poenitentiam seu dolorem, & contritionem Christiani hominis. Nam idem Concilium eadem sess. cap. 3. dixerat: „ Verum, etsi Christus pro omnibus „ mortuus est: non omnes tamen „ mortis ejus beneficium recipiunt: sed ii „ dumtaxat, quibus meritum passionis ejus „ communicatur. *Et cap. 7.* Nemo potest „ esse justus, nisi cui merita passionis Domini „ nostri Jesu Christi communicantur. „ *Et sess. 14. cap. 1.* Deus remedium vitæ „ contulit, sacramentum videlicet poenitentiae: „ quo lapsus post baptismum beneficium „ mortis Christi applicatur. „ Hæc omnia Concilium. Collige ergo secundum illud, quod, si nemo justificari potest sine communicatione passionis Christi sibi facta, & hæc communicatio per sacramentalem poenitentiam tantum lapsus post baptismum fit, quod inquam, contritio humana sine proposito sacramentalis confessionis non justificat hominem. Item a Concilio, &c. damnari illos errores merito, quæ supra per articulum sparsim descripta fuere. Item a Concil. *Sanenensi* decretorum suorum cap. 18. „ Auctoritate itaque, qua fungimur, omnes in „ nostra provincia constitutos, qui tam impia „ dogmata ausu temerario asserere, docere, „ scribere, præsumperint, his scriptis sententia „ excommunicationis innodamus: necnon „ et illos, qui eis favorem, consilium, „ aut quovis modo auxilium fuerint „ impertiti. Sub eadem quoque pœna omnibus „ nobis subditis inhibemus; ne Lutheri „ libros, sive Lutheranorum quorumcumque „ retinere præsumant, qui ad pestilentem „ doctrinam promovendam conscripti „ sunt. „ Hæc ibi: ubi per *impia dogmata* „ intelligit etiam recensitos a se omnes „ errores *capite præcedenti*, s. 17. inter „ quos fuit error supra a nobis narratus ex „ eodem Concilio. Item a Concilio *Constantiensi* „ sess. 8. ubi damnans etiam errorem supra „ ex eodem a nobis relatum inter alios *Wicleff* „ positum ait. „ Hos sancta Synodus præfatos „ articulos 45. examinari fecit, & sæpius „ recenseri; quibus examinatis, fuit reperi- „ tum, aliquos, & plures ex ipsis fuisse, „ & esse notorie hæreticos, & a sanctis „ Patribus reprobatos, alios non catholicos „ sed erroneos, alios scandalosos, & blasphemos, „ quosdam piarum aurium offensivos, „ nonnullos eorum temerarios, & seditiosos: „ propterea Concilium pronunciat hæreticum „ Joannem Wicleff, ac memoriam ejusdem „ condemnat, & mandat exhumari ossa ejus „ &

„ & cremari . „ Hæc ibi . Item a Papa Leone in Bulla contra errores Lutheri . „ De eorundem itaque venerabilium fratrum nostrorum consilio , & assensu , ac omnium , & singulorum prædictorum (matura deliberatione præhabita .) auctoritate omnipotentis Dei , & beatorum Apostolorum Petri , & Pauli , & nostra præfatos omnes & singulos articulos , seu errores , tamquam (ut præmittitur) respective hæreticos , aut scandalosos aut falsos aut piarum offensusivos , vel simplicium ; mentium seductivos & veritati catholicæ obviantes , damnamus , reprobamus , atque omnino rejicimus , ac pro damnatis , reprobatis , rejectis , ab omnibus utriusque sexus Christi fidelibus haberi debere , harum serie decernimus , & declaramus : inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ , ac sub majoris excommunicationis latæ sententiæ pœna : ne præfatos errores , aut eorum aliquos , perverfamque doctrinam hujusmodi asserere , affirmare , defendere , prædicare , aut illi quomodolibet publice , vel occulte , quovis quæsito colore , vel ingenio , tacite , vel expresse favere præsumat . „ Hæc ibi , ubi inter 41. errores ipsius sic damnatos habetur etiam *ly verissimum est proverbium* , &c. & *ly contritio , quæ paratur per* , &c. quæ supra reulimus . Item a Papa Sixto IV. per hoc quod confirmavit ea , quæ acta sunt in congregatione sub Reverendiss. Alfonso Carillo Archiepiscopo Toletano circa libellum Petri Oxomensis : cujus confirmationis exemplar (ut ait *Summa Conciliorum in vita Sixti IV.*) habetur in bibliotheca Ecclesiæ Toletanæ , & alterutrum exemplar in monasterio sancti Vincentii instituti B. Dominici in urbe Placentina . Acta vero in prædicta congregatione per 52. viros doctos Magistros in Theologia , vel jure canonico , præfidente Reverendiss. Alfonso prædicto habente a Sixto eodem auctoritatem declarandi , ac definiendi omnes propositiones , & conclusiones falsas , erroneas , hæreticas , aut male sonantes , in libello Petri Oxomensis , sunt hæc . „ Quia prævia multa disputatione , juramento solemnium , & excommunicatione , de dicenda syngera veritate , votisque singulorum coram notario , & testibus in scriptum sigillatim redactis , Reverendiss. Dominus præfatus Archiepiscopus sedens pro tribunali protulit sententiam , quæ conclusiones novem (*harum prima erat , quæ in principio appendicis posita est*) tanquam hæreticas , erroneas , ac scandalosas , & male sonantes Apostolica , & primitivæ auctoritate damnavit ; ac da-

mnandas decrevit : librumque illum comburendum judicavit , quem illico promotor fiscalis curiæ tradidit sæculari . Ad hæc Petrus ipse Oxomensis abjuravit prædictum errorem cum aliis , inter cetera concludens sic . Cognoscens veram fidem , anathematizo omnem hæresim , maxime eam , de qua hæctenus sum infamatus , & consentio sanctæ matri Ecclesiæ Romanæ , & Sedi Apostolicæ ; & ore , ac corde confiteor Sacramenta Ecclesiæ , & illam fidem tenere , quam Dominus Sixtus Papa modernus auctoritate Apostolica , & Evangelica tenet , & per sancta Dei evangelia omnes , qui contra hanc fidem venerint , cum suis doctrinis dignos æterna damnatione pronuncio . „ Hæc ibi . Item a Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. „ Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius ; & in homine post baptismum lapsus ita demum præparat ad remissionem peccatorum , si cum fiducia divinæ misericordiæ , & voto præstandi reliqua , conjunctus sit : quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur . „ Hæc ibi . Præmiserat autem in cap. 3. quod ad sacramentum pœnitentiæ requiruntur tres partes , scilicet *contritio , confessio , satisfactio* . Ecce quomodo ex Concilio , ultra damnatam hæresim , clare probatur contritionis *prima definitio* , & illa Gregorii , quatenus dicit eam esse debere cum spe . Item ab eodem ibidem . „ Docet præterea : etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat , hominemque Deo reconciliare , priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur : ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto , quod in illa includitur , non esse adscribendam . „ Hæc ibi . Quid clarius contra de contritione sola se inaniter jactantes sine relatione ad sacramentalem confessionem sive ad claves datas Ecclesiæ ? *Tertio vides : quomodo &c.*

ARTICULUS II.

Utrum contritio sit actus virtutis .

AD secundum sic proceditur . Videtur quod contritio non sit actus virtutis . Passiones enim non sunt actus virtutum : quia *eis non laudamur , nec visuperamur* , ut dicitur II. Ethic. (cap. v.) Sed dolor est passio . Cum ergo contritio sit dolor , videtur quod non sit actus virtutis .

2. Præterea . Sicut contritio dicitur à terendo,

rendo, ita & attritio. Sed attritio non est actus virtutis, ut ab omnibus dicitur. Ergo neque contritio.

Sed contra. Nihil est meritorium nisi actus virtutis. Sed contritio est actus quidam meritorius. Ergo est actus virtutis.

Respondeo dicendum, quod contritio secundum proprietatem nominis sui non significat actum virtutis, sed potius quamdam corporalem passionem. Sed hic non queritur sic de contritione, sed de eo ad quod significandum hoc nomen per similitudinem adaptatur. Sicut enim inflatio propriæ voluntatis ad malum faciendum importat, quantum est de se, malum ex genere; ita illius voluntatis annihilatio, & comminatio quiddam de se importat bonum ex genere, quia hoc est detestari propriam voluntatem, qua peccatum est commissum. Et ideo contritio, quæ hoc significat, importat aliquam rectitudinem voluntatis: & propter hoc est actus virtutis illius, scilicet cuius est peccatum præteritum detestari, & destruere, scilicet pœnitentiæ, ut patet ex his quæ in decima quarta distinctione dicta sunt (Lib. IV. Sent. & III. Part. quæst. lxxxiv.)

Ad primum ergo dicendum, quod in contritione est duplex dolor de peccato. Unus in parte sensitiva, qui passio est: & hic non est essentialiter contritio, prout est actus virtutis, sed magis effectus ejus. Sicut enim pœnitentiæ virtus exteriorem pœnam corpori infligit ad recompensandam offensam quæ in Deum commissæ est officio membrorum; ira etiam & ipsi concupiscibili pœnam infert doloris prædicti, quia etiam ipsa ad peccata cooperabatur. Sed tamen hic dolor potest pertinere ad contritionem, in quantum est pars sacramenti: quia sacramenta non solum in interioribus actibus, sed etiam in exterioribus, & in rebus sensibilibus nata sunt esse. Alius dolor est in voluntate, qui nihil aliud est quam displicentia alicujus mali, secundum quod affectus voluntatis nominantur per nomina passionum, ut in III. Sentent. distinct. xxvi. (quæst. 1. art. 5.) dictum est. Et sic contritio est dolor per essentiam, & est actus virtutis pœnitentiæ.

Ad secundum dicendum, quod attritio (*) dicit accessum ad perfectam contritionem: unde in corporalibus dicuntur attrita quæ aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte sunt comminuta; sed contrita dicuntur, quando omnes partes tritæ sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo

significat attritio in spiritalibus quamdam displicentiam de peccatis commissis, sed non perfectam; contritio autem perfectam.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per ejus rationem interimas errorem *Lutheri* dicentis: Contritio, quæ paratur per discussionem, &c. supra articulo 1. facit magis peccatorem. Nam talis contritio quandoque pervenit ad perfectam displicentiam de peccato per hujusmodi discussionem, ponderationem, considerationem: & consequenter est actus virtutis: tantum abest, ut hominem hypocritam faciat, & magis peccatorem. Videtur autem *Lutherus* per hanc suam hæresim velle hominem ab omni bono impedire: & in omni malo confirmare. Nam principium boni post peccatum est contritio, & principium contritionis est communiter, ut inquit *Concil. Trident. sess. 14. cap. 4.* ex timore pœnarum, & metu gehennæ; item ex recogitatione annorum in peccatis expensorum, ex consideratione turpitudinis peccati. Unde, qui tollere nititur de medio causas contritionis communiter existentes, populos per hoc in omni malo detinere, & ab omni bono arcere, laborat: & consequenter tanquam diaboli miles infernum replere animabus hominum, ipsisque claudere vitam æternam, satagit. Quæ supradicta, ut melius intelligantur, sciendum, quod causæ contritionis sunt multæ, & omnes bonæ. Prima est recogitatio peccatorum suorum, juxta illud *Isa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime meæ.* Secunda est confusio bona, & pudor, seu verecundia, ad cogitationem talem consequens. Confusibilia enim sunt peccata, maxime carnalia: & hujusmodi confusio est bona: juxta illud *Rom. 6. Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis:* Tertia est peccatorum foeditas, seu vilitas, maxime carnalium, quæ ipsum peccatorem vilem faciunt, juxta illud *Hierem. 2. Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas?* Id est tam vilis, ut vix effari, vel excogitare quis possit. Quarta est timor judicii extremi, sive particularis in extremo vitæ cuiusque, sive universalis in extremo mundi, vide supra art. 1. exam. 6. definitionis secunde. Nam utrumque est per se terribilissimum, & merito, maxime a peccatoribus secundum gradus delictorum propriorum formidabilissimum, & ad pœnitentiam virtutem, id est contritionem

(*) Ita cum mss. melioribus editi passim. Al. non dicit.

nem communiter, ex Concil. Tridentin. supra, inductivum. De utroque enim verificatur id 1. Pet. 4. *Iustus vix salvabitur: impius autem, & peccator, ubi parebunt?* licet de iudicio generali ad literam hoc dici videatur. Quinta consideratio tanti boni amissi, id est gratiæ Dei, patriæque cœlestis, & tanti mali acquisiti, id est undecumque crudelissimæ captivitatæ sub diabolo, de qua re dicitur ad peccatorem Hier. 2. *Nihil habebis prosperum, perpetuæque gehennæ incursum,* juxta Apocalyp. 2. *Memento itaque, unde excideris, & age penitentiam, & prima opera fac.* Id est, memoratio profunda boni perditæ, damni que acquisiti, inductio est ad pœnitentiam, id est ad contritionem, & ad faciendum opera bona. Sexta est spes, quæ est triplex, de qua dixit supra art. 1. *defin.* 3. gradus inter timorem, & spem. Hoc est. *Spes veniæ, qua per gratiam Dei peccata dimittuntur; spes gratiæ cooperantis, qua adjuti bona operamur: spes gloriæ, qua de bonis factis remuneramur.* Præmissas omnes causas contritionis auferit Lutherus sua illa hæresi, ut patet per singula consideranti, & conferenti verba sua causis ipsis contritionis. Dissuadet siquidem per suam illam insaniam peccatorum recogitationem in amaritudine animæ: recogitationem sæditaris illorum, & consequenter bonam erubescitiam de illis: timorem divini iudicii, dum amissionem æternæ beatitudinis, & gehennæ incursum nostræ considerationi surripit, & spem salutis, dum peccatorum ipsorum detestationi se furtive opponit, hujusmodique dolorem ex his causis natum dicit non bonum; inutilem, non liberum, non voluntarium, sed coactum, & quod pejus est, damnosum; utpote hypocritas, magisque peccatores constituentem. *Sexto* habes: quomodo per rationem ostendas; hanc Lutheranam hæresim justissime damnari a Papa Leone X. a Concilio *Senonensi*, a Concilio *Tridentino*, a, &c. ut supra art. 1. tam in appendice, quam extra. Item a sacris literis *Isa. 38. Roman. 6. Hierem. 2. 1. Pet. 4. Apocalyp. 2.* ut nunc supra singillatim, causas contritionis annotando, posuimus. Dum enim scripturæ hujusmodi causas præmissas contritionis, tanquam bonas, hominibus suadent, utique contritionem ex ipsis nascentem approbant: & consequenter hoc factæ suo Lutherum eandem contritionem sic ortam probris prosequentem condemnant, ostendentes, quod Lutherus cecidit in illum reprobum sensum, illiusque reprobi sensus pœ-

nam hanc: *Veb, qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Tertio habes: quomodo per rationem præmissas auctoritates Leonis, Conciliorum, Scripturarum, pro quanto contritionem insinuant virtutis actum esse, & intelligas, & declares, & defendas. Quarto vides; quomodo, &c.

ARTICULUS III.

Utrum Attritio possit fieri Contritio.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod attritio possit fieri contritio. Differt enim contritio ab attritione, sicut formatum ab informi. Sed fides informis fit formata. Ergo attritio potest fieri contritio.

2. Præterea. Materia recipit perfectionem, remota privatione. Sed dolor se habet ad gratiam, sicut materia ad formam, quia gratia informat dolorem. Ergo dolor qui prius erat informis, culpa existente, quæ est privatio gratiæ, remota culpa, recipit perfectionem informationis a gratia: & sic idem quod prius.

Sed contra. Quorum principia sunt diversa omnino, eorum unum non potest fieri id quod est alterum. Sed attritionis principium est timor servilis, contritionis autem timor (*) filialis. Ergo attritio non potest fieri contritio.

Respondeo dicendum, quod super hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod attritio fit contritio, sicut fides informis fit formata. Sed hoc, ut videtur, esse non potest: quia quamvis habitus fidei informis fiat formatus; tamen numquam actus fidei informis fit actus fidei formatæ: quia actus ille informis transit, & non manet, veniente caritate. Attritio autem, & contritio non dicunt habitum, sed actum tantum: habitus autem virtutum infusarum, qui voluntatem respiciunt, non possunt esse informes, cum caritatem consequantur, ut in tertio Libro dictum est (dist. xxvii. quæst. ii. art. ult. quæst. 3.) Unde antequam gratia infundatur, non est habitus, a quo actus contritionis postea elicitur. Et sic nullo modo attritio potest fieri contritio. Et hoc alia opinio dicit.

Ad primum ergo dicendum, quod non est simile de fide, & contritione, ut dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod remota privatione a materia, quæ manet perfectione adveniente, formatur materia illa; sed dolor ille qui erat informis, non manet caritate adven-

(*) Ita passim. Duo m/s. initialis.

adveniente : & ideo formari non potest .

Vel dicendum, quod materia^(*) essentialiter non habet originem a forma, sicut actus habet originem ab habitu, quo formatur. Unde non est inconveniens materiam informari aliqua forma de novo, qua prius non informabatur; sed hoc de actu est impossibile, sicut impossibile est quod aliquid eodem numero oriatur a principio, a quo prius non oriebatur, quia res semel tantum in esse procedit,

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito a Concil. Trident. nunquam, cum de attritione loqueretur, dictum fuisse, quod attritio quandoque fiat contritio, licet dixerit, quod attritio disponit ad gratiam impetrandam in sacramento Pœnitentiæ. Aliud est enim disponere ad contritionem gratia informatam: aliud est converti in contritionem. Primum contingere inquit Concilium, secundum vero non. Quod, ut manifestum fiat, ecce verba Concilii sess. 14. cap. 4. „ *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, & sit cum spe veniæ, declarat sancta Synodus, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et, quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Nivivite ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt. Hæc ibi. Ex ly viam sibi ad justitiam parat, infer sic: via nunquam potest fieri terminus; sed attritio est via ad contritionem justificatione vestitam, quæ contritio, ut patet, est terminus, ergo attritio non potest fieri contritio. Tum ultra. De dispositione transitur ad habitum, & de via ad terminum. Ergo de attritione potest transiri ad contritionem, & consequenter de attrito*

potest quis fieri contritus. Confirmari & hoc potest, si esset opus, per exemplum: quod omnibus patet, albedinem nunquam posse fieri nigredinem, licet album possit fieri nigrum. Secundo vides: quomodo, &c.

QUESTIO II.

De objecto contritionis,

in sex articulos divisa.

DEinde considerandum est de objecto contritionis.

Circa quod quæruntur sex.

Primo, utrum debeat homo conteri de pœnis.

Secundo, utrum de peccato originali.

Tertio, utrum de omni actuali commisso.

Quarto, utrum de peccato actuali committendo.

Quinto, utrum de peccato alieno.

Sexto, utrum de singulis peccatis mortalibus.

ARTICULUS I. 4

Utrum homo debeat conteri de pœnis, & non solum de culpa.

S. Tb. ubi sup. art. 2. qu. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod homo debeat conteri de pœnis, & non solum de culpa. Augustinus enim in Libro de pœnitentia dicit: (hom. ult. inter quinquaginta cap. 11. a princ.) *Nemo vitam æternam desiderat, nisi eum hujus vite mortalitatis pœniteat.* Sed mortalitas vitæ quædam pœna est. Ergo pœnitens etiam de pœnis debet conteri.

2. Præterea. Dicit Magister (IV. dist. XVI.) ex verbis Augustini (alius Auctoris in Lib. de vera & falsa pœnitent. cap. XIV. ante med.) quod pœnitens debet dolere ex hoc quod virtute se privavit. Sed privatio virtutis quædam pœna est. Ergo contritio est dolor etiam de pœnis.

Sed contra. Nullus tenet illud de quo dolet. Sed pœnitens secundum suum nomen (1) pœnam tenet. Ergo non dolet de pœna: & sic contritio, quæ est dolor pœnitentiæ-

(*) Ita editi omnes eum plurimis mss. Duo mss. materia essentia non habet &c.

(1) Sicut explicat auctor libri de vera & falsa

pœnitentia cap. 19. inter opera Augustini adulterina tom. 4. ubi proinde dicit quod *continuo dolendum esse de peccato declarat ipsa dictionis virtus: Pœnitere enim*

tialis, non est de pœna.

Respondeo dicendum, quod contritio importat, ut dictum est (quæst. præc. art. 1.) alicujus duri, & integri comminationem. Hæc autem integritas, & duritia invenitur in malo culpæ: quia voluntas, quæ est ipsius causâ in eo qui male agit, in suis terminis stat, nec præcepto legis cedit: & ideo hujus mali displicentia *contritio* per similitudinem dicitur. Hæc autem similitudo non potest adaptari ad malum pœnæ: quia pœna simpliciter dicit diminutionem. Et ideo de malis pœnæ potest esse dolor, sed non contritio.

Ad primum ergo dicendum, quod pœnitentia secundum Augustinum debet esse de hac mortali vitâ, non ratione ipsius mortalitatis, nisi pœnitentia large dicatur omnis dolor, sed ratione peccatorum, ad quæ ex infirmitate hujus vitæ deducimur.

Ad secundum dicendum, quod ille dolor quo quis dolet de amissione virtutis per peccatum, non est essentialiter ipsa contritio, sed est principium ejus: sicut enim aliquis movetur ad appetendum aliquid propter bonum quod inde expectat: ita movetur ad dolendum de aliquo propter malum quod inde consecutus est.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per ejus rationem ostendas, merito esse insinuatam a Concil. *Florentino*, quod contritio non est de pœnis. Hoc autem tunc insinuatam fuit, quando in Decreto *Eugenii IV.* sacro illo approbante Concilio definita est contritio sic. *Cordis contritio est, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* Ecce definitio, & utique bona: cum sit a Papa cum Concilio data. Si bona, ergo non habet aliquid diminuti, sicut nec aliquid superflui, ut colligitur ex cap. de *Summ. S. Th. Tom. XIII.*

9
genere, libri *Predicabilium Porphyrii*. Cum igitur non faciat mentionem de pœnis, sed tantum de peccato, quoniam non dicit *ly doleas de pœnis*, & de peccato, sed dicit *ly doleas de peccato*: sequitur apertissime, quod de intentione Concilii est, contritionem non esse de pœnis. Alioquin, ut dictum est, definitio esset diminuta, quod est magnum, immo maximum inconveniens in definitionibus, cum hæc sint claves ad aperendum sine errore omnia alia. *Secundo* habes: quomodo per rationem dictum ipsam synodicum, pro quanto de pœnis negat esse contritionem, intelligas, probes, ac defendas. Similem dedit definitionem Concil. *Trid. sess. 14. cap. 4.* Vide supra *quæst. 1. exam. prima* definitionis. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS II.

Utrum contritio debeat esse de peccato originali.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod contritio esse debeat de peccato originali. De peccato enim actuali conteri debemus, non ratione actus, in quantum est ens quoddam, sed ratione deformitatis: (1) quia actus secundum suam substantiam bonum quoddam est, & a Deo. Sed peccatum originale habet deformitatem, sicut & actuale. Ergo etiam de eo conteri debemus.

2. Præterea. Per peccatum originale homo fuit a Deo averfus, quia pœna ejus erat carentia divinæ visionis. Sed quilibet debet displicere se fuisse a Deo averfum. Ergo homo debet habere displicentiam peccati originalis; & sic debet de eo conteri.

Sed contra. Medicina debet esse proportionata morbo. Sed peccatum originale sine nostra voluntate contractum est. Ergo non requiritur quod per actum voluntatis, quæ est contritio, ab ipso purgemur. (2)

B Ref.

tuam est penam tenere ut semper ulciscendo punias quod commisit peccando &c. Ex eoque refertur in Decretis dist. 3. de pœnitentia cap. 4. Pœnitentiam tamen quasi *punitentiam* simpliciter explicat *Isidorus* lib. 6. Etymologiarum vel Originum tit. de officiis in dictione *Punitentia*, ubi & causam redditur sic vocet, *eo quod ipse homo in se punitas punitendo quod male admisit &c.*

(1) An ergo deformitas ipsa ens quoddam est? ut positivè deformitatis assertores absurdissime fingunt, nec sancto Thomæ asingere verentur, quantumcumque illius menti ac doctrinæ repugnet evi-

denter, & per se absurdum sit, ut in Selectis ostendemus.

(2) Neque hoc Augustinus intendit lib. de corrept. & grat. cap. 6. cum vult hominem propter ipsum peccatum originale corripi oportere, quasi de illo æque ac de peccato actuali conteri vel dolere debeat: sed id solum intendit ut ex illa correptione ad quærendum talis peccati remedium per Baptismi susceptionem incitetur. Sic enim ibi: *An ideo pravitas ista corripienda non est in homine; quia non ejus propriæ qui corripitur, sed communis est omnibus.*

Respondeo dicendum, quod contritio est dolor, ut dictum est (quæst. præc. art. 1. & 2.) respiciens, & quodammodo comminuens voluntatis duritiam. Et ideo solum de illis peccatis potest esse quæ ex duritia nostræ voluntatis in nos proveniunt. Et quia peccatum originale nostræ voluntate non est inductum, sed ex vitiatæ naturæ origine contractum, ideo de ipso non potest esse contritio, proprie loquendo, sed displicentia tantum, vel dolor.

Ad primum ergo dicendum, quod contritio non est de peccato ratione substantiæ actus tantum, quia ex hoc non habet rationem mali; neque iterum ratione deformitatis tantum, quia deformitas de se non dicit rationem culpæ, sed quandoque importat pœnam. Debet autem de peccato esse contritio, inquantum importat utramque deformitatem ex actu voluntatis proventientem: & hoc non est in peccato originali: & ideo de eo non est contritio.

Et similiter dicendum ad secundum: quia aversio voluntatis est illa cui debetur contritio.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito a Concilio Florentino fuisse insinuatam, quod de peccato originali non sit contritio, & a Scriptura sacra, quod de eodem originali potest esse dolor, & displicentia. primum insinuatam fuit in Decreto Eugenii IV. sacro approbante Concilio Florentino, quando definivit contritionem sic: *cordis contritio est, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Cum itaque definitiones Synodorum, maxime generalium, datæ de aliqua re firmiter tenendæ sint bonæ. & definitio bona secundum *Philos.* neque superflui, neque diminuti quicquam contineat, liquidissime patet, quod definitio hujusmodi Synodica, neque superfluitatem aliquam, neque diminutionem continet. De peccato (Inquit) commisso. Si ergo peccatum originale, ut originale non est ab isto puero illud habente commissum, patet, quod originale peccatum non est comprehensum per illam definitionem. Quod si

non est per illas comprehensum, & nihil diminuti in eis invenitur, patet, quod non debet eis adjungi *ly de peccato originali.* Est ergo sufficienter posita illa definitio, ut jacet. Ergo secundum illam contritio non est de peccato originali; alioquin sufficiens, & consequenter bona non esset. Secundum in principio appendicis dictum insinuavit Scriptura Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum.* Per hanc enim pœnitentiam non intelligit contritionem, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ: alioquin, antequam januam domus quis intraret, esset jam intra domum, cum sacramentum pœnitentiæ cum suis partibus omnibus sit intra domum, & baptismus sit janua omnium sacramentorum, atque ideo domus Ecclesiæ janua. Cum igitur impossibile sit, intra domum aliquem reperiri, antequam januam ingrediatur, dummodo non nisi per januam domus intrare possit, ut in proposito; impossibile relinquitur, quod per illam pœnitentiam ante baptismum intelligatur contritio, quæ est pars sacramenti pœnitentiæ. At inquires: reperietur tunc contritio secundum suum nomen interpretata. Et hoc, inquam, est impossibile: quoniam contritio secundum suum nomen præsupponit peccatum ex duritie voluntatis contriti proventiens, quod non est verum de peccato originali. Adhuc instabis: quod hi, quibus loquebatur tunc Petrus, habebant etiam peccata actualia, de quibus utique poterat esse contritio, saltem secundum interpretationem nominis: & consequenter, quod per *ly pœnitentiam*, intelligere potest Petrus contritionem hoc modo interpretatam. Verum ad hoc responderet, quod, si ad originale tantum respiciat illa pœnitentia, non potest dici contritio ratione jam dicta, si autem ad actualia referatur, diceretur quidem etiam contritio: sed hoc non militat contra supra posita, quæ de pœnitentia respectu peccati originalis tantum formaliter loquuntur, etiam quod. Subjectum originalis haberet simul actualia. Secundo habes quomodo per rationem & Concilli, & Scripturarum, præmissa dicta, pro quanto de originali nolunt contritionem proprie esse, sed displicentiam, probes, atque defendas. Tertio vides: quomodo &c.

AR.

bus? Imo vero corripatur & in singulis quod est omnium: Non enim propterea eufusauam non est, quod ab ea nullus immunis est. Peccata quidem ista originalia ideo dicuntur aliena quod ea singuli de

parentibus trahunt; sed non sine causa dicuntur & nostra; quia in illo uno omnes (ut Apostolus dicit) peccaverunt? Corripatur ergo origo damnable, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.

Utrum de omni actuali peccato debeamus conteri.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non de omni actuali peccato commisso a nobis debeamus conteri. Quia contraria contrariis curantur. Sed quaedam peccata per tristitiam committuntur, sicut aecidia, & invidia. Ergo medicina eorum non debet esse tristitia, quæ est contritio, sed gaudium.

2. Præterea. Contritio est actus voluntatis, qui non potest esse de eo quod cognitioni non subiacet. Sed quaedam peccata sunt, quæ in cognitione non habemus, sicut oblita. Ergo de eis non potest esse contritio.

3. Præterea. Per voluntariam contritionem delentur illa quæ per voluntatem committuntur. Sed ignorantia voluntarium tollit, ut patet per Philosophum III. Ethic. (cap. 1.) (1) Ergo de his quæ per ignorantiam accidunt, non debet esse contritio.

4. Præterea. De illo peccato non debet esse contritio quod per contritionem non tollitur. Sed quaedam peccata non tolluntur per contritionem, sicut venialia, quæ adhuc post contritionis gratiam manent. Ergo non de omnibus peccatis præteritis debet esse contritio.

Sed contra. Pœnitentia est medicina contra omnia peccata actualia. Sed pœnitentia non est aliquorum, quorum non sit contritio, quæ est prima pars ejus. Ergo & de omnibus peccatis debet esse contritio.

Præterea. Nullum peccatum dimittitur, nisi quis justificetur. Sed ad justificationem requiritur contritio, ut prius dictum est (quæst. præ. art. 1.) Ergo de quolibet peccato conteri oportet.

Respondeo dicendum, quod omnis actua-

lis culpa ex hoc contingit quod voluntas legi Dei non cedit, vel eam transgrediendo, vel omittendo, vel præter eam agendo. Et quia durum est quod habet potentiam ut non facile patiat, (2) ideo in omni actuali peccato duritia quædam est voluntatis. Et propter hoc si debeat peccatum curari, oportet quod per contritionem comminuentem remittatur.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut ex dictis patet (in corp. & art. præc. ad 1.) contritio opponitur peccato ex parte illa, quæ ex electione voluntatis procedit non sequentis imperium divinæ legis, non autem ex parte ejus quod est in peccato materiale; & hoc est illud super quod cadit voluntatis electio. Cadit autem voluntatis electio non solum super actus aliarum virium, quibus voluntas ad suum finem utitur, sed etiam super actum proprium ipsius voluntatis. Voluntas enim vult se velle aliquid. Et sic electio voluntatis cadit super dolorem illum, sive tristitiam, quæ invenitur in peccato invidiæ, & hujusmodi, (3) sive dolor ille sit in sensu, sive in ipsa voluntate, Et ideo illis peccatis contritionis dolor opponitur.

Ad secundum dicendum, quod oblitio de aliquo potest esse dupliciter: aut ita quod totaliter a memoria exciderit; & tunc non potest aliquis inquirere illud: aut ita quod partim a memoria exciderit, & partim maneat; sicut cum recolo me aliquid audivisse in generali, sed nescio quid in speciali, & tunc requiro in memoria ad recognoscendum. Et secundum hoc etiam aliquod peccatum potest esse oblitum dupliciter: aut ita quod in generali memoria maneat, sed non in speciali; (4) & tunc debet cogitare homo ad inveniendum peccatum, quia de quolibet peccato mortali tenetur homo specialiter confiteri. Si autem invenire non possit, iusta adhibita diligentia, sufficit de eo conteri, secundum quod in notitia tenetur; (5) & debet

B 2 ho-

(1) Ex cap. 2. græco-latino colligitur, vel in antiquis ex cap. 3. & apud S. Thomam lect. 3. ubi ait quod ea quæ per ignorantiam fiunt, non sponte sunt omnia, sed invitus est quidquid pœnitentiam affert vel dolorem: Qui enim ignoranter aliquid fecit, non egre fert id factum esse, quia nec facisse sponte quod ignoravit: ex his ergo qui per ignorantiam agunt, si quidem facti pœnitent, videtur deo facisse invitus; quem vero non pœnitent, voluntarius &c.

(2) Annon legendum, ut non facile paritatur? quamvis minus latina phras: Est enim græce τὸ μὴ παρὶς διαψῆσαι ut non facile dividatur; hoc in

libro Categoriarum cap. de Quantitate videre est.

(3) Puta in aecidia quæ de bono divino tristitia quædam est, sicut & invidia est tristitia de bono vel prospera fortuna proximorum, ut ex professo suis locis dictum est cum de peccatis illis ageretur.

(4) Nempe quod meminerit homo se peccatum aliquod commisisse; non meminerit autem quid illud sit.

(5) Id est habetur, sive resinetur (supple peccatum) hoc est ut vel in generali conteratur, si notitiam tantum generalem aliquis habet quod peccaverit; vel etiam in speciali, si notitiam specialem

homo non solum de peccato, sed de oblivione eius dolere, quæ ex negligentia contingit. Si autem peccatum omnino a memoria excidit, tunc ex impotentia faciendi excusatur a debito; & sufficit generalis contritio de omni eo in quo Deum offendit. Sed quando impotentia tollitur, sicut cum ad memoriam revocatur peccatum, tunc tenetur homo specialiter conteri; sicut etiam pauper, qui non potest solvere quod debet, excusatur; & tamen tenetur, cum primo poterit.

Ad tertium dicendum, quod si ignorantia omnino voluntatem tollerit male agendi, excusaret, & non esset peccatum; sed quandoque non totaliter tollit voluntatem. & tunc a toto non excusat, sed a tanto: & ideo de peccato per ignorantiam commissio debet homo conteri.

Ad quartum dicendum, quod post contritionem de mortali potest remanere veniale, sed non post contritionem de veniali: & ideo de venialibus etiam debet esse contritio eo modo quo & penitentia, sicut supra dictum est (IV. dist. XVI. quest. II. art. 2. quest. 2. & III. Part. quest. LXXVII. art. 1.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse a sacro Florentino Concilio insinuatam, quod de omni actuali peccato debemus conteri. Insinuatam vero tunc est hoc, quando in Decreto Eugenii IV. sacro approbante Concilio illo, definitum est, quod *contritio cordis est, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commissio*. Dum enim nullum commissum peccatum excludit, omne includit. Hoc autem tanto magis verum est, quanto definitiones rerum intelliguntur universaliter, & indefinita propositio in talibus æquivaleret universali: ut habes a Philosopho in libris Posteriorum. Nec obstat, quod in definitione solum mentio fiat de peccato commissio, quasi ex hoc quis velit inferre, quod solum de peccatis commissionis debeat esse contritio. Non obstat, inquam, hoc; quia in plus est peccatum commissum, quam peccatum commissionis. Nam peccatum commissum dicitur omne peccatum quocumque

modo patratum, sive ore, sive corde, sive opere, sive omittendo, sive committendo, sive mortaliter, sive venialiter, deficiendo. Adeo, quod ly *commissum peccatum* dicitur tantum ad differentiam peccati originalis, quod, ut originale, non est commissum, sed contractum. Commissum itaque æquipollet huic, quod dico ex voluntate propria incursum. Quamvis ergo peccatum omissionis non sit commissionis, neque e contra; tamen peccatum omissionis, si contigerit incurri, dicitur vere peccatum commissum. Quis enim diceret, illud peccatum, cum jam ab aliquo incursum, sit, esse omisum? Si namque ab isto omisum est, jam intelligi non potest, quod ab isto incursum sit. Confirmatur: quia laudabile est, quod ab aliquo peccatum sit omisum, & consequenter venit is laudandus, a quo omisum est, sicut e contra vituperabile est, quod opus bonum sit omisum, & consequenter is vituperandus est, a quo tale opus omisum fuit. oportet igitur, quod, si in concreto loquamur de peccato omissionis præterito, vocemus illud peccatum commissum, non autem peccatum omisum: alioquin denisui omnibus, tanquam ignorantes nimium, pateremus. Relinquitur ergo, quod in definitione contritionis, *Eugenius* cum Synodo per ly *de peccato commissio*, complectatur cujuscunque generis, etiam omissionis, actualia peccata. Secundo habes: quomodo per rationem præmissam Eugenii definitionem, in quantum de omni actuali vult contritionem posse fieri, probes, atque defendas. Tertio vides, quomodo &c.

ARTICULUS IV. 7.

Utrum de peccatis futuris quis debeat conteri.

S. Tb. IV. dist. XVI. quest. I. art. 2. quest. 4. quest. II. art. 2. quest. 2.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod etiam de peccatis futuris aliquis debeat conteri. Contritio enim est actus liberi arbitrii. Sed liberum arbitrium magis se extendit ad futura quam ad præterita: quia electio, quæ est actus liberi arbitrii, est de contingentibus futuris, ut dicitur in III. Et-

habeat hujus aut illius peccati quod commisit Hinc per discussionem, collectionem, ac detestationem peccatorum qua quis rogatur ante suos in amarissimo animo suo (ut Ezechias Esai 38.) parari con-

tritio dicitur in Concilio Trident. Sess. 14. can. 5. ad indicandam diligentiam quæ in peccatis inquirendis ac revocandis in memoriam debet adhiberi: Præter alia quæ de confessione notabuntur.

Ethic. (1) Ergo contritio magis est de peccatis futuris quam de præteritis.

2. Præterea peccatum aggravatur ex consequenti effectu: unde Hieronymus dicit (id hab. implic. Basil. in Lib. de vera virginit. parum ante med.) quod pœna Arii nondum est determinata: quia adhuc est possibile aliquos per ejus hæresim corrumpere, quibus corruentibus ejus pœna augetur: & similiter est de illo qui judicatur homicida, si letaliter percusserit, etiam antequam percussus moriatur. Sed in illo intervallo medio debet peccator conteri de peccato. Ergo non solum secundum quod habet quantitatem ex præterito actu, sed etiam secundum quod habet quantitatem ex futuro: & sic contritio respicit futurum.

Sed contra. Contritio est pars pœnitentiæ. Sed pœnitentia semper respicit præterita. Ergo & contritio: & sic non est de peccato futuro.

Respondeo dicendum, quod in omnibus motoribus, & mobilibus ordinatis ita est, quod motor inferior habet motum proprium, & præter hoc sequitur in aliquo motum superioris motoris; sicut patet in motu planetarum, qui præter motus proprios sequuntur motum primi orbis. In omnibus autem virtutibus moralibus primus motor est ipsa prudentia quæ dicitur auriga (2) virtutum. Et ideo quælibet virtus moralis cum motu proprio habet aliquod de motu prudentiæ. Et ideo cum pœnitentia sit quædam virtus moralis, quia est pars justitiæ, cum actu proprio consequitur prudentiæ motum. Proprius autem actus ejus est in objectum proprium, quod

est peccatum commissum. Et ideo actus ejus proprius, & principalis, scilicet contritio, secundum suam speciem respicit tantum peccatum præteritum; sed ex consequenti respicit peccatum futurum, secundum quod habet aliquid de actu prudentiæ adjunctum; & tamen in illud futurum secundum rationem propriæ speciei non movetur. Et propter hoc ille qui conteritur, dolet de peccato præterito, & cavet futurum. Sed non dicitur esse contritio de peccato futuro, sed magis cautio, quæ est pars prudentiæ contritioni adjuncta.

Ad primum ergo dicendum, quod liberum arbitrium dicitur esse de contingentibus futuris, secundum quod est de actibus, sed non secundum quod est de objectis actuum: quia homo potest cogitare ex libero arbitrio de rebus præteritis, & necessariis; sed tamen ipse actus cogitationis, secundum quod sub libero arbitrio cadit, contingens futurum est. Et sic etiam actus contritionis contingens futurum est, secundum quod sub libero arbitrio cadit; sed objectum ejus potest esse præteritum.

Ad secundum dicendum, quod ille effectus consequens, qui peccatum aggravat, jam in actu præcessit velut in causa: & ideo quando commissum est, totam suam quantitatem habuit; & ex effectu consequente non accrescit ei aliquid quoad culpæ rationem, quamvis accrescat quoad pœnam accidentalem, secundum quod plures habebit rationes dolendi in inferno de pluribus malis ex suo peccato consecutis. Et sic loquitur Hieronymus (Basilius.) (3) Unde non oportet quod

(1) Colligitur tum ex cap. 4. græco-lat. ubi dicitur electio esse tantum illius de quo consultatum est; tum ex cap. 3. ubi dicitur consultare de iis tantum quæ contingenter eveniunt, non quæ necessitudo; vel in antiquis cap. 6. & 7. ac apud S. Thomam lect. 6. & 7. Non cap. 2. sicut prius indicabatur ad marginem. Appendix autem Hieronymi quæ apud illum non occurrunt, ex Basilio lib. de vera virginitate colliguntur, ubi de Marcione & ontoria hæreticorum Antefignanis & Ducibus hoc dixit super illud 1. ad Timoth. 3. Quorundam peccata manifesta sunt &c.

(2) Hoc de discretione quidem S. Bernardus in serm. 49. super Cantica dicit: Est discretio non tam virtus quam quedam quasi moderatrix & auriga virtutum: Sed perinde ac si de prudentia dicat, ad quam spectat maxime discretio: Unde præmittit paulo ante circa medium: discretio quippe omni virtutis ordinem ponit: Ac deinde subjungit quod sit & ordinatrix effectuum & morum doctrix: Quæ omnia proprie spectant ad prudentiam, ut & illud quod ibi

subjungitur: Tolle hæc, & virtus ipsa virtutum oritur. Unde non immerito ad marginem additur, Prudentia seu discretio auriga virtutum: Huc pertinet quod Ethic. 6. cap. 13. vel ult. nullam virtutem sine prudentia omnino esse posse astruit Philosophus, & lib. 1. Magnorum Moral. cap. 35. Archisacerdotum virtutum vocat.

(3) Seu Basilius ut jam supra cum ait: Sicut admirabilem Paulum alio quidem præcesserunt opera dum adhuc esset in corpore; alia jam cum Christo regnatum consequuntur, eorum namque qui per epistolarum ejus monita se ad virtutem exercentes præmia laudum præclara illi Duci ac præceptori suo bene transmittunt: Sic alia quidem aliquorum peccata qui damnati sunt in inferno præcedunt, & alia sequuntur aliquorum qui post ipsorum mortem eos imitari sagunt &c. Nam ut beatus David hodie quoque ad verum Dei cultum perutilis est, ita Marcion & reliqui hæreticorum dogmatum Duces hodie quoque maxime nocent, &c.

quod contritio sit nisi de peccatis præteritis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas ; Concil. Flor. merito inuisse, quod contritio non est de peccatis futuris, sed cautio : Hoc autem insinuavit in Decreto Eugenius IV. sacro illo Concilio approbante, sic : *Contritio cordis est, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Ubi clare vides, dolorem cadere super præteritum, & propositum, non autem dolorem, cadere super futurum peccatum. Propositum vero illud est ; secundum Concilium, propositum non peccandi hoc est, vitandi peccata sic, ut (si fieri possit) nunquam de cætero peccetur. Ecce cautio, de qua in conclusione articuli. Ex quo sensu Concilii etiam melius intelligis illud conclusionis verbum, *cautio*, quod scilicet non sumitur pro quacumque minus diligenti cautione, sed pro cordetenus tam diligenti, ut (quantum compatiuntur infirmæ vires nostræ) sufficiens absque fraude sit ad non peccandum. Sic debet esse in proposito contriti præmissa cautio, & ex vero corde intenta, si, quantum est ex se, remissionem peccatorum assequi velit. Est (inquit litera) *cautio hæc pars prudentiæ.* Ex prudentia igitur rectus intendit, te debere mensurare cautionem hanc, idest quantitatem huius contritionis. Quasi dicat. Prudentia in cavendis offensis rationem habet, & quam maximam de persona, cuius offensam vitare proponit. Secundum enim altiozem, vel minus altam dignitatem, ipsius personæ, prudens mensurat majorem, vel minorem, intentionem, vel remissionem, diligentiozem, vel minus diligentem sollicitudinem, quæ cavenda sibi sit offensæ ejusdem. Magis namque sollicitabitur aliquis prudens ad cavendum offensam amici, quam non sic amici ; nobilis, quam non sic nobilis ; virtuosus, quam non sic virtuosus ; domini,

quam conservi ; Regis, quam Ducis, &c. Cum igitur Deus, cuius offensam cavenda proponitur a contrito prudenti, sit dignitatis infinitæ, sequitur, quod litera, dum dixit, quod illa cautio est pars prudentiæ, insinuare voluit, quod eadem cautio debet esse, atque proponi fore quam diligentissima. *Secundo* habes : quomodo per rationem Concilii dictum, pro quanto de futuris cautionem inuit esse, non contritionem, probes, atque defendas. *Tertio* vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S V. 8

Utrum homo debeat conteri de peccato alieno.

AD quantum sic proceditur. Videtur quod homo debeat conteri de peccato alieno. Non enim petit aliquis indulgentiam nisi de peccato de quo contritus est. Sed de peccatis alienis indulgentia petitur in Psal. xviii. 13. *Ab alienis parce servo tuo.* Ergo debet homo conteri de peccatis alienis.

2. Præterea. Homo ex caritate debet diligere proximum sicut seipsum. Sed propter dilectionem sui & de malis suis dolet, & bona desiderat. Ergo cum teneamur proximo desiderare bona gratiæ, sicut & nobis, videtur quod debeamus de culpis ejus dolere, sicut & de nostris. Sed contritio nihil est aliud quam dolor de peccatis. Ergo debet homo conteri de peccatis alienis.

Sed contra. Contritio est actus poenitentia virtutis. Sed nullus poenitet nisi de his quæ ipse fecit. Ergo nullus conteritur de peccatis alienis.

Respondeo dicendum, quod illud idem conteritur quod princepsatum, & integrum fuit. Unde oportet quod contritio pro peccato sit in eodem in quo peccati duritia præcessit. Et sic de alienis peccatis non est contritio.

Ad primum ergo dicendum, quod ab alienis peccatis sibi parci Propheta precatur, (1)

(1) Sicut explicat Augustinus in eum locum : *Delicta (inquit) mea inquinant me : Delicta vero aliena affligunt me* : Proptereaque sic sequentia legit *si mei non fuerint dominata* ; & sic deinde supplet, *Oculsa mea & Delicta aliena* : Sic & Cassiodorus & alij Latini passim antiquiores de peccatis interpretantur : Atqui Theodoretus masculinè ad hostes refert a quibus David se liberari petit, ac demonibus id applicat : Unde sequitur : *Si mei non fuerint dominati*, nimirum hostes, & sensus est, *si*

mibi non prævaluerint &c. Pro quo frigide quidam ex genitivo singulari *mei* (*me*) nominativum pluralem facientes ; ad id referunt quod ex dominatu suorum inquinetur aliquis & securus immaculatum se custodiat, si suos dominari propinquos non contingat : Nisi allusione tantum sic usurpant. Appendix quoque Psal. 17. non de homine qui pervertatur cum perverso literaliter intelligitur, sed apostrophe ad Deum est qui se perversè cum perversis gerere videatur ; sicut explicat rursum Augustinus, eo referens illud

In quantum ex consortio peccatorum aliquis per consensum aliquam immunditiam contrahit; sicut scriptum est Psal. xvii. 27. *Cum peruerso peruerteris.*

Ad secundum dicendum, quod de peccatis aliorum dolere debemus; non tamen oportet quod de eis conteramur; quia non omnis dolor de peccato præterito est contritio. ut patet ex dictis (in corp. & art. 2. huius quæst.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, Concilium *Aquisgranense* merito insinuas, quod contritio non est de peccatis alienis, sed solum dolor. Insinuavit vero istud cap. 26. sic: *Atrociter arguuntur, qui peccantem non recipiunt, sed despiciunt, & spernunt: nec alterius delictum tanquam proprium ingemiscunt. De salibus per Esa. cap. 65. Dominus comminans dicit: Qui dicunt, recede a me, ne appropries mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in futuro meo, ignis ardens tota die. Inde est, quod & Apostolus omnibus omnia factus est, 1. Cor. 9. non imitatione erroris, sed miseratione compassionis, scilicet, ut ita vitia aliena steret, quemadmodum, si tali & ipse implicaretur errore. Boni pastores populi debent peccata deslere, & totos se plantibus tradere, imitantes Jeremiam Prophetam dicentem, Jer. 9. Quis dabit aquam capiti meo, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabodie, ac nocte interfector populi mei? Tanquam propria igitur delicta, plebis peccata sacerdos debet flere; sed affectu compatiendi, non actione commissi. Hæc ibi. Per ultima autem verba concludentia a ly *Tanquam*, &c. declarat ipsa Synodus intentum suum in præmissis. Unde id, quod innuerat ante, quod scilicet recipere peccantem est alterius delictum, tanquam proprium, ingemiscere; quod Apostolus ita vitia aliena flebat, quemadmodum, si & ipse tali implicaretur errore; hæc, inquam, ex ultimis recitatis a Concilio verbis intelliguntur adimplenda *affectu compatiendi*,*

non actione commissi. Hoc est: ly *tanquam* ly *quemadmodum*, dicunt quandam similitudinem juxta affectum importatam; non autem dicunt expressionem juxta actionem peccati consideratam: eo modo videlicet, quo de vero Rege nos exprimere volentes concedentem suam maiestatem; dicimus: *Ambulat, stat, seder, iudicat, &c. tanquam Rex.* Non enim tunc ly *tanquam* dicit similitudinem, sed veritatis expressionem. Ne igitur ly *tanquam*, ly *quemadmodum*, a Concilio præmissa intelligerentur ut rei expressiva, addidit ipsamet ultima verba, quibus patenter ostendit prudentibus, quod adverbia eadem a se prædicta similitudinem tantum significant in hoc loco. Cum itaque dicat Concilium, quod debent dolere de peccatis aliorum, tanquam de propriis, *affectu compatiendi, non actione commissi*, per hoc denotat, quod de peccatis aliorum dolere possumus, proprie loquendo, sed non conteri: quoniam dolor contritionis est de propriis actione commissi, & non tantum affectu compatiendi. Ex assignata igitur ratione, quomodo aliena sint propria sentium, & non propria, monstravit Concilium, se loqui de contritione, & dolore tantum, quibus divisim convenit illa duplex ratio assignata. Nam, ut tactum est, contritio est de peccatis propriis etiam actione commissi; ut probatio conclusionis cum notatione docuit; dolor vero solum est de propriis affectu solum compatiendi; & hoc est esse de alienis. Item ex eodem articulo habes per eandem rationem, quomodo ostendas, a Concilio *Lateran. sub Innocentio III.* idem merito insinuatum fuisse tunc, quando dixit: *Omnis utriusque sexus omnia sua peccata confiteatur.* Patet enim, quod de his debet esse contritio, de quibus est confessio. Cum ergo confessio non nisi de peccatis suis, id est propriis, debeat juxta Concilium fieri, jam pro comperto relinquitur, quod juxta idem Concilium contritio de propriis tantum esse potest, nec per consequens de alienis, nisi, quatenus propria sunt, quis conteritur. *Secundo* habes: quomodo per eundem articuli rationem præmissorum Concilio-

rum

Ezech. 18. ex impiorum persona dictum, *Non est aqua via Domini* &c. Vel cum peruerso pervertitur, quia se malis peruersorum voluntatibus accommodat, & poenas illis congruentes infligit, ut explicat Theodoretus: Etsi de hominibus intelligit Cassiodorus qui cum demone pervertantur, vel ex demonum suggestionibus quibus ad peccandum se subiciunt: Et in similem sensum lib. 10. in Joan. Cyrillus accommodat, cum ait quod peruersus iugunde cum peruerso

velut sui simili conversatur: Denique quod additur velut ex Hieron. art. 6. argum. *Sed contra*, non est ipsius Hieron. veri, sed supposititii Commentatoris qui sub eius nomine circumfertur in Marc. ubi cap. 7. explicans illud, *Hæc genus (dæmoniorum) in nullo potest exire nisi oratione & ieiunio*, ait, *Medicina cuiusque vulneris adhibenda est ei: Non sanas oculos quos calcanea adhibetur.*

rum dicta, pro quanto contritionem de peccatis alienis innunt non proprie dari; & probes, & defendas. *Tertio* vides; quomodo &c.

ARTICULUS VI. 9

Utrum de singulis peccatis mortalibus requiratur contritio.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod non requiratur de singulis peccatis mortalibus contritio. Est enim motus contritionis in justificatione in instanti. Sed in instanti non potest homo recogitare singula peccata. Ergo non oportet quod sit contritio de singulis peccatis.

2. Præterea. Contritio debet esse de peccatis, secundum quod avertunt a Deo: quia conversio ad creaturam sine aversione a Deo contritionem non requirit. Sed omnia peccata mortalia in aversione conveniunt. Ergo contra omnia sufficit una contritio.

3. Præterea. Plus conveniunt peccata mortalia actualia ad invicem, quam actuale, & originale. Sed unus baptismus delet omnia actualia, & originale. Ergo una contritio generalis delet omnia peccata mortalia.

Sed contra. Diverforum morborum diverse sunt medicinæ: quia *non sanat oculus, quod sanat calcaneum*, ut dicit Hieronymus (sup. illud Marci ix. *Hoc genus demoniorum*.) Sed contritio est medicina singularis contra unum mortale. Ergo non sufficit una communis de omnibus.

Præterea. Contritio explicatur per confessionem. Sed oportet singula peccata mortalia confiteri. Ergo & de singulis conteri.

Respondeo dicendum, quod contritio potest considerari dupliciter, scilicet quantum ad sui principium, & quantum ad terminum. Et dico principium contritionis cogitationem, qua quis cogitat de peccato, & dolet, etsi non dolore contritionis, saltem dolore attritionis. Terminus autem contritionis est quando dolor ille jam gratia informatur. Quantum ergo ad principium contritionis, oportet quod de singulis peccatis, quæ quis in memoria habet, conteratur; sed quantum ad terminum sufficit quod sit una communis de omnibus: tunc enim ille motus agit in vi omnium dispositionum præcedentium.

Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod quamvis omnia mortalia conveniant in aversione; tamen differunt in causa, & modo aversionis,

& quantitate elongationis a Deo: & hoc est secundum diversitatem conversionis.

Ad tertium dicendum, quod baptismus agit in virtute meriti Christi, qui habuit infinitam virtutem ad delendum omnia peccata: & propterea unus sufficit contra omnia peccata. Sed in contritione cum merito Christi requiritur actus noster: & ideo oportet quod singulis peccatis respondeat singillatim, cum non habeat infinitam virtutem ad contritionem.

Vel dicendum, quod baptismus est spiritualis generatio; sed pœnitentia quantum ad contritionem, & alias sui partes est spiritualis quædam sanatio per modum cujusdam alterationis. Patet autem in generatione corporali alicujus, quæ est cum corruptione, quod una generatione removentur omnia accidentia contraria rei generatæ, quæ erant accidentia rei corruptæ; sed in alteratione removetur tantum unum accidens accidenti contrarium, ad quod terminatur alteratio. Et similiter unus baptismus simul delet omnia peccata, novam vitam inducendo; sed pœnitentia non delet omnia peccata, nisi ad singula feratur: & ideo oportet de singulis conteri, & confiteri.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem rejicias errorem *Lusberi* dicentis. *Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis cogitat annos suos in amaritudine anime suæ ponderando peccatorum suorum gravitatem, mobilitatem, suditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis, facit hominem hypocritam, immo magis peccatorem.* Pro quanto enim *Lusberus* hoc suo pestilenti dogmate, contritionem de singulis mortalibus peccatis abhorret fieri debere, ratione articuli præsentis exploditur. Hoc autem innuisse *Lusberum*, ibi patet, quoniam contritionem non vult parari a nobis per collectionem, per ponderationem multitudinis, per discussionem gravitatis, per cogitationem fœditatis peccatorum nostrorum. Hujusmodi enim collectionem, ponderationem, discussionem, cogitationem, fieri patet ab eo, qui de singulis peccatis singillatim conteritur: & consequenter patet, quod negare discussionem, collectionem, &c. peccatorum debere fieri, est, ac si expresse damnaretur is, qui singillatim de peccatis singulis contritionem habere studet. *Secundo* habes: quomodo per rationem;

nem ostendas, merito hanc in sensu etiam prædicto reprobari a Leone X. in Bulla contra errores Martini Lutheri, & ab, &c. ut sup. q. 1. ar. 1. & 2. Dum enim Leo contritionem laudabiliter fieri per discussionem per multitudinis, gravitatis, sæditatis, ponderationem peccatorum, decernit, per hoc, contritionem singillatim de peccatis posse, & debere fieri, ac istis modis parari, definit. Vide supra *quæst. & art. allegatis*, ut perpendas, quam sit contra omnem, tum sacram scripturam, tum vitam bonam timore Dei bono subnixam, ista Lutheri phantastica illusio: & consequenter, quam sit ab omnibus his jure optimo damnata. *Tertio* vides, &c.

QUÆSTIO III.

De quantitate contritionis,
In tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de quantitate contritionis.

Circa quod quærentur tria.

Primo, utrum contritio sit major dolor qui esse possit in natura.

Secundo, utrum possit esse nimis magnus contritionis dolor.

Tertio, utrum debeat esse major dolor de uno peccato quam de alio.

ARTICULUS I. 10

Utrum contritio sit major dolor qui esse possit in natura.

S. Thom. ubi sup. art. 3. quæst. 1. & seq

AD primum sic proceditur. Videtur quod contritio non sit major dolor qui esse
o *Summ. S. Tb. Tom. XIII*

possit in natura. Dolor enim est sensus læsionis. (1) Sed aliquæ læsiones magis sentiuntur quam læsio peccati, sicut læsio vulneris. Ergo non est maximus dolor contritio.

2. Præterea. Ex effectu sumimus iudicium de causa. Sed effectus doloris sunt lacrymæ. Cum ergo aliquando contritus non emittat lacrymas corporales de peccatis, quas tamen emitit de morte amici, vel de percussione, vel aliquo hujusmodi; videtur quod contritio non sit dolor maximus.

3. Præterea. Quanto aliquid plus habet de admixtione contrarii, tanto est minus intensum. Sed contritionis dolor habet multum de gaudio admixtum: quia contritus gaudet de liberatione, de spe veniæ, & de multis hujusmodi. Ergo dolor ejus est minimus.

4. Præterea. Dolor contritionis displicentia est quædam. Sed multa sunt quæ magis displicent contrito quam peccata sua præterita: non enim vellet pœnam inferni sustinere potius quam peccare; nec iterum sustinuisse omnes pœnas temporales, aut etiam sustinere: alias pauci invenirentur contriti. ergo dolor contritionis non est maximus.

Sed contra. Secundum Augustinum (Lib. XIV. de civ. Dei cap. VII. & IX.) *omnis dolor in amore fundatur*. (2) Sed amor caritatis, in quo fundatur dolor contritionis est maximus. Ergo & dolor contritionis est maximus.

Præterea. Dolor est de malo. Ergo de magis malo debet esse major dolor. Sed culpa est magis malum quam pœna. Ergo dolor de culpa, qui est contritio, excedit omnem alium dolorem.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. 1. art. 2. ad 1.) in contritione est duplex dolor. Unus est in
C ipsa

(1) Sive offensionis, ut loquitur lib. 7. super Gen. cap. 10. Augustinus: Vel sicut ipse lib. 3. de libero arbitrio cap. 23. æquivalentibus verbis definit: *Quid est aliud dolor nisi quidam sensus divisionis vel corruptionis impatiens?* Quod perinde est ac læsionis, quia non sine læsione dividitur vel corrumpitur integritas. Quod autem de lacrymis additur, paulo aliter Augustinus exprimit lib. 50. homiliarum homil. ult. cap. 2. *Sicut comes pœnitiens dolor est, ita lacrymæ sunt vestes doloris.* Huc etiam referre potest Ovidianum illud lib. 4. Tristium eleg. 3. *Expletur lacrymis ægeriturque dolor.*

(2) Vel ex cap. 3. libri 21. de civitate Dei colligitur his verbis versus finem: *Ubi potest esse cupiditas, profecto etiam dolor potest: Frustrata quippe cupiditas, vel non perveniendo quo sedebat, vel a-*

mittendo quo pervenerat, vertitur in dolorem. Huc pertinere quoque potest quod item lib. 19. de civitate Dei cap. 13. circa medium, dolor dicitur esse *sestimum adempti boni*, nec ademptum doleret quiquam nisi possessum diligeret vel dilexisset. Ut ex libro 14. cap. 7. 8. & 9. prius indicabatur ad marginem, sed solum ex cap. 7. versus finem colligi potest, ubi sic dicit August. *Recta voluntas est bonus amor, & voluntas perversa malus amor: Amor ergo inobediens habere quod amatur, cupiditas est. Id autem habens, eoque fruens, lætitia est: Fugiens quod ei adversatur, timor est: Idque si acciderit sentiens, tristitia est (sive dolor, ut inferius notat. Quin & cap. 9. post prædictas affectiones explicatas: *Hi motus (inquit) hi affectus de amore boni & sancta charitate venientes, &c.**

ipsa voluntate, qui est essentialiter ipsa contritio, quæ nihil aliud est quam displicentia præteriti peccati: & talis dolor in contritione excedit omnes alios dolores. Quia quantum aliquid placet, tantum contrarium ejus displicet: finis autem ultimus super omnia placet, cum omnia propter ipsum desiderentur: & ideo peccatum, quod a fine ultimo avertit, super omnia displicere debet. Alius dolor est in parte sensitiva, qui causatur ex primo dolore vel ex necessitate naturæ, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorum, vel ex electione, secundum quod homo pœnitens in se ipso hunc dolorem excitat, ut de peccatis doleat: & neutro modo oportet quod sit maximus dolor: quia vires inferiores moventur vehementius ab objectis propriis quam ex redundantia superiorum virium. Et ideo quanto operatio superiorum virium est propinquior objectis inferiorum, tanto magis sequuntur eorum motum. Et ideo major dolor est in sensitiva parte ex læsione sensibili, quam sit ille qui in ipsam redundat ex ratione: similiter major, qui redundat ex ratione de corporalibus deliberante, quam qui redundat ex ratione considerante spiritualia. Unde dolor in sensitiva parte ex displicentia rationis proveniens de peccato, non est major dolor aliis doloribus qui in ipsa sunt: & similiter nec dolor qui est voluntarie assumptus: tum quia non obedit affectus inferior superiori ad nutum, ut tanta, & talis passio sequatur in inferiori appetitu, qualem ordinat superior: tum etiam quia passiones a ratione sumuntur in actibus virtutum secundum mensuram quamdam; quam quandoque dolor qui est sine virtute, non servat, sed excedit.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dolor sensibilis est de sensu læsionis, ita dolor interior est de cognitione (1) alicujus nocivi. Et ideo quamvis læsio peccati secundum exteriorem sensum non percipiatur; ta-

men percipitur esse maxima secundum sensum interiorum rationis.

Ad secundum dicendum, quod corporales immutationes immediate consequuntur ad passiones sensitivæ partis, & eis mediantibus ad affectiones appetitivæ superioris. Et inde est quod ex dolore sensibili, vel etiam sensibili nocivo (2) citius defluunt lacrymæ corporales quam de dolore spirituali contritionis.

Ad tertium dicendum, quod gaudium illud quod pœnitens de dolore habet, non minuit displicentiam, quia ei non contrariatur, (3) sed auget, secundum quod omnis operatio augetur per propriam delectationem, ut dicitur in X. Ethic. (cap. v.) sicut qui delectatur in addiscendo aliquam scientiam, melius addiscit: & similiter qui gaudet de displicentia vehementiorem displicentiam habet. Sed bene potest esse quod illud gaudium temperet dolorem ex ratione in partem sensitivam resultantem.

Ad quartum dicendum, quod quantitas displicentiæ de aliqua re debet esse secundum quantitatem malitiæ ipsius. Malitia autem in culpa mortali mensuratur ex eo in quem peccatur, in quantum est ei indigna; & ex eo qui peccat, in quantum est ei nociva. Et quia homo debet magis Deum quam seipsum diligere, ideo plus debet odire culpam in quantum est offensiva Dei, quam in quantum est nociva sibi. Est autem nociva sibi principaliter, in quantum separat ipsum a Deo: & ex hac parte ipsa separatio a Deo, quæ pœna quædam est, magis debet displicere quam ipsa culpa, in quantum hoc nocumentum inducit: quia quod propter alterum oditur, minus oditur: sed minus quam culpa, in quantum est offensiva in Deum. Inter omnes autem pœnas malitiæ attenditur quidam ordo secundum quantitatem nocimenti. Et ideo cum hoc sit maximum nocumentum quo maximum bonum privatur, (4) erit inter

(1) Sic Manuscriptum Sententiarum abbreviatis characteribus habet; nec opus fuit ut omnia Exemplaria Supplementi variam lectionem notarent in margine quasi *alias cogitatione* legi debeat.

(2) Non ut prius inepte *sensibilis vicino*.

(3) Ut cap. 2. libri 5. Confessionum indicat Augustinus cum ait: *Ecco in corde es confitentium sibi & plorantium in sinu tuo post vias suas difficiles: Et tu facilis terges lacrymas eorum ut magis fleant & gaudeant in fleibus*. Habetur autem lib. 10. E. thicorum cap. 5. græco-lat. vel in antiquis cap. 6.

& apud S. Thomam lect. 6. quod hic immediate subjungitur; nempe quod operationem delectationis perficiat ut pulchritudo juventutem.

(4) Seu quo maximum bonum possidenti auferatur, vel amittitur a possidente: Hoc enim sensu phrasim illam usurpat passim S. Thomas, cum aliqui bonum non privetur, sed sit potius illud quo privamur. Quod porro inter pœnas maxima dicenda sit separatio a Deo, sic homil. 24. super Matth. Chrysostomus inculcat aliquanto spatio ante finem, cum super illud *Omnia arbor que non facit fructum bonum, excide-*

ter pœnas maxima separatio a Deo . Est etiam alia quantitas malitiæ accidentalis , quam oportet in displicentia attendere , secundum rationem præsentis , & præteriti : quia quod præteritum est , jam non est : unde habet minus de ratione malitiæ , & bonitatis . Et inde est quod plus refugit homo sustinere aliquid mali in præsentis , vel in futuro , quam horreat de præterito . Unde nec aliqua passio animæ directe respondet præterito , sicut dolor responderet præsentis malo , & timor futuro . Et propter hoc de duobus malis præteritis illud magis abhorret animus , cujus major effectus in præsentis remanet , vel in futurum timetur , etiamsi in præterito minus fuerit . Et quia effectus præcedentis culpæ non ita percipitur quandoque , sicut effectus præteritæ pœnæ , tum quia culpa perfectius sanatur quam quædam pœna , tum quia defectus corporalis magis est manifestus quam spiritalis ; ideo etiam homo bene dispositus quandoque magis in se percipit horrorem præcedentis pœnæ , quam præcedentis culpæ quamvis magis esset paratus pati eandem pœnam , quam committere eandem culpam . Est etiam considerandum in comparatione culpæ , & pœnæ , quod quædam pœnæ habent inseparabiliter conjunctam Dei offensam , sicut separatio a Deo ; quædam etiam addunt perpetuitatem , sicut pœna inferni . Ergo pœna illa quæ offensam annexam habet , eodem modo cavenda est , sicut etiam culpa ; sed illa quæ perpetuitatem addit , est magis quam culpa simpliciter fugienda . Si tamen ab eis separatur ratio offensæ , & consideretur tantum ratio pœnæ , minus habent de malitia quam culpa , in quantum est offensa Dei : & propter hoc minus debent displicere .

Sciendum est etiam , quod quamvis talis debeat esse contriti dispositio ; non tamen de eis tentandus est : quia affectus suos homo

non de facili mensurare potest : & quandoque illud quod minus displicet , videtur magis displicere , quia est propinquius nocumento sensibili , quod magis est nobis notum .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito a scripturis insinuatam fuisse virtualiter , quod contritio est major dolor aliis . Sic autem insinuatam est hoc , quando horribile magis demonstrant esse peccatum , quam mortem ipsam , quæ tamen , juxta Philosophum , est ultimum , idest maximum terribilium , & consequenter naturaliter maxime horribilis . Cum enim peccatum demonstratur esse magis , quam mors , horribile , demonstratur radicaliter profecto , quod magis fugiendum est peccatum , quam mors , & magis dolendum de eo , si quando commissum fuerit , quam de morte , & consequenter , quod vera contritio est maximus dolorum . Quod vero sit magis horribile peccatum , quam mors corporalis , demonstravit Hierem. 15. *Veb mihi mater mea , quare genuisti me virum rixæ , virum discordiæ in universa terra ? & 20. maledicta dies , in qua natus sum : dies , in qua peperit me mater mea , non sis benedicta . Quare de vulva egressus sum , ut viderem laborem , & dolorem , & consumerentur in confusione dies mei .* Vide , quantum horret peccata , etiam quod sint aliorum : annunciabat enim Hieremias veritatem populis : & ex veritate annunciata fumebant aliqui de populo illo occasionem iræ , rixæ , discordiæ , persequendi Hieremiam , multaque alia peccata faciendi . Si ergo tantum exhorret aliorum iniquitates ; quantum putas , exhorruisset proprias , si accidissent ? Si tantum de alienis peccatis dolet , solummodo ad videndum : quantum per hoc notificat , de propriis esse

C 2

per

videtur & in ignem mittetur (ex Matthæi 7.) ait : Videtur quidem una dumtaxat pœna nempe comburi : Sed si quis diligenter expendat , inveniet hoc supplicium esse duplex ; Qui enim in gehenna uritur , calorum quoque regnum amittit : Quæ certe pœna longe major est quam ipse cruciatus flammarum : Quod exemplo filij abdicati a Patre probans infert : Intolerabilis quidem res est gehenna , quis nesciat ? Si tamen nullo aliquis gehennas ponat , nihil tale omnino dicturus est , quale a beata illa gloria possidenda repelli , &c. Certe tam grandem salutem Augustinus affirmat esse , ut ei nulla possint tormenta quæ verimus comparari , nisi hæc sola esset

exulare a civitate Dei , alienari a vita Dei , vel perire a regno Dei , &c. Quod autem sub illius nomine articulo sequente subiungitur , supposititij auctoris est inter ejus opera tom. 9. lib. de contritione cordis cap. 10. ubi post longam exaggerationem & vehementem ait . Consolatio , sanitas , letitia , volo vos . Procul esto ante mortem , nisi forte indulgentia revocet vos : quia necessarium est flere peccatorem vel hic vel in futuro : Sit igitur pœnitentia consinus comes ætatis meæ : Sit insatigabilis luctus , mæror acerbus , &c. Si enim non sum dignus oculos ad celum levare orando coram te Domine Deus , certo sum dignus plorando eos cœcare , &c.

per contritionem dolendum? Idem demonstravit sacra scriptura, 1. Macch. 2. *Hi viderunt mala, que fiebant in populo Juda, & in Hierusalem, & dixit Matathias. Vobis mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctae, & sedere illic, cum datur in manibus inimicorum?* licet autem loquatur Matathias, & sic extreme doleat de malis pœnalibus, tamen etiam de malis culpæ, & principaliter, ut per discursum capituli patere potest; & ibi c. 3. *melius est nos mori in bello; quam videre mala gentis nostrae, & sanctorum.* Idem monstravit Matt. 26. *Melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Si hoc propter pœnam inferni, quæ Judam manebat, dixit Dominus: multo magis propter peccatum traditionis a Juda patrandum. Nam propter ipsum peccatum incurrebat pœnam inferni, & propter quod unumquodque, & illud magis, ut ait Philosophus 1. posteriorum. Magis ergo dolendum de peccato, tanquam de magis horribili, quam de privatione ipsius esse, notificavit per hoc Christus. Idem, & adhuc ad litteram monstravit Daniel 13. *Si hoc egero, mors mihi est, si autem non egero, non effugiam manus vestras. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini.* Ecce, quod Sulana plus refugit offensam Dei, quam mortem ab hominibus illis senioribus intentatam. Quinimmo (quod mirum in modum præsentis proposito favet) mortem ipsam corporalem in comparatione peccati non audet vocare mortem: sed nomen hoc, tam hominum naturæ exosum, soli tunc peccato attribuit. Quasi ex ipsa loquendi phrasi dicat, quod mors corporalis, etiam violenta, etiam ignominiosa infamia comitata (ut sibi tunc per seniorum minas imminerebat) non est, neque dici meretur, mors, si comparatur ad peccatum, etiam in occulto factum, etiam non divulgandum (ut sibi tunc pollicebantur senes.) *Si, inquit hec egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras: sc. Quid est, si hoc egero? idest, si me cognosci a vobis consensero. Quid est, mors mihi est? idest peccatum mihi est. Quid est, si non egero, non effugiam manus vestras? idest, si a vobis cognosci nolero, mortem corporalem, secundum quod vos comminamini, non effugiam a. manibus vestris mihi paratam. Unde id, quod prius dixit Mors, post concludendo vocat, peccare in conspectu Domini, & id, quod antea dicit, non effugiam manus vestras, postea nominat, incidere in manus ho-*

minum. Relinquitur ergo, quod secundum intellectum verum divinæ scripturæ, sanumque palatum cordis probatarum personarum, mors violenta, & infamis corporea non est, nec reputatur mors, comparando illam ad peccatum: & per consequens, quod quasi incomparabiliter peccatum est magis fugiendum, quam corporea mors, magisque de illo, si commissum fuerit, per contritionem dolendum, quam de ista. *Secundo* habes: quomodo per ejusdem rationem, præmissas scripturas, pro quanto contritionem dolorem dicunt esse maximum dolorum, & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides, &c.

ARTICULUS II. 11

Utrum possis esse nimis magnus contritionis dolor.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod non possit esse nimis magnus contritionis dolor. Nullus enim dolor potest esse immoderatus, quam ille qui proprium subiectum destruit. Sed dolor contritionis, si est tantus, quod mortem, vel corruptionem corporis inducat, est laudabilis. Dicit enim Anselmus (implic. in Lib. Meditat. vers. fi.) *Utinam sic impingentur viscera anime meae ut medulla corporis mei exsiccetur: & Augustinus dicit (alius Auctor Lib. de contrit. cordis cap. x. ad fi.) se esse dignum oculis cecare plorando.* Ergo dolor contritionis non potest esse nimis,

2. Præterea. Dolor contritionis ex amore caritatis procedit. Sed amor caritatis non potest esse nimis. Ergo nec dolor contritionis.

3. Sed contra. Omnis virtus moralis corrumpitur per superabundantiam, & defectum. Sed contritio est actus virtutis moralis, scilicet pœnitentiæ, cum sit pars justitiæ. Ergo potest esse superfluous dolor de peccatis.

Respondeo dicendum, quod contritio ex parte doloris qui est in ratione, scilicet displicentiæ, quo peccatum displicet, in quantum est offensa Dei, non potest esse nimia; sicut nec amor caritatis, quo intenso talis displicentiæ intenditur, potest esse nimis. Sed quantum ad dolorem sensibilem potest esse nimia, sicut etiam exterior corporis afflictio potest esse nimia. In his autem omnibus debet accipi pro mensura conservatio subiecti, & bonæ habitudinis sufficientis ad ea quæ agenda incumbunt: & propter hoc dicitur Rom. [xii. 1.] *Rationabile sit obsequi-*

sequium vestrum.

Ad primum ergo dicendum, quod Anselmus desiderabat ex pinguedine devotionis medullas corporales exsiccati, non quantum ad humorem naturalem, sed quantum ad desideria & concupiscentias corporales. Augustinus autem quamvis dignum se cognosceret amissione exteriorum oculorum propter peccatum, quia quilibet peccator non solum æterna, sed etiam temporalis morte dignus est; non tamen volebat sibi oculos cæcare.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit de dolore qui est in ratione.

Tertia autem procedit de dolore sensitivæ partis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a scripturis, & quod contritio in ratione existens non potest esse nimia, & quod contritio in parte sensitiva potest esse nimia. *Primum* insinuat Eccl. 44. *Glorificantes Dominum, quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc.* Nam glorificare Deum quandoque sumitur in scripturis pro conteri de peccatis propriis, & ea confiteri: unde Josue 5. dicit ad Achan: *Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere.* Hoc est. De peccato tuo propter amorem Dei contritionem habe, & ex contritione illa confessionem fac; sicut enim peccator, in quantum in se est, ignominiam, injuriamque affert Deo, quando peccat, ita gloriam affert ei, quando de peccato conteritur, & tantam, ut etiam Angeli in cælo de tali gloria data Deo a peccatore penitentiam agente gaudium magnum concipiunt, *Luc. 15.* Unde, quanto magis, vel minus conteritur de peccato proprio, tanto magis vel minus gloriam affert Deo, seu glorificat Deum. Ex eo igitur, quod applicando eam etiam peccatoribus, ait Scriptura: glorificate Deum, quantum potestis, seu quantumcumque potueritis, quoniam prævalebit adhuc, ostendit, quod non possumus tantum secundum rationem de peccato dolere, quantum Deus, qui per ipsum offensus est, dignus est, ut doleatur, eo videlicet modo, quo dicimus, Deum non posse a nobis diligi tantum, quantum diligibilis est, quamvis præceptum & de dilectione ejus, & de contritione istius, secundum quod nobis datum intelligitur, adimplere possimus. Quod si contritio in ratione existens posset esse nimia, non diceret Scriptura de Deo, amore cujus conterimur, & præva-

lebit, seu supervalebit adhuc, idest dignitas Dei contritione quantalibet vestra erit major, tantum abest, ut contritio vestra possit esse nimia. Quasi ergo per illam auctoritatem, & specialiter de contritione, & universaliter de amore Dei quomodocumque intellectam sacra Scriptura dicat: sicut dignitas Dei est major, quam, quod tantum a vobis diligi possit, quantum diligibilis est; & ideo amor, quo Deum amatis, non potest esse nimius; ita dignitas Dei est major, quam, quod de offensa ejus tantum dolere possitis, quantum ipse dignus est, ut de ea doleatur, & ideo contritio in superiori parte existens non potest esse nimia. *Secundum*, scilicet, quod contritio in parte sensitiva possit esse nimia, insinuat 2. Cor. 2. *Consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.* Ecce timebat Apostolus, ne fornicarius ille Corinthius contritione sensus nimia afficeretur, vel in desperationem cadendo, vel pusillanimitatem quandam, & melanconiam contrahendo, vel etiam mortem, aut ineptitudinem ad officia pro tempore necessaria incurrendo. Item idipsum insinuat 1. Timoth. 5. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum suum, & frequentes infirmitates tuas.* Nisi enim contritio, seu afflictio sensus posset esse nimia: non diceret hoc Apostolus, maxime, quia hortabatur Timotheum ad custodiam castitatis, præmittendo, *seipsum castum custodi:* & quia sciebat, quod abstinere a vino, cum in eo sit luxuria, ad castitatis conservationem præsertim conducit. Ubi & ab eodem Apostolo vides insinuatam, quod nimietas afflictionis visus attenditur penes destructionem subjecti, & bonæ valetudinis ad officia succumbentia (puta in proposito Timothei ad officia episcopalia.) *Secundo* habes: quomodo per ejus rationem præmissas Scripturas, pro quanto contritionem rationis non nimiam, corporis autem nimiam dicunt posse esse, & declares, & probes, & defendas. Ex consequenti etiam intellectum sanum verborum Concilii *Cablonensis*, & *Parifensis* per eandem rationem habes, ubi de contritione tum mentis, tum corporis loquantur. Verba *Cablonensis* cap. 34. sunt hæc: „ Nullus sacerdotum unquam aut „ gratia, aut odio alicujus personæ, secus judicet, quam, quod in canonibus sacris invenerit: aut quod illi secundum sanctorum „ Scripturarum auctoritatem, & ecclesiasticam consuetudinem, rectius vitum fuerit. „ Si medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter perso-

„ ne

„ nã ejuslibet acceptionem, his, quos sanare cupiunt, cauterio, aut ferro, aut duris „ aliis quibuslibet rebus parcunt: multo magis idipsum his observandum est, qui non „ corporum, sed animarum medici existunt. „ Neque enim pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis, & „ mortificatione corporis. *Hæc ibi. Verba Parisiensis lib. 1. cap. 46. hæc sunt:* „ Illis est confessio peccatorum facienda, a „ quibus subinde & modus pœnitentiæ, & „ consilium salutis capiatur. Pœnitentia porro non in multitudine annorum: sed potius in contritione cordis, & corporis est „ æstimanda. „ Hæc ibi. Non sine causa factum putato, quod utrumque concilium, antequam ad pœnitentiam ultimis verbis nominandam accedat, præmittit aut sacrorum canonum, aut sanctarum Scripturarum auctoritatem, aut ecclesiasticam consuetudinem aut modum pœnitentiæ, aut consilium salutis. Nam per hoc denotare voluerunt, quod mortificatio, seu contritio, tum cordis, tum corporis, non sunt absolute absque consultatione præmissorum mensuranda, vel etiam ad se invicem uniformiter comparanda, quasi per suum ipsorum contextum dixerint Contritione cordis, & corporis juxta mensuram a sanctis Scripturis, vel a prædictis datam, mensurata æstimanda est pœnitentia. Unde per hanc suam loquendi vigilantiam utrumque concilium implicite etiam insinuavit, quod cordis contritio non nimia, corporis autem nimia esse potest. Nam sanctarum Scripturarum auctoritas, consiliumque salutis, penes quæ intelligi ultima verba sua, utrumque prænotat, hoc inter illas contritiones discrimen asserunt, ut supra in appendice hæc monstratum fuit. *Tertio vides: quomodo &c.*

Utrum debeat esse major dolor de uno peccato quam de alio.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non debeat esse major dolor de uno peccato quam de alio. Hieronymus enim (epist. xxvii. cap. vii. in med.) collaudat Paulam (1) de hoc quod *minima peccata sicut magna plangebatur*. Ergo non est magis dolendum de uno quam de alio.

2. Præterea. Motus contritionis est subitus. Sed non potest esse unus motus subitus intensior simul, & remissior. Ergo contritio non debet esse major de uno quam de alio peccato.

3. Præterea. De peccato præcipue est contritio, secundum quod a Deo avertit. Sed in aversione omnia peccata mortalia conveniunt: quia omnia tollunt gratiam, qua anima Deo conjungitur. Ergo de omnibus peccatis mortalibus æqualis debet esse contritio.

Sed contra. Deuteronom. xxv. 2. dicitur: *(*) Secundum mensuram peccati erit & plagarum modus*. Sed in contritione peccatis plagæ commensurantur: quia contritio habet propositum satisfaciendi annexum. Ergo contritio magis debet esse de uno peccato quam de alio.

Præterea. De hoc debet homo conteri quod debuit vitare. Sed homo deberet magis vitare unum peccatum quam aliud; quia gravius est, si necessitas alterum faciendi incumberet. Ergo & similiter debet de uno; scilicet graviori, magis quam de alio dolere.

Respondeo dicendum, quod de contritione dupliciter possumus loqui. Uno modo secundum quod sigillatim singulis peccatis respondet: & sic quantum ad dolorem superioris affectus requiritur quod de majori peccato quis doleat magis: quia ratio doloris est magis in uno quam in alio, scilicet offensa Dei: ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur: similiter etiam cum majori

(1) Cum in Epithaphio Paulæ ad Eustochium ejus filiam scripto sic ait (epist. 27.) *Ita levia peccata plangebatur ut illam gravissimorum criminum craderes sciam*. Quam imperite autem Paulum pro Paula quidam Breviarii Doctor intrusit, & hinc inusitata metamorphosi mas pro femina in omnibus Exemplaribus mutatus est! Unde nec ad marginem Supplementi Editiones illæ quidquam notant, quia Paulum non invenerunt ita flentem: Sed ad marginem Scen-

tientiarum audentior quispiam ex epistola Hieronymi ad Rusticum Monachum *de forma bene vivendi*, vel ad Demetriadem *de servanda virginitate* illud elici notat: An quia utrobique refertur dicens, *Miser homo! Quis me liberabis de corpore mortis hujus?* ut & castigans ac redigens in servitutem corpus suum, *Bella planesomnia vigilantis*.

(*) *Vulgata pro mensura peccati.*

ri culpæ major pœna debeatur, etiam dolor sensitivæ partis, secundum quod pro peccato ex electione assumitur, quasi pœna peccati, debet esse major de majori peccato; secundum autem quod ex impressione superioris appetitus nascitur in inferiori, attenditur quantitas doloris secundum dispositionem partis inferioris ad recipiendam impressionem a superiori, & non secundum quantitatem peccati. Alio modo potest accipi contritio, secundum quod est simul de omnibus peccatis, sicut in actu justificationis: (1) & hæc quidem contritio vel ex singulorum consideratione peccatorum procedit; & sic quamvis sit actus unus, tamen distinctio peccatorum virtute manet in ipso: vel ad minus habet propositum de singulis cogitandi annexum: & sic etiam habitualiter est magis de uno quam de alio.

Ad primum ergo dicendum, quod Paula (2) non laudatur de hoc quod de omnibus peccatis doleret æqualiter; sed quia de parvis peccatis tantum dolebat, ac si essent magna, per comparisonem ad alios qui de peccatis dolent; sed ipsa multo amplius de majoribus doluisset.

Ad secundum dicendum, quod in illo contritionis motu subitaneo, quamvis non actualiter distinctio intentionis respondens diversis peccatis inveniri possit; tamen invenitur ibi eodem modo, sicut dictum est (in corp.) & etiam alio modo, secundum quod singula peccata ordinem habent ad illud de quo in illa contritione generali contrito dolendum occurrit, scilicet offensam Dei. Qui enim aliquod totum diligit, potentia diligit partes etiam ejus, quamvis non actu: & hoc modo, secundum quod habent ordinem ad totum, quædam plus, quædam minus diligit; (3) sicut qui aliquam communitatem diligit, virtute singulos diligit plus, & minus, secundum eorum ordinem in bono communi. Et similiter qui dolet de hoc quod Deum offendit, de diversis implicite

dolet diversimode, secundum quod plus, vel minus per ea Deum offendit.

Ad tertium dicendum, quod quamvis quolibet peccatum mortale a Deo avertat, & gratiam tollat; (4) tamen quoddam plus elongat quam aliud, inquantum habet majorem dissonantiam ex sua inordinatione ad ordinem divinæ bonitatis, quam aliud.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis; quod contritio est plus de uno peccato, quam de alio. Hoc autem insinuatum est Deuter. 25. *Secundum mensuram peccati eris & plagarum modus*, & Psalm. 79. *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura*. Vide quæst. 2. art. 6. Item insinuatum est idipsum a Concilio Triburiensi cap. 5. 55. 57. 58. ubi pro gravitate peccatorum poenitentias proportionatas diversimode statuit. Pater autem in omnibus, quod contritio inter poenitentias computatur: imo tantquam forma extrinsecarum poenitentiarum, juxta quam tantum, vel tantum valoris apud Deum habent, concurrunt. Item insinuatum est idipsum a Concilio Laodicensi in sexta synodo confirmato, cap. 1. sic. *De his, qui diversis facinoribus peccaverunt, &c. salibus pro qualitate, ac proportionem delicti, poenitentia tempus tribuendum est*. Item a Papa Nicolao Primo, & recitatur in decretis 26. quæst. 7. *De his, verum, quia crimina non equalia sunt &c. sibi hoc committimus decernendum, nimirum qui loca, & tempora regionis illius, & modum culpa, nec non & poenitentiam, & gemitus hominum ad confessionem ventientium, presens postest inspirare vales*. Ex his Nicolai verbis apparet: ipsum modo culpæ velle modum gemituum correspondere item a Concil. Wormiensi c. 25. *Poenitentibus, secundum differentiam peccatorum, sacerdotis arbitrio poenitentia decernatur. Debet itaque sacerdos in poenitentia danda singulorum*

(1) Id est in illo ipso ultimo actu quo justificatio perficitur ac terminatur, seu in illo instanti quo gratia introducit ut justificationis forma, &c.

(2) Et hic errore primo continuato Paulus pro Paula; ut & in fine solutionis ipse pro ipsa: Quidni Paulæ meminit alicubi Breviarium, ne pro femina matrem tum peritus introduceret annotator qui Paulam nesciebat? & ne Apostolorum longe posteriorum discipulam in Apostolum transformaret.

(3) Expressimus hoc verbum quod supprimitur in

aliis Editionibus & supplendum ex antedictis præsupponitur, ut sit planior sensus.

(4) Quantum est de se, si seorsim consideretur, quia nullum est per quod gratia non tollatur si prius erat in subiecto; quod autem non tollatur, est per accidens, quando primum peccatum eam futiliter. Quamvis tamen & suo modo subsequencia illam tollant, quia subiectum plus elongant ab illa vel ad illam magis indispositum reddunt.

lorum causas singillatim considerare, originem quoque, modumque culpæ, & affectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere, temporum etiam, & personarum, locorum quoque, & ætatum, qualitates inspicere: ut etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum, atque gemituum, cuiuscunque delinquentis a sacris regulis oculos non reflectat. Hæc ibi. Item capit. 28. *si quis insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem pervenerit, levior ei pœnitentia imponenda est, quam ei, qui sana mente tale quid commiserit.* Concilium ergo pro peccatorum qualitate contritionem debere proportionari insinuat, quando ipsam exteriorem a sacerdote pœnitentiam proportionandam peccatis intimat. Nec enim exterior pœnitentia magis, quam interior, necessaria est, nec de exteriori magis curat concilium, quam de interiori, sed per exteriorem declaratam, quid de interiori etiam, multoque magis, sit sentiendum, aperire intendit. Interior autem est cordis contritio, de qua præsens articulus. *Secundo habes: quomodo per ejus rationem scripturarum, & conciliorum illorum dicta, pro quanto de uno peccato magis, quam de alio, innuunt contritionem esse debere, declares, probes, tuearis. Tertio vides: quomodo &c.*

QUESTIO IV.

De tempore contritionis.

In tres articulas divisa.

DEinde considerandum est de tempore contritionis.

Circa quod tria queruntur.

Primo, utrum tota vita hæc sit contritionis tempus.

Secundo, utrum expediat continue de peccato dolere.

Tertio, utrum post hanc vitam animæ de peccatis conterantur.

ARTICULUS I.

Utrum tota hæc vita sit contritionis tempus.

S. Tb. IV. dist. xxxvii. quest. 11. art. 4. quest. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non tota hæc vita sit contritionis tempus. Sicut enim de peccato commisso debet esse dolor, ita & pudor. Sed non per totam vitam durat pudor de peccato: quia, sicut dicit Ambrosius (1) *non habes quod erubescas cui peccatum dimissum est.* Ergo videtur quod nec contritio, quæ est dolor de peccato.

2. Præterea. I. Joan. iv. 18. dicitur, quod *perfecta caritas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet.* Sed dolor etiam pœnam habet. Ergo in statu perfectæ caritatis non potest dolor contritionis manere.

3. Præterea. De præterito non potest esse dolor, qui proprie est de malo præsentis, nisi secundum quod aliquid de peccato præterito in præsentis manet. Sed quandoque pervenitur ad aliquem statum in hac vita in quo nihil de peccato præterito manet, neque dispositio, neque culpa, neque reatus aliquis. Ergo non oportet ulterius de illo peccato dolere.

4. Præterea. Rom. viii. 28. dicitur, quod *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum etiam peccata, ut dicit Glossa (August. Lib. de corrept. & grat. cap. ix. a med.)* Ergo non oportet post remissionem peccati quod de ipso doleant.

5. Præterea. Contritio est pars pœnitentiæ contra satisfactionem divisa. Sed non oportet semper satisfacere. Ergo nec oportet de peccato semper conteri.

Sed contra. Augustinus in Lib. de pœnitent. (seu alius Auctor de vera & falsa pœnit. cap. xiiii.) dicit, quod *ubi dolor finitur, deficit pœnitentia; ubi deficit pœnitentia, nihil relinquitur de venia* (2). Ergo videtur, cum oportet

(1) Sic de pœnitentia lib. 2. cap. 7. cum de Lazaro quatuordecim ac festente, vel similiter de peccatore sub symbolo Lazari ait. *Quantuslibet mortuus fuerit, aboletur omnis ubi sacrum redoleverit unguentum, & resurgit defunctus, & solvi jubentur ejus vincula qui adhuc in peccato est: Tollitur velamen de facie ejus, quod veritatem gratiæ quam acceperat, obumbrabat: Sed qui venia donatus est,*

revelare faciem, aperire vultum jubetur: Non habes enim quod erubescas cui peccatum remissum est: Itaque in Decretis refertur dist. 1. de pœnit. cap. Quantuslibet.

(2) Sive, quid relinquitur de venia? Ut & refertur in Decretis dist. 3. de pœnit. cap. *Si Apollolus;* tamen non est Augustini.

QUEST. IV. ART. I.

oporteat veniam concessam non perdere, quod oporteat semper de peccato dolere.

Præterea. Eccli. v. 5. dicitur: *De propitiato peccato (1) noli esse sine metu.* Ergo homo semper debet dolere ad peccatorum propitiationem habendam.

Respondeo dicendum, quod in contritione, ut dictum est (quæst. 111. art. 1.) est duplex dolor: unus rationis, qui est detestatio peccati a se commissi; alius sensitivæ partis, qui ex isto consequitur. Et quantum ad utrumque contritionis tempus est totius vitæ presentis status. Quamdiu enim est aliquis in statu vitæ, detestatur incommoda, quibus a perventione ad terminum vitæ retardatur, vel impeditur. Unde cum per peccatum præteritum vitæ nostræ cursus in Deum retardetur, quia tempus illud quod erat deputatum ad currendum, recuperari non potest, (2) oportet quod semper in vitæ hujus tempore status contritionis maneat, quantum ad peccati detestationem. Similiter etiam quantum ad sensibilem dolorem, qui ut pœna a voluntate assumitur: quia enim homo pœnam æternam peccando moritur, & contra æternum Deum peccavit, debet pœna æterna in temporalem mutata, saltem dolor in toto hominis æterno, idest in statu hujus vitæ, manere. Et propter hoc dicit Hugo de Sancto Victore (tract. vi. Sum. Sent. cap. xi. a med.) (3) quod *Deus absolvens hominem a culpa, & pœna æterna, ligat eum vinculo perpetua detestationis peccati.*

Ad primum ergo dicendum, quod erubescencia respicit peccatum, solum in quantum habet turpitudinem: & ideo postquam peccatum quantum ad culpam remissum est, non manet pudori locus; manet autem dolori, qui non solum de culpa est, in quantum habet turpitudinem, sed etiam in quantum habet nocumentum annexum.

Summ. S. Th. Tom. XIII.

Ad secundum dicendum, quod timor servilis, quem caritas foras mittit, oppositio-nem habet ad caritatem ratione servitutis, quia pœnam respicit; sed dolor contritionis ex caritate causatur, ut dictum est (quæst. 111. art. 2.) & ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod quamvis per pœnitentiam peccator redeat ad gratiam pristinam, & immunitatem a reatu pœnæ; numquam tamen redit ad pristinam dignitatem innocentie: & ideo semper ex præterito peccato aliquid in ipso manet.

Ad quartum dicendum, quod sicut non debet homo facere mala, ut veniant bona; ita non debet gaudere de malis, quia ex eis occasionaliter proveniunt bona divinitus a gratia, vel providentia agente: quia illorum bonorum peccata causa non fuerunt, sed magis impedimenta; sed divina providentia ea caulavit, & de ea debet homo gaudere, de peccatis autem dolere.

Ad quintum dicendum, quod satisfactio attenditur secundum pœnam taxatam, quæ pro peccatis iungi debet: & ideo potest terminari, ut non oporteat ulterius satisfacere. Hæc autem pœna præcipue proportionatur culpæ ex parte conversionis, ex qua finitatem habet. Sed dolor contritionis respondet culpæ ex parte aversionis, ex qua habet quamdam infinitatem: unde & contritio semper debet manere: nec est inconveniens,

D
si re-

(1) Quia nimirum græce simpliciter legitur *ἡμεῖς* id est *de propitiations vel de propitiatis.*

(2) Hinc de triplici Custodia Bernardus eleganter, ut solet: *Volat tempus irremediabile nec advertis inspicis quid ammittas: Et paulo infra: Tempus quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, suspitare ad amissam hereditatem, aspirare ad promissam facultatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem, &c.*

(3) Non ut prius Tract. 5. Summæ Sent. cap. 12. sed sic tantum Tract. 6. cap. 11. *Duobus peccator ligatus est; cecitate mentis videlicet, & pro ea debito futura damnationis: Peccato enim & pœna peccati tenetur. Per veram ergo cordis contritionem solvitur a cecitate mentis; qui enim mortuus fuerat, vivit; & qui jam vivit interior illuminatus est; sed tamen adhuc debitor est, donec satisfactor Ecclies. Venit ad Sacerdotem, confitetur peccatum suum Sacerdoti, qui ei justam satisfactionem impunit: & tunc solvit eum Sacerdos a debito damna-*

tionis futura, idest Deus per Sacerdotem. Similia etiam habet lib. 2. de Sacramentis part. 14. cap. 8. ubi præmittens (ut jam supra) duobus modis peccatorem ligari, nempe *obdurations mentis & debito futura damnationis*, infert necessarium esse gratiam nobis ad agendam pœnitentiam reddi, *ut dum scilicet ipsa sola operante compuncti a vinculis corporis absolvimur, etiam ipsa deinde cooperante pœnitentes a debito damnationis absolvi mereamur.* An id potius ex cap. 2. ejus partis colligi potest? ubi ait quod *exterior pœnitentia est in afflictione carnis; interior, est in contritione cordis:* Et postea: *Pœnitentia improbatio facti, fructus pœnitentie correctio delicti: Si in correctione minor est afflictio quam in culpa suis delectatio, non est dignus pœnitentie sue fructus:* Tum deinde subjungit: *Sed dicis mihi, Quomodo scire possum quando condigna sit pœnitentia mea? Quia hoc scire non potes, ideo necesse habes semper pœnitere: Idcirco sollicitus esto ut culpa sit cum fine, devotio sine fine.*

si remoto posteriori, manet prius.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primò*: quomodo per rationem elidas errorem *Begardorum*, & *Beguinarum* (Prat. Begardi) dicentium: opera bona nulla debet facere homo, cum ad ultimum statum perfectionis venerit: & item, imperfecti hominis esse in operibus virtutum sese exercere. Hos errores, in quantum alios etiam malos sensus inducunt, sunt per D. Thom. rationem explosi, 1. par. qu. 102. art. 3. & append., in quantum vero contritionem per totum præsens tempus habendam dissuadent. (Contritio enim est actus virtutis, qu. 1. art. 2.) hoc in loco recitantur, & ab isto articulo expugnantur: ut consideranti etiam mediocriter patet. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos errores, pro quanto specialiter contritioni semper habendæ in hac vita detrahunt, damnari merito ab Eccles. 5. sic: *De propitiatio peccatorum noli esse sine metu*. Ecce, quod Scriptura monet nos ad propitiationem in toto tempore vitæ nostræ querendam de peccatis: quam utique propitiationem, utique scit, inquiri solitam esse per contritionem. Quasi ergo dixerit. De peccatis commissis semper doleas, ut facilius propitiationem de illis, quam pro certo ex parte tui non scis te consecutum, possis obtinere. Cui potest adjungi illud Prov. 28. *Beatus homo qui semper est pavidus*. Pro cuius intellectu Concilium *Tridentinum* accipiat seff. 6. cap. 9. dicens: " Neque illud
" asserendum est, oportere eos, qui vere iusti-
" ficati sunt, absque ulla omnino dubitatione
" apud semetipsos statuere, se esse iustifi-
" ficatos: neminemque a peccatis absolvi,
" ac justificari; nisi eum, qui certo credat,
" se absolutum, & justificatum esse: atque
" hac sola fide absolutionem, & justificationem
" perfici, quasi, qui hoc non credit, de Dei
" promissis, deque mortis, & resurrectionis
" Christi efficacia dubitet. Nam, sicut nemo
" pius de Dei misericordia, de Christi merito,
" deque sacramentorum virtute, & efficacia
" dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum,
" suamque propriam firmitatem, & indispositionem
" respicit, de sua gratia formidare, & timere
" potest, cum nullus scire valeat certitudine
" fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam
" Dei esse consecutum." Hæc ibi; & declaratam
" igitur auctoritatem Ecclesiastici,

& a mali sensus, contritionem per totum vitæ tempus non habendam garrigentium, extorsione vendicatam hæcenus habuisti. Item in principio dictos errores, per rationem ostendere potes, merito damnari a Concilio *Trident.* seff. 14. cap. 1. de doctrina Sacramenti extremæ unctionis, sic dicente: *Visum est autem sanctæ Synodo præcedenti doctrinæ de penitentia adungere ea, quæ sequuntur de sacramento extremæ unctionis: quod non modo penitentia, sed totius christiana vitæ, quæ perpetua penitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus*. Hæc ibi. Perpetuam ergo penitentiam debere esse totam vitam christianam, & consequenter totum præsens tempus esse tempus contritionis, in verbis præmissis dilucide patet. Transeo, quod illi errores *Begardorum* damnati sunt, ut jacent, a Concilio *Viennensi* inter alia eorundem dicta erronea, quorum damnatio est in *Clem. lib. vii. de bars. cap. Ad nostrum*. Vide 1. par. quæst. 102. art. 3. append. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædictas auctoritates, pro quanto totam hanc vitam esse contritionis tempus innuunt, probes, atque defendas. *Quarto* vides quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 14

Utrum expedit continue de peccato dolere.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod non expedit continue de peccato dolere. Expedit enim quandoque gaudere, ut patet Philipp. iv. ubi super illud, *Gaudete in Domino semper*, dicit Glossa (ord.) quod „necessarium est gaudere. „ Sed non est possibile gaudere simul, & dolere. Ergo non expedit continue de peccato dolere.

2. Præterea. Illud quod est de se malum, & fugiendum, non est assumendum, nisi quatenus est necessarium ut medicina ad aliquid, sicut patet de unctione, & sectione vulneris. Sed tristitia de se mala est: unde dicitur Eccli. xxx. 24. *Tristitiam longo tempore expelle a te: & subditur causa: Multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa*: hoc etiam Philosophus dicit in VII. *Ethi- corum* (cap. xiiii. & xv.) & in X. (cap. v.) Ergo non debet amplius dolere de peccato, nisi quatenus sufficit ad peccatum delendum. Sed statim post primam contritionis tristitiam peccatum delerum est. Ergo non expedit ulterius dolere.

3. Præterea. Bernardus dicit (serm. xi.

in Cant. cap. 11.) *Dolor bonus est, si continuus non sit, mel enim absinthio est admiscendum.* Ergo videtur quod non expedit continue dolere.

Sed contra est quod Augustinus dicit (alius Auctor Lib. de vera & falsa pœnit. cap. XIII. in fi.) *Semper doleat pœnitens, & de dolore gaudeat.*

Præterea. Actus in quibus consistit beatitudo, expedit semper continuare, quantum possibile est. Sed huiusmodi est dolor de peccato: quod patet Matth. v. 5. *Beati qui lugent.* Ergo expedit dolorem continuare, quantum possibile est.

Respondeo dicendum, quod hæc est conditio in actibus virtutum inventa, quod non potest in eis accipi superfluum, & diminutum, ut in II. Ethic. probatur (cap. VI. & VII.) Unde cum contritio, quantum ad id quod est displicentia quædam in appetitu rationis, sit actus pœnitentiæ virtutis, nunquam potest ibi esse superfluum, sicut nec quantum ad intentionem, ita nec quantum ad durationem, nisi secundum quod actus unius virtutis impedit actum alterius magis necessarium pro tempore illo. Unde (*) quanto magis homo continue in actibus huius displicentiæ esse potest, tanto melius est: (1) dummodo actibus aliarum virtutum vacet suo tempore, secundum quod oportet. Sed passiones possunt habere superfluum, & diminutum & quantum ad intentionem, & quantum ad durationem. Et ideo sicut passio doloris, quem voluntas assumit, debet esse moderate intensa; ita debet moderate durare, ne si nimis dureret, homo in desperationem, & pusillanimitatem, & huiusmodi vitia labatur.

Ad primum ergo dicendum, quod gau-

dium sæculi impeditur per dolorem contritionis; non autem gaudium quod de Deo est, quia habet ipsum dolorem pro materia. (2)

Ad secundum dicendum, quod illud Eccli. de tristitia sæculi loquitur: (3) & Philosophus loquitur de tristitia quæ est passio, quæ moderate utendum est, secundum quod expedit ad finem ad quem assumitur.

Ad tertium dicendum, quod Bernardus loquitur de dolore qui est passio.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, & recte intelligas, merito insinuatam a scripturis, quod homo de peccato debet continue dolere. Hoc autem insinuat a Psal. 50. *Miserere mei, &c. quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Pro causa enim ad obtinendum misericordiam illam apte adducit David: quod contritionem continuam de proprio peccato cognito habebat. Nam peccatum illud non esset in bonum contra ipsum Psalmistam, nisi ipse de illo propter Deum doleret: quoniam aliter est contra suos auctores in malum. Quia ergo adducit hoc tanquam sibi in bonum, utpote medium ad impetrandam de ipso peccato veniam, ideo dicendum, quod per *ly peccatum meum contra me est semper* contritionem suam continuam insinuat, & consequenter, semper de peccato dolere, esse expediens. Item insinuatam a Hie. Thren. 2. *deduc quasi torrentem lacrymas per diem, & noctem, non des requiem tibi, neque taceas pupilla oculi tui,* Vide ibi capitulum: & hæc verba dici a Propheta principaliter invenies propter peccata; ob quæ tanta supplicia inibi descripta

D 2

po-

(*) Ita ex sic. cod. passim. Al. quantumcumque homo continue.

(1) Non ut barbare prius Exemplaria Supplementi gothica & impressa, Manuscriptumque ipsum Sententiarum quod in moderna Editione correctum est: *Quantumcumque homo continue in actibus huius displicentiæ esse possit, magis melius est.*

(2) Sicut ex Augustino jam superius notatum est.

(3) Juxta interlinealis Glossæ additamentum ibi, ut & super alium versum præcedentem, ubi dicitur, *Tristitiam non des anima tua: Sumpta est autem ex Rabano in Ecclesiasticum lib. 7. cap. 6. Sed, quod ex Philosopho indicatur, tum ex lib. 7. Ethic. cap. 13. græco-lat. vel cap. 13. in antiquis & apud S. Thomam lect. 13. tum ex libro 10. cap. utrobique a desumptum est: Priori enim loco, Dolorem (in-*

quit) esse malum & fugiendum in confesso est vel simpliciter, vel aliqua in parte, quia impedimentum offert; nempe ne prompte bonum operemur, ait ibidem S. Thomas: posteriori autem loco ex Eudoxo id refert, qui sicut voluptatem vel delectationem simpliciter bonam & appetendam, sic tristitiam simpliciter malam & fugiendam esse censebat: Nec id improbat ipse sed approbat potius: Quamvis non tam propter vim rationum quas assererat Eudoxus ille recipiendum putet, quia non satis erant efficaces ad concludendum, sed solummodo propter notam virtutem ejus viri qui cum viveret moderate nec intemperans esset, credebatur non ut amator voluptatis vel delectationis eam laudare, sed quod eam reprobam esse necessariam existimaret, &c.

populo supervenerunt. Per hoc ergo, quod hortatur peccatorem ad deductionem lachrymarum assiduam, utpote per diem, ac noctem non quiescentium. aperte monstrat, quod continue dolere de peccato, expediens est. Item a Concilio Nicano 2. actione quarta, ubi dicitur: *Nicephorus sanctissimus Episcopus Dyrhachii dixit: Multis precibus opus habemus, multa enim mala fecimus, quin etiam continua pœnitentia, & confessione indigemus.* Hæc ibi. Audis pœnitentia continua nos indigere? Si hæc indigemus, ergo per hoc monstratur, quod semper de peccato dolere est expediens. *Ex art. 1. appen.* multum coadjuvaberis & viceversa. Item a Psal. 6. *laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo, turbatus est a furore oculus meus.* Per has enim multas de contritione inculcationes assiduam de peccato displicentiam habendam expedienter innuit. Pro quo illud Chryostomi in libro de compunctione cordis nota. „ Quid (inquit) corporis viribus opus est, cum cor conterere debeamus? „ Hoc est, quod a nobis exposcitur, ut semper recordemur mala nostra, & ad animam revocemus, conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, ut pro his supplicemus Deo, ut gehennam ponamus in conspectibus nostris, & Angelos, qui in die iudicii ubique discurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos, qui tradendi sunt in gehennam ignis. „ Ponamus etiam & illud ante oculos, quantum doloris est, excludi, ac projici a regno cœlorum, quod (ut mihi videtur) gravis est ipsa gehenna. „ Hæc ibi. Quæ a Chryost. dicta ante oculos nobis semper ad continuam cordis compunctionem habendam ponenda, videtur Psalmista uno verbo indicasse, de seipso, ad eundem de contritione finem, verificari: quando scilicet illi prædictæ sententiæ (*laboravi in gemitu meo, lavabo, &c. lacrymis, &c.*) anteposuerat *ly Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.* Datur ergo intelligi ex Psalmo isto, juncta præsertim aurea declaratione præmissa, & continuas contritionis salutifera, & ad hujusmodi continuitatem communiter assequendam aptissima via. *Secundo* habes: quomodo per ejus rationem, suprapositas & sacræ scripturæ, & concilii aucto-

ritates, pro quanto continuam expediens dicunt esse contritionem intelligas, probes, defendas. *Tertio* viges: quomodo &c.

ARTICULUS III. 16

Utrum etiam post hanc vitam anima de peccatis conterantur.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod etiam post hanc vitam animæ de peccatis conterantur. Amor enim caritatis displicentiam de peccato causat. Sed post hanc vitam manet in animabus caritas & quantum ad actum, & quantum ad habitum quia *caritas nunquam excidit* ut dicitur I. Corinth. xiii. 8. Ergo manet displicentia de peccato commisso, quæ essentialiter est contritio.

2. Præterea. Magis est dolendum de culpa quam de pœna. Sed animæ in purgatorio dolent de pœna sensibili, & de dilatione gloriæ. Ergo multo magis dolent de culpa ab eis commissa.

3. Præterea. Pœna purgatorii satisfactoria est de peccato. Sed satisfactio habet efficaciam ex vi contritionis. Ergo contritio manet post hanc vitam.

Sed contra. Contritio est pars pœnitentiæ sacramenti. Sed sacramenta non manent post hanc vitam. Ergo nec contritio.

Præterea. Contritio potest esse tanta quod deleat & culpam, & pœnam. Si ergo animæ in purgatorio conteri possent, posset vi contritionis earum reatus pœnæ eis dimitti, & ita a pœna sensibili liberari: quod est falsum.

Respondeo dicendum, quod in contritione tria consideranda sunt. Primum est contritionis genus, quod est dolor; secundum est contritionis forma, quæ est actus virtutis gratia informatus: tertium est contritionis efficacia, quæ est actus meritorius, & sacramentalis, & quodammodo satisfactorius. Animæ igitur post hanc vitam, quæ in patria sunt, contritionem habere non possunt, quia carent dolore propter gaudii plenitudinem. Illæ vero quæ sunt in inferno, carent contritione: quia etsi dolorem habeant, deficit tamen in eis gratia dolorem informans. Sed illæ quæ in purgatorio, habent dolorem de peccatis gratia informatum, sed non meritorium, quia non sunt in statu merendi. (1) In hac autem vita omnia tria prædicta in-

(1) Quoad meritum saltem essenziale, ut infra suo loco patebit, cum de Purgatorio ex professo ageretur.

inveniri possunt.

Ad primum ergo dicendum, quod caritas non causat istum dolorem nisi in illis qui doloris capaces sunt; sed plenitudo gaudii in beatis omnem capacitatem doloris excludit: & ideo quamvis caritatem habeant, tamen contritione carent.

Ad secundum dicendum, quod animæ in purgatorio dolent de peccatis; sed ille dolor non est contritio, quia deest ei contritionis efficacia.

Ad tertium dicendum, quod pœna illa quam animæ in purgatorio sustinent, non potest proprie dici satisfactio, quia satisfactio opus meritorium requirit; sed largo modo dicitur satisfactio pœnæ debitæ solutio.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse radicaliter a scripturis indicatum, post hanc vitam non dari contritionem. Insinuatnm autem est hoc ab iis; quando merendi locum post hanc vitam esse negarunt, cum meritorius sit actus ipsa contritio. Indicatum est ergo illud a Christo Joann. 9. *Veni nox, quando nemo potest operari, sc. meritorie.* Huic loco pro expositione facit Augustinus dicens: *Hic omne meritum comparatur, quo post hanc vitam relevari possit quispiam, vel gravari. Nemo autem speret, quod hic negligit, cum obierit, apud Deum promereri.* Hæc ille in Enchirid. c. 110. & Hieronymus super ad Galatas. *Tempus sementis, tempus est presens, & vita, quam currimus. In hac licet nobis, quod volumus, seminare. Cum ista vita transierit operandi tempus auferretur.* Hæc ille. Et certe non possunt illa verba prædicta Christi aliter accipi, quam, quod post mortem non sit tempus merendi. Cum enim ex sacris literis constet, quod defunctorum animæ prorsus otiosæ non sint, nihil namque otiosum datur in natura imo hæc illud abhorret, secundum Philosophum etiam, & dubitare nemo fidelis possit, quod Dominus in prædi-

ctis verbis, sicut & ubique, Vera dixerit: de necessitate subinferendum relinquatur, quod de opere non quocumque, sed meritorio solum sit ibi locutus: *Veni nox, quando nemo potest operari.* Item ab Ecclesiast. c. 14. *Ante obitum suum operate justitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum; quo, sc. ad meritum, resocilleris.* Item Ecclesiast. 9. *Quodcumque potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia sunt apud inferos: quo tu properas.* Clarum est, quod ante mortem Christi erant sancti patres in limbo infra nos, & quod in eis tunc erat aliquod opus, ratio, scientia, quod dico de pluribus illis, & intellige proportionaliter de aliis defunctis, & tamen sic universaliter locuta est scriptura. Quid ergo per hujusmodi suum dictum intellexit, nisi, quod neque opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia in aliquo defunctorum sunt ad meritum: etiam quod absolute ibi sint? Opus ergo meritorium potest esse in hac vita: quoniam ad opus exhortamur nunc ex eo, quod non dabitur postea opus tale. Et hoc bene pro temporis notabis contra hæreses merita talia negantes. Hæc generatim de universis vita sanctis dicta sufficiant. Ceterum speciatim de beatis idipsum, quod sc. in eis non sit contritio, indicasse planius, & quasi a fortiori videtur Isa. cap. 54. his verbis: *Noli timere: quia non confunderis, neque erubesces. Nox enim te pudebit: quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, & opprobrii vilitatis tuæ non recordaberis amplius, quia dominabitur tui, qui facit te.* Hæc ibi. Quando autem magis homini in bonum dominabitur dominus, quam, dum erit in patria beatus? Item ab Apocal. 21. indicatur sic. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & jam non eris ultra neque luctus neque clamor, neque dolor.* Secundo habes: quomodo per ejus rationem prædictas auctoritates, pro quanto aliquid non esse contritionem ostendunt post hanc vitam, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides

tur dist. 21. quest. 1. art. 3. questiuic. 1. ad 4. Quo pertinet quod super illa verba Ecclesiastæ 9. *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem,* sic Hieronymus commentatur: *Viventes metu mortis possunt bona opera perpetrare: Mortui vero nihil valent ad illud adiciere quod semel tulere de vita. Nec juste quippe possunt agere, nec peccare; nec virtutes adicere nec vitia: Licet quidam*

huic expositioni contradicant, afferentes etiam post interitum crescere nos posse ac decreverunt; sive postquam de hoc seculo migraverimus, & offendere posse creaturas racionales & promereri, &c. Similiaque inferius indicat super illud ibidem sequens: *Quodcumque potest manus tua instanter operare: quia nec opus nec ratio apud inferos, &c.*

des : quomodo, &c.

QUESTIO V.

De effectu contritionis.

In tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de effectu contritionis.

Circa quod tria quaeruntur.

Primo, utrum peccati remissio sit contritionis effectus.

Secundo, utrum contritio possit totaliter tollere reatum poenae.

Tertio, utrum parva contritio sufficiat ad deletionem magnorum peccatorum.

ARTICULUS I. 16

Utrum remissio peccati sit contritionis effectus.

AD primum sic proceditur. Videtur quod peccati remissio non sit contritionis effectus. Solus enim Deus peccata remittit. Sed contritionis nos sumus aliquo modo causa quia actus noster est. Ergo contritio non est causa remissionis.

2. Praeterea. Contritio est actus virtutis. Sed virtus sequitur peccati remissionem : quia virtus, & culpa non sunt simul in anima. Ergo contritio non est causa remissionis culpa.

3. Praeterea. Nihil impedit a perceptione Eucharistiae nisi culpa. Sed contritus ante confessionem non debet accedere ad Eucharistiam. Ergo nondum est consecutus remissionem culpa.

Sed contra est quod dicitur in Glossa (1) super illud Psal. I. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus &c.* „ Contritio cordis est sacrificium in quo peccata solvantur. „

Praeterea. Virtus, & vitium eisdem causis corrumpuntur, & generantur, ut dicitur in II. Ethic. (cap. 1. & 11.) Sed per inordinatum amorem cordis peccatum committitur. Ergo per dolorem ex amore caritatis ordinato causatum solvitur : & sic peccatum contritio delet.

Respondeo dicendum, quod contritio potest dupliciter considerari, vel in quantum est pars sacramenti, vel in quantum est actus virtutis? & utroque modo est causa remissionis peccati; sed diversimode: quia in quantum est pars sacramenti, primo operatur ad remissionem peccati instrumentaliter, sicut & de aliis sacramentis in 1. dist. IV. Sent. (quest. 1. art. 4.) patet; in quantum autem est actus virtutis, sic est quasi causa materialis remissionis peccati: eo quod dispositio est quasi necessitans ad (2) justificationem; dispositio autem reducitur ad causam materiale, si accipiatur dispositio quae disponit materiam ad recipiendum; secus autem est de dispositione agentis ad agendum, quia illa reducitur ad genus causae efficientis.

Ad primum ergo dicendum, quod solus Deus est causa efficiens principalis remissionis peccati; sed causa dispositiva potest etiam esse ex nobis; & similiter etiam causa sacramentalis: quia formae sacramentorum verba sunt a nobis prolata, quae habent virtutem instrumentalem gratiam inducendi, qua peccata remittuntur.

Ad secundum dicendum, quod peccati remissio uno modo praecedit virtutem, & gratiae infusionem, & alio modo sequitur: & secundum hoc quod sequitur, actus a virtute elicited potest esse causa aliqua remissionis peccati.

Ad tertium dicendum, quod dispensatio Eucharistiae pertinet ad ministros Ecclesiae: & ideo ante remissionem peccati per ministros Ecclesiae non debet aliquis ad Eucharistiam

(1) Non in moderna vel impressa, sed in veteri manuscripta, quae in Petri Lombardi super Psalmos Commentariis paulo plenius habet: *Sacrificium peccatorum quod placet Deo est spiritus contribulatus in quo datur spes veniae convertendis, si paenitentia videtur: Latus & lascivus spiritus obligat hominem peccato: sed spiritus contritus est sacrificium quo peccata solvantur.*

(2) Id est, quasi necessario justificationem inducens: Quod ad solam ultimam tamen dispositionem referendum videtur; quia non sic alia necessario iustificat, sed ad justificationem veluti contingenter disponunt, cum impediri possint, donec eas ultima di-

spositio perficiat. Quid si suppleri sic debeat quod *Contritio ut est actus virtutis est quasi necessitans dispositio ad justificationem, quia eam infallibiliter inducit, &c.* Non tamen sine voto poenitentiae sacramenti, ut Concilium Tridentinum decernit Sess. 14. cap. 4. ita dicens: *Docet (sancta Synodus) esse contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni sine sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

nam accedere, quamvis sit sibi culpa quoad Deum remissa.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo* : quomodo per rationem explodas hæresim *Lutheri* (ut refert *Leo X.* in bulla contra ejusdem errores) dicentis : „ Propter tuam contritionem nullo modo confidas absolvi, sed propter verbum Christi. Quodcumque solveris, &c. „ Hic, inquam, confide, si sacerdotis obtineris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus vere eris, quicquid sit de contritione. *Item ejusdem ibidem* : „ Si per impossibile confessus non esset contritus, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus. „ *Item errorem ejusdem ibidem*, qui refertur ad hoc videtur quod contritio non remittat peccatum; & est hic: *nullus debet sacerdoti respondere, se esse contritum, nec sacerdos requirere.* *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, omnes hos errores damnari merito ab eodem *Leone* in eadem bulla : cujus damnationis verbalem generem videre potes relatum in 3. *par. quest. 68. art. 9. in Elucid.* *Item* a Concilio *Tridentino* sess. 14. can. 4. quod, postquam definivit contritionem modo, quo supra *quest. 1. art. 1.* relatum est, e vestigio subdit : „ Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius : & in homine post baptismum lapsò ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. „ *Hæc ibi; & infra* : Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominem quidem Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur : ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam. „ *Hæc ibi.* Ubi loquitur de sacramento penitentia: & contritionis motum expresse dicit ad remissionem peccati esse necessarium (ut vides) & contritionem perfectam reconciliare Deo,

quamvis non sine incluso voto sacramenti, ut etiam *D. Thomas* docuit *qu. 1. art. 1.* in principio illius *sessionis* ait, quod definitionem hanc de penitentia sacramento christianis omnibus perpetuo servandam proponit. *Item* a *Psal. 31. Dixi, confitebor adversum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Dixi, Ecce contritus Confitebor, Ecce confessio: Remisisti: Ecce remissio.* Correspondet *remisisti* non aliter *confitebor*, sed ad *ly Dixi*, cum utrumque sit præteriti temporis; ut per hoc aperte significet, quod contritionis effectus est remissio peccati; etiam, antequam confiteatur quis actu, modo in voto confessionem contritio includat. *Item* ab *Ezech. 18. considerans impius, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, & non morietur.* Ubi & per totum fere capitulum, & in *cap. 33.* per *Ezech. Dominus* monstrat; quod contritio, quæ necessaria perfecte includit, *quest. 1. art. 1.* remittit peccata. Si vis, *Roffensem* contra errores prædictos *Lutheri art. 11. 12. 14.* eleganter differentem consule. *Tertio* habes : quomodo per rationem præmissas Scripturas, pro quanto contritionis effectum dicunt remissionem peccatorum, intelligas, probes, atque defendas. *Quarto* vides : quomodo &c.

ARTICULUS II. 17

Utrum Contritio possit totaliter tollere reatum poenæ.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod contritio non possit totaliter tollere reatum poenæ. Quia satisfactio, & confessio ordinantur ad liberationem a reatu poenæ. Sed nullus ita perfecte conteritur quin oporteat eum confiteri, & satisfacere. Ergo contritio nunquam est tanta quod deleat reatum totum.

2. Præterea. In poenitentia debet esse quædam recompensatio poenæ ad culpam. Sed aliqua culpa per membra corporis exercetur. Ergo cum oporteat ad debitam poenæ recompensationem ut *per qua peccat quis, per hæc & torquetur* (*Sap. xi. 17.*) (1) videtur quod nunquam possit poenæ talis peccati per con-

(1) Usurpatum alio sensu & alia occasione quam hic ex lib. Sapientia cap. 11. ubi dicitur vers. 16. quod quia quidam errantes colebant musos serpentes

& bestias supervacuas, Deus immisit illis multitudinem musorum animalium in vindictam, ut sciens quia per qua peccat quis per hæc & torquetur. Quod

contritionem absolvi.

3. Præterea. Dolor contritionis est finitus. Sed pro aliquo peccato, scilicet mortali, debetur pœna infinita. Ergo nullo modo potest esse tanta contritio quod totam pœnam deleat.

Sed contra est quod Deus plus affectum cordis acceptat quam exteriorem actum. Sed per exteriores actus absolvitur homo a pœna, & culpa. Ergo & similiter per cordis affectum, qui est contritio.

Præterea. Exemplum hujus de latrone habetur, cui dictum est (Lucæ xxiii. 43.) *Hodie mecum eris in paradiso*, propter unicum pœnitentiæ actum.

Utrum autem totus reatus per contritionem semper tollatur, supra dist. xiv. (Lib. IV. quæst. 11. art. 1. quæst. 2. & III. P. quæst. lxxxvi. art. 4.) quæsitum est, ubi hoc ipsum de pœnitentiâ quærebatur.

Respondeo dicendum, quod intentio contritionis potest attendi dupliciter. Uno modo ex parte caritatis, quæ displicentiam causat: & sic contingit tantum intendi caritatem in actu quod contritio inde sequens merebitur non solum culpæ amissionem, sed etiam absolutionem ab omni pœna. Alio modo ex parte doloris sensibilis, quem voluntas in contritione excitat. Et quia illa etiam pœna quoddam est, tantum potest intendi quod sufficiat ad deletionem culpæ, & pœnæ.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquis non potest esse certus quod contritio sua sit sufficiens ad deletionem pœnæ, & culpæ: & ideo tenetur confiteri, & satisfacere; maxime cum contritio vera non fuerit, nisi propositum confitendi habuisset annexum; quod debet ad effectum reduci etiam propter

præceptum, quod est de confessione datum: Ad secundum dicendum, quod sicut gaudium interius redundat etiam ad exteriores corporis partes; ita etiam dolor interior ad exteriora membra derivatur: unde dicitur Proverb. xvii. 22. *Spiritus tristis exsiccat ossa*.

Ad tertium dicendum, quod dolor contritionis, quamvis sit finitus quantum ad intentionem, sicut etiam & pœna peccato mortali debita finita est; habet tamen infinitam virtutem ex caritate, qua informatur: & secundum hoc potest valere ad deletionem culpæ, & pœnæ.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas ad corroborandum, scilicet, non concilium ipsum, cum nostra corroboracione sit majus, sed (citra tamen ullum omnino interpretationis, commentarii, glossæ, annotationis, scholii, genus, super decretis ipsius Concilii quocunque modo, nomine, aut quæsitio colore, editum) ad corroborandum fideles, eosque consolandum, & ad confundendum infideles. (Id; quod, professionem quandam, atque protestationem in omnibus, singulisque obedientialem erga Concilium maxime Trident. & hic, & ubique sub quocunque tenore quorumcunque scriptorum meorum semper esse, ac intelligi debere, prorsus intendo: ne quando, quod Deus avertat, contra præceptum *Pit. V.* in Bulla super confirmationem ejusdem Concilii egissem, vel agerem) per rationem, inquam ostendas; merito a *Con. Trid.* insinuatum esse, quod contritio tollit quandoque totam pœnam, f. 11.

Quod autem argua. Sed contra de Latrone additur ut per unicum pœnitentiæ actum converso, urgent & exegerant passim S. Patres: ut Ambrosius: qui pulcherrimam conversionis exemplum vocat, quod tam cito latroni venia relaxatur: *Cito vero ignoscit Dominus, quia & cito ille convertitur*: Et Augustinus in serm. 2. de passione: *Cui videatur tarda conversio, cum latronis jam morientis non fuerit repudiata confessio*: Et Gregorius lib. 18. Moral. cap. 23. *De saucis* (inquit) *crucem, de cruce paradysum ascendit: Venit reus, fraterno sanguine venit cruentus, sed interna gratia est mutatus in cruce: Tres virtutes, in corde fidelium summopere manentes (fidem, spem, charitatem) subita repletus gratia & accepit in Cruce latro & servavit*. Et S. Leo in serm. 2. de passione: *Usque ad crucem reus, sit Christi repente Confessor; & inter illos acerrimos corporis antmi-*

que cruciatus quos simul & instantia & difficultas mortis urgebat, mira conversione mutatus Memento (inquit) *mei* &c. Et homil. 1. de Latrone S. Maximus: *Videamus cur sanctorum criminum reus tam cito Paradysum a Salvatore promeretur, devotione fidei tam repente mutatus, &c.* Nempè, *quia passio Christi qua scandalum aliis fecit, illi ad fidem profecit, &c.* Bernardus tandem epist. 8. *Compendium salutis* (inquit) *latro ille consequutus est: uno eodemque die simul & confessus atrocissima & introductus in gloriam, brevi quodam contentus ponte crucis ad transiendum de luto facis in Paradysum voluptatis: Præter exemplum peccatricis quod addit, ut ab ea subitum pietatis remedium perceptum notet; scilicet que in brevi meruit charitatis accipere latitudinem, quia dilexit multum &c.*

sess. 6. ca. 14., Itemque satisfactionem non
 ,, quidem pro pœna æterna, quæ vel facta-
 ,, mento, vel sacramenti voto, una cum cul-
 ,, pa remittitur; sed pro pœna temporali:
 ,, quæ, ut sacræ literæ docent, non tota
 ,, semper, ut in Baptismo fit, dimittitur. “
 Hæc ibi. Ecce, quod sacramenti voto, quod
 complectitur contritio, qu. 1. ar. 1. dimit-
 titur tota pœna, quamvis non semper, ut
 in baptismo fit. Et ab eod: sess. ead. can.
 30. “ si quis, post acceptam justificationis
 ,, gratiam cuilibet peccatori pœnitenti cul-
 ,, pam remitti, & reatum æternæ pœnæ de-
 ,, leri dixerit, ita, ut nullus remaneat rea-
 ,, tus pœnæ temporalis exsolvendæ: anathe-
 ,, ma sit. “ Hæc ibi. Ecce, quod non cui-
 libet, sed alicui tantum aliquando, per
 contritionem pœnitenti dimittitur totus rea-
 tus pœnæ temporalis, de qua sola articulus
 præsens loquitur. Et ab eodem sess. 14. ca.
 8. “ Sancta Synodus declarat; falsum omni-
 ,, no esse, & a verbo Dei alienum; culpam
 ,, a Domino nunquam remitti, quin univer-
 ,, sa etiam pœna condonetur, &c. Sane &
 ,, divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut
 ,, aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui
 ,, ante baptismum per ignorantiam deliquere-
 ,, rint, aliter vero, qui semel a peccati, &
 ,, demonis servitute liberati, & accepto Spi-
 ,, ritus sancti dono, scienter templum Dei
 ,, violare, & Spiritum sanctum contristare,
 ,, non formidaverint. Hæc ibi. Et can. 12.
 ,, Si quis dixerit, totam pœnam simul cum
 ,, culpa remitti semper a Deo, anathema sit.
 ,, Et can. 15. Si quis dixerit: fictionem esse,
 ,, quod, virtute clavium sublata pœna æter-
 ,, na, temporalis plerumque exolvenda rema-
 ,, neat, anathema sit. “ Hæc ibi. Ecce,
 quod in tot locis aperte innuitur, pœnam
 temporalem quandoque; sed non semper,
 per pœnitentiam deleri, seu per contritio-
 nem, cum ante sacramentum pœnitentiæ
 actu susceptum sæpe remissio peccatorum fiat
 ut supra ex eodem Concil. quæst. 5. a. 1. append.
 Item a Luc. 7. ubi contritio B. Mariæ Mag-
 dalenæ narratur, quæ ad remissionem etiam
 totius pœnæ secundum communem Doctorum
 expositionem valuit. Item ab eodem Luc.
 23. ubi, narrata contritione Lætronicis, subdit
 ei a Christo dictum: *Hodie mecum eris in Pa-
 radiso*. Cum ergo in Paradisum non intret
 aliquid coinquinatum, Apocal. 21. neque ali-
 quid non totaliter a pœnis debitis purgatum,
 Concil. Florent. sess. ult. in lit. sancti. unicuique
 evidentissimum relinquitur, quod contritio
 ipsa Lætronicis totam purgatorii pœnam sibi

Summ. S. Tho. Tom. XII.

alias, si communem solum contritionem ha-
 buisset, debitam, delevit, Secundo habes:
 quomodo prædictas auctoritates Evangelicas,
 pro quanto pœnam totam innuunt quandoque
 contritione deleri, & intelligas, & probes,
 & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS III.

*Unum parva contritio sufficit ad deletionem
 magnorum peccatorum.*

AD tertium sic proceditur. Videtur quod
 contritio parva non sufficiat ad deletio-
 nem magnorum peccatorum. Quia contri-
 tio est medicina peccati. Sed corporalis me-
 dicina, quæ sanat corporalem morbum mi-
 norem, non sufficit ad sanandum majorem:
 Ergo minima contritio non sufficit ad de-
 lendum maxima peccata.

2. Præterea. Supra dictum est (quæst.
 111. art. 3.) quod oportet de majoribus
 peccatis magis conteri. Sed contritio non
 delet peccatum, nisi sit secundum quod oportet.
 Ergo minima contritio non delet om-
 nia peccata.

Sed contra. Quælibet gratia gratum fa-
 ciens delet omnem culpam mortalem, quia
 simul stare cum ea non potest. Sed quæ-
 libet contritio est gratia gratum faciente in-
 formata. Ergo quantumcumque sit parva,
 delet omnem culpam.

Respondetur dicendum, quod contritio, ut
 sæpe dictum est (quæst. 1. art. 2. ad 1.
 & quæst. 111. & iv. art. 1.) habet dupli-
 cem dolorem. Unum rationis, qui est dis-
 plicientia peccati commissi: & hic potest esse
 parvus, adeo quod non sufficiat ad ratio-
 nem contritionis; ut si minus displiceret ei
 peccatum quam debeat displicere separatio a
 fine; sicut etiam amor potest esse ita remis-
 sus quod non sufficit ad rationem caritatis.
 Alium dolorem habet in sensu: & parvitas
 hujus non impedit rationem contritionis:
 quia non se habet essentialiter ad contritio-
 nem, sed quasi ex accidente ei adjungitur;
 & iterum non est in potentia nostra. Sic
 ergo dicendum, quod quantumcumque par-
 vus sit dolor, dummodo ad contritionis ra-
 tionem sufficiat, omnem culpam delet.

Ad primum ergo dicendum, quod medici-
 næ spirituales habent efficaciam infinitam ex
 virtute infinita, quæ in eis operatur. Et
 ideo illa medicina, quæ sufficit ad curatio-
 nem peccati parvi, sufficit etiam ad cura-
 tionem magni; sicut patet de baptismo, quo

E & ma,

& magna, & parva solvantur: & simile est de contritione, dummodo ad rationem contritionis pertingat.

Ad tertium dicendum, quod hoc sequitur ex necessitate quod unus homo plus doleat de majori peccato quam de minori, secundum quod magis repugnat amori, qui dolorem causat; sed si unus alius haberet tantum de dolore pro majori, quantum ipse habet pro minori, sufficeret ad remissionem culpæ. (1)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito a sacris literis esse infinnatum, quod parva contritio formata est sufficiens ad deletionem magnorum peccatorum. Hoc autem infinnatum est 1. *Pe. 4. Charitas operis multitudinem peccatorum, & Prov. 10. Univerſa delicta operis charitas.* Non enim tantam, vel tantam charitatem dicunt scripturæ opere multitudine peccatorum: sed simpliciter charitatem. Ac si dicant per hoc: Charitas secundum naturam suam, ex consequenti, sive parva; sive magna fuerit, operit & multitudinem, & universitatem delictorum. Et re vera id, quod convenit alicui secundum ipsius naturam, convenit illi, sive parvo, sive magno. Quia enim habere animam rationalem convenit homini secundum naturam ipsius hominis: ideo homo, sive mas, sive foemina, sive parvus, sive magnus, habet animam rationalem. Quoniam igitur operire quæcunque peccata convenit charitati secundum naturam charitatis, ut intendunt scripturæ supra adductæ, ideo secundum illas dicendum est, quod parva etiam charitas sufficit ad deletionem magnorum delictorum, nec tantum aliquorum, sed universorum. Quod enim dicit Petrus, *multitudinem peccatorum*; hoc vocat liber Proverbiorum, *universa delicta*; ita, quod accipit ly *multitudinem*, non ut includendo aliqua excludat quædam alia: sed, ut omnia indifferenter, in quantacunque multitudine sint,

includat. Cum itaque contritio non nisi ex virtute charitatis operari, id est delect peccata; sequitur manifeste, quod a scripturis illis per tales auctoritates infinnatum est, quod contritio parva sufficit ad remissionem magnorum peccatorum. Contritio enim, sicut & alia, tantum operatur, quantum sua virtus se extendit, seu quantum ex virtute sua habet ad operandum: quæ contritionis virtus, id est efficacia, est ipsa charitas, *ar. 2. ad 3.* Item id ipsum, quod in appendicis principio diximus, infinnatum est a Concilio *Paris. lib. 2. c. 6. sic. 2.* Perpendat quisque, si in charitate non habet, Deum manere in se, si charitatem non habet, non Deum, sed hostem animæ suæ habitare in se. Cum charitate quippe cuncta bona, sine charitate vero nulla haberi possunt, *Gr.* Definitio charitatis, ut Doctores nostri tradunt, est bona voluntas. Ergo, quicumque que bonam voluntatem non habet; charitatem non habere comprobatur: & ideo pacem, quæ Christus est, quia bonæ voluntatis non est, habere non meretur, *Gr.* Miserabiliter plane decipiuntur plerique qui sine charitate, aut Deo in hac mortalitate placere, aut ad eum sine illa se putant pervenire. Hæc ibi. Si ergo habens charitatem, secundum Concilium, habet Deum in se manentem, cuncta bona, voluntatem bonam, pacem Christi, placet Deo, & nullum horum potest haberi ab aliquo, dum manet vel in uno peccato mortali: clare sequitur, quod, secundum Concilium illud, charitas existens in aliquo tollit omnia peccata mortalia ejus. Ex consequenti ergo dixit per hæc virtualiter Concilium, quod contritio charitate, etiam parva, formata, magnorum peccatorum est remissiva. Ex prædictis in appendicibus ante Conc. intellige has ex illo bonas deductiones: Facient & hæc pro juvenamine appendicis *articuli primi*, licet non *secundi*, quoniam *primus* charitatem, *secundus* non quamcumque, sed gradum, & sane magnum, charitatis requirit. *Secundo* habes; quomodo per ejus

(1) Quod perperam Sylvius negat, qui parvam quidem (si & veram) contritionem cum sacramento sufficere fatetur ad magnorum deletionem peccatorum; sed extra sacramentum, licet cum ejus voto conjuncta sit, sufficientem esse non vult ad peccata delenda, nisi conjuncta sit magna charitati aequali & par habitualem perficiatur. Atqui si magnam quoque charitatem habitualement, sicut & actua-

lem, intelligit necessariam, errat quod per gratiam quantumcumque minimam adeoque per charitatem habitualement qualemcumque peccatum putet non expelli: Si minimam habitualement charitatem sufficientem ad hunc effectum intelligit, equivocatur: quia nulla est ita parva (modo sit vera) contritio quam charitatem habitualement non includat.

ejus rationem præmissa, & scripturarum, conciliique dicta, pro quanto contritionem parvam iuuunt sufficere ad deletionem magnorum peccatorum, & intelligas, & declares, & probata defendas. *Tertio* vides, quomodo &c.

QUESTIO VI.

De confessione, quoad ejus necessitatem

In sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de confessione, de qua sex sunt consideranda. Primo de confessionis necessitate: Secundo de ejus quidditate. Tertio de ipsius ministro. Quarto de qualitate ejus. Quinto de ejus effectu. Sexto de ejus sigillo.

Circa primum quaeruntur sex.

Primo, utrum confessio sit necessaria ad salutem.

Secundo, utrum confessio sit de jure naturali.

Tertio, utrum omnes ad confessionem teneantur.

Quarto, utrum licite aliquis possit confiteri peccatum quod non habet.

Quinto, utrum statim quis confiteri teneatur.

Sexto, utrum possit cum aliquo dispensari ne homini confiteatur.

ARTICULUS I. 19

Utrum confessio sit necessaria ad salutem.

AD primum sic proceditur. Videtur quod confessio non sit necessaria ad salutem. Sacramentum enim poenitentiae propter remissionem culpae ordinatum est. Sed culpa per gratiae infusionem sufficienter remittitur. Ergo ad poenitentiam de peccato agenda non est necessaria confessio.

2. Præterea. Peccatum quod ex alio contractum est, ex alio debet habere medici-

nam. Ergo peccatum actuale, quod ex proprio motu quilibet commisit, oportet ex seipso tantum habere medicinam. Sed contra tale peccatum ordinatur poenitentia. Ergo confessio non est de necessitate poenitentiae.

3. Præterea. Aliquibus est peccatum remissum sine hoc quod confessi legantur, sicut patet de Petro, & Magdalena, & de Paulo. (1) Sed non est minoris efficaciae gratia remittens peccatum nunc, quam tunc fuerit. Ergo nec nunc de necessitate salutis est quod homo confiteatur.

4. Præterea. Confessio ad hoc exigitur in judicio, ut secundum quantitatem culpae poenitentia infligatur. Sed homo potest poenam sibi ipsi infligere majorem quam etiam ab alio sibi infligatur. Ergo videtur quod confessio non sit de necessitate salutis.

Sed contra. Boetius in Libro I. de consol. (prosa iv. in princ.) dicit; *Si opem medicamentis expectas, oportet quod morbum detegas.* Sed de necessitate salutis est quod homo de peccatis medicinam accipiat. Ergo & de necessitate salutis est quod morbum per confessionem detegat.

Præterea. In judicio seculari non est idem iudex, vel actor, & reus. Sed iudicium spirituale est ordinatum. Ergo peccator, qui est reus, non debet esse sui ipsius iudex, sed ab alio iudicari debet: & ita oportet quod confiteatur.

Respondeo dicendum, quod passio Christi, sine cuius virtute nec originale, nec actuale peccatum dimittitur, in nobis operatur per sacramentorum susceptionem, quæ ex ipsa efficaciam habent. Et ideo ad culpæ remissionem & actualis, & originalis requiritur sacramentum Ecclesiae, vel actu susceptum, vel saltem voto, quando articulus necessitatis, non contemptus, sacramentum excludit: (2) & per consequens illa sacramenta quæ ordinantur contra culpam, cum qua salus esse non potest, sunt de necessitate salutis. Et ideo sicut baptismus, quo deletur originale peccatum, est de necessitate salutis; ita & poenitentiae sa-

E 2 cri-

(1) De Petro quidem, cum post negationem flevit Matth. 26. vers. 75. De Paulo, cum subito in terram prostratus est, indeque baptizatus Act. 9. De Magdalena, cum stans retro ad pedes Christi eos rigavit, unxit, osculata est Luc. 7. Quod enim non alia peccatrix illa dici debeat, jam superius ostensum est. Appendix autem Boetij quæ subjungitur argumento, sed contra paulo aliter apud illum sic ha-

bet. *Si operam medicamentis expectas, oportet ut vulnus detegas curam: nec eadem occasione qua hic sed ut animi sui afflictionem detegere ad solatium percipiendum admonetur, &c.*

(2) Usurpatum ex lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 22. sicut plenius qu. 65. Tertie part. art. 3. notatum est.

cramentum. Sicut autem aliquis per hoc quod baptismum petit, se ministris Ecclesie subjicit, ad quos pertinet dispensatio sacramenti; (1) ita etiam per hoc quod confitetur peccatum suum, se ministro Ecclesie subjicit, ut per sacramentum poenitentiae ab eo dispensatum remissionem consequatur; qui congruum remedium adhibere non potest, nisi peccatum cognoscat, quod fit per confessionem peccantis. (2) Et ideo confessio est de necessitate salutis ejus, qui in peccatum mortale actuale cecidit.

Ad primum ergo dicendum, quod gratiae infusio sufficit ad culpae remissionem; sed post culpam remissam adhuc est peccator debitor poenae temporalis; sed ad gratiae infusionem consequendam ordinata sunt gratiae sacramenta, ante quorum susceptionem vel actu, vel proposito aliquis gratiam non consequitur, sicut in baptismo patet: & simile est de confessione: & ulterius per confessionis erubescenciam, & vim clavium, quibus se confitens subjicit, & satisfactionem injunctam, quam sacerdos moderatur secundum qualitatem criminum sibi per confessionem innotescentium, poena temporalis expiatur. Sed tamen ex hoc quod operatur confessio ad poenae remissionem, non habet quod sit de necessitate salutis; quia poenae ista est temporalis, ad quam post culpae remissionem aliquis remanet ligatus: unde sine hoc quod in praesenti vita expiaretur, esset via salutis: sed habet quod sit de necessitate salutis ex hoc quod ad remissionem culpae modo praedicto operatur.

Ad secundum dicendum, quod peccatum quod ex altero contractum est, scilicet originale, potest omnino ab extrinseco remedium habere, ut in parvulis patet; sed peccatum actuale, quod ex seipso quisque commisit, non potest expiari, nisi aliquid cooperetur

ille qui peccavit. Sed tamen non sufficit ad peccatum expiandum ex seipso, sicut sufficienter peccatum commisit: eo quod peccatum ex parte conversionis est finitum, ex qua parte peccator in ipsum reducitur; sed ex parte averfionis habet infinitatem, ex qua parte oportet quod peccati remissio ab alio incipiat: quia quod est ultimum in generatione, est primum in resolutione, ut dicitur in III. Eth. (cap. III. a med.) Et ideo oportet quod etiam peccatum actuale ex alio medicinam habeat.

Ad tertium dicendum, quod etsi non legatur eorum confessio, potuit tamen fieri: multa enim facta sunt quae non sunt scripta.

Et praeterea, Christus habet potestatem excellentiae in sacramentis: unde sine his quae ad sacramentum pertinent, potuit rem sacramenti conferre.

Ad quartum dicendum, quod satisfactio non sufficeret ad expiandam poenam peccati ex quantitate poenae quae in satisfactione imponitur, sed sufficit, in quantum est pars sacramenti virtutem sacramentalem habens: & ideo oportet quod per dispensatores sacramentorum imponatur: & ideo necessaria est confessio.

A P P E N D I X.

EX. art. habes primo: quomodo per rationem refellas haeresim Jacobitarum (Alfonso Car. tit. Confessio) dicentium: confiteri sacerdoti peccata sua non esse necessarium, sed soli Deo confiteri sufficit. Item *Lutheri* ibidem dicentis: Confessionem hanc clanculariam non esse necessariam, quae in aurem fit sacerdotis; sed sufficit, si soli Deo confiteatur. Item *Vvaldensium* pessimam, ibidem, dicentium: Confessionem sacramentalem omnino esse tollendam. Item *Albanensis*

(1) Sicut & quorumlibet mysteriorum dispensatio ut ad ministros Christi ex Apostolo 1. ad Corinth. 4.

(2) Hac ipsa ratione confessionis necessitatem Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. probat: *Ex institutione sacramenti poenitentiae (inquit) universis Ecclesiae semper instituta etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis sine divino necessarium existere: quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensus ad caelos sacerdotibus suis ipsius vicarios reliquit tanquam Praesides & Judices ad quos omnia mortalia crimina deferantur in qua Christi fideles ceciderint: quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntians: Confessus*

enim Sacerdos judicium hoc. inagnita causa exteere non potuisse, nec equitatem illos in poenis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent: Eoque refert luminarie quod Hieronymus in illa verba Ecclesiasticae 10. Si momorderis serpens in silencio plenius habet: Si quem serpens diabolus occulte momorderit, & nullo conscio eum peccat veneno infecerit, si tacueris qui percussus est & non egeris poenitentiam, nec vulnus suum frangi & Magistro volueris confiteri. Magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poteris: Si enim erubescas egrotus vulnus Medico confiteri, quod ignoras Medicina non curat, &c.

sum execrandam (præteolus, Albanenses) garrimentum: Confiteri hominem nec posse, nec debere, post commissum peccatum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, has merito damnatas esse a Concilio *Trident.* sess. 14. can. 2. „ Est autem hoc „ sacramentum penitentia lapsis post Ba- „ ptismum ad salutem necessarium, ut non- „ dum regeneratis ipse Baptismus. *Hæc ibi;* „ & can. 5. ex institutione sacramenti pen- „ nitentia jam explicata univêrsa Ecclesia „ semper intellexit: institutum etiã esse a „ Domino integram peccatorum confessionem, „ & omnibus post baptismum lapsis jure „ divino necessariã existere. *Hæc ibi;* & „ *infra:* Neque enim per Lateranense Con- „ ciliũ Ecclesia statuit, ut Christiani- „ confiteretur: quod jure divino necessarium, „ & institutum esse intellexerat: sed, &c. „ *Hæc ibi;* & can. 6. Si quis negaverit „ Confessionem sacramentalem, vel institu- „ tam, vel necessariã esse jure divino: „ aut dixerit modum secretae confitendi soli „ sacerdoti, quem Ecclesia catholica semper „ observavit, & observat, alienum esse ab „ institutione, & mandato Christi, & in- „ ventum esse humanum: anathema sit. *Et* „ can. 8. Si quis dixerit, confessionem om- „ nium peccatorum, qualem Ecclesia servat, „ esse impossibilem, & traditionem huma- „ nam, a piis abolendam, &c. anathema „ sit. *Hæc ibi. Item damnatas a Papa Cle- „ mente I. in 1. epist. ad Jacobum fratrem „ Domini, immo a B. Petro Apostolorum prin- „ cipe.* Quod si forte alicujus cor vel livor, „ vel infidelitas, vel aliquod malum ex his „ quæ superius, memoravimus, latenter ir- „ repserit, non erubescat, qui animæ suæ „ curam gerit, confiteri hæc huic, qui præ- „ est, ut ab ipso per verbum Dei, & con- „ siliũ salubre curetur: quo possit integra „ fide, & operibus bonis poenas æterni ignis „ effugere, & ad perpetuam vitæ præmia „ pervenire: *Hæc ibi;* & *infra in fine.* Hæc „ itaque, frater charissime Jacobe, ab ore „ S. Petri jubentis accepi, tibi que (ut „ optabas) insinuare studui, ut servari om- „ nia immaculata præcipias: quia Ecclesia- „ stica non oportet negligenter, sed diligen- „ ter expleri negotia. Hæc ergo præcepta „ nemo credat absque sui periculo negligere, „ vel dissimulare: qua in judicio Dei ignis „ æterni tormenta sustinebit, qui Ecclesia- „ stica decreta neglexit. „ Hæc ibi. Ubi „ quidem sunt omnia, & singula verba pon- „ deranda: & maxime ultimo dicta semper

rimenda, atque pro universalis regula omni- „ um ab Ecclesia decretorum in primis habenda. Quæ sunt hæc ultima? *In judicio Dei ignis æterni tormenta sublimabis, qui Eccle- „ siastica decreta neglexeris.* Item damnatas a Concilio *Cabilonensi I. cap. 8. De penitentia vero peccatorum, quæ est medela anime, utili- „ lem omnibus hominibus esse censemus: & ut, „ penitentibus a sacerdotibus, facta confessione, „ indicatur penitentia.* Hæc ibi. Ecce, quod illa necessitas confessionis sacramentalis, quæ supra canonice patuit, non est inutilis, aut superflua (ut quidam alii hæretici blasphemarunt) sed est utilis, & utilitate tanta, ut sit medela animæ. Item a *Cabilonensi II. cap. 33.* „ Quidam solummodo Deo confite- „ ri debere dicunt peccata, quidam vero „ sacerdotibus confitenda esse peccata percen- „ sent: quod utrumque non sine magno fru- „ ctu intra sanctam sit Ecclesiam, ita dum- „ taxat, ut & Deo, qui remissor est pec- „ catorum, confiteamur peccata nostra: & „ secundum institutionem Apostoli confitea- „ mur alterutrum peccata nostra, & oremus „ pro invicem, ut salvemur. *Hæc ibi. Ubi „ nota ly utrumque non sine magno fructu „ intra Ecclesiam sanctam sit, ita dumtaxat: „ nota inquam limitationem illam, „ ita dumtaxat, cum suis adhærentibus conse- „ quenter. Ubi etiam nota, quod ly institutio- „ nem, non significat, quod Apostolus Jacobus instituerit, proprie loquendo, sacramentum confessionis, cum a Christo Domino institu- „ tum fuerit, secundum Conc. *Trid. sess. 14. cap. 1. & can. 1.* sed significat, quod illud sacramentum commedatum fuerit, & promulgatum ab eodem Apostolo, a simili intelligendo ex Conc. *Trid. sess. ead. cap. 1. & can. 1. de sacram. extreme Unctionis.* Item damnatas a Concilio *Senonensi* decr. 10. de sacram. penit. „ Penitentia vero tam ne- „ cessarium est sacramentum, quam impossi- „ bile est, baptismum reiterari. Volunta- „ rie enim peccantibus nobis post acceptam „ notitiam veritatis, jam non relinquatur „ pro peccatis hostia. Cum igitur in multis „ offendamus omnes; neque sit, qui possit „ dicere, mundum est cor meum, & purus „ sum a peccato; necessaria est profecto se- „ cunda post naufragium tabula. „ Hæc ibi. *Secunda autem post naufragium tabula recte dicitur sacramentum Penitentia, secundum Concil. *Trid. sess. 14. can. 2. de penit. sacram.* Ex quo Concilio *Senonensi* nota diligenter, quod illa auctoritas Apostoli ad Heb. 10. *Voluntarie enim peccantibus* &c.**

&c. loquitur de Baptismo non relicto ad reiterandum: adeo, quod *ly hostia*, significat sacramentum hostiæ semel pro nobis in cruce oblatæ, nos commori, & conspeliari faciens: & hoc sacramentum est baptismus. Rursum damnatas ab eodem Concilio *Semo-nesi* docet. eod. de confess. „ Sed, ut veru-
 „ stissimum illud, ita verissimum, qui ab-
 „ scondit scelera sua, non dirigerur: qui
 „ autem confessus fuerit, & reliquerit ea,
 „ misericordiam consequetur. Neque satis
 „ fuerit de peccatis conteri, & ea apud se-
 „ se Deo confiteri: nisi sacerdoti quoque
 „ sacramentali confessione detegantur. Ea
 „ quippe nec humanum, nec recens inven-
 „ tum esse potest: quæ tot, & tantis fulci-
 „ tur scripturarum oraculis. Ad hanc enim,
 „ &c. Oportet itaque, quem antiquus ille
 „ serpens occulte momorderit, abstrusissimum
 „ quodque vulnus medico detegere; omnem
 „ indigestum, & virulentum humorem (et si
 „ stomacho mentis altius insederit) evome-
 „ re; pudorem in satisfactionis partem de
 „ singulo quovis errato pati, ne, dum oc-
 „ cultis peccatorum vinculis sese teneri dis-
 „ simulat, horrendæ tandem sub omnium
 „ oculis æternæ damnationis laqueo constrin-
 „ gatur. Proinde statim ab Ecclesiæ nascen-
 „ tis incunabulis sacer iste confitendi ritus
 „ de interioribus, nedum de exterioribus
 „ tantum, inolevit: ut, tum ex Jacobo,
 „ tum ex Divi Dionysii, Alexandri, Urba-
 „ ni, & Cypriani, scriptis manifestum eva-
 „ dit. Recte igitur hanc exhomologes le-
 „ gem a Christo institutam, per Apostolos
 „ ad nos usque deductam, & ab universali
 „ Ecclesia inviolabiliter observatam, à cun-
 „ ctis Christi fidelibus sectandam esse, &
 „ contravenientes auctoritate Concilii Con-
 „ stantensis, & aliorum complurium damna-
 „ tos, declaramus. „ Hæc ibi. Item dam-
 „ nari, &c. Vide *quest. 8. art. 2. append.*
 Tertio habes: quomodo per rationem ejus prædicta, pro quanto confessionem statuunt esse necessariam, & declares, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 20

Utrum confessio sit de jure naturali.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod confessio sit de jure naturali. Adam enim, & Cain non tenebantur nisi ad præcepta legis naturæ. Sed reprehenduntur de hoc quod peccatum suum non sunt confessi. Ergo confessio peccati est de jure naturali.

2. Præterea. Præcepta illa quæ manent in veteri lege, & nova, sunt de jure naturali. Sed confessio fuit in veteri lege, ut dicitur Isaia xlvi. 26. *Narra, si quid habes, ut justificeris.* Ergo est de jure naturali.

3. Præterea. Job non erat subjectus nisi legi naturali. Sed ipse peccata confitebatur: quod patet per hoc quod dicitur Job. xxxi. 33. *Si abscondi ut homo peccatum meum.* Ergo est de jure naturali.

Sed contra Isidorus dicit (Lib. V. Etymolog. cap. iv.) quod jus naturale est idem apud omnes. (1) Sed confessio non est eodem modo apud omnes. Ergo non est de jure naturali.

Præterea. Confessio fit ei qui habet claves. Sed claves Ecclesiæ non sunt de jure naturali institutæ. Ergo nec confessio.

Respondeo dicendum, quod sacramenta sunt quædam fidei protestationes: unde oportet ea fidei esse proportionata. Fides autem est supra cognitionem rationis naturalis: unde & sacramenta sunt supra rationis naturalis dictamen. Et quia *ius naturale est quod non opinio genuit, sed innata quedam vis inservit*, ut Tullius dicit (Lib. II. de invent. aliquant. ante si.) (2) ideo sacramenta non sunt de jure naturali, sed de jure divino, quod est supra naturale; quod quandoque etiam naturale dicitur, secundum quod cuiuslibet rei illud est naturale, quod ei a suo creatore imponitur; tamen proprie dicuntur naturalia quæ ex principiis naturæ causantur. Supra autem naturam sunt quæ ipse Deus sibi reservat, sive naturæ ministerio operanda, sive in operationibus miraculorum, sive in revelationibus mysteriorum, sive in institutionibus sacramentorum. Et sic confessio, quæ necessitatem sacramenta-

(1) Paulo aliis verbis, nempe quod sit commune omnium rationum eo quod non aliqua constitutione sed instinctu naturæ ubique habeatur: ut & refertur in Decretis distinct. 1. cap. *ius naturale*.

(2) num. 66. ubi etiam verbis paululum immutatis: *Naturæ jus est quod nobis non opinio sed quedam innata vis affert, sed num. 161. eodem verbis quæ hic in textu referuntur.*

lesti habet, non de jure naturali est, sed de divino. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod Adam vituperatur ex hoc quod peccatum suum coram Deo non recognovit: confessio enim quæ sit Deo per recognitionem peccati, est de jure naturali: nunc autem loquimur de confessione quæ sit homini.

Vel dicendum, quod confiteri peccatum in casu est de jure naturali, scilicet cum quis in judicio constitutus a iudice interrogatur: tunc enim non debet peccator mentiri: de quo Adam, & Cain vituperantur (2) Sed confessio quæ sit homini sponte ad remissionem peccatorum consequendam a Deo non est de jure naturali.

Ad secundum dicendum, quod præcepta legis naturæ manent eodem modo in lege Moysi, & in nova lege. Sed confessio quamvis aequaliter esset in lege Moysi, non tamen eodem modo sicut in lege nova, nec sicut in lege naturæ: in lege enim naturæ sufficiebat recognitio peccati interior apud Deum; sed in lege Moysi oportebat aliquo signo exteriori peccatum protestari, sicut per oblationem hostiæ pro peccato, ex quo & homini innotescere poterat eum peccasse; non autem oportebat ut speciale peccatum a se commissum manifestaret, aut peccati circumstantias, sicut in nova lege oportet.

Ad tertium dicendum, quod Job loquitur de illa absconitione peccati quam facit deprehensus peccatum negando, aut excusando, ut ex Glossa ibidem haberi potest. (3)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem prima conclusionis interimas hæresim *Catharorum*, ut refert Cardinalis de Tur-recremata, *De ecclesia lib. 4. cap. 35.* blas-pheme evomentium, sacramenta Christi, & ecclesie, non esse vera: sed falsa, & deceptor-ia. Non enim possibile est, etiam se-

cundum solam rationem humanam, quod illa, quæ sunt de jure divino, sint falsa, aut deceptor-ia: Ratione ergo, quæ probat articulus, sacramenta esse de jure divino, expugnatur narrata hæresis. Item hæresim *Petri Oxomensis*, ut refert Summa Conciliorum in vita *Sixti IV.* dicentis, quod confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto universalis ecclesie, non de jure divino. Item hæres. *Seclariorum* (Prat. *Seclarii*) blaterantium, quod confiteri peccata, & numerare, est papistica carnificina, & impietas. Loquitur hæresis hæc de circumstantiis, cum dicit ly *enumerare*, quoniam numerus peccatorum est circumstantia: per ly *quoties*, significata, ut supra dictum est not. *secunda* post respon. ad *secundum*. Item hæres. *Lutheri* (Alphons. Cast. confessio) somniantis, confessionem non posse dici sacramentum. Item hæres. *Manicheorum*, Direct. Inquisit. 2. par. 9: 13. obstrepentium, quod confessio facta sacerdotibus Romanæ Ecclesie nihil valet ad salutem, nec Papam, nec aliquem alium de Romana Ecclesia habere potestatem absolvendi aliquem a peccatis. *Secundo* habes: quomodo per rationem has merito damnari ostendas a Conc. *Trid.* sess. 14. c. 1. „ Dominus sacramentum poenitentiae tunc „ præcipue instituit, cum a mortuis excita- „ tus insufflavit in discipulos dicens: Acci- „ pite Spiritum sanctum, quorum remiseri- „ tis peccata, remittuntur eis, & quorum „ retinueritis, retenta sunt. Quo tam insi- „ gni facto, & verbis tam perspicuis, pote- „ statem remittendi, & retinendi peccata ad „ reconciliandos fideles post baptismum la- „ pso, Apostolis, & eorum legitimis succes- „ soribus fuisse communicatam, universonum „ Patrum consensus semper intellexit. Et „ Novatianos remittendi potestatem olim „ pertinaciter negantes, magna ratione Ec- „ clesia catholica, tanquam hæreticos, ex- „ plofit, atque condemnavit. Quare veris- „ simum hunc verborum illorum Domini sen- „ sum

(1) Cum sit ex instituto Christi, ut paulo ante ostensum est, & ex Joan. 20. vers. 22. colligitur, ubi peccata remittendi vel retinendi potestas datur, &c.

(2) Adam quidem, quia peccatum suum per mulierem excusavit: *Mulier* (inquit) *quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de fructu & comedi* (Genes. 3. vers. 12.) Cain vero, quia post interfectum Abel fratrem suum interroganti Deo, *Ubi est Abel frater tuus?* respondit impudenter: *Nescio: Num custos*

fratris mei sum ego? Genes. 4. vers. 9.

(3) Sed & ex Greg. in eum locum lib. 22. Moral. cap. 9. unde sumpta est Glossa illa: Sic enim ipse ibi: *Uisatum humani generis vitium est & latendo peccatum committere, & commissum abscondere, & commissum defendendo multiplicare: Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta ducimus nequitia ex quo ipsam radicem straximus culpa.* Præter alia quæ ibidem subjungit.

sum sancta hæc Synodus probans, & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei, & Christi evangelium annunciandi, contra hujusmodi sacramenti institutionem, falso detorqueant. *Hæc ibi. Et c. 5.* Ex institutione sacramenti pœnitentiæ jam explicata, universam ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere. *Hæc ibi. Et cano. 1. & 3.* Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit: detorserit autem contra institutionem hujus sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium: anathema sit. *Hæc ibi.* Item ab eodem damnatas, in quantum contra specialia peccata confitenda negant, & circumstantias, ut supra in *not. 1. & 3.* post respon. ad *secundum*. Item a Concilio *Lateranensi*, ut ibi *not. 3.* Item a Concilio *Trid. sess. 14. c. 5.* Neque per *Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christiani fideles confiterentur, quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexerat: sed, ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur.* *Hæc ibi.* Vide autem Concil. *Lateranen. not. 3.* supra, quod diligenter inquirantur etiam circumstantiæ, ut detur salubre peccatoribus consilium, & remedium. *Tridentinum* vero, ut supra *not. 1.* post resp. ad *secundum*, affirmat, quod sacerdos æquitatem in pœnis injungendis pœnitenti, quod utique est salubre remedium, ut ibi *c. 8.* ad longum declaratur, servare non potest, si specialia peccata, & non tantum in genere sibi a pœnitente non declarentur. Cum ergo *Lateranense Concilium* æquum, non iniquum remedium. velit a sacerdote adhiberi ei, qui confitetur, liquido sequitur, quod peccata in specie confitenda intellexit a Domino fuisse institutum, & quod præcipiat talem confessionem saltem semel in anno a Christi fidelibus aequaliter observandam. Et per hoc, omnes contrarias hæreses damnet. Ergo per hoc, quod intelligit confessionem talem institutam fuisse a Domino, damnat etiam Lutherum ne-

gantem, confessionem esse sacramentum: Item a *Papa Sixto IV. in Extravaganti* approbante sententiam *Alphonfi Archiepiscopi Tolletani* contra *Petrum Oxomensem*, intelligitur ad literam damnatus omnis error *Petri* ejusdem. Vide hæc damnationem supra *q. 1. art. 1. appen.* Item a Concil. *Trident. sess. 7. cano. 3. de baptismo.* *Si quis dixerit, in Romana Ecclesia, quæ omnium ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de sacramento Baptismi doctrinam: anathema sit.* *Hæc ibi.* Intellige tu, idem de confessione sentiri a Christianis debere. Ergo per hoc damnari dicas hæresim *Manichæorum* supradictam, contra quos præsertim a Sede Apostolica fuit delegatus Inquisitor *R. P. Petrus de Verona* ordinis Prædicatorum, qui postea ab ipsis *Manichæis* hæreticis est gladiis interfectus, eodemque anno per *S. E. R.* est canonizatus, & inter candidatos martyres relatus, ac sanctus *Petrus* matyr appellatus, miraculis plurimis gloriose corruscans, secundum *Manichæorum* supradicta, speciatim vero damnatur illa hæresis, Direct. *ibi, a Decret. 24. q. 3. c. Quidem.* ubi in fine de omnibus enumeratis, inter quos serant *Manichæi*, dicitur sic: *Hæc sunt hæreses adversus catholicam fidem exortæ, ab Apostolis, & a sanctis Patribus, vel Conciliis prædamnata, quæ, dum in se multis erroribus divisa invicem sibi dissentiunt, communi tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant. Sed & quicumque aliter scripturam sanctam intellegit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.* Item a Concilio *Trid. sess. 7. cano. 1. de sacramentis.* *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta &c. videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse vere, & proprie sacramentum; anathema sit.* *Hæc ibi.* Et cano. 4. *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, &c. licet omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.* *Hæc ibi.* Vide *app. ar. 1. & sequent. 3.* quoniam istæ multum ad errorum variorum condemnationem se mutuo juvant. Prædictas canonicas hæresum illarum damnationes scias sigillatim contra earum quamlibet applicare: quoniam ideo plurimæ damnationes glomeratim, ut ajunt, adductæ sunt, ut possit lector quisque per seipsum singulas singulis, ut decet, vi-

A R T I C U L U S III. 21

Utrum omnes ad confessionem teneantur.

vigilanter applicare. Non enim adducere omnes contra quamlibet institutum fuit: sed ut ex omnibus singulæ contra singulas eligerent, studentibus parare mensam. Quod vero nunc in proposito isto dictum est, ubique intelligendum, atque servandum intelligas, quoadcumque contra multos errores præmissos arma multa, pro varietate hostium retundenda, e canonicis munitionibus assumimus: etiam quod nunquam alibi hoc monitum replicaretur. Item a Concil. Trid. illam *Sectariorum* speciatim damnatam fuisse sess. 14. c. 5. *Colligitur etiam eas circumstantias in confessione explicandas &c.* ut supra not. 3. post respa ad secundum, sed & impletum est, confessionem, quæ hac ratione fieri precipitur, impossibilem dicere, aut carnificiam illam conscientiarum appellare. Constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam, ut, postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiam suam sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me Domine. Ipsa vero huiusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis, quidem videri possit: nisi eos, sansique commodis, & consolationibus levaretur; quæ omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferantur.* Hæc ibi. Ubi nota contra Lutherum supra quod Conc. expressissime confessionem præmissam vocat *Sacramentum*. De commodis autem, quæ affert confessio, a Conc. tactis ibi, vide infra q. 10. per totum. Contra hæres. *secundi* vide etiam q. 8. a. 4. *append.* Tertio habes: quomodo per ejus rationem antedicta, pro quanto confessionem sentiunt esse de jure divino, & declares, & probes, & defendas. Quarto, vides quomodo &c.

Summ. S. Thom. Thom. XIII.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non omnes ad confessionem teneantur. Quia, sicut dicit Hieronymus) super illud *II. III. Peccatum suum &c.*) *pœnitentia est secunda tabula post naufragium.* Sed aliqui post baptismum naufragium non sunt passi. Ergo nec eis competit pœnitentia; & sic nec confessio, quæ est pœnitentiz pars.

2. Præterea, Confessio facienda est iudici in quolibet foro. Sed aliqui sunt qui non habent hominem iudicem supra se. Ergo nec tenentur ad confessionem.

3. Præterea. Aliquis est qui non habet peccata nisi venialia. Sed de illis non tenetur homo confiteri. Ergo non quilibet tenetur ad confessionem.

Sed contra est quia confessio contra satisfactionem, & contritionem dividitur. Sed omnes tenentur ad contritionem, & satisfactionem. Ergo & omnes tenentur ad confessionem.

Præterea. Hoc patet ex Decret. de pœnit. & remiss. (cap. xii.) ubi dicitur, (1) quod omnes utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, tenentur peccata confiteri.

Respondeo dicendum, quod ad confessionem dupliciter obligamur. Uno modo ex jure divino, ex hoc ipso quod est medicina: (2) & secundum hoc non omnes tenentur ad confessionem, sed illi tantum qui peccatum mortale incurrunt per baptismum. Alio modo ex præcepto juris positivi: & sic tenentur omnes est institutione Ecclesiæ edita in Conc. generali (scilicet Lateran. IV. gener. XII. can. xxv.) sub Innocenti o III. tum ut quilibet peccatorem se recognosceret, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei: (Rom. III. 23.) tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accederetur: tum etiam ut Ec-

F cle-

(1) Ex Concilio Lateranensi generali sub Innocentio 3. cap. *Omnis utriusque sexus*, &c. ut paulo post in textu indicatur, & expressius infra referetur ad articulum 5.

(2) Sicut & supra contritio dicta est; ac absolute pœnitentia quæ utramque pariter comprehendit, sic a Patribus appellatur: Hinc de *Pœnitentia medicina* sermo inscriptus apud Augustinum ut Beda ipse refert: Hinc Ambrosius lib. 1. de pœnitentia cap. 5. Novatianos carpens: *cum fructum omnem auferis pœnitentia, quid aliud dicitis, nisi hoc? Nemo*

de vulneratis nostram ingredietur hospitium, nemo sanetur in Ecclesia nostra: Apud nos non curantur ægrovi, sani sumus; medicum non habemus necessarium: Et ad Virginem lapsam cap. 8. Grandi plage alta & proluxa opus est medicina: Hinc Cyprianus in Tractatu de opere & elemosynis spirituales medelas pœnitentia actus vocat: Et sermone de lapsis: Quam magna deliquimus, tam granditer desicimus. Alio vulnere (seu profundo) diligens & longa medicina non desit, &c.

clesiarum rectoribus sui subditi innotescant, ne lupus intra gregem lateat.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis homo in hac mortali vita post baptismum naufragium evadere possit, quod est peccatum mortale; non tamen evadere potest venialia quibus ad naufragium disponitur, contra quæ etiam pœnitentia ordinatur: & ideo manet pœnitentiæ locus etiam in illis qui non mortaliter peccant, & per consequens confessionis.

Ad secundum dicendum, quod nullus est qui non habeat iudicem Christum, cui per suum Vicarium confiteri debet: qui quamvis eo inferior sit, in quantum prælatus est; tamen est eo superior, in quantum peccator est ipse, & ille Christi minister,

Ad tertium dicendum, quod ex vi sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia quæ confiteatur.

Vel potest dici secundum quosdam, quod ex Decretali prædicta (in 2. argum. *Sed cont.*) non obligantur nisi illi qui habent peccata mortalia: quod patet ex hoc quod dicit, quod debent omnia peccata confiteri: quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri potest: & secundum hoc ille qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium; sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se sacerdoti repræsentet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse; & hoc ei pro confessione reputatur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem rejicias detestandum consilium in Papæ, & Concilii despectum, Brentii (Prat. Aetiani) dicentis, non consistendum esse sacramentaliter tempore Quadragesimæ, vel Paschatis, quo præcipit Papa; sed, si non præcepisset, vellem confiteri, ait ipse Brentius quando, & quomodo voluntas libera me tergerit. Contra enim hunc tam cervicosum habes tres rationes post secundam conclusionem in textu pro Papa, & Concilio adductas. Iterum: quomodo per rationem rejicias hæresim Lutheri (ut refert Leo X. in Bulla) dicentis, nullo modo præsumas confiteri peccata venialia: sed nec omnia mortalia: quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas: unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebamur. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas; prædictos

errores merito damnari a Concil. Tridenti sessione 14. cap. 5. ut supra in notatione post probationem primæ conclusionis. Iterum ab eodem, sessione eadem, cap. eod. sic: „ Cum „ univèrsæ peccata mortalia, etiam cogita- „ tionis, homines iræ filios, & Dei inimi- „ cos reddant, necessum est, omnium etiam „ veniam cum aperta, & verecunda confes- „ sione a Deo querere. *Hæc ibi. Quasi „ autem declarans, quid intelligat per ly cogitationis; præmiserat ibi hæc verba, o- „ portere in confessione recenser, etiam si „ occultissima illa sint; & tantum adversus „ duo ultima decalogi præcepta commissa, „ quæ nonnunquam animum gravius lauci- „ ant, & periculosiora sunt iis, quæ in ma- „ nifesto admittuntur. Hæc ipsum Concilium. „ Iterum ab eodem ibidem sic. Venialia, „ quibus a gratia Dei non excludimur, & „ in quæ frequentius labimur, quamquam „ recte, & utiliter, citraque omnem præ- „ sumptionem in confessione dicantur, quod „ piorum hominum usus demonstrat: taceri „ tamen citra culpam, multisque aliis reme- „ diis expiari possunt. Hæc ibi iterum ab „ eod. ibidem sic. Neque per Lateranense „ Concilium Ecclesia statuit, ut Christianide- „ les confiterentur, quod jure divino neces- „ satium, & institutum esse intellexerat, sed „ ut præceptum confessionis saltem semel in „ anno ab omnibus, & singulis, cum ad „ annos discretionis pervenissent, impleretur. „ Unde jam in universa Ecclesia cum in- „ genti animarum fidelium fructu observatur. „ mos ille salutaris confitendi sacro illo, & „ maxime acceptabili tempore Quadragesi- „ mæ: quem morem hæc sancta Synodus „ maxime probat, & amplectitur, tanquam „ pium, & merito retinendum. *Hæc ibi. „ Iterum a Concil. ut supra art. 2. autem. „ Iterum ab eod. sess. 14. cano. 8. Si quis „ dixerit, confessionem omnium peccatorum „ qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, „ & traditionem humanam a pils abolen- „ dam, aut ad eam non teneri omnes, & „ singulos utriusque sexus Christi fideles, „ juxta magni Concilii Lateranensis consti- „ tutionem, semel in anno, & ob id sua- „ dendum esse Christianidelibus, ut non con- „ fiteantur tempore Quadragesimæ, anathe- „ ma sit. Et cano. 7. Si quis dixerit, in „ sacramento pœnitentiæ ad remissionem pec- „ catorum necessarium non esse jure divino „ confiteri omnia, & singula peccata mor- „ talia, quorum memoria cum debita, & „ diligenti præmeditatione habetur, etiam „ oc-**

oculta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudendum, & consolandum poenitentem, & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam, anathema sit. Hæc ibi. Nota, quod supra dixerat, universam Ecclesiam semper intellexisse, &c. ut in not. post probationem conclusionis *primæ*. Iterum a Leone X. in Bulla contra errores *Lutheri*, quam condemnationem videas supra *q. 1. a. 1. appen.* Iterum a, &c. ut in *q. hujus art. 1. & 2. appen.* & locis ibi citatis. Ne mireris, si quando reperatur aliquod Concilii alicujus dictum: quoniam vel pro aliqua varietate errorum, contra quos adducitur, vel pro aliqua annotatione tunc ad illud propositum faciendam noviter in dicto ipsius Concilii, vel pro commodiori lectoris facilitate præstanda, talis quandoque repetitio fit. Unde non est omnino reprehendenda, sed ad aliquam istarum trium rationum mox recurrendum, & vigilantè annotandum, propter quam illarum tunc fiat, consule D. *Roffensem* contra *Lutheri ar. octavum* optime triumphantem. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 22

Utrum aliquis licite possit confiteri peccatum quod non habet.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod aliquis licite possit confiteri peccatum quod non habet. Quia ut dicit Gregorius (1) *bonatum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.* Ergo ad bonam mentem pertinet ut de illis culpis se accuset quas non commisit,

2. Præterea. Aliquis per humilitatem reputat se deteriozem aliquo, qui est manifestus peccator; & in hoc est commendandus.

Sed quod corde quis æstimat, licet ore confiteri. Ergo licite potest confiteri se habere gravius peccatum quam habeat.

3. Præterea. Aliquis aliquando dubitat de peccato aliquo, utrum sit mortale, vel veniale: & talis debet de illo, ut videtur, confiteri ut de mortali. Ergo aliquis debet confiteri aliquando peccatum quod non habet.

4. Præterea. Satisfactio ex confessione ordinatur. Sed aliquis potest satisfacere de peccato quod non commisit. Ergo etiam potest confiteri peccatum quod non fecit.

Sed contra. Quicumque dicit se fecisse quod non fecit, mentitur. Sed nullus in confessione mentiri debet; cum omne mendacium sit peccatum. Ergo nullus debet confiteri peccatum quod non fecit.

Præterea. In judicio exteriori non debet aliquod crimen alicui impingi, quod non potest per testes idoneos probari. Sed testis in foro poenitentiae est conscientia. Ergo aliquis non debet se accusare de peccato quod in conscientia sua non habet.

Respondeo dicendum, quod per confessionem debet poenitens se confessori suo manifestare. Ille autem qui aliud sacerdoti de se loquitur quam in sua conscientia habeat, sive bonum, sive malum, non se sacerdoti manifestat, sed magis occultat: & ideo non est idonea confessio; sed ad hoc quod sit idonea, requiritur quod os cordi concordet, ut solum hoc os accuset quod conscientia tenet. (2)

Ad primum ergo dicendum, quod agnoscere culpam ubi non est, potest esse dupliciter. Uno modo, ut intelligatur quantum ad substantiam actus; & sic non est verum: non enim ad bonam mentem pertinet, sed ad errantem, ut se actum aliquem commississe agnoscat quem non commisit. Alio modo quantum ad conditionem actus; & sic verum est quod Gregorius dicit: (3) quia justus in actu qui de se bonus est, formidat ne aliquis

F 2

(1) Scilicet in Registro lib. 12. epistolarum indict. 7. epist. 31. respons. 20. ad interrogationem Augustini Anglorum Apostoli a quo expressè requisitus fuerat an mulier menstruum fluxum actu patiens ad altaris communionem accedere convenienter posset vel deberet: Respondit enim ei quod si bene præsumpsit qua vestimentum Domini in languore posita tetigit: quod uni persona infirmam conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus qua natura sue vitio infirmatur? Sancta igitur communionis mysterium in eisdem diebus percipere non debet prohibe-

ri: Si autem ex veneratione magna percipere non præsumis, laudanda est: Sed si percipis, non iudicanda (seu condemnanda) Bonarum quippe mentium est, &c.

(2) Hinc August. etiam alia occasione Tract. 26. in Iona. Hoc est confiteri, dicere quod habes in corde. Si aliud in corde habes, aliud dicis, non confiteris.

(3) Unde non simpliciter dicit quod proponitur in argumento, sed cum aliqua modificatione: Bonarum (inquit) est mentium aliquo modo culpam agnosce-re, ubi culpa non est, &c.

defectus ex parte sua fuerit; & sic dicitur Job. ix. 28. *Verebar omnia opera mea.* Et ideo ad bonam mentem etiam pertinet ut hanc formidinem, quam corde tenet, lingua accuset.

Et per hoc etiam patet solutio ad secundum: quia iustus, qui est vere humilis, non reputat se deteriorem quantum ad perpetrationem actus, qui sit peior ex genere; sed quia timet ne in his quæ bene agere videtur, per superbiam gravius delinquat. (1)

Ad tertium dicendum, quod quando aliquis dubitat de aliquo peccato; an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente: quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse peccatum mortale, peccat mortaliter, discrimini se committens: & similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale, negligit confiteri; non tamen debet asserere illud mortale esse, sed dubitative loqui, & iudicium sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram, & lepram.

Ad quartum dicendum, quod ex hoc quod homo satisfacit pro peccato quod non commisit, non incurrit mendacium; sicut cum quis confiteretur peccatum quod non credit se fecisse; si autem dicat peccatum quod non fecit, dum credit se fecisse, non mentitur: & ideo non peccat, si eo modo dicat, sicut est in corde suo.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito a Synodo Moguntina fuisse insinuatam, quod nemo confiteri debet peccatum, quod non fecit. Insinuatam vero est hoc; quando confessionem voluit esse puram, id est sine admixtione mendacii, cap. 26. *Ab infirmis in mortis articulo positus per presbyteros pura inquitenda est confessio, non tamen illis imponenda quantitas penitentiae, sed innotescenda, & cum amicorum orationibus, & elemosinarum studiis, pondus penitentiae sublevandum: ut, si forte migraverint, obligati ex communicatione alieni ex consortio bonorum fiant: a quo periculo si divinitus erepti convalescerint, penitentiae modum a suo confessore impostum diligenter observent.* Hæc ibi.

ni

Ubi confessionem puram ad aggregandum consortio bonorum esse proficuum, insinuat, ex consequenti puritatem dicit confessionis ipsam ejus veracitatem. Alioquin non ad conjungi bonorum consortio valeret, sed ad se jangi ab illo: cum scriptum sit Psal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Si ergo in confessione loqueretur quis mendacium, ex illa reportaret a Deo perditionem, & consortium malorum, non autem salvationem, & consortium bonorum: cuius oppositum Synodus præmissa confessionem puram mereri docet. Iterum ab ead. cap. 27. *Quæsitum est ab aliquibus fratribus de his, qui in partibus suspenduntur pro suis sceleribus post confessionem Deo peractam, utrum cadaveria illorum ad Ecclesias deferenda sint, & oblationes pro eis offerenda, & Misse celebranda, an non. Quibus respondemus, si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne penitentibus communicatio in hinc secundum canonicam iussam danda est: cur non est eis, qui pro peccatis suis penam extremam persolvunt? Scriptum est enim: Non iudicat Deus bis in idipsum. Nam ipse Dominus ait: In quocumque die conversus fuerit peccator, peccata ejus non reputabuntur ei: & iterum: Noto moysen peccatoris, sed ut convertatur, & vivat. Salutem ergo homini admittit, quisquis mortis tempore penitentiam denegat: & desperat de clementia Dei, qui eam ad subveniendum morienti sufficere vel in momento posse non credit. Perdidisses latro in cruce premium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ penitentia non juvisses. Cum esset in pena, penituit, & per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positurum mente potius est estimanda, quam tempore, Propheta hoc asserente, cum conversus ingemueris, salvus eris. Hæc ibi. Ubi Concilium confessionem ait Deo peragi, quæ scilicet sacerdoti vicario ejus peragitur, confessionem puram, dignamque penitentibus vult esse, tali confessione conversis peccata non imputari a Deo, Propheta testante, narrat, penitenti confessionem habitaculum paradisi promereri affirmat: quibus omnibus, & singulis, veracitatem absque mendacii commixtione confessionem debere continere,*

præ-

(1) Quippe cum passim superbia occulte ac latenter irrepas, nec a nobis facile possit deprehendi. Aliter quoque Gregorius in verba jam notata Job. 9. duo vitia in actibus cavenda notat vel timenda; ni-

mirum desidiæ & fraudem; hoc est ne opus Dei negligenter fortasse faciamus; vel ne per illud ad remunerationis transitorie bonæ tendamus, &c. ut lib. 9. cap. 17. plenius videre est.

prædicat, ut supra deduximus ex Psal. 5. Item a Concilio Trident. videtur hujusmodi confessionis pura veritas insinuata, dum sessio. 14. c. 5. ait. *Christus sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præfides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, &c. Constat, sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse: neque æquitas illius in pœnis injungendis servare potuisse: si in genere duntaxat, & non potius in specie, ac singillatim sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri.* Hæc ibi: Ubi nota, quod non absque causa dixit, non omnia mortalia post diligentem sui discussionem esse confitenda, sed omnia, quorum conscientiam habent. Ergo omnia, quæ secundum veritatem conscientiarum hæc habet quis, confiteri debet, juxta Concilii statutum, & non quæ habet secundum fictionem suæ phantasticæ humiliationis. Rursus, si Concilium illud sacerdotes iudicium sanum exercere, æquitatemque in pœnis injungendis servare non posse dicit: si non fiat confessio peccatorum in specie: quomodo (secundum illud) & prædictum iudicium, æquitatemque servare poterant, si fiat confessio peccatorum in fictione humilitatis, & non in apertione veritatis? Sicut igitur habet pro inconvenienti, quod quis non confiteatur in specie, ad evitanda illa duo absurdissima: ita & quod quis peccatum non commissum tanquam commissum confiteatur, habet pro inconvenienti, propter eandem rationem. Item ab Ecclesiast. 15. est insinuatam sic. *Est, qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo.* Principaliter siquidem videtur loqui de illo, qui causa humilitatis, ut sibi ipse confingit, se accusat de peccato in confessione, quod non credit se fecisse: quoniam hujus interiora plena sunt dolo, cum sic mentiendo mortaliter sacrilegii peccato delinquat, id quod plenius explicatur ab Augustino in Decret. 22. quæstio. 2. *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator, antequam men-*

tiveris, mentiendo effeceris. Veritas autem ipsa in te non est, nisi ita te dixeris peccatorem, ut etiam te esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut, quod est, dicas. Nam, quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas? Hæc ibi. Ubi etiam gloriatur inquit, quod dicens aliquod peccatum de se, cujus contrarium credit, mortaliter peccat. Secundo habes: quomodo per rationem prædictorum Conciliorum, & scripturarum, pro quanto non posse quemquam licite confiteri peccatum, quod non habet, insinuat, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 23

Utrum statim teneatur quis confiteri.

S. Th. IV. dist. XVII. quæst. III. art. 1. quæst. 4.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod statim teneatur quis confiteri. Dicit enim Hugo de Sancto Victore (implic. Lib. I. de anim. cap. x. & Lib. II. de sacram. part. XIV. cap. XVII. cir. med.) *Si necessitas non est, qua præcedatur, contemptus non excusatur.* (1) Sed quilibet teneatur vitæ contemptum. Ergo quilibet teneatur statim confiteri, cum potest.

2. Præterea. Quilibet teneatur plus facere ad evadendum morbum spiritualem quam ad evadendum morbum corporalem. Sed aliquis infirmus corporaliter non sine detrimento salutis medicum requirere tardat. Ergo videtur quod non possit esse sine detrimento salutis quod aliquis sacerdoti, cujus copiam habet, non statim de peccato confiteatur.

3. Præterea. Illud quod sine termino debetur, statim debetur. Sed sine termino debet homo confessionem Deo. Ergo teneatur ad statim. Sed contra. In Decret. (cap. *Omnis utriusque sexus* de pœnit. & remis.) simul datur tempus determinatum de confessione, & de Eucharistiarum perceptione. (2) Sed aliquis non peccat, si non percipiat Eucharistiam ante tempus a jure determinatum.

Ergo

(1) Non sicut prius in lib. 1. de Sacrament. part. 12. cap. 2. ubi ante octavum diem incircumcisi decedentes prævaricationis rei non fuisse dicuntur, quia contemptores præcepti non fuerunt: Non & lib. 2. parte 14. cap. 8. ubi necessitatis nulla mentio, cura de contempu, sicut infra dicitur; Sed lib. 1. de anima cap. 10. æquivalenter & implicite prope finem, ut infra quoque referetur.

(2) Sic enim ibi plene: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere; suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum.*

Ergo nec peccat, si ante tempus illud non confiteatur.

Præterea. Quicumque illud omittit ad quod ex præcepto tenetur, peccat mortaliter. Si ergo aliquis non statim confiteatur, quando habet copiam sacerdotis, si ad statim confitendum tenetur, peccaret mortaliter, & eadem ratione alio tempore, & sic deinceps; & ita multa peccata mortalia homo incurreret pro una poenitentis dilatione: quod videtur inconueniens.

Respondeo dicendum, quod cum propositum confitendi sit annexum contritioni, (1) tunc tenetur aliquis ad hoc propositum quando ad contritionem tenetur; scilicet quando peccata memoriam occurrunt, præcipue cum in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati remissione oporteat eum peccatum incurrere; sicut cum tenetur sacerdos ad celebrandum, si non desit copia sacerdotis, confiteri tenetur, aut si desit, saltem conteri tenetur, & habere propositum confitendi, copia sacerdotis oblata. Sed ad confessionem actualiter faciendam obligatur aliquis dupliciter. Uno modo per accidens, scilicet quando ad aliquid tenetur quod non potest sine peccato facere, nisi confessus: tunc enim confiteri tenetur; sicut si debeat Eucharistiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale nisi confessus accedere debet, copia sacerdotis oblata, & necessitate non urgente; & inde venit obligatio, qua Ecclesia omnes obligat ad semel in anno confitendum: quia instituit ut semel in anno, scilicet in Paschate, omnes sacram Communionem accipiant; & ideo ante tempus illud omnes confiteri tenentur. Alio modo obligatur aliquis ad confessionem per se: & sic videtur esse eadem ratio de confessione, & de baptismo differendo: quia utrum-

que est sacramentum necessitatis. (2) Ad baptismum autem percipiendum non tenetur aliquis statim postquam habet propositum baptismi, ita quod peccet mortaliter, nisi statim baptizetur: nec est aliquod tempus determinatum, ultra quod si baptismum differat, peccatum mortale incurrat; sed potest contingere quod in dilatione baptismi mortale erit peccatum, vel non erit; & hoc pensandum est ex causa dilationis: quia, sicut dicit Philosophus in VIII. Physic. (implic. tex. 15.) (3) voluntas non retardat facere aliquod opus volitum nisi propter aliquam causam rationabilem. Unde si causa dilationis baptismi mortale peccatum annexum habeat, utpote si propter contemptum, vel aliquid huiusmodi; si baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale, alias non. Et ideo idem videtur esse de confessione, quæ non est majoris necessitatis quam baptismus. Et quia ea quæ sunt de necessitate salutis, tenetur homo in hac vita implere; ideo si periculum mortis imminet, etiam per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc, vel baptismum suscipiendum. Et propter hoc etiam Jacobus simul præceptum edidit de confessione facienda, & de extrema unctione suscipienda. (4) (Jacobi v.) Et ideo videtur probabilis illorum opinio, qui dicunt, quod non tenetur homo ad statim confitendum, quamvis periculosum sit differre. Alii autem dicunt, quod tenetur contritus ad statim confitendum, debita opportunitate oblata, secundum ream rationem. Nec obstat quod Decretalis terminum præfigat ut semel in anno confiteatur: quia Ecclesia non indulget dilationi, sed prohibet negligentiam in majori dilatione. Unde per Decretalem illam non excusatur a culpa dilationis quantum ad forum conscientie, sed ex-

(1) Ut ex definitione ipsa contritionis patet jam initio hujus Tractatus assignata quod nimirum sit *dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi*: Quod & ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 4. implicite colligi ostendimus, ubi non solum *cum proposito non peccandi* coniuncta declaratur, sed *cum voto præstandi reliqua quæ ad visum suscipiendum sacramentum Poenitentis requiruntur*. Qualis est confessio, sicut cap. præcedenti præmisit.

(2) Salva tamen differentia jam notata; quia Baptismus per se omnibus ac singulis ad salutem necessarius intelligitur; sed confessio per accidens aliquo modo, vel non per se nisi ex hypothesi quod mortale peccatum commissum sit.

(3) Non sic expresse quidem quoad verba, sed quoad sensum æquivalenter text. 15. cum Empedo-

elem, Anaxagoram, & similes ideo reprehendit quod nullam causam nisi accidentalem & fortuitam assignarent cur ordo universi tandiu sit dilatus qualem videmus modo &c.

(4) Postquam enim cap. 5. vers. 14. & sequenti præmisit, *Infirmus quis ex vobis? Inducat Presbyteras Ecclesie & orans super eum, unguens eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*: mox infert vers. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra &c.* Ad sacramentum autem extreme Unctionis præcedentia pertinere patebit suo loco & Concilium Tridentinum definit Sess. 14. Can. de hoc eodem sacramento: Sed sequentia pertinere ad Sacramentum poenitentis perivium est, & paulo infra notabitur.

A P P E N D I X.

excusatur a poena quantum ad forum Ecclesie, ut non privetur debita sepultura, si morte præventus fuerit ante tempus illud. Sed hoc videtur nimis durum: quia præcepta affirmativa non obligant ad statim, sed ad tempus determinatum: non quidem ex hoc quod tunc commode impleri possunt: quia tunc si non daret aliquis eleemosynam de superfluo, quodcumque pauper monstraretur, peccaret mortaliter, quod falsum est: sed ex hoc quod tempus necessitatem urgentem adducit. Er ideo non oportet quod si statim oblata opportunitate non confiteatur, etiamsi major opportunitas non expectetur, aliquis peccet mortaliter, sed quando ex articulo temporis necessitas confessionis inducitur. Nec hoc est ex indulgentia Ecclesie, quod non teneatur ad statim, sed ex natura præcepti affirmativi: unde ante Ecclesie statutum etiam minus tenebatur. Quidam vero dicunt, quod seculares non tenentur ante quadragesimale tempus confiteri, quod est eis poenitentiae tempus; sed religiosi tenentur ad statim, quia totum tempus est ei poenitentiae tempus. Sed hoc nihil est: quia religiosi non tenentur ad alia quam alii homines, nisi ad quæ ex voto se obligaverunt; cuiusmodi non est confessio.

Ad primum ergo dicendum, quod Hugo loquitur de illis qui sine sacramento decedunt. (1)

Ad secundum dicendum, quod non est de necessitate salutis corporalis ut statim medicus quærat, nisi quando necessitas curationis incumbit: & similiter est de morbo spiritali.

Ad tertium dicendum, quod retentio rei alienæ invito domino contrariatur præcepto negativo, quod obligat semper, & ad semper: & ideo tenetur semper ad statim reddendum. Secus est autem de impletione præcepti affirmativi, quod obligat semper, sed non ad semper: unde non tenetur aliquis ad statim implendum.

EX art. habes primo: quomodo per rationem repellas errorem cuiusdam, sub correctione tamen Ecclesie, in summula tit. commu. sacram. circa princ. hæc verba dicentis. *Si autem commoditas adest confitendi, & habens conscientiam peccati mortalis differre vult confessionem, & nihilominus communicare, quia oportet ipsam cum aliis communicare, aut ipsam oportet celebrare, peccare videtur valde graviter, quia minus digne voluntarius accedit, utpote ad ecclesiastica unionis sacramentum sine ecclesiastica reconciliatione absque rationabili excusatione accedens. Non damno tamen ipsum peccati mortalis propter rationem dictam. Hæc ille. Ratio autem dicta secundum istum Doctorem fuit: quia (inquit) præceptum de confessione præmittenda communioni non est de jure divino, nec de jure positivo, cum nullibi inveniat, nisi semel in anno. Hæc ibi. Ex articulo enim patet, quod ratio istius juris est pro utraque parte falsa. Nam dicitur hic, quod præmittendam esse confessionem communioni habetur ex jure positivo, & ex jure divino. Ex positivo quidem, quoniam ideo ab ecclesia statutum est confiteri Christianos semel in anno, quia communicare semel in anno statutum fuit, quasi quod per hoc dixerit aperte ecclesia, quoties peccator communicare vult, toties ipsum præconfiteri de mortali oportere, declaro. Ex divino autem jure: quoniam non potest existens in mortali digne accedere ad Eucharistiam non confessus, & consequenter sic accedens facit contra Apostolum dicentem; *probat seipsum homo, & sic de pane illo edat: qui enim manducat indigne, iudicium sibi manducat. Quasi expresse dicat. Manducans illum panem non probatus a seipso manducat indigne: ac propterea peccat mortaliter. Probare autem seipsum est, media confessione sacramentali non esse sibi conscium peccati mortalis: ut**

nunc

(1) Puta cum ait lib. 1. de anima ut supra: *Quod si forte peccator vere poeniteat, sed intercurrente articulo necessitatis ad confessionem pervenire non possit, confidenter credere debemus quod summus Sacerdos complet in eo quod mortalis non potuit; & quod jam apud Deum factum constat, quod homo quidem vere voluit sed non valuit adimplere; quia confessionem non contemptus exclusit, sed impedivit necessitas. Libro autem 2. de Sacramentis qui prius ad marginem indicabatur, sic absolute de contemptu: Idcirco confessio etiam erit post contritionem cordis*

necessaria esse dicitur; quia si quis etiam post impetratam veniam peccatorum confiteri eadem peccata sua neglexerit, quasi institutionis divine contemptor quamvis non pro peccatis que jam dimissa sunt, reus teneatur, tamen pro contemptu reus erit: Ubi non exprimitur nec indicatur necessitas que vel contemptum excusare cum adest possit, vel culpabilem efficere cum abest. Unde quamvis hunc ipsum locum in Sententiis notaverim; quia nimium occupato ac præ necessitate summa festinanti alius non occurrit quam quem ibidem index designaverat, nunc emendo

nunc ex Concilio Tridentino patebit. Fallitur ergo ille vir (nam & bonus quandoque dormitat Homerus) in hoc, quod & ratiocinando de jure positivo, non distinguit inter per se, & per accidens (ut facit Divus Thomas), & loquendo de jure divino, non intelligit verum sensum Apostoli in ly *Probes seipsum homo*. Non enim ex hoc: quod de jure positivo non tenetur, per se loquendo, aliquis in die Natalis Domini communicare volens, ad confessionem actualem, sequitur, quod ex eodem jure non teneatur per accidens: neque ex eo, quod ille ipse habet contritionem de suis peccatis, sequitur, quod probaverit seipsum probatione illa, quam esse necessario faciendam ante sacram communionem docet Apostolus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem prædictum merito damnatum esse a Concilio Tridentino, Cabilonensi, Augustensi, sessionibus, capitulis, & verbis, quibus supra, *questio. 5. arsis. 1. notatio. 3. post responsionem ad tertium* recitatur. Consule locum illum, & Apostoli sensum, super ly *Probes seipsum homo*, etiam ibi explicatam, censuramque contra oppositum tenentes, &c. videbis. Poteris & corollarium sequens præmissam notationem inspicere pro abundantiori doctrina. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Concilia, pro quanto confessionem necessario communioni decernunt præmittendam, & declares, & probes & defendas. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 24

Utrum possit cum aliquo dispensari ne confiteatur.

S. Th. IV. Sentent. dist. XVII. quest. III. art. 1. quest. 5.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod possit cum aliquo dispensari ne confiteatur homini peccata. Præcepta enim quæ sunt de jure positivo, subjacent dispensationi prælatorum Ecclesie. Sed confessio est hujusmodi, ut ex dictis patet (art. 3. hu. quest.) Ergo potest dispensari cum aliquo ut non confiteatur.

2. Præterea. Illud quod ab homine insti-

tutum est, potest etiam ab homine dispensationem recipere: Sed confessio non legitur a Deo instituta, sed ab homine Jac. v. 16. *Confitemi alterutrum peccata vestra*. Habet autem Papa potestatem dispensandi in his quæ per Apostolos instituta sunt, sicut patet de bigamis. Ergo etiam potest cum aliquo dispensare ne confiteatur.

Sed contra. Pœnitentia, cujus pars est confessio, est sacramentum necessitatis, sicut baptismus. Cum ergo in Baptismo nullus dispensare possit, nec in confessione aliquis dispensare poterit.

Respondet dicendum, quod ministri ecclesie instituuntur in Ecclesia divinitus fundata. Et ideo institutio Ecclesie præsupponitur ad operationem ministrorum, sicut opus creationis præsupponitur ad opus naturæ. Et quia Ecclesia fundatur in fide & in sacramentis: ideo ad ministros Ecclesie, novos articulos fidei edere, aut editos remove, aut nova sacramenta instituire, aut instituta remove non pertinet; sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesie fundamentum. Et ideo sicut Papa non potest dispensare ut aliquis sine baptismo salvetur; ita nec quod salvetur sine confessione, secundum quod obligat ex ipsa vi sacramenti; sed potest dispensare in confessione, secundum quod obligat ex præcepto Ecclesie, ut possit aliquis diutius confessionem differre quam ab Ecclesia institutum sit.

Ad primum ergo dicendum, quod præcepta divini juris non minus obligant quam præcepta juris naturalis, unde sicut non potest dispensari in jure naturali, ita nec in jure positivo divino.

Ad secundum dicendum, quod præceptum de confessione non est ab homine primo institutum, quamvis sit a Jacobo promulgatum, sed a Deo institutionem habuit, quamvis expressa ipsius institutio non legatur; (1) tamen quædam præfiguratio ipsius invenitur in hoc quod Joanni constabantur peccata sua, qui baptismo ipsius ad gratiam Christi præparabantur; & in hoc quod Dominus sacerdotibus leprosos transmisit: qui quamvis non essent novi Testamenti sacerdotes, tamen in eis novi Testamenti sacerdotium signabatur. (2)

AP.

(1) Sed implicita tantum, ut jam supra ex Concilio Tridentino, quod eam infert ex illis verbis Christi, *Quorum remisistis peccata* &c. Proindeque Can. 6. Sess. 14. negantibus necessariam esse jure divino anathema decernit.

(2) Ut insinuat Augustinus in eum locum lib. 3. questionum Evangelicarum cap. 4. & apud S. Thomam in Catena aurea super Lucam, ubi sacerdotium Judæorum figuram vocat sacerdotij quod est in Ecclesia &c.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo. quomodo per rationem rejicias hæreses illorum, qui plura, vel pauciora sacramenta Ecclesiæ posuerunt, quam septem. Ut Hæresim *Calvinistarum, Flacianorum*, aliorumque bifsacramentarium (auctore Staphilo) dicentium: Sacramenta tantum duo esse, Baptismum, & Cœnam. Item, Hæreticam inconstantiam *Lutheri* (Præteolus, *Lutherani*) qui, licet catholicis concorditer sacramenta tantum septem esse in Ecclesiâ, anno 1515. recte docuisset: tamen sacramentum unum tantum pronuntiavit, dum in sua captivitate babilonica capivus ipsediaboli anno 1530. conscriberet: & sacramenta duo postea esse voluit, dum perniciosissime catechismum suum anno 1522 componeret, & sacramenta demum tria professus est in confessione illa sacrilega Augustana, quam Lutheri nomine obtulit *Melastion* anno 1530. Clarum enim est in præsentî art. S. Thomæ: quod institutio ecclesiæ, quæ fit per fidem, & sacramenta, præsupponitur ad operationem ministrorum & consequenter ex ista ratione patet, quod impossibile est ponere plura sacramenta, vel pauciora, quam illa sint, in quibus primo fundata est ecclesiâ, quæ sunt septem; & ex consequenti etiam patet; quod ista ratio articuli hæreses prædictas expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito damnatas illas fuisse a Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta: aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctiõnem, Ordinem & Matrimonium: aut aliquod horum septem non esse vere, & proprio sacramentum: anathema sit. Hæc ibi. Item a Papa *Eugenio IV.* in suo Decreto: ubi sacro approbante Concilio *Florentino*, sacramentorum numerum Armenis tum præsentibus, tum futuris tradens, ait: *Ecclesiasticorum sacramentorum veritatem redigimus sub hac formula: Novæ legis septem sunt sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Summ. S. Tom. Tom. XIII.*

Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium. Hæc ibi. Ubi patet. quod, cum Armenorum instructioni fidei de sacramentis intenderet, voluit per hoc explicare ipsorum numerum verum præcise, idest nec in plus, nec in minus excedendo. Notabis hic *Lutherum, Calvinum*, & alios supra nominatos fuisse in hoc pejores, quam *Joannes Huss*, qui tamen Joannes, tanquam alias hæreticus, condemnatus est a Concilio *Constansensi*, sess. 15. consimili damnatione, qua *Joan. Wicleff.* fuerat sess. 8. condemnatus, quæ ponitur supra *qu. 1. art. 1.* Nam iste *Huss* fatetur concorditer Catholicis, septem esse Ecclesiæ sacramenta, ut in ejus articulis ibi a Concilio recitatis videre est, *art. 8.* Ergo Lutherus, Calvinus hæretici, etiam ab hæretico damnantur. Hæc ad majorem ipsorum confusionem dicta sint. *Tertio* vides quomodo &c.

QUÆSTIO VII.

De Confessionis quidditate.

In tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de quidditate confessionis: & circa hoc queruntur tria. Primo, utrum Augustinus convenienter definiat confessionem. Secundo, utrum confessio sit actus virtutis. Tertio, utrum confessio sit actus penitentiae virtutis.

ARTICULUS I.

Utrum Augustinus convenienter definiat Confessionem.

S. Thom. ubi sup. art. 2. quæst. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Augustinus (1) inconvenienter definiat confessionem, dicens (colligitur ex comm. in Psal. lxxvi. a med.) *Confessio est per quam morbus latens spe veniæ aperitur.* Morbus enim contra quem confessio ordinatur, peccatum est. Sed peccatum aliquando est apertum. Ergo

(1) Apud quem non occurrit expresse ut hic, sed ex ejus commentario super Ps. 66. in illa verba; *Confiteantur sibi populi Deus; colligi potest quoddam sensum: Nam confitentiis conscientia saniam colle-*

ras (innuit) Exeat in confessione ab obscuritate sanies: Quod reliquum est facile sanabitur: Confiteor per Christum: Et defensor est penitentis: & peccator: nia conscientis.

Q U E S T · V I I . A R T . I .

✦ Ergo non debuit dicere *morbum latentem esse*,
cujus confessio est medicina.

2. Præterea. Principium pœnitentiæ est timor. Sed confessio est pars pœnitentiæ. Ergo non debuit pro causa confessionis ponere *spem*, sed magis *timorem*.

3. Præterea. Illud quod sub sigillo ponitur, non aperitur, sed magis clauditur. Sed peccatum quod quis confitetur, sub sigillo confessionis ponitur. Ergo non aperitur in confessione peccatum, sed magis clauditur.

4. Præterea. Inveniuntur aliam quædam definitiones ab ista differentes. Gregorius enim dicit (tom. xl. in Evang. parum a princ.) quod (1) *confessio est peccatorum detectio, & ruptio vulneris*. Quidam vero dicunt, quod *confessio est suam sacerdoti legitima peccatorum declaratio*. Quidam autem dicunt sic: *Confessio est sacramentalis delinquentis accusatio ex erubescencia, & per claves Ecclesie satisfactoria, obligans ad peragendam pœnitentiam injunctam*. Ergo videtur quod præsignata definitio, cum non omnia contineat quæ in his continentur, insufficientis sit.

Respondendo dicendum, quod in actu confessionis plura consideranda occurrunt. Primo ipsa substantia actus, sive genus ejus, quod est manifestatio quædam. Secundo de quo fiat, scilicet de peccato. Tertio cui fiat, scilicet sacerdoti. Quarto causa ejus, scilicet spes veniæ. Quinto effectus ejus, scilicet absolutio a parte pœnæ, & obligatio ad aliam partem exsolvendam. In prima ergo definitione Augustini tangitur & substantia actus in *apertione*; & de quo fit confessio, cum dicitur *morbus latens*; & causa in *spe veniæ*, & in aliis definitionibus tanguntur aliqua de illis quin quæ assignatis, ut cuilibet inspicienti patet.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis sacerdos aliquando sciat ejus peccatum ut homo, non tamen scit ut Christi vicarius, sicut etiam judex aliquando scit aliquid ut homo, quod nescit ut judex: & quantum

ad hoc per confessionem aperitur.

Vel dicendum, quod quamvis actus exterior in aperto sit, actus tamen interior, qui principium est actus exterioris, in occulto est: & ideo oportet quod per confessionem aperiatur.

Ad secundum dicendum, quod confessio præsupponit caritatem, qua quis vivus efficitur, ut in littera dicitur (IV. dist. xviii.) *Contritio autem est, in qua datur caritas; timor autem servilis, qui est sine spe, est prævius ad caritatem; sed habet caritatem magis moveret ex spe quam ex timore*. Et ideo causa confessionis ponitur potius spes quam timor.

Ad tertium dicendum, quod peccatum in qualibet confessione aperitur sacerdoti, & clauditur aliis confessionis sigillo. (2)

Ad quartum dicendum, quod non oportet in qualibet definitione omnia tangere quæ ad rem definitam concurrant. Et ideo inveniuntur quædam definitiones, sive assignationes datæ penes unam causam, quædam penes aliam.

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem repellas propositionem suspectam (ut eam pro tali refert Jac. Lep. Stronica post suum itinerarium inter alias, quas tanquam suspectas ipse excerpit ex lib. *Erasmi*) dicentem: confessionem olim fuisse publicam, & de notis commissis publicam olim fuisse satisfactionem. Iterum illam, ut ibi apparet, confessionem admissorum secretam, Hieronymi tempore nondam fuisse institutam. Ex definitionis enim particula illa, *Morbus latens*, ostenditur apertissime, quod non de publicis tantum, & notis, fuit olim, id est in primitiva Ecclesia, confessio, sed etiam de occultis. Item ex illa, cum Augustinus, cujus est definitio, fuerit Hieronymo contemporaneus, ostenditur falsum esse, quod tempore

(1) Æquivalenter sub his verbis ex homil. 40. in Evangelia: *Quid est peccatorum confessio nisi quædam vulnus ruptio? Quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestifere latet in mente*: Unde patet quod peccatorum detectio non sicut prius *detectio* legi debet, quamvis in Sententiis reliquimus, ubi abbreviate Manuscriptum habet *detectio*, sicut & in Gothico Supplemento *detectio*: Apud Albertum autem 4. Sect. dist. 16. art. 16. *detectio*, sicut nunc demum consilio maturiori reponimus. Utraque item definitio sequens ab eodem

Alberto recensetur: Et primam quidem refert inter ceteros ex Raymundo qui eam habet lib. 3. tit. de pœnitentiis & remissionibus §. 13. Secundam vero ex Magistris qui eum præcefferunt, sed non exprimit quinam illi.

(2) Hoc est *secrete* quod *sigillum* per metaphoram appellatur a similitudine literarum quæ ob signari sigillo solent, ut quod in illis continetur, involutum remaneat nec aperiri possit: Hinc varro quoque *sigillare oculos* dixit, hoc est claudere.

prore Hieronymi, &c. sumendo ly *secrētam* pro ly *de occultis*. Secundo habes, quomodo per rationem ostendas. merito damnari prædictas propositiones a Concilio Trident. *sess. 14. cap. 5. & can. 7. ut supra q. 6. art. 1. appen.* Quod si Erasmus sumat ly *secrētam* pro modo confitendi secreta, etiam positio illa damnatur ab eod. Concil. *sess. ea. canon. 6. Si quis dixeris, modum secreta confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, & observat, alium esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.* Hæc ibi. Nota, contra *Erasum*, ly *quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit.* Item a *Leone X.* in Concilio Later. &c. ut supra q. 6. art. 5. app. Tertio vides quomodo &c.

lum aperis, ut in littera (IV. dist. xvii.) Magister dicit. (2) Ergo videtur quod sit actus virtutis.

Respondeo dicendum, quod ad hoc quod aliquid dicatur actus virtutis, ut prius dictum est [*impli. art. præc. ad 3. & IV. dist. xv. quest. 111. art. 1. quest. 2. & 1. 2. quest. xviii. art. 6. & 7. & 2. 2. quest. lxxx. & quest. lxxxv. art. 3. & quest. cix. art. 3.*] sufficit quod in sui ratione aliquam conditionem implicet quæ ad virtutem pertineat. Quamvis autem non omnia quæ ad virtutem requiruntur, importet confessio; tamen importat ex suo nomine manifestationem alicujus quod in conscientia tenet aliquis: sic enim simul in unum os, & eor conveniunt. Si enim quis aliquid proferat ore quod corde non teneat, non est confessio, sed fictio. Hæc autem conditio ad virtutem pertinet ut aliquis ore confiteatur quod corde tenet. Et ideo confessio est bonum ex genere, & est actus virtutis; sed tamen potest male fieri, nisi aliis debitis circumstantiis vestiatur.

A R T I C U L U S II. 26

Utrum confessio sit actus virtutis.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod confessio non sit actus virtutis. Omnis enim actus virtutis est de jure naturali: quia ad virtutes apti sumus a natura, ut Philosophus dicit in II. Ethic. (cir. princ. Lib.) (1) Sed confessio non est de jure naturali. Ergo non est actus virtutis.

2. Præterea. Actus virtutis magis convenire potest innocenti quam ei qui peccavit. Sed confessio peccati, de qua loquimur, non potest innocenti convenire. Ergo non est actus virtutis.

3. Præterea. Gratia quæ est in sacramentis, aliquo modo differt a gratia quæ est in virtutibus, & donis. Sed confessio est pars sacramenti. Ergo non est actus virtutis.

Sed contra. Præcepta legis sunt de actibus virtutum. Sed confessio cadit sub præcepto. Ergo est actus virtutis.

Præterea. Non meremur nisi actibus virtutum. Sed confessio est meritoria, quia ca-

Ad primum ergo dicendum, quod ad confessionem modo debito faciendam, ut oportet, cujus (3) oportet, & quando, in generali inclinatur ratio naturalis: & secundum hoc confessio est de jure naturali. Sed determinatio circumstantiarum, quando, & quomodo, & quid confiteri oporteat, & cui, hoc est ex institutione juris divini in confessione, de qua loquimur. (4) Et sic patet quod jus naturale inclinatur ad confessionem, mediante jure divino, quo circumstantiæ determinantur; sicut etiam in omnibus est quæ sunt de jure positivo.

Ad secundum dicendum, quod illius virtutis cujus obiectum est (5) peccatum commissum, quamvis habitum possit innocens habere, tamen actum non habet, innocentia permanente. Et ideo etiam confessio peccatorum, de qua nunc loquimur, non competit

G 2 tit

(1) Nempe cap. 1. paulo post principium, ubi plenius ait quod *virtutes nec a natura nobis insunt, nec sunt præter naturam, sed cum ad eas quidem suscipiendas apti & idonei simus a natura, perficiuntur usque & assuetudine acquiruntur.*
 (2) Ex Ambrosio sine indice id referens lit. 1. seu 5. 1. sed sumptum est ex 34. ferm. qui feria 3. post Dominicam primam Quadragesimæ habitus est: Ubi paulo post principium: *Confessio a morte animam liberat* (inquit) *Confessio Paradisum aperit & Confessio spes salvandi tribuit: Ut & recitatur in Decretis dist. 1. de Penitentia. cap. Ecce vultu tuo*

pas: nisi quod ut ex sermone primo Quadragesimæ prænotatur.
 (3) Puta peccati sive facti; ad quod etiam reducitur non factum ex quo peccatum omissionis constituitur.
 (4) Hoc est sacramentali, per quam clavibus Ecclesie ad absolutionem a Sacerdote percipiendam se subicit confitens.
 (5) Denominando a principali parte, non a toto; eum & peccatum omissionis, ut proxime indicatum est, sit obiectum virtutis hujus quæ peccata respicit destruenda.

zic innocenti, quamvis sit actus virtutis.

Ad tertium dicendum, quod quamvis gratia sacramentorum, & gratia virtutum sit alia, & alia; non tamen sunt contraria; sed disparata: (1) & ideo non est inconueniens ut ideim sit actus virtutis, secundum quod ex libero arbitrio gratia informato procedit; & sit sacramentum, vel pars sacramenti, secundum quod est medicina in remedium peccati ordinata. (2)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem offendas; merito a scripturis sanctis, & a Conciliis insinuatum esse, quod confessio peccatorum est actus virtutis. Hoc autem tunc fuit, quando confessionem præceperunt, consuluerunt, vel ad illam nos invitauerunt: Item quando per confessionem nos mereri ducerunt: quoniam nec præcepta, consilia, vel hortationes, fiunt ab eis, nisi de actibus virtutum, nec nisi per actus virtutum, nos adulti meremur. Quod autem præcipiatur, seu consulatur confessio a scripturis sanctis; patet Isa. 43. ubi secundum translationem septuaginta interpretum dicitur. *Dic tu prior iniquitates tuas, ut iustificeris.* Hoc vero ad propositum nostrum tanto magis esse fatendum est, quanto magis auctoritate Papæ Leonis primi fulcitur: qui in epistola ad Theodorum Forojuliensem episcopum; quæ est 89. in numero juxta positionem: primi tomii Conciliarum, sic de confessione peccatorum loquens ait: *His autem, qui tempore necessitatis, & in periculi urgentis instantia, presidium penitentia, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicens est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordia Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire; apud quem nullas patitur venia moras vera conversio dicente spiritu Dei per Prophetam; Cum conuersus ingemueris, tunc saluus eris: & alibi. Dic tu iniquitates tuas prior, ut iustificeris.* Hæc ibi. Et recitatur in Decretis, de penitentiis. 1. *Multiplex.* & 26. q. 5. *His qui tempore.* Quod item consulatur a scripturis patet Jac. 5. *Confitemini peccata vestra alterutrum, ut saluemini.* Unde habes etiam secundum supradictum, quod scilicet confessione meremur saluari. Item a Concilio Moguntino hoc

idem fuit insinuatum cap. 27. *Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram prædens, si illum unius hora penitentia non iuvisset. Cum esset in pœna, penituit, & per unius sermonis professionem habitaculum paradisi, Deo promittente, promeruit.* Hæc ibi. Ubi, quia secundum contextum de confessione a suspendendis in patibulis per sacerdotes acceptanda loquitur, fatendum est, quod Concilium ipsum per verba præmissa vult, a simili, confessionem sacramentalem promereri paradysum. At infra q. 10. per totum videbitur latius de effectu, quem meretur confessio. Item a Concilio Cabilonensi, c. 32. consulitur confessio sic. *Quia constat, hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet, & corpore; & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur: solerti indagacione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena sit confessio, scilicet ut & ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat; quia aut cogitatione, aut (quod est gravius) opere eorum instinctu peccauit: odium etenim, invidia, superbia, & cetera hujusmodi anima pestes tanto periculosius ledunt, quanto subtilius serpunt.* Hæc ibi. Cum ergo ex Conciliis, scripturisque habeamus, quod confessio est meritoria: atque ad hæc & Concilia, & scripturæ nos hortentur: patet, quod secundum illa confessio est actus virtutis. Nam (ut in principio diximus) actibus virtutum meremur, & non nisi ad actus virtutum, nos hortantur sacræ literæ. Secundo habes: quomodo per rationem præmissa tum Conciliarum, tum scripturarum dicta, pro quanto confessionem innuunt esse actum virtutis, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 77

Utum confessio sit actus penitentia vivemur.

AD tertium sic proceditur Videtur quod confessio non sit actus penitentia virtutis. Quia actus illius virtutis est quæ est causa ejus. Sed causa confessionis est spes veniz,

(1) Quæ nec invicem se includunt necessario, nec invicem excludunt.

(2) Sicut penitentiam a Patribus vocari jam no-

tatum est supra: Hinc ad virginem lavsam cap. 8. Ambrosius: *Penitendo peccatoribus necessaria est, si res vulnerari medicamina &c.*

niz, ut ex definitione inducta (art. 1. hu. quæst.) apparet. (1) Ergo videtur quod sit actus spei, & non pœnitentiæ.

2. Præterea. Verecundia est pars temperantiæ. Sed confessio ex erubescencia operatur, ut ex præsignata definitione (art. 1. hu. quæst.] apparet. (2) Ergo est actus temperantiæ, & non pœnitentiæ.

3. Præterea. Actus pœnitentiæ innitur divinæ misericordiæ. Sed Confessio magis innitur sapientiæ propter veritatem, quæ in ipsa esse debet. Ergo non est actus pœnitentiæ.

4. Præterea. Ad pœnitentiam movet articulus de iudicio (3) propter timorem, qui pœnitentiæ origo est. Sed ad confessionem movet articulus de vira æterna, quæ est propter spem veniæ. Ergo non est actus pœnitentiæ.

5. Præterea. Ad virtutem veritatis pertinet ut ostendar se quis talem, qualis est. Sed hoc facit confitens. Ergo confessio est actus virtutis, quæ dicitur veritas, & non pœnitentia.

Sed contra. Pœnitentia ordinatur ad destructionem peccati. Sed ad hoc idem ordinatur confessio. Ergo est actus pœnitentiæ.

Respondeo dicendum, quod hoc in virtutibus considerandum est, quod quando supra objectum virtutis additur specialis ratio boni, & difficilis, requiritur specialis virtus; sicut magni sumptus ad magnificentiam pertinent, quamvis communiter sumptus mediocres, & donationes pertineant ad liberalitatem, ut patet in II. Ethic. & in IV. (4) Et similiter est in confessione veri, quæ quamvis ad veritatis virtutem pertineat absolute, tamen secundum quod aliqua ratio boni ad-

ditur, ad aliam virtutem pertinere incipit. Et ideo dicit Philosophus in IV. Ethicor. (cap. VII. ante med.) quod confessio quæ fit in iudiciis, non pertinet ad veritatis virtutem, sed magis ad iustitiam. Et similiter confessio beneficiorum Dei in laudem divinam non pertinet ad virtutem veritatis, sed ad virtutem patriæ. Et ita etiam confessio peccatorum, ad remissionem eorum consequendam, non pertinet elicitive ad virtutem veritatis, ut quidam dicunt, sed ad virtutem pœnitentiæ; imperatice autem ad multas virtutes pertinere potest, secundum quod in finem multarum virtutum trahi potest confessionis actus.

Ad primum ergo dicendum, quod spes est confessionis causa, non sicut eliciens, sed sicut imperans.

Ad secundum dicendum, quod erubescencia in illa definitione non ponitur quasi causa confessionis, cum magis nata sit impedire confessionis actum; sed magis quasi concausa ad liberandam a pœna, in quantum ipsa erubescencia pœna quædam est; sicut etiam claves Ecclesiæ concausæ confessionis ad hoc sunt.

Ad tertium dicendum, quod secundum quamdam adaptationem partes pœnitentiæ tribus attributis personarum adaptari possunt; ut contritio misericordiæ, vel bonitati respondeat, propter dolorem de malo; confessio sapientiæ, propter veritatis manifestationem; satisfactio potentis, propter satisfaciendi laborem. Et quia contritio est prima pars pœnitentiæ, efficaciam alii partibus præbeas, (5) ideo eodem modo iudicatur de tota

ta

(1) Quæ sub nomine Augustini assignata est omnium prima.

(2) Ea nimirum quæ ultimo seu quarto loco notata est, ac ex Magistris indefinite mutuata.

(3) Seu articulus quo venturus dicitur Christus iudicare vivos & mortuos: Hinc Matthæi 3. vers. 7. *Progenies viperarum quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ: Ut & Luc. 3. vers. 7. verbis paululum immutatis: Ubi præinde Ambrosius: Cum id dicitur (inquit) ostenditur his Dei miseratione infusa prudentia, ut gerant suorum pœnitentiam delictorum, futuri terrorem iudicij prævida devotione metuentes.*

(4) Secundum quidem Ethicorum cap. 7. græco-lat. vel cap. 8. in antiquis & apud S. Thomam lect. 8. Sed 4. Ethicorum cap. 1. & 3. vel 2. & 4. Appendix autem sequens ex 4. Ethic. quæ prius rursus ex cap. 9. indicabatur ad marginem nec ibi vel per ambam habetur, colligitur potius ex cap. 13. græco-lat. vel cap. 14. in antiquis & apud S. Thomam lect. 14. ubi *veracem* definiens vel ejus rationem ex-

plicans Philosophus non eum a se intelligi præmittit *qui in confessionibus (id est passionibus, quædam) verum dicit, sive in iis quæ ad injustitiam vel iustitiam spectant; hoc enim (inquit) alterius virtutis est.*

(5) Juxta ea quæ superius notata sunt cum de contritione ageretur, & rursum notabuntur cum de confessionis conditionibus vel de valore satisfactionis ageretur, &c. Istarum autem trium partium adaptationem hic indicatam sic plenius Albertus 4. Sentent. dist. 16. art. 18. explicavit: *Pœnitentia (inquit) in tribus partibus suis configuratur Trinitati increata: Compunctio enim sive contritio quæ ex modica pœna commutat æterna tormenta, tota immittitur bonitati quæ attribuitur Spiritui sancto: Confessio autem quæ legitima est & prudens computatio peccatorum ut æstimeretur ad pœnitentiam, respondet sapientiæ quæ attribuitur Filio: Et satisfactio quæ secundum vires amplectitur injuncta, suscipitur potentia quæ Patri appropriatur, &c.*

ta pœnitentia sicut de contritione.

Ad quartum dicendum, quod quia confessio magis ex spe procedit quam ex timore, ut dictum est (att. 1. hu. quest. ad 2.) ideo magis innititur articulo de vita æterna, quam respicit spes, quam articulo de iudicio, quod respicit timor; quamvis pœnitentia ratione contritionis e converso se habeat.

Ad quintum patet solutio ex dictis (in corp.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, ab epistola synodica *Thevassi* Episcopi Constantinopolitani insinuatam merito fuisse, quod confessio sit actus pœnitentia virtutis. Hæc epistola ponitur ante Synodum *Nicenam* secundam tanquam præambula, in tomo 3. Conciliorum Colonia: 1567. impressorum, & dicit sic. *Bona, & laudabilis est pœnitentia, quæ ad Deum ducit, & a peccatis liberat; &c.* Dixit enim per Prophetam: *Tu primus dic iniquitates tuas, ut justificeris. Et dixi: eloquar iniquitatem meam coram Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Nam, si pater filio peregre existente, & rem impie, & inique agente, redeuntem, iterum ad se naturali amore persequitur: quanto magis Deus omnium nostrum pater omnem pœnitentem suscipiet in ulnis suis, cum sit singulariter misericors? Non enim matrem petis peccatoris, sed magis, ut convertatur, & vivat. Quomodo etiam in Evangelio ab ipsa Domini voce per parabolam de prodigo, & postea pœnitente instructi sumus a Patre caelesti recepto in cœlis. Gaudet enim supra hominem omnem agentem pœnitentiam.* Hæc ibi. Ubi vides, hunc episcopum loqui de pœnitentia virtute, quæ utique ad Deum ducit, a peccatis liberat, impium redeuntem suscipi facit a Deo in ulnis suis, atque cum gaudio recipi in cœlis: & eundem huic pœnitentia confessionem peccatorum, tanquam effectum ab ipsa profluentem assignare, dum ait, quod Dominus dicit pœnitenti per Prophetam: *Dic tu primus iniquitates tuas, ut justificeris; & Davidis illud annectit, Dixi, eloquar, &c.* Id est secundum aliam translationem, *dixi, confitebor, &c.* Antiquitas enim pœnitentia, licet peccatoribus necessaria ad gratiam consequendam foret, non erat sacramentum, sed solum virtus. Unde Concil. *Trid.* sess. 14. e. 1. ait: *porro nec ante Christi adventum pœnitentia erat sacramentum: nec est post adven-*

sum illius cuique ante baptismum. Hæc ibi. Ex quo etiam patet, quod pœnitentia quæ induxit filium illum prodigum ad confessionem, qua dixit *ly peccavi in calum, &c.* non est sacramentum, sed virtus, & consequenter, quod confessio secundum epistolam synodicam præmissam de filio tali loquentem est actus pœnitentia virtutis. Dixit enim *ly peccavi*, postquam in se reversus suum malum statum dolendo cognoverat, quod pœnitentiam virtutem sonat, 3. *par. quasi. 9. 85. ar. 1.* Secundo igitur habes: quomodo per eandem rationem ostendas, merito insinuatam esse a scripturis *Luc. 15.* illud idem, quod scilicet confessio peccatorum est actus virtutis. Quod autem dico de uno loco scripturae, intelligito etiam de tabulis omnibus, sicut, & quod de aliquo Concilio dicto, etiam de omnibus consimilibus, ut bene consideranti patere potest. Hoc autem sit pro regula memoriale semper, ne in allegationibus nimis lectorem studiosum inutiliter sermo gravemus. Quid autem sit pœnitentia virtus, quinimo etiam ut pateat expresse, synodicam illam epistolam, & consequenter scripturas inibi citatas de tali pœnitentia loqui, ejusdem epistolæ verba, quæ immediate post antelcripta subintulit, declarant in hunc modum. „ Pœnitentia insignis est armatura, magna salutis via, hospitii regni cœlorum dispensatrix, incorruptibilis via dux, martiriorum certaminum æquiparatio, ad Deum viam indicans, & cum ipso nos esse faciens, humani generis baculus, cadentium, & lapsorum, succursio. Beati, qui hanc amplectuntur, & huic adhærent, qui hanc excercent, cum Angelis vitam æqualem ducunt, ab omni malo declinant, & bonum faciunt. Pœnitentia est coalitina, & familiaris dilectionis, eleemosinæ, jeiunii, abstinentiæ, temperantiæ, probitatis, honestatis, mansuetudinis &c. (ut verum uno verbo dicam) hæc omnia pollet pœnitentia. Si quis autem hanc contaminat, & contemnit, non inter servatos, sed inter perditos, numerandus est, quorum vermis non moritur, & ignis non extinguitur. „ Hæc ibi. Tertio habes: quomodo per rationem, præmissa epistolæ, scripturarumque dicta, pro quanto confessionem decernunt esse actum pœnitentia virtutis, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.

QUÆSTIO VIII.

De Ministro Confessionis,

In septem articulos divisa,

DEinde considerandum est de ministro confessionis.

Circa quod quæzuntur septem.

Primo, utrum necessarium sit confiteri sacerdoti.

Secundo, utrum in aliquo casu liceat aliis quam sacerdotibus confiteri.

Tertio, utrum extra casum necessitatis possit aliquis non sacerdos confessionem venialium audire.

Quarto, utrum sit necessarium quod homo confiteatur proprio sacerdoti.

Quinto, utrum possit aliquis alteri quam proprio sacerdoti confiteri ex privilegio, vel mandato superioris.

Sexto, utrum poenitens in extremo vitæ suæ possit absolvi a quolibet sacerdote.

Septimo utrum poena temporalis taxari debeat secundum quantitatem culpæ.

ARTICULUS I. 28

Utrum necessarium sit confiteri sacerdoti.

S. Thom. ubi supr. art. 3. quæst. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non sit necessarium sacerdoti confiteri. Ad confessionem enim non obligamur nisi ex divina institutione. Sed divina institutio nobis proponitur Jacobi v. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* (1) ubi non fit mentio de sacerdote. Ergo non oportet confiteri sacerdoti

2. Præterea. Poenitentia est necessitatis sacramentum, sicut & baptismus. Sed in ba-

ptilimo propter necessitatem sacramenti est minister quilibet homo. Ergo & in poenitentia. Sed ministro poenitentiz facienda est confessio. Ergo sufficit cuilibet confiteri.

3. Præterea. Confessio est ad hoc necessaria ut taxetur poenitenti satisfactionis modus. Sed aliquando non sacerdos discretius posset poenitenti dare satisfactionis modum quam multi sacerdotes. Ergo non est necessarium quod confessio fiat sacerdoti.

4. Præterea. Confessio ad hoc est ordinata in Ecclesia, ut rectores pecorum suorum vultum cognoscant. Sed quandoque rector, vel prælatus non est sacerdos. Ergo confessio non semper facienda est sacerdoti.

Sed contra. Absolutio poenitentis, propter quam fit confessio, non fit nisi a sacerdotibus, quibus claves commissæ sunt. Ergo confessio debet fieri sacerdoti.

Præterea. Confessio præfiguratur in Lazari mortui vivificatione. (2) Sed Dominus solum discipulis præcepit ut solverent Lazarum, ut patet Joan. xi. Ergo sacerdotibus facienda est confessio.

Respondeo dicendum, quod gratia, quæ in sacramentis datur, a capite in membra descendit. Et ideo solus ille minister est sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum: quod solius sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest. Et ideo cum in sacramento poenitentiz gratia conferatur, solus sacerdos minister est hujusmodi sacramenti: & ideo ei soli facienda est sacramentalis confessio, quæ ministro Ecclesie fieri debet.

Ad primum ergo dicendum, quod Jacobus loquitur ex præsuppositione divinæ institutionis: & quia divinitus institutio præcesserat de confessione sacerdotibus facienda, per hoc quod eis potestatem remittendi peccata in Apostolis dedit, ut patet Joan. xx. ideo intelligendum est quod Jacobus sacerdotibus confessionem esse faciendam monuit (3).

Ad

(1) Ut intelligit Augustinus expresse lib. 50. homiliarum homil. 12. statim ab initio: *In omnibus scripturis divinis utiliter ac salubriter admonemur ut peccata nostra debeamus jugiter & humiliter non solum Deo sed etiam Sanctis & Deum timentibus confiteri: Sic enim per Jacobum Apostolum nos admonet Spiritus Sanctus, Confitemini alterutrum peccata vestra, &c.*

(2) De qua sic egregie Gregorius lib. 32. Moral. cap. 9. versus finem; *Mortuo Lazaro qui magna male premebatur, nequaquam dicitur Revivisce, sed*

Veni foras: Ex qua scilicet resurrectione que gesta est in illius corpore, signatur qualiter nos resuscitemur in corde; ut homo in peccato suo mortuus & per molem male consuetudinis jam sepultus, quia intra conscientiam suam absensus jacet per nequitiam, a semetipso foras exeat per confessionem. Non ergo illa vivificatio habitualis intelligitur semper sed actualis.

(3) Hinc ibi Beda: *In hac sententia (inquit) illa debet esse discretio ut quotidiana levique peccata conqualibus alterutrum confiteamur; porro gravioribus*

Ad secundum dicendum; quod baptismus est magis sacramentum necessitatis quam pœnitentia quoad confessionem, & absolutionem: quia quandoque baptismus prætermitti non potest sine periculo salutis æternæ, ut patet in pueris, qui non habent usum rationis; sed non est ita de confessione, & absolutione, quæ tantum ad adultos pertinent, in quibus contritio cum proposito confitendi, & desiderio absolutionis sufficit ad liberandum a morte æterna. Et ideo non est simile de baptismo, & confessione.

Ad tertium dicendum, quod in satisfactione non solum attendenda est quantitas pœnæ, sed etiam virtus ejus, secundum quod est pars sacramenti: & sic requirit sacramentorum dispensatorem; quamvis etiam ab alio quam a sacerdote quantitas pœnæ taxari possit.

Ad quartum dicendum, quod cognoscere vultum pecoris, ad duo potest necessarium esse. Primo ad hoc quod coordinetur gregi Christi: & sic cognoscere vultum pecoris pertinet ad curam, & sollicitudinem pastorem, quæ incumbit quandoque illis qui non sunt sacerdotes. (1) Secundo ad hoc quod provideatur ei competens medicamentum salutis: & sic cognoscere vultum pecoris pertinet ad eum cujus est medicamentum salutis (scilicet sacramentum Eucharistiæ) & alia præbere (scilicet ad sacerdotem.) Et ad talem cognitionem pecoris confessio ordinatur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem confutes hæresim Lutheri dicentis, confessionem audire, & pœnitentem absolvi posse omnes homines cujuscumque conditionis fuerint. Nec obstat, quod ille negaret radicem probationis conclusionis D. Th. sacramenta videlicet conferre gratiam: quoniam Lutherus ipse sacramenta non conferre gratiam artic. suo 1. per Rossensem adducto affirmat. Nec etiam obstat, quod negaret ipse, confessionem esse sacramentum, ut supra qu. 6. art. 2. ipsum hoc erronee negantem in append. vidimus. Item non obstat,

quod *Valdenses* (Prat. *Pauperes de Lugdano*) quasi faventes Lutheranz positioni in principio narratz, negarent D. Tho. probationis vim illam, sacerdotem videlicet solum consecrare Eucharistiæ: quoniam dicunt, omnem hominem justum suæ factionis, etiam si laicus fuerit, posse consecrare corpus Christi. Sublato enim hoc fundamento, quod scilicet solus sacerdos consecrare possit corpus Christi, nonne statim vides hæresim Lutheranz sequi, quod laici confessionem audire, & absolvi possunt? Hæc, inquam, non obstant, idest non faciunt, quod D. Thomæ ratio in corpore articuli adducta minoris efficaciz sit contra hæresim Lutheri primo allatam. Quod enim sacramenta novæ legis conferant gratiam, patet 3. par. qu. 62. art. 1. in decreto *Eugenii IV.* sacro approbante *Conc. Florent.* de sacramentis dato Armenis, & in *Concil. Trid. sess. 7. can. 6. 7. 8.* de sacramentis, ubi etiam anathematizatur contrarium, & in bulla *Leonis X.* ubi positio Lutheri de negatione collationis gratiz narratur, atque damnatur. vide Bullam illam in 4. tomo *Concil. post Conc. Lateran.* sub eodem Leone: vide & Rossensem contra Lutheri articulum illum primum mirifice pugnantem, eumque legitime expugnantem. Quod autem confessio sit sacramentum, patet supra qu. 6. art. 2. *append.* per auctoritates canonicè concludentes. Quod vero solus sacerdos corpus Christi consecrare possit, patet 3. par. qu. 82. art. 1. & in *Conc. Trid. sess. 23. ca. 1. 4. & can. 1. 6.* & in Hymno secundo Corporis Christi ab Ecclesia solemniter approbato, ubi de consecratione sacramenti Eucharistiæ loquendo dicitur, *sic sacrificium istud instituit, cujus Officium commissi vultis solis presbyteris.*

Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illam Lutheri in principio dictam damnari merito a *Conc. Trid. sess. 14. c. 6. Declarat sancta Synodus, falsos esse, & a veritate Evangelii pœnitentis alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, & sacerdotes, clavium ministerium perniciosè extendunt.* Hæc ibi. Et *Can. 10. Si quis dixerit, non solos sacerdotes esse ministros* ab-

vis lepræ immunditiam Sacerdoti pondamus atque ad ejus arbitrium qualiter & quanto tempore jufferis, purificari curemas: Alludendo ad legem lepræ quæ leprosum jubebat ostendere se Sacerdoti ut eam judicare ac discernere possit.

(1) Quia nimirum ante sacerdotium sunt electi ad

pastoralem curam: electus autem statim a sua electione vel confirmatione potest ea præstare quæ ad jurisdictionem pertinent, ex cap. *Transmissam* quod est *Cælestini 3.* Extra de electione & de electi potestate, *prout ecclesiastica convenis utilitati, &c.*

absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictum, quaecumque ligaveritis, &c. quaecumque solveritis, &c. quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; &c. anathema sit. Item merito, &c. ut supra qu. 6. ar. 1. & 2. maxime in append. Item 2, &c. ut nunc supra in corollar. post ad 3. Item ab Eugenio IV. in suo Decr. de sacram. ubi, sacro approbante Concilio Florent. dicit: secunda pars, poenitentiae scilicet, est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Hæc ibi. Item ab Innocentio III. in Concil. Later. sic ca. 21. dicente: Omnis utriusque sexus omnia peccata sua confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio sacerdoti, vel alieno, prius tamen impetrata venia a proprio sacerdote, quoniam aliter ille ipsum non potest absolvere, vel ligare. Hæc ibi. Et recitatur extr. de poenit. & remis. cap. Omnis. Ecce, quod, Papa testante, nec Sacerdos potest alterius patochianum absolvere, illius curati venia non impetrata, ergo secundum Papam multo minus laici possunt absolvere sibi contententes, ut ait sup. Lutherus. Ergo secundum Papam soli sacerdoti, tanquam Christi ministro, facienda confessio est. Item a Loone X. in Bulla Lutheri errores damnante. Dum enim damnat hunc verbaliter dicentem, in poenitentia sacramento ac remissione culpæ non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus sacerdos, immo, ubi non est sacerdos, a quo tantum quilibet christianus, etiam si mulier, aut puer esset; dum, inquam, verbaliter sic jacentem damnat, virtualiter & damnasse vult similem huic in principio appendix dictum, ut patet. Vide damnationem hanc supra qu. 1. ar. 1. At forsan. Lusberus hæresim suam prædictam alia quadam via defendere voluit, dum inquit (Prat. teste, viz. Lusberani) christianos omnes sacerdotes esse, & æqualem habere potestatem, nulla status, aut sextus discretionem facta. Sic enim & soli sacerdoti (ut ait S. Th. concl.) & nihilominus cuilibet Christiano laico pro absolutione confessio fiet (ut Lutherus contendit.) Ceterum hæresis hæresim peperit, & damnata damnanda. Hæc liquidem, quam postremo retulimus. damnatur a Conc. Trid. sess. 23. c. 4. sic: Quod si quis omnes Christianos promiscue novi testamenti sacerdotes esse, aut pari omnes inter se potestate spirituali præditos, affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, que est, ut castrorum acies ordinata, confundere: perinde ac si contra B. Pauli do-

Summ. S. Th. Tom. XIII.

ctinam, omnes Apostoli, omnes Prophetae, omnes Evangelista, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Hæc ibi. Et huic suæ doctrinæ Synodus eadem correspondens can. 6. ait; Si quis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, que constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris: anathema sit. Hæc ibi. Hoc autem dicit, qui eam confundit; & eam confundit, qui omnes christianos promiscue, &c. (ut sup. ex eodem Conc.) ergo Lutheri positio, quæ hæc dixit, pro hæresi nunc damnata est. Item damnatur a Synodo Oltava generali. Ad hanc enim Synodum, cum jam esset ad calcem perducta, Basilius Imperator post lectionem orationis suæ dixit: „ Dicat nunc quicumque voluerit ex „ sedentibus in hac sancta, & universali Sy- „ nodo, in quo istorum hæretet, vel ambi- „ gat, quæ nunc lecta sunt, & sancta Sy- „ nodus exclamavit: Omnibus placent, quæ „ lecta sunt, omnes iisdem ipsis concordamus, omnes libenter subscribimus. Hæc „ ibi. Antea autem in eadem oratione Basili „ lecta fuerant hæc verba: De vobis autem „ laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui „ absolute conversamini, quid amplius dicam, non habeo, quam, quod nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hæc enim investigare, & querere, Patriarcharum, Pontificum. & Sacerdotum est: qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui solvendi, & ligandi potestatem habent, qui ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus. Quantæcumque enim religionis, & sapientiæ laicus existat, vel etiam si universa virtute interius polleat, donec laicus est, ovis vocari non desinet. Rursum: Episcopus, quantacumque sit irreverentia, plenus, & nudus omni virtute, donec antistes est, & veritatis verbum recte prædicaverit, pastoralis vocationis: & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio est, in ordine ovium, constitutis? Pastores verborum subtilitatem discutendi, & ea, quæ supra nos sunt, querendi, & ambiendi potestatem habent. Oportet nos ergo cum timore, & fide sincera hos audire, & facies eorum vereri (cum sint ministri Domini omnipotentis, & huius formam possideant:) & nihil amplius, quam ea, quæ nostri ordinis sunt, requi-

„ rere. Nunc autem (ut videmus) adeo
 „ multos malitia in infantiam accendit, ut
 „ obliuiscetes proprii ordinis, & quod pe-
 „ des sint minime cogitantes, legem ponere
 „ velint oculis (non ut natura se habet)
 „ sicut ipsi cupiunt, & singuli ad accusandum
 „ quidem majores semper existunt promptis-
 „ simi, ad corrigendum autem ea, in qui-
 „ bus accusantur, & criminantur, pigerrimi.
 „ Et moneo, & exhortor omnes, qui tales
 „ sunt; ut maledictum, & alternum odium
 „ avertentes, & judicare iudices desinen-
 „ tes, attendant sibi; & secundum divinam
 „ voluntatem conuersari contendant. Nam
 „ non quiescet supernum iudicium: sed con-
 „ tra dissidentes diuinus furor stillabit, &
 „ iustam ultionem opere cunctis ostendet. „
 Hæc ibi: & ponitur ista Basiliæ oratio in
 fine Synodi 8. generalis. Ergo, secundum
 istam, Basilio (ut vidimus) subscribentem,
 Laici etiam in dignitate imperiali constituti
 non habent potestatem ligandi, aut solvendi,
 non habent claves cœlestes, atque ecclesiasticas
 habent: atque ideo sacerdotes non sunt, nec
 eis pro absolutione consistendum est. Vide.
 Lutherus etiam mulieribus, puerisque (infan-
 dum profecto) potestatem absolvendi, etiam
 Papalem, tribuit: & Imperator hanc ipsam,
 etiam sacerdotalem, tam sibi, quam ceteris
 omnibus laicis non competere, liquido fate-
 tur. Lutherus laicos de Synodis, sicut ipsi cu-
 piunt, judicare posse contendit, statuta illarum
 discutiendi, querendi, ambiendi, potestatem laicis
 attribuit: & Imperator hoc esse contra
 naturam efficacissime decernit, utpote, quod
 pedes legem ponere velint oculis. Vide. Si
 tantam pœnam comminatur a Deo laicis,
 Imperator, tam monstruosa attentantibus,
 quantam putas manere Luthero, Calvino,
 atque similibus, qui laicos talia præsumere
 docuerunt? Consule Rossensem in loco supra
 in coroll. post ad 3. allegato. Tertio habes,
 quomodo per rationem antedictam tum Im-
 peratoris, tum Conciliorum, pro quanto soli
 sacerdoti insinuant faciendam esse confes-

sionem, & intelligas, & probes, & defen-
 das. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 29

Utrum in aliquo casu liceat aliis quam sacerdotibus confiteri.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod
 in nullo casu liceat aliis quam sacerdotibus
 confiteri. Quia confessio sacramentalis
 accusatio est, (1) ut ex supraposita definitionibus
 (quæst. præc. art. 1.) habetur. Sed dispensatio
 sacramenti ad illum tantum pertinet
 qui est sacramenti minister. Cum ergo mi-
 nister sacramenti pœnitentiæ proprius sit sa-
 cerdos, videtur quod nulli alii sit confessio
 facienda.

2. Præterea. Confessio in quolibet iudicio
 ad sententiam ordinatur. Sed sententia in foro
 contentioso non a suo iudice lata nulla
 est: (2) & ideo non facienda est confessio
 nisi iudici. Sed iudex in foro conscientie
 non est nisi sacerdos qui habet potestatem li-
 gandi, & solvendi. Ergo non est alii con-
 fessio facienda.

3. Præterea. In baptismo quilibet potest
 baptizare: quia si baptizat laicus, etiam ab-
 sque necessitate, non debet a sacerdote ba-
 ptismus iterari. Sed si aliquis confiteatur laico
 in casu necessitatis, iterum tenetur sacerdoti
 confiteri, si articulum necessitatis evadat.
 Ergo confessio non debet fieri laico in
 casu necessitatis.

Sed contra est quod in littera determinatur.
 (IV. dist. xvii.)

Respondeo dicendum, quod sicut baptismus
 est sacramentum necessitatis, ita & pœnitentia.
 Baptismus autem, qui est sacramentum
 necessitatis, duplicem habet ministrum:
 unum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet
 sacerdotem, alium cui ratione necessitatis
 dispensatio baptismi committitur: &
 ita etiam minister pœnitentiæ, cui confessio
 est facienda ex officio, est sacerdos; sed in
 ne-

(1) Vel transposita constructione: *Confessio accusatio sacramentalis est*: Sic enim habet supradicta definitio quæst. 7. art. 1. *Confessio est sacramentalis delinquentis accusatio, &c.*

(2) Sive nullam obtinet firmitatem, ait Innocentius 3. ut c. *Ad nostram audiensiam* Extra de consuetudine videre est. Et similiter in Decretis causa 3. quæst. 8. cap. *Accusatores* ex epistola prima Zephirini Papæ ad Episcopos Siciliæ directâ: *Nullum sententia a non suo iudice directâ constringas: quia*

& leges sæculi id ipsum fieri præcipiunt: scilicet in codice lib. 7. tit. de sententiis & interlocutionibus omnium iudicum, lege penultima, ut subiungitur causa 9. quæst. 2. cap. Nullus ex Calixto epist. 2. quam ad Episcopos Galliarum scribit: Nullus alicuius parochianum (sive diocesanum) iudicare præsumat quia salis iudicatio nec vara erit nec vires ullas habebit, quoniam nullus alicuius iudicis nisi sui sententia tenebitur aut damnabitur, &c.

necessitate etiam laicus vicem sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit.

Ad primum ergo dicendum, quod in sacramento poenitentiae non solum est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio, & satisfactio in iunctio; sed etiam aliquid ex parte ipsius qui suscipit sacramentum, quod est etiam de essentia sacramenti, sicut contritio, & confessio. Satisfactio autem iam incipit esse a ministro, in quantum eam in iungit, & a poenitente, in quantum eam implet; & ad plenitudinem sacramenti utrumque debet concurrere, quando possibile est. Sed quando necessitas imminet, debet facere poenitens quod ex parte sua est, scilicet conteri, & confiteri cui potest: qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat id quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen sacerdotis summus sacerdos supplet (1). Nihilominus confessio laico ex defectu sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo; quamvis non sit sacramentum perfectum, quia deest ei id quod est ex parte sacerdotis.

Ad secundum dicendum, quod quamvis laicus non sit iudex ejus qui sibi confitetur; absolute tamen ratione necessitatis accipit iudicium super eum, secundum quod confitens ex defectu sacerdotis se ei subdit.

Ad tertium dicendum, quod per sacramenta homo non solum Deo, sed etiam Ecclesiae oportet quod reconcilietur, Ecclesiae autem reconciliari non potest, nisi sanctificatio Ecclesiae ad eum perveniat. In baptismo autem sanctificatio Ecclesiae ad hominem pervenit per ipsum elementum exterius adhibitum, quod verbo vitae sanctificatur secundum for-

mam Ecclesiae, a quocumque detur: & ideo ex quo semel baptizatus est a quocumque, non oportet quod iterum baptizetur. Sed in poenitentia Ecclesiae sanctificatio non pervenit ad hominem nisi per ministrum: quia non est ibi aliquod elementum corporale exterius adhibitum, quod ex sanctificatione invisibilem gratiam conferat. Et ideo quamvis ille laico confessus in articulo necessitatis consecutus sit veniam a Deo, eo quod propositum, quod concepit confitendi secundum mandatum Dei, sicut potuit, implevit, non tamen adhuc Ecclesiae reconciliatus est, ut ad sacramenta Ecclesiae admitti debeat, nisi prius a sacerdote absolvatur; sicut ille qui baptismo flaminis baptizatus est, ad Eucharistiam non admittitur. Et ideo oportet quod iterum confiteatur sacerdoti, cum copiam habere potuerit; & praecipue quia, ut dictum est (in resp. ad 1.) sacramentum poenitentiae perfectum non fuit: unde oportet quod perficiatur, ut ex ipsa perceptione sacramenti plenior effectum consequatur, & ut mandatum de poenitentiae sacramento reclinando impleat.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem quasi a fortiori rejctias haereses Jacobitarum, Lutheri, Valdensium, Albanensium, ut supra qu. 6. ar. 1. append. concorditer dicentium, Confessionem non esse necessariam. Adeo enim necessarium est confiteri sacerdoti, ut necessitas ipsa causet, quod licitum sit, in absentia sacerdotis concurrente necessitatis casu confiteri laico ex desiderio sacerdotis,

H 2 tis,

(1) Puta Christus. habita ratione bonae fidei quam in ea occasione praestat qui confitetur tali modo quo potest: Hinc & illius confessionem quodammodo sacramentalem vocat S. Thomas, quia facere illam vellet in sacramento si minister adesset sacramenti. Quod sic autem fieri possit, indicat author libri de vera & de falsa poenitentia (falso creditus Augustinus) cum ait: *Tanta vis est confessionis us si deest sacerdos, confiteatur laico: sive proximo*, ut cap. 10. textus originalis habet, ac Magister Sententiarum refert ubi sup. Et hinc equidem S. Thomas motus est quasi auctoritate Augustini qualis tunc putabatur, ut hanc doceret quae hic docet. Nec ex Martino 9. ad appendicem Concilij Constantiensis quidquam tale inferri potest; ubi suspectos de erroribus Wiclei interrogari jubet *utrum credant quod Christianus ultra contritionem cordis habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti ex necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico seu laicis quantum-*

cinque bonis, & devotis: Non enim sensus esse debet quasi per oppositum velit quod laico debeat confiteri non habita copia sacerdotis, ut fingi posset sed quod in eo casu corde conteri sufficiat: Quia intentum Pontificis non aliud est quam errorem wiclei explodere; cuius hic erat articulus 7. quod si homo debito fuerit contritus omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis: unde nihil aliud vult inferre per oppositum nisi quod cum adest copia sacerdotis & non aliter, teneatur aliquis confiteri. Perperam porro velut ex Concilio Triburiensi praenotatur cap. Fures Extra de furtis quod si furando comprehensus vel vulnerati Presbytero vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus: Legendum enim. Si comprehensus & vulnerati; Deoque & Sacerdoti confessi, &c. ut in Decretis Causa 13. intra simile caput Fures Appendix notat, & sic tom. 3. Concil. parte 1. legitur.

tis. Item hæresim Joannis Wicleff, ut 3. par. quest. 69. art. 1. append. dicentis, quod si contritio adfit, confessio exterior omnis est sibi inutilis, & superflua. Vides enim hic, quod contritio in casu necessitatis confessio etiam laico confessio est utilis: cum a summo sacerdote talis tunc absolvatur, ut infra ad primum. Item hæresim Manicheorum, supra quest. 6. art. 2. append. dicentium, quod confessio peccatorum facta sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ nihil valet ad salutem. Si enim confessio facta etiam laico ex desiderio sacerdotis Romanæ Ecclesiæ valet ad salutem, ut hic dicitur, & verum est; multo utique magis facta sacerdoti Romanæ Ecclesiæ valebit ad salutem, ut patet. Ex desiderio, inquam, sacerdotis Romanæ Ecclesiæ: quoniam textus alium sensum non habet. Nullum siquidem verum est sacerdotium extra Romanam Ecclesiam, quod scilicet ab ipsa non dependeat, & ab ipsa non instituitur. Omnes enim Christi Ecclesiæ ad unam referuntur, tanquam ad suam matrem, & magistram, ad Romanam scilicet Ecclesiam. Hoc significavit Nicolaus Primus Papa, quando de Romana Ecclesia, & sede Apostolica scribens, ait: *Omnes, sive patriarche cujuslibet apicem, sive metropolis primatus, sive Episcopatum cathedras, vel ecclesiarum cujuscumque ordinis dignitatem, instituit Romana Ecclesia. Illam vero solus ipse fundavit & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni simul, & cælestis imperii jura commisit.* Hæc ille, & recitatur in Decr. volum. dist. 22. cap. 1. *Mediolanensibus.* Hoc idem ostendit Conc. Trid. sess. 23. c. 4. *Docet sacrosancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, sacerdotum, & ceterorum ordinum nec populi, nec cujusvis secularis potestatis, & magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit, eos, qui tantummodo a populo, aut seculari potestate, ac magistratu vocati, & instituti ad hæc ministeria ascendant, & qui ea propria se meritare sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures, & latrones, per ostium non ingressos habendos esse. Et can. 7. Si quis dixerit, eos, qui nec ab ecclesiastica, & canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt: sed aliunde veniunt: legitimos esse verbi, & sacramentorum ministros; anathema sit.* Hæc ibi. Quid autem per Ecclesiasticam, & canonicam potestatem isto in loco intellexerit, hoc idem Concilium insinuat, dum sess. 7. can. 3. de Baptismo, & sess. 14. can. 3. de extrema unctio-

ne, & sess. 22. can. 2. & sess. 2. de doleto ciborum, dicit, sanctam Romanam Ecclesiam esse omnium Christi Ecclesiarum matrem, & magistram. Si qui ergo sacerdotes sunt quorum ordinatio a Romana Ecclesia: tanquam a sua matre, & magistra non dependeat, hi procul dubio sacerdotes Domini non sunt. Unde Anacletus Papa natione Græcus illud ipsum insinuans in ep. 2. universis Episcopis per Italiam constitutis, ait: *Breviter, prout Dominus tribuit, & ut a B. Petro principe Apostolorum sumus instructi, a quo & presbyter sum ordinatus, scribere vobis, sicut petiistis, non denegavimus, Ordinationes episcoporum, auctoritate Apostolica, ab omnibus, qui in eadem fuerint provincia, Episcopis sunt celebranda, &c. Reliqui vero sacerdotes a proprio ordinantur Episcopo.* Hæc ibi; & recitatur in decr. dist. 74. 75. *ordinationes Episcoporum.* Idem in ep. 3. omnibus Episcopis, ac reliquis Christi sacerdotibus, ait: „ Sacerdotum. fratres, ordo bipartitus est: & sicut Dominus illum instituit, a nullo debet perturbari. Scitis autem, a Domino Apostolus esse electos, & constitutos, & postea per diversas provincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœpisset crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adjumentum septuaginta duos elegi præcepit discipulos, Episcopi vero Apostolorum Domini, presbyteri autem septuaginta duorum discipulorum, locum tenent, &c. Amplius, quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis a Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt, &c. Hæc vero sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino Salvatore nostro, primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem, assecuta est, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. & porta inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, &c. Adhibita est etiam societas in eadem Romana Urbe Beatissimi Apostoli Pauli vasis electionis; qui uno die, unoquoque tempore, gloriosa morte cum Petro, sub principe Nerone, agonizans coronatus est: & ambo sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt, aliisque universis Urbibus in universo mundo eam sua præsentia, atque venerando triumpho prætererunt. Hæc ibi: quorum ultima pars recitatur in decr. dist. 22. *sacrosancta Romana.* Patet ergo ex prædictis, quod, cum soli Pe-
tro

tro datæ sint claves regni cælorum ad solvendum, & ligandum, nullus omnino potest esse verus sacerdos, nisi is, qui auctoritate Petri (hanc auctoritatem Anacletus supra vocavit *auctoritatem Apostolicam*, quando dixit, *ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica*) consecratur sacerdos. Sic enim plures sacerdotes per consecrationem auctoritate ejus factam habent claves, licet uni soli datæ sint; quia ab ipso Petro istas quamvis non æqualiter, habent. Ex præmissis ergo omnibus jam declaratum est, quid intelligat textus D. Thomæ per *ly sacerdotis*, & hoc contra hæreticos. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hæreses in princ. append. dictas damnari a, &c. ut sup. *quæst. 6. art. 1. & 2. append.* Tertio vides: quomodo, &c.

Uti non datur directe contra veniale, nec aliquod aliud sacramentum.

A P P E N D I X.

EK art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito dictum esse a Conc. Trid. sess. 14. can. 5. sic. *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in qua frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præsumptionem, in confessione dicantur (quod propter hominum usum demonstrat) sacri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Hæc ibi, & sess. 6. c. 11. *licet enim in hac mortali vita quantumvis Sancti, & Justi in levia saltem, & quotidiana, que etiam venialia dicuntur peccata, quandoque cadunt: non propterea desunt esse justi. Nam justorum illa vox est humilis, & verax. Dimitte nobis debita nostra.* Hæc ibi. Item merito dictum a Decretorum can. de quotidianis, de penitent. di. 3. ubi legitur sic. *De quotidianis, brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfaciatur, eorum enim est dicere, Pater noster, qui es in cælis, qui jam taliter patri regenerati sunt ex aqua, & Spiritu sancto: Delet omnino hæc oratio minima quotidiana peccata.* Hæc ibi ex Joann. Chryl. Item a Decretorum eorundem ca. ad huc in mod. tit. ubi in fine legitur sic. *Non requiris, quid Apostolus senserit, qui dixit: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Sciens etiam justis peccata solere contingere, non se confirmabat absque peccato: qui se cogovis indissolubili vinculo caritatis junctum Christo. Nisi enim scires, justos sepe venire ad veniam, quomodo dubitares se peccare, qui sciebat se spiritum Dei habere, & intentione mundissima ei servire? Cur enim Dominus Petri pedes lavisset, & ecclesia hæc idem docuisset, nisi, quoniam quotidiana est offensio, oportet, ut quotidiana sit remissio? Cur docuisset urantes dicere: dimitte nobis debita nostra, nisi ipse misericors perseveraret, qui nos ab hac petitione non vult deficere? Hæc ibi ex Augustino. Ubi patet, quod Apostolus per hoc, quod dicit: non in hoc justificatus sum, vult significare, quod ex eo, quod non est sibi conscius delicti venialis, non sequitur, quod revera ipse sit absque peccato veniali. Adeo quod accipitur hoc nomen, *justificatus*, pro rem ipsam correspondere opinioni B. Pauli; non autem pro esse in gratia Dei. Sciebat siquidem Apostolus ex divina revelatione, se esse justum & in gratia Dei: sed nesciebat: utrum*

A R T I C U L U S III. 30

Utrum extra casum necessitatis possit aliquis non sacerdos confessionem venialium audire.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod extra casum necessitatis non possit aliquis non sacerdos confessionem venialium audire. Quia sacramentum aliquod committitur laico dispensandum ratione necessitatis. Sed confessio venialium non est de necessitate. Ergo non committitur laico.

2. Præterea. Contra venialia ordinatur extrema unctio, sicut & penitentia. Sed illa non potest dari a laico, ut patet Jacobi v. Ergo nec confessio venialium potest ei fieri.

Sed contra est quod dicit Beda (sup. illud Jacobi v. *Confitemini alterutrum*) in littera (IV. dist. xviii.)

Respondeo dicendum, quod per peccatum veniale homo nec a Deo, nec a sacramento Ecclesiæ separatur. Et ideo non indiget novæ gratiæ collatione ad ejus dimissionem, neque indiget reconciliari Ecclesiæ. Et propter hoc non oportet quod venialia aliquis sacerdoti confiteatur. Et quia ipsa confessio laico facta sacramentale quoddam est, quamvis non sit sacramentum perfectum, & est ex caritate procedens, talibus natum est veniale remitti, sicut per unctionem pectoris; & per aspersionem aquæ benedictæ.

Et per hoc patet solutio ad primum: quia venialia non indigent sacramenti perceptione ad dimissionem sui; sed sufficit ibi aliquid sacramentale, ut aqua benedicta, vel aliquid hujusmodi.

Ad secundum dicendum, quod extrema un-

trua huic suæ opinioni, scilicet non esse sibi conscientium peccati venialis, in re ipsa corresponderet, hoc scilicet non esse sine peccato veniali. Hæc dicta sunt pro explananda interpretatione illa decretata Augustini super verbis præmissis Apostoli. Item per præsentis articuli rationem ostendere potes: merito ab *Alexandro Primo*, & martyre, & Papa *Quarto* post Petrum fuisse dictum sic. „ Aquam sale
 „ conspersam populis benedicimus, ut ea cui-
 „ et aspersi sanctificentur, ac purificentur,
 „ quod & omnibus sacerdotibus faciendum
 „ esse mandamus. Nam, si cinis vitulæ asper-
 „ sus sanguine populum sanctificabat, atque
 „ mundabat: multo magis aqua sale aspersa,
 „ divinisque precibus sacra, populum san-
 „ ctificat, atque mundat. Et, si sale asperso
 „ per Helisæum prophetam sterilitas aquæ sa-
 „ nata est, quanto magis divinis precibus sa-
 „ cratus sterilitatem rerum auferit humanam
 „ ram, & coinquinos sanctificat, atque munda-
 „ dat, & expurgat, & cætera bona multi-
 „ plicat, & insidias diaboli avertit, & a
 „ phantasmatis verutius homines defendit?
 „ Nam, si tactu simbræ vestimenti Salva-
 „ toris salvatos infirmos esse non dubitamus,
 „ quanto magis virtute sacrorum ejus verbo-
 „ rum divinitus sacrantur elementa, quibus
 „ sanitatem corporis, & animæ humana percipit
 „ fragilitas? His ergo, & aliis instructi
 „ documentis vota singulorum; Domini Sacer-
 „ dotes, respicite, & in virtute Spiritus
 „ sancti divinis precibus, per ministerium vo-
 „ bis divinitus collatum, perficere certate.
 „ Elementa quoque tam ea, quæ prædiximus,
 „ quam cætera divinis apta usibus, & huma-
 „ nis necessaria infirmitatibus, sacrate: infirmos
 „ curate, & cætera, quæ ad vos perti-
 „ nent, diligenter curate. „ Hæc ille Papa
 „ in Epist. 1. ad omnes orthodoxos: & pro
 „ bona parte recitantur de consecr. dist. 2. *Aquam
 „ sale conspersam*. In epist. Alexandri notabis
 „ ab illo loco: *Elementa quoque*, &c. usque in
 „ finem, quod benedictiones ignis, incensi, po-

morum, frumentorum, uvarum, eandem larum, vestium, ovorum, caseorum, carniarum, cinerum, palmarum, & hujusmodi, in primitiva Ecclesia etiam fiebant, & fieri a Rom. Pont. mandabantur. Unde tales antiquissimi ritus sunt ab omnibus venerandi, & quanto antiquiores, ac per hoc Apostolis, Christoque propinquiores, tanto sanctiores habendi. *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissa concilii, decreti, Papa, pro quanto venialia non necessario sacerdoti consentenda, vel etiam aliis remediis citra confessionem expiari posse, decernant: quomodo, inquam, per rationem, probes, declares, tuearis. *Tertio* vides: &c.

ARTICULUS IV. 31

Utrum sit necessarium quod homo confiteatur proprio sacerdoti.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod non sit necessarium quod homo confiteatur proprio sacerdoti. Gregorius enim dicit: (& hab. cap. *Ex auctoritate* XVI. quæst. 1.) *Apostolico moderamine, & pietatis officio a nobis constitutum est quod sacerdotibus monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, penitentiam imponere, atque peccata solvere* (1). Sed monachi non sunt proprii sacerdotum aliorum, cum non habeant curam animarum. Ergo cum confessio fiat propter absolutionem, sufficit quod fiat cui-cumque sacerdoti.

2. Præterea. Sicut sacerdos est minister hujus sacramenti, ita & Eucharistiæ. Sed quilibet sacerdos potest Eucharistiæ sacramentum conferre. Ergo quilibet sacerdos potest sacramentum penitentiarum ministrare. Ergo non oportet quod fiat proprio sacerdoti.

3. Præterea. Illud ad quod determinate tenemur, non est in nostra electione constitutum. Sed electio discreti sacerdotis est nobis commissa, ut patet per Augustinum (aliam

AU-

(1) Sic etiam refertur in Decretis Causa 16. quæst. 1. cap. *Ex auctoritate*, nec indicatur cuius Gregorius sit, sed Anselmus ponitur ad marginem quasi libro 7. ista dicens. Ex Gregor. Magno lib. 5. Epistolarum epist. 27. quæ ad Candidum de urbe veteri prænotatur elici ad marginem quarti Sententiarum Editiones passim notant: Sed ibi tantum sic habetur: *Indicavi nobis fraternitas tua se non habere Presbyteros, & ex hac causa non modicam necessitatem sustinere: Et quia in quibusdam Monasteriis in sua parochia (seu diocesi) constitutis*

quosdam esse Monachos prohibet qui ad hoc apostolici officii esse officium, & eos a se cum nostra auctoritate ad hunc pastoralis ordinem promovendi, propterea presentibus vobis licentiam damus epistolis (vel per presentes epistolas licentiam vobis damus) Monachos de Monasteriis in sua parochia (id est diocesi) positos cum consensu Abbatis sui collere & Presbyteros ordinare: His autem verbis nec apud illum nec apud ullum alium Gregorium occurrit. Unde nec in margine Supplementi notatur nisi Causa 16. &c.

Auctorem.) in littera (IV. dist. XVII.) dicit enim (Lib. de vera & falsa poenit. cap. x. a med.) *Qui vult confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quarat sacerdotem qui sciat solvere, & ligare.* Ergo videtur quod non sit necessarium quod sacerdoti proprio confiteatur aliquis.

4. Præterea. Quidam sunt, sicut Papa, & prælati, qui non videntur habere proprium sacerdotem, cum non habeant superiorem. Sed isti tenentur ad confessionem. Ergo non semper tenetur homo confiteri proprio sacerdoti.

5. Præterea. *Illud quod est institutum pro caritate, contra caritatem non militat*, ut Bernardus dicit (in tract. de præcepto & dispens. cap. 11. a med.) Sed confessio, que pro caritate instituta est, contra caritatem militaret, si homo ad confitendum uni sacerdoti esset obligatus; ut puta si peccator sciat sacerdotem suum hæreticum, aut sollicitatorem ad malum, aut fragilem, qui ad peccatum quod quis confitetur ei, sit poenitus; vel si revelator esse confessionis probabiliter existimetur; vel si peccatum contra ipsum commissum sit, de quo quis confiteri debet. Ergo videtur quod non semper oporteat confiteri proprio sacerdoti.

6. Præterea. In eo quod est necessarium ad salutem, non sunt homines arctandi, ne impediuntur a via salutis. Sed magna arctatio videtur, si oporteat uni homini confiteri de necessitate; & per hoc multi possent a confessione retrahi vel timore, vel verecundia, vel aliquo alio huiusmodi. Ergo cum confessio sit de necessitate salutis, non debent homines ad hoc arctari, ut videtur, quod proprio sacerdoti confiteantur.

Sed contra est Decr. Innocentii III. (in Concil. Lateran. IV. gener. XII. can. xxi.) qui instituit, quod *omnes utriusque sexus so-*

mel in anno proprio sacerdoti confiteantur.

Præterea. Sicut Episcopus se habet ad diocesium suam, ita sacerdos ad suam Parochiam. Sed non licet uni Episcopo in diocesi alterius episcopale officium exercere, secundum statuta Canonum (1). Ergo non licet uni sacerdoti parochianum alterius audire.

Respondeo dicendum, quod alia sacramenta non consistunt in hoc quod ad sacramentum accedens aliquid agat, sed solum ut recipiat, sicut patet in baptismo, & huiusmodi; sed actus recipientis requiritur ad percipiendam utilitatem sacramenti in eo qui est suæ voluntatis arbitri constitutus, quasi removens prohibens, scilicet fictionem. Sed in poenitentia actus accedentis ad sacramentum est de substantia sacramenti, eo quod contritio, confessio, & satisfactio sunt poenitentiae partes, quæ sunt actus poenitentis; actus autem nostri, cum in nobis principium habeant, non possunt nobis ab aliis dispensari; nisi per imperium. Unde oportet quod ille qui dispensator huius sacramenti constituitur, sit talis qui possit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alienum, nisi ei qui habet super eum jurisdictionem. Et ideo de necessitate huius sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat jurisdictionem. Et ideo sicut ille qui non est sacerdos, non potest hoc sacramentum conferre; ita nec ille qui non habet jurisdictionem. Et propter hoc oportet, sicut sacerdoti, ita proprio sacerdoti confessionem fieri: cum enim sacerdos non absolvat, nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus potest absolvere qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare.

Ad primum ergo dicendum, quod Gregorius loquitur de illis monachis qui jurisdictione-

(1) Ut videre est in Decretis Causa 16. quest. 2. cap. *Si quis Episcoporum*, ubi ex Nicolao primo vel etiam ex Arausico sicut Anselmus refert (nempe Arausicano Concilio 1. Can. 9. vel 10.) dicitur: *Si quis Episcoporum in aliena civitatis territorio Ecclesiam edificare disponit, non presumat dedicationem facere, qua illius est in cuius territorio Ecclesia assurgit*, &c. Et expressius Causa 9. quest. 2. can. 3. ex Galixto; *Nullus Episcoporum alterius alicui civitatem super cuiusquam dispositione nisi vocatus ab eo cuius juris esse dignoscitur; aut quidquam ibi disponat vel ordinet, si sui gradus honore privi voluerit*: Ut & cap. *Nullum* ex Concilio Antiocheno cap. 13. *Quod si nullo invitante inordi-*

nate superveniat, & quolibet alius illi Ecclesia competentes qui ad se minime pertinet, usurpare tentaverit, vacua quidem & inania erunt omnia que gesserit; ipse vero huius indisciplinatus ausus & irrationabilis capiti dignas causas expendat (vel excipiat) tanquam dispositus a sancta Synodo & propter huiusmodi presumptionem jam prædamnatus: Distinct. autem 6. de poenitent. cap. *Placuit* ex Urbano 2. statuitur expresse quoad præterea us deinceps *Nulli Sacerdotum liceat quolibet commissum alteri Sacerdoti ad poenitentiam suscipere sine eius consensu cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius cui prius confessus est: Qui vero contra statuta facta tentaverit, gradus sui periculo subiacet*.

tionem habent, utpote quibus alicujus parochiæ cura est commissa; de quibus aliqui dicebant, quod ex hoc ipso quod monachi erant, non poterant absolvere, & penitentias injungere: quod falsum est.

Ad secundum dicendum, quod sacramentum Eucharistiæ non requirit imperium in aliquem hominem; secus autem est in hoc sacramento, ut dictum est (in corp. art.) Et ideo ratio non sequitur. Et tamen non licet Eucharistiæ ab alio quam a proprio sacerdote accipere, quamvis verum sit sacramentum quod ab alio percipitur.

Ad tertium dicendum, quod electio discreti sacerdotis non est nobis commissa, ut ex nostro arbitrio facienda, sed de licentia superioris, si forte proprius sacerdos esset minus idoneus ad apponendum peccatis salutare remedium.

Ad quartum dicendum, quod quia prælati incumbit sacramenta dispensare, quæ non nisi mundi tractare debent; ideo concessum est eis a jure, (cap. *Ne pro dilatione*, de penit. & remis.) quod possint sibi eligere proprios sacerdotes confessores, qui quantum ad hoc sunt eis superiores: sicut etiam unus medicus ab alio curatur, non in quantum medicus; sed in quantum infirmus.

Ad quintum dicendum, quod in casibus illis in quibus probabiliter timet penitens periculum sibi, vel sacerdoti ex confessione ei facta, debet recurrere ad superiorem; vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi: quod si licentiam habere non possit, idem est judicium quod de illo qui non habet copiam sacerdotis: unde magis debet eligere laicum, cui confiteatur. Nec in hoc transgreditur aliquis præceptum Ecclesiæ; quia præcepta juris positivi non se extendunt ultra intentionem præcipientis, quæ est finis præcepti; hic autem est caritas secundum Apostolum (I. Tim. I.) Nec aliqua iniuria fit etiam sacerdoti, qui privilegium meretur amittere, quia concessa sibi abutitur potestate (1).

Ad sextam dicendum, quod in hoc quod oportet proprio sacerdoti confiteri, non arctatur via salutis, sed sufficiens ad salutem via

statuitur. Peccaret autem sacerdos, si non esset facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi: quia multi sunt adeo infirmi quod potius sine confessione morerentur quam tali sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis damnationis laqueum injiciunt, & per consequens sibi ipsi.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem a fortiori interimas hæresim *Pauperum de Lugduno*, ex summa fratris *Iconesi*, 1. p. c. 3. in bibliotheca Vaticana, manuscripta, dicentium, laicus quilibet bonus, & sciens, potest absolvere, & penitentiam imponere. Item *Valdensium*, Direct. Inquisit. 2. par. 9. 14. dicentium, laicos tam viros, quam mulieres, qui sint de secta ipsorum, posse confessiones sacramentales audire. Si enim non omnis sacerdos, sed tantum proprius, potest confessiones audire, & absolvere, ut verum est per istum articulum, multo magis nullus laicus, quantumcumque bonitatis, & literaturæ, poterit sacramentum confessionis alicui impendere. Nam jurisdictionis, & ordo requiruntur ad hujuscemodi ministerium, quæ in laico, quantumcumque alias bono, atque sapiente, non sunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem demonstras, has merito damnari a, &c. ut *quest. ista, art. 1. & 2. apud.* *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, recte esse determinatum a Papa *Innocentio III.* in Concilio *Later.* sic: *omnis confiteatur omnia sua peccata proprio sacerdoti, vel alieno: prius tamen a proprio sacerdote impetrata venia, quoniam, aliter ille ipsum non potest absolvere, vel ligare.* Hæc ibi. Item a Papa *Eugen. IV.* in Decreto Armenis dato sacro approbante Concilio *Florentino* sic. *Secunda est oris confessio; ad quam pervenit, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter.* Hæc ibi. Quod autem intelligat per *ly suo sacerdoti*, proprium sacerdotem, patet ex hoc, quod subdit

(1) Ex cap. *Privilegium* causa 11. qu. 3. ubi perperam notabatur ex Gregorio in Regeſto pro Regeſto epistoliarum, in quo nihil tale habetur: Sed sumptum est ex Simplicio Papa epist. 3. sicut & supra in Decretis dist. 74. cap. *Ubi prænotatur*; ac ex eodem in prædicto cap. vetera quædam Exemplaria

notant; ut & Burchardus, Ivo, & Nicolaus primus ad Hincmarum, sicut Appendix ibi subdit. Habet & aliquid simile Augustin. 427. serm. de tempore nempe quod *judicio legum jure ab obſenta dignitate deicitur, qui privilegio sibi concesso abutitur.*

dit. Minister hujus sacramenti est sacerdos, habens auctoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione. Hæc ibi. Ubi per ly auctoritatem, intelligit jurisdictionem, per ly ordinariam, vel ex commissione, signat, quod proprius sacerdos, aut est proprius ordinarius, aut delegatus. Vide supra corollarium post respon. ad tertium. Item: quomodo per rationem ostendas, a Concilio Trident. sess. 14. canon. 8. esse merito determinatam, quod omnes confiteantur proprio sacerdoti, vel alieno de licentia ejus. Ibi enim dicitur sic. Si quis dixerit, ad confessionem non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, &c. Anathema sit. Hæc ibi. Constitutio autem Concilii Lateran. sub Innocentio III. quæ jam nunc adducta fuit ad litteram, continet, & quod homo confiteatur saltem semel in anno, & quod proprio, vel alieno de licentia proprii confiteatur. Per hoc igitur, quod Trid. Concil. decernit, omnes teneri non solum ad confessionem, sed & juxta Concil. Later. ad illam teneri, aperit, quod tenetur quilibet proprio sacerdoti, vel alteri de ipsius assensu, confiteri. Item ab eodem Concilio Trident. sess. 24. cap. 13. de reform. sic. In his quoque orationibus, ac locis, ubi parochiales Ecclesie curas non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue potentibus sacramenta administrant, mandata sancta synodus episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut, distincto populo in certas, propriasque parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & a quo solo licite sacramenta suscipiant. Hæc ibi. Item a synodo Aquisgranensi cap. 16. Communi consensu insuper censuimus: ut, ubicumque possibile fuerit, unicuique Ecclesie suus provideatur ab ipsis presbyter; ut per se eam tenere possit, aut etiam priori presbytero subjugatus ministerium sacerdotale perficere possit. Quia in multis locis pericula presbyterorum imminencia perspeximus, videlicet in officiis divinis, quamquam missarum celebrationes per omnes Ecclesias sibi commissas agere possent: cetera officia que ad divinum cultum pertinent, Summ. S. Th. Tom. XIII.

propter impossibilitatem, & multitudinem ecclesiarum quodammodo neglectu elapsa: similiter, & providentia in baptismo infirmorum, & in confessione quærensium, atque in communione periclitantium, per plura remansisse. Ideoque congruentius, ut supra dictum est, omnibus videtur, cuique congruo ecclesie proprium habere presbyterum. Hæc ibi. Distinguitur igitur parochiarum propriis presbyteris insignitarum aperte declarat, quod debet quilibet proprio parochio confiteri. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 32

Utrum aliquis possit alteri quam proprio sacerdoti confiteri, ex privilegio, vel mandato superioris.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod non possit aliquis alteri quam proprio sacerdoti confiteri, etiam ex privilegio, vel mandato superioris. Quia non potest aliquod privilegium indulgeri in præjudicium alterius. Sed hoc esset in præjudicium proprii sacerdotis, si alius confessionem subditi sui audiat. Ergo non potest per privilegium, seu licentiam, seu mandatum superioris obtineri.

2. Præterea. Illud per quod impeditur divinum mandatum, non potest per mandatum, vel privilegium alicujus hominis concedi. Sed mandatum divinum est ad rectores Ecclesiarum ut diligenter vultum (1) pecoris sui agnoscat (Proverb. xxvii. 23.) quod impeditur, si alius quam ipse confessionem ejus audiat. Ergo non potest per alicujus hominis privilegium, vel mandatum ordinari.

3. Præterea. Ille qui audit confessionem alicujus, est proprius index ejus; alias non posset eum ligare, & solvere. Sed unus hominis non possunt esse plures proprii sacerdotes, vel iudices, quia tunc teneretur pluribus obedire; quod esset impossibile; si contraria præciperent, vel impossibilia. Ergo non potest aliquis confiteri nisi proprio sacerdoti, etiam ex superioris licentia.

4. Præterea. Injuriam sacramento facit qui sacramentum iterat super eandem materiam, vel

(1) Vel secundum Aquilam, Theodotionem, Symmachum, in plurali *πρόωρα* id est vultus, quod & personas reddi potest. Sive secundum 70. *ἄνδρας* id est animas; quod propius ad institutum præterea pertinere videtur. Unde ibidem Beda: *Paſtori dicitur*

Ecclesie: Diligenter adhibe curam eis quibus te præesse conſigeris: Agnoſce animos utriusque ſingularum: & ſi quid in eis vitij ſordidantis inveneris; citius caſtigare memento: Non enim ſemper oves dominicas paſcendi poteris habebis, &c.

vel ad minus inutiliter facit. Sed qui confessus est alii sacerdoti, tenetur iterum confiteri proprio sacerdoti si petat: quia non est absolutus ab obedientia, qua ei tenetur ad hoc. Ergo non potest licite fieri quod alii aliquis quam proprio sacerdoti confiteatur.

Sed contra. Ea quæ sunt ordinis, possunt habenti similem ordinem committi ab eo qui ea facere potest. Sed superior, ut Episcopus, potest confessionem audire illius qui est de parochia alicujus presbyteri: quia etiam aliquando aliqua sibi reservat, cum sit ille principalior rector. Ergo etiam potest committere alteri sacerdoti quod ipsum audiat.

Præterea. Quicquid potest inferior, potest superior. (1) Sed ipse sacerdos potest suo parochiano dare licentiam quod alteri confiteatur. Ergo multo fortius ejus superior hoc potest.

Præterea. Potestatem quam habet sacerdos in populo, habet ab Episcopo. Sed ex illa potestate potest confessionem audire. Ergo & eadem ratione alius, cui Episcopus potestatem concedet.

Respondeo dicendum, quod sacerdos aliquis potest dupliciter impediri ne alicujus confessionem audiat; uno modo propter defectum jurisdictionis, alio modo propter impedimentum executionis ordinis, sicut excommunicati, & degradati, & hujusmodi. Quicumque autem jurisdictionem habet, potest ea quæ sunt jurisdictionis committere. Et ideo si aliquis impediatur quod alterius confessionem audire non possit propter jurisdictionis defectum, potest ei per quemcumque jurisdictionem habentem immediatam in alios committi quod confessionem audiat, & absolvat, sive per ipsum sacerdotem, (2) sive per Episcopum, sive per Papam. Si autem propter executionis ordinis impedimentum audire non possit, potest sibi con-

cedi quod confessionem audiat per eum qui impedimentum removere potest.

Ad primum ergo dicendum, quod præjudicium non fit alicui, nisi ei subtrahatur quod est in favorem ejus indultum. Jurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in favorem suum, sed in utilitatem plebis, & honorem Dei. Et ideo si superioribus Prælati expedire videatur ad salutem plebis, & honorem Dei promovendum, quod aliis quæ sunt jurisdictionis committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælati, nisi illis qui querunt que sua sunt, non que Jesu Christi (Philipp. 11. 21.) & qui gregi præsent, non ut eum pascant, sed ut ab eo pascantur.

Ad secundum dicendum, quod rector Ecclesie debet vultum pecoris sui cognoscere dupliciter. Uno modo per sollicitam exterioris conversationis considerationem, qua invigilare debet super gregem sibi commissam: & in hac cognitione non oportet quod credat subdito, sed certitudinem facti, in quantum potest, inquirat. Alio modo per confessionis manifestationem: & quantum ad hanc cognitionem non potest majorem certitudinem accipere quam ut subdito credat: quia hoc est ad subveniendum conscientie ipsius. Unde in foro confessionis creditur homini & pro se, & contra se, non autem in foro exterioris judicii. Et ideo ad hanc cognitionem sufficit quod credat subdito dicenti, se alteri absolvere valenti fuisse confessum. Et sic patet quod talis cognitio per privilegium alteri indultum de confessione audienda non impeditur.

Ad tertium dicendum, quod inconveniens esset, si duo æqualiter super eandem plebem constituerentur; si autem inæqualiter, non est inconveniens. Et secundum hoc super eandem plebem immediate sunt, & sacerdos pa-

(1) Ut vulgare fert axioma quia scilicet superior vis amplectitur inferiorem; inferior vero ad superiorem nullo modo conjungitur; ait ad eum sensum Boetius in lib. 5. de consolat. Philosophie Prosa 4. Quod quæst. 2. de potentia art. 6. ad 8. in iis verum esse admittit S. Thomas quæ ad perfectionem potestatis pertinet. Ut & inde concludit quæst. 15. de verit. art. 2. ad 2. quod superior virtus plena potest in id quod est inferioris.

(2) Præsupposito tamen quod is cui tale officium committit, sit approbatus ab Episcopo loci juxta Concilij Tridentini statutum Sess. 23. de reformatione cap. 15. sic dicens: *Quomvis Presbyteri in sua*

ordinatione a peccatis absolventi potestatem accipiant, decernit tamen sancti Synodus nullum (etiam Regularem) posse confessiones secularium (etiam Sacerdotum) audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aus parochiale beneficium aut ab Episcopis per examen (si illis videbitur necessarium) aut alias idoneus judicetur; & approbationem, que gratis datur, obtineat; privilegiis & consuetudine quacumque (etiam immemorabili) non obstantibus. Id ergo forte præsupponit S. Thomas quod similiter in Concilio Tridentino repositum est: Vel secundum receptam suo tempore consuetudinem id Sacerdoti Parochiano tribuentem hoc asseruit quod abrogavit Concilium.

rochialis, & Episcopus, & Papa; (1) & quilibet eorum potest ea quæ sunt jurisdictionis ad ipsum pertinentia, alteri committere. Sed si superior committat, qui & principalior est, dupliciter potest committere. Aut ita quod eum vice sui constituat; sicut Papa, & Episcopus suos pœnitentiarios constituunt: & tunc talis est principalior quam inferior Prælati, sicut pœnitentiarius Papæ quam Episcopi, & pœnitentiarius Episcopi quam sacerdos parochialis; & magis tenetur ei confitens obedire. Alio modo ut eum coadjutorem illius sacerdotis constituat: & quia coadjutor ordinatur ad eum cui adjutor datur, ideo coadjutor est minus principalis: & ideo pœnitens non tantum obedire tenetur ei quantum proprio sacerdoti.

Ad quartum dicendum, quod nullus tenetur confiteri peccata quæ non habet. Et ideo si aliquis pœnitentiario Episcopi, vel alteri ab Episcopo commissionem habenti confessus fuerit, cum sint sibi dimissa peccata & quoad Ecclesiam, & quoad Deum, non tenetur ea confiteri proprio sacerdoti, quantumcumque petat, sed propter statutum Ec-

clesiæ (cap. *Omnis utriusque* de pœnitent. & remis.) de confessione facienda proprio sacerdoti semel in anno, eodem modo se debet habere, sicut & ille qui habet solum venialia. (2) Talis enim solum venialia confiteri debet, ut quidam dicunt, vel profiteri se a peccato mortali immunem esse; & sacerdos ei in foro conscientiæ credere debet, & tenetur.

Si tamen iterum confiteri teneretur, non frustra primum confessus fuisset, quia quantum pluribus sacerdotibus confiteretur quis, tanto ei plus de pœna remitteretur tum ex erubescencia confessionis, quæ in pœnam satisfactionis computatur, tum ex vi clavium. Unde toties posset aliquis confiteri, quod ab omni pœna liberaretur. Nec reiteratio facit injuriam sacramento, nisi in illo in quo satisfactio adhibetur vel per characteris impressionem, vel per materiæ consecrationem; quorum neutrum est in pœnitentia. Unde bonum est quod ille qui auctoritate Episcopi confessionem audit, inducat confitentem ad hoc quod confiteatur proprio sacerdoti; quod si noluerit, nihilominus eum absolvere debet.

I 2. AR

(1) Sacerdos quidem parochialis, prout peculiaris parochiæ habitatores, Episcopus prout communis Diocesis incolæ, Papa, prout universalis Ecclesiæ filij & membra sunt, quia sicut ad parochiam peculiarem immediate propter domicilium singulare quod intra illam habent, sic ad communem diocesim propter parochiarum unionem & ad universalem Ecclesiam propter professionem Christianam immediate referuntur.

(2) Hoc est, ut Sacerdoti Parochiano suo (quem per propriam Sacerdotem hic intelligit S. Thomas & in prædicta Decretali subintellectum præsupponit) indicet solum se non esse confitens alicujus peccati quod sit necessaria materia confessionis: Quamvis non sic intendit S. Thomas parochialem Sacerdotem nomine Sacerdotis proprii esse intelligendum ut excludere Papam vel Episcopum velit, quasi non sint proprii Sacerdotes prout ab alienis distinguuntur (cum contrarium significet) sed sic loquitur tantum, quia Sacerdos ipse parochialis propinquior est & præsentior parochianis ut ad confessionem vel antedictam declarationem faciendam adire illum possint: cum & in ejus parochia communionem sumant, ad quam prærequiritur confessio vel saltem supra dicta declaratio quam S. Thomas præsupponit. Quod autem addit in fine articuli, hoc ipsum etiam est quod Benedictus xi. injungit in Extravag. de privilegiis *Insuper cunctos* nimirum confitentes morandos esse *ut saltem semel in anno suis sacerdotibus confiteantur, asserendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere*: licet præmittat id non esse necessarium ut eadem peccata quisquam iterum confiteri debeat, quan-

tumcumque salubre illud esse possit. Sed & ibidem circa confessionem Regularibus factam sic expresse decernit, quod cum de *confitens solius præjudicio* (si falsum dicat) agatur in *judicio animæ seu in pœnitentiæ foro, stabitur simpliciter verbo illius quod sacramenta petiit & dicit se Fratribus confessum*; id est Regularibus quos ibi tantum *Prædicatores & Minores* exprimit nominatum. Adde quoad prædictam appendicem de non iterum confitendis peccatis quæ jam Regularibus confessa sunt id quod Joannes 22. in Extravaganti de hæreticis *Vas electionis* contra Joannem Polinacum declarat, has illius assertiones quod *confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti*; & quod *stante, Omnis utriusque lexus edito in Concilio generali Romano Pontifex non potest facere quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti confiteri quem & dicebat esse Parochialem Curatum, imo nec Deus posset hoc facere quia implicat contradictionem*; & quod *Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessionem; imo nec Deus; quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti (sive Curato, ut præmissum est)* Has, inquam omnes assertiones tamquam falsas & erroneas & a doctrina sacra devias, auctoritate Apostolica condemnat & reprobat; doctrinam vero contrariam veram & catholicam esse asserit: nemo quod illi qui prædictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata iterum confiteri quam si alias ea confessi fuissent proprio Sacerdoti juxta *Con-*
ciliam

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem rejicias errores *Joannis de Poliano* (Card. Turrecremata, de Ecclesia, lib. 4. cap. 37. par. 2.) dicentis: confitendum non est fratribus mendicantibus; & qui ipsis, vel aliis habentibus privilegium generale audiendi confessiones, est confessus, iterum confiteri tenetur curato, tanquam proprio sacerdoti. Item dicentis: stante statuto *Omnis utriusque sexus*, Papa non potest facere, quin parochiani teneantur quoto quoque anno omnia peccata sua confiteri proprio sacerdoti, scilicet curato, immo nec Deus ipse, quia hoc implicat contradictionem. Item dicentis; Papa non potest dare potestatem generalem, immo nec Deus ipse, audiendi confessiones: quin confessus habenti talem facultatem teneatur confiteri idem proprio sacerdoti, scilicet curato. Item dicentis, quod Papa, licet sit principalior parochialium, non est tamen immediate aliorum curatus, sive non habet immediate curam aliorum. Item dicentis: quod Papa non potest audire confessiones parochianorum, quin teneantur eadem peccata, quæ Papæ confessi sunt, confiteri parochialibus sacerdotibus. Hi duo ultimi referuntur, & reprobandur à Cardinali Turrecremata, de Ecclesia, lib. 2. cap. 65. Contra autem omnes hos errores pugnat articuli præsentis ratio, dum jurisdictionem tantum esse necessarium, tanquam de substantia confessionis, ex art. 4. præsupposuit; & talem jurisdictionem posse per commissionem aliquibus communicari probat. Quod autem ordinariam jurisdictionem habenti quis confiteatur, non est de substantia confessionis, sed tantum de bene esse, ut etiam ex Concilio, *Trid. sess. 24. cap. 13.* & *Aquisgran. cap. 16. supra art. 4. append. patuit.* Nam *ly pro tutiori*, & *ly congruentius*, ostendunt; quod hoc est ad bene esse, quantum est ex parte substantiæ, confessio-

nis, licet non, quantum est ex parte præcepti ecclesiastici, *Omnis utriusque sexus*, sit de necessitate. Ablata igitur ista necessitate quoad aliquos per privilegium, aut mandatum Papæ, poterit quis licite confiteri privilegiatis; etæ quod non teneatur eadem reconfiteri curato. Unde contrarium dicere, est negare, quod Papa habeat auctoritatem dispensandi super omne jus positivum, contra supradicta *qu. 6. ars. 6.* Secus autem esset, si confiteri habenti jurisdictionem ordinariam esset de substantia necessaria confessionis: cum Papa non possit jus divinum mutare, ex Concilio *Trident. sess. 21. cap. 2. per ly salva eorum substantia.* Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hos errores merito fuisse damnatos a Papa *Eugenio IV. in decret. Sacro approbante Concilio Florentino*, cum dicit, sufficere, quod quis confiteatur sacerdoti habenti auctoritatem absolventi ex commissione superioris, quamvis non ordinariam. Verba hujus formaliter allegantur supra art. 4. append. Item ab *Innocentio III. in ca. Omnibus utriusque*, ubi confessum sacerdoti alieno de licentia curati habet pro vere confesso: ita ut præcepto Ecclesiæ satisfecerit. Vide verba hujus art. 4. append. Unde contra literam hanc ignorant, & tamen de scientia statuti hujus gloriantes, patet ad plenum, quod de licentia Papæ, vel Episcopi potest quis confiteri alteri, ita, quod ad reconfitendum non teneatur. Si enim curatus potest dare talem licentiam, ut ipsi textus apices docent: multo magis poterit curato superior. Quod si neges, inquires, quod in præjudicium curati superior non potest, vel saltem non debet dare privilegium, vel mandatum: responsum jam esse noveris per solutionem *primi* argumenti in præsentis articulo. Item a multis Romanis Pontificibus per hoc, quod multa privilegia de confessionibus audiendis dederunt, ut in eorum privilegiis, maxime in *Mari magno*, patet, mendicantibus, & aliis. Unde suo facto declararunt, quod de jure possunt. Nemo enim dica-

tilium generale. Nec obstat illud quod ex *Martino 3.* refert *Adrianus: Polumus quod qui Fratribus confitebuntur, suis Parochialibus Sacerdotibus semel saltem in anno confiteri; prout Concilium generale statuit, nihilominus teneantur:* Tum quia Bulla ista *Martini quinti* qualiscunque sit, non significat quod eadem peccata quæ Fratribus aliquis confessus est, iterum teneatur suis Sacerdotibus confiteri, sed quod aliis anni temporibus peccata quæ tunc habuerint confiteri Fratribus possint, semel autem in anno circa *Pascha* Sacerdotibus suis alia respective confiteantur quæ

tunc habebunt confitenda: Tum quia vel recepta hæc ipsa Bulla non est, vel posterius per *Leonem 10.* in Concilio Lateranensi revocata, ut *Sess. 11.* satis aperte patet, ubi *Sacro approbante Concilio* decernit ut *Ordinis Prædicatorum Superioris præsentem Episcopis personaliter eos quos ad secularium audiendas confessiones elegerint, & quod talibus præsentis admissis, aut indebite recusatis, confitentes Constitutio- ni qua incipit Omnis utriusque sexus, satisfecisse censentur.* Quin & alij quoque subinde Pontifices hoc ipsum declararunt.

dicabit primam sedem, neque Clerus, neque Augustus, neque Rex, neque Populus, ut habetur ex Concilio Romano sub presentia S. Sylvestri Papæ, ca. 20. & in decr. 9. quæst. 3. *Nemo iudicabit*. Quinimmo sic agentes summi Pontifices bene fecerunt; ut specialiter ostenditur art. 4. ad 6. per ly *potius sine confessione morerentur, quam salte sacerdoti confiterentur*. Item a Papa Gregorio IX. per hoc, quod in principio libri Decretalium dicit, Raymundum esse pœnitentiarium suum. Hic fuit S. Raymundus Catalanus Barchinonenſis, Ordinis Prædicatorum, Doctor excellentissimus in iure canonico, cui & Papa Gregorius prædictus compilationem Decretalium, ut inibi dicitur, commisit; qui & Generalis tertius Ordinis ejusdem fuit multisque miraculis claruit, utpote qui, ut legitur, plusquam triginta mortuos suscitaverit. Hæc dicta sint ad hoc, ut certo sciant omnes, tam sanctum, tam doctum, tam eximium virum, nunquam se passurum fuisse, quod in officium pœnitentarii assumeretur, nisi proculdubio novisset, quod ex commissione Papæ potest quis absque parochialium sacerdotum consensu confessiones audire. Item a Concilio Trident. sess. 25. de regular. cap. 10. „ Attendant diligenter Episcopi, & ceteri superiores monasteriorum, sanctimonialium, ut in constitutionibus, earum admonentur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant, sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut ea se salutare præsidio muniant ad omnes oppugnationes demonis fortiter superandas. Præter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, & aliis superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat „ . Hæc ibi. Ubi ad litteram patet, quod etiam extraordinarius confessor potest absque eo, quod ordinario eadem reconſiteantur, audire peccata, ab iisque absolvere ita perfecte, ut ad sacrosanctam Eucharistiam suscipiendam post confessionem ipsam accedere possint. Item a Papa Joanne XXII. in extrav. *Vas electionis*. Narratis enim illis erroribus Joannis de Poliano, ibi subinfertur. „ Prædictos articulos, & quemlibet eorum, tamquam falsos, & erroneos, & a doctrina sacra devios, auctoritate Apostolica condemnamus, & reprobamus, de fratrum nostrorum consilio, & contrariam esse catholicam fidem asserimus, scilicet, quod illi, qui prædictis fratribus confitentur, magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam si ea alias confessi

„ fuissent eorum proprio sacerdoti, juxta Concilium generale „ . Hæc ibi. Ergo a fortiori condemnantur per hæc ultimi errores duo etiam prædicti. Per Concilium generale intellige *Laceranense* sub Innocentio III. *Omnis utriusque sexus*. Non ergo verum est, quod hoc implicet contradictionem (quod tamen dicebant errores quidam supradicti) stante statuto illo, ut patuit ex litteris statuti ejusdem. Desistant igitur inficii ponere in celum es suum, idest omnipotentiam Dei facere aliquo modo infirmam sub prætextu contradictionis in objecto: quoniam sæpe, ut hic, fallentur, contradictionem ponentes, ubi non est; & consequenter adversus Dei omnipotentiam, vel ignoranter blasphemantes. Tertio habes: quomodo per rationem præmissa Pontificum summorum, atque Conciliorum dicta, pro quanto aliis, quam proprio parochio, stantur, vel ex privilegio, vel mandato superioris posse aliquem confiteri, & declares, & probes, & defendas. *Quæso* vides quomodo &c.

ARTICULUS VI. 33

Utrum pœnitens possit in fine vitæ a quolibet sacerdote absolvi.

S. Tb. IV. dist. xx. quæst. unic. art. 1. quæst. 2.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod in fine vitæ pœnitens non possit a quolibet sacerdote absolvi. Quia ad absolutiorem requiritur aliqua jurisdictionem, ut dictum est (art. præc.) Sed sacerdos non acquirit jurisdictionem super illum qui in fine vitæ pœnitet. Ergo non potest eum absolvere.

2. Præterea. Ille qui sacramentum baptismi in articulo mortis ab alio quam a proprio sacerdote suscipit, non debet a proprio sacerdote iterum baptizari. Si ergo quilibet sacerdos in articulo mortis possit absolvere a quolibet peccato, non debet pœnitens, si evadit, ad suum sacerdotem recurrere: quod falsum est, quia alias sacerdos non haberet cognitionem de vultu pecoris sui.

3. Præterea. In articulo mortis sicut licet alieno sacerdoti baptizare, ita etiam non sacerdoti. Sed non sacerdos numquam potest absolvere in foro pœnitentiali. Ergo nec sacerdos in articulo mortis eum qui non est sibi subditus.

Sed contra. Necessitas spiritualis est major quam corporalis. Sed aliquis in necessitate ulti-

ultima potest aliorum rebus uti, etiam in vitis dominis, ad subveniendum corporali necessitati. Ergo & in articulo mortis ad subveniendum spiritali necessitati, potest quis a non suo sacerdote absolvi.

Præterea. Ad idem sunt auctoritates positz in littera (IV. dist. xx.)

Respondeo dicendum, quod quilibet sacerdos, quantum est de virtute clavium, habet potestatem indifferenter in omnes, & quantum ad omnia peccata; sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absolvere, hoc est quia per ordinationem Ecclesie habet jurisdictionem limitatam, vel omnino nullam habet. Sed quia necessitas legem non habet; ideo quando necessitatis articulus imminet, per Ecclesie ordinationem non impeditur quin absolvere possit; ex quo habet claves etiam sacramentaliter, & tantum consequitur ex absolutione alterius, sicut si a proprio sacerdote absolveretur. Nec solum a peccatis tunc potest a quolibet sacerdote absolvi, sed etiam ab excommunicatione, a quocumque sit lata: quia hæc absolutio etiam ad jurisdictionem pertinet, quæ per legem ordinationis Ecclesie coarctatur.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquis potest uti jurisdictione alterius ex eius voluntate: quia ea quæ jurisdictionis sunt, committi possunt. Unde quia Ecclesia acceptat ut quilibet sacerdos absolvere possit in articulo mortis, ideo ex hoc ipso quis secundum quid usum jurisdictionis habet, quamvis jurisdictione careat.

Ad secundum dicendum, quod non oportet eum recurrere ad proprium sacerdotem, ut iterum a peccatis solvatur a quibus in articulo mortis absolutus est, sed ut innotescat ei quod sit absolutus. Nec similiter oportet quod absolutus ab excommunicatione ad iudicem vadat, qui alias absolvere potuisset, absolutionem petens, sed satisfactionem offerens.

Ad tertium dicendum, quod baptismus habet ex ipsa sanctificatione materie efficaciam: & ideo a quocumque conferatur alicui, ille sacramentum recipit. Sed vis sacramentalis pœnitentie consistit in sanctificatione ministri; & ideo ille qui laico confitetur quamvis impleat quod ex parte sua est de sacramentali confessione; tamen sacramentalem absolutionem non consequitur; & ideo aliquid valet ei quantum ad diminutionem

pœnæ, quæ fit per confessionis meritum, (*) & pœnam; sed non consequitur diminutionem illam pœnæ quæ est ex vi clavium: & ideo oportet quod iterum sacerdoti confiteatur: & magis sic confessus decedens punitur post hanc vitam, quam si sacerdoti fuisset confessus.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas; merito esse definitum a Concil. *Trid. sess. 14. ca. 7. de pœnit.* quod in fine vite potest quis a quolibet sacerdote absolvi. Ibi enim dicitur sic: „ Quoniam natura, & ratio iudicii illud exponitur: scit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur: persuasum semper in ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodos hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magno pere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolventur. Unde merito Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique diocesi, in edificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate; præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo, vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit: ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt; extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores, & legiti-

,, mos

(*) Ita passim. Al. pœnitentiam.

mos iudices pro beneficio absolutionis accedant. Hæc ibi. Ubi habes inter alia multa, quod quilibet sacerdos, quantum est de virtute clavium, habet potestatem, indifferenter in omnes, & quantum ad omnia peccata, & excommunicationes, ut dicit in sex. S. Doctor: sed, quod non possit, est, quia habet jurisdictionem limitatam ab Ecclesie ordinatione. Per hoc enim, quod dicit Concilium: *Atque ideo omnes sacerdotes quoslibet, &c.* aperit, quod istud, non posse absolvere semper quoslibet, provenit ex eo, quod ecclesia sacerdotibus limitat jurisdictionem: qua limitatione per ejusdem ecclesie consensum sublata in articulo mortis potest quilibet sacerdos quoslibet, &c. habes quoque ex Concilio ibi: *Veruntamen, &c.* id, quod hic legis in responsione ad primum, quod scilicet per Ecclesie voluntatem iste sacerdos tunc habet usum jurisdictionis universaliter absolventi. Adduximus Concilii sacri definitionem, quoniam multa faciunt ad prædicta in 4. & 5. de jurisdictione. Vide tu ibi, & bene applica, Ex præmissa enim definitione Synodi patet, damnatam esse hæresim *Marsilii de Padua, & Joannis de Janduno*, ut refert Cardinalis Turrecremata, de *Eccles. lib. 4. cap. 37.* dicentium, quod Papa, Archiepiscopus, Episcopus, & simplex sacerdos, sunt omnes æqualis auctoritatis, ac jurisdictionis ex institutione Christi: sed, quod unus plus habeat alio, est ex concessione Imperatoris: & sicut concessit, ita revocare potest. Contra enim dicitur per Concilium ibi: *Quando omnia, que a Deo sunt, ordinata, &c.* quod talis jurisdictionis est ex potestate sibi tradita a Christo. Prædamnata enim fuerat talis hæresis a Papa *Joanne XXII. in extr. Licet just. doct.* Item a Concilio *Constantiensi sess. 15.* damnante omnes articulos *Joan. Huff.* inter quos erat n. 9. iste sub his verbis: *Papalis dignitas a Cesare inolevit, & Papa præfatio, & institutio a Cesaris potentia emanavit, in idem enim redit iste aliquantulum cum illo Paduani, & Janduni.* Vide damnationem *Joan. Huff.* supra *quest. 2. art. 2. append. & quest. 1. art. 1. append. de Wicleff.* Item per articuli rationem ostendere potes, merito insinuatum illud in principio dictum a *Decretali, de offic. jud. ord. cap. Pastoralis de sent. excommunic. cap. Conquestus, & eod. tit. in 6. cap. Quicumque, & de penis. in Clem. 6. Cupientes, & de privil. in extr. com. cap. Inter eunuchas.* Item insinuatam a quotidianis Bullis; ubi, quantumcumque Papa aliquando sibi reservat ab-

71
solutionem, tamen exceptionem hanc, nisi articulo mortis, semper apponit: per hoc manifestans Ecclesie intentionem circa usum jurisdictionis tunc, qualem dixit B. Thomas. Secundo habes: quomodo per rationem, præmissa omnium Patrum nostrorum dicta, pro quanto in fine vitæ quemlibet a quolibet sacerdote de quibuslibet, tum censuris, tum peccatis audiri posse statuunt, & absolvi de clares, probes, defendas. Tertio vides: quomodo, &c.

ARTICULUS VII. 34

Utrum poena temporalis taxetur secundum quantitatem culpa.

S. Tb. IV. dist. xx. quest. 1. art. 2. quest. 1.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod poena temporalis, cujus reatus post poenitentiam manet, non taxetur secundum quantitatem culpæ. Taxatur enim secundum quantitatem delectationis quæ fuit in peccato; ut patet Apoc. *xxiii. 7. Quantum glorificaveris se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Sed quandoque ubi est major delectatio, ibi est minor culpa: quia peccata carnalia, que plus habent delectationis quam spiritalia, minus habent de culpa, secundum Gregorium (implic. Lib. *XXXIII. Moral. cap. 11. circ. med.*) Ergo poena non taxatur secundum quantitatem culpæ.

2. Præterea. Eodem modo aliquis obligatur ad poenam per peccata mortalia in nova lege, sicut in veteri. Sed in veteri lege debatur pro peccatis poena septem dierum, ut scilicet septem diebus immundi essent pro uno peccato mortali. Cum ergo in novo testamento imponatur poena septennis pro uno peccato mortali, videtur quod quantitas poenæ non respiciat quantitatem culpæ.

3. Præterea. Majus est peccatum homicidii in laico quam fornicationis in sacerdote: quia circumstantia quæ sumitur ex specie peccati, magis aggravat, quam quæ sumitur ex conditione personæ. Sed laico pro homicidio imponitur septennis poenitentia, & sacerdoti pro fornicatione poenitentia decem annorum, secundum Can. (can. *Si quis homicidium, dist. 1. & cap. Presbyter, dist. lxxxiii.*) Ergo poena non taxatur secundum quantitatem culpæ.

4. Præterea. Maximum peccatum est quod in ipsum Corpus Christi committitur: quia tan-

tanto gravius quis peccat, quanto major est in quem peccatur. Sed pro effusione Sanguinis Christi in Sacramento altaris contenti injungitur pœnitentia quadraginta dierum, vel parum amplius; pro fornicatione autem simplici injungitur pœnitentia septennis; secundum Can. (cap. *Si per negligentiam*, de consecrat. dist. 11. & cap. *Presbyter* dist. lxxxii.) Ergo quantitas pœnz non respondet quantitati culpæ.

Sed contra Isaia xxvii. 8. *In mensura contra mensuram, cum abjecta fueris, judicabis eam.* Ergo quantitas judicii punitionis peccati est secundum quantitatem culpæ.

Præterea. Homo reducitur ad æqualitatem justitiæ per pœnitentiam inflictam. Sed hoc non esset, si quantitas culpæ, & pœnz non sibi responderent. Ergo unum alteri respondet.

Respondeo dicendum, quod pœna post dimissionem culpæ exigitur ad duo, scilicet ad debitum solvendum, & ad remedium præstandum. Potest ergo taxatio pœnz considerari quantum ad duo. Primo quantum ad debitum: & sic quantitas pœnz radicaliter respondet quantitati culpæ, antequam de ea aliquid dimittatur: secundum tamen quod per primum eorum quæ pœnam nata sunt remittere, plus remittitur, secundum hoc per aliud minus remittendum, vel solventum restat: quia quanto per contritionem plus de pœna dimissum est, tanto per confessionem minus dimittendum restat. Secundo quantum ad remedium vel illius qui peccavit, vel aliorum: & sic quandoque pro minori peccato injungitur major pœnitentia: vel quia peccato unius difficilius potest resisti quam peccato alterius; sicut juveni imponitur pro fornicatione major pœna quam seni. quamvis minus peccet: vel quia in uno peccatum est periculosius; sicut in sacerdote quam in alio: vel quia multitudo magis pro-na est ad illud peccatum; & ideo per pœnam unius alii sunt exterrendi. Pœna ergo in foro pœnitentiæ quantum ad utrumque taxanda est: Et ideo non semper pro majori peccato major pœna imponitur. Sed pœna purgatorii solum est ad solvendum debitum, quia jam ulterius non manet locus peccandi: & ideo illa pœna taxatur solum secundum quantitatem peccati, considerata tamen contritionis quantitate, & confessione, & absolutione: quia per omnia hæc de pœna aliquid dimittitur. Unde etiam a sacerdote in injungendo satisfactionem sunt consideranda.

Ad primum ergo dicendum, quod in ver-

bis illis duo tanguntur ex parte culpæ scilicet *glorificatio*, & *delicia*, sive delectatio: quorum primum pertinet ad elationem peccantis, qua Deo resistit; secundum ad delectationem peccati. Quamvis autem quandoque sit minor delectatio in majori culpa, tamen est ibi semper major elatio. Et ideo ratio non procedit.

Ad secundum dicendum, quod illa pœna septem dierum non erat expiativa a pœna debita peccato: unde etiam post illos dies moreretur, in purgatorio puniretur: sed expiabat ab irregularitate, a qua omnia sacrificia legalia expiabant. Nihilominus tamen, ceteris paribus, plus peccat homo in nova lege quam in veteri, propter sanctificationem ampliore, qua sanctificatur in baptismo, & propter beneficia Dei potiora humano generi exhibita. Et hoc patet ex hoc quod dicitur Hebr. x. 29. *Quanto magis putatis deteriora merevi supplicia, qui Filium Dei conculcaveris, & sanguinem Testamenti pollutum duxeris, in quo sanctificatus est?* Nec tamen hoc verum est universaliter, quod exigatur pro quolibet peccato mortali septennis pœnitentia; sed hoc est quasi quædam regula communis ut in pluribus competens; quam tamen oportet omittere, consideratis diversis peccatorum, & pœnitentium circumstantiis.

Ad tertium dicendum, quod Episcopus, vel sacerdos cum majori periculo suo, & aliorum peccat: & ideo sollicitius retrahunt eum Canones a peccato quam alios, majorem pœnam injungendo, secundum quod est in remedium, quamvis quandoque non debeat tanta ex debito, unde in purgatorio non tanta ab eo exigitur.

Ad quartum dicendum, quod pœna illa est intelligenda, quando nolente sacerdote hoc accidit: si enim sponte effunderet, multo graviori pœna dignus esset.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam a scripturis, a Papa, a Concilio modum taxandæ pœnam pro culpis: ut supra *quæst. 3. art. 3. append.* Vide ibi: bene applica ad propositum præsentis articuli. Item merito dictum a Concilio *Trident.* sess. 14. cap. 8. „ Debeant „ ergo sacerdotes Domini, quantum spiri- „ tus, & providentia suggererint, pro qua- „ litate criminum, & pœnitentium faculta- „ te salutares, & convenientes satisfactio- „ nes injungere: ne, si forte peccatis connive-

„ ant,

ant, & indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Hæc ibi. Item a Concilio *Carthaginensi* 3. a generali 6. synodo in *Trullo* celebrata confirmato, cap. 36. Poenitentibus secundum peccatorum differentiam poenitentiae decernantur. Hæc ibi. & recitatur 26. *quest.* 7. Item a *Car.* 4. cap. 74. ut sacerdos poenitentiam imploranti, absque personae acceptione, poenitentiae leges injungat. Hæc ibi. Item a Concilio *Laodicensi*, cap. 2. His, qui delictorum peccatorum lapsus incurrunt; & oratione, & confessione, ac poenitentia, malorum suorum perfectam conversionem demonstrant: pro quantitate peccati poenitentiae tempus attribuendum est, propter misericordiam, & bonitatem Dei. Hæc ibi. Item a Concilio *Aphricano*, cap. 10. Poenitentibus, secundum differentiam peccatorum, Episcopi arbitrio poenitentiae tempora decernantur. Hæc ibi, & recitatur 26. *quest.* 27. Vide etiam de *consecr. dist.* 4. De *poenitentibus*, & 26. *quest.* 7. *Tempora*, cum multis sequentibus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, praemissa Concilii dicta, pro quanto poenitentiae imponendae modum illum statuunt, & probes, & declares, & tuearis. *Tertio* vides quomodo, &c.

QUESTIO IX.

De qualitate confessionis,

In quatuor articulos divisa.

DEinde considerandum est de qualitate confessionis.

Circa quod quaeruntur quatuor.

Primo, utrum confessio possit esse informis.

Summ. S. Th. Tom. XIII.

Secundo, utrum oporteat confessionem esse integram.

Tertio, utrum possit aliquis per alium, vel per scriptum confiteri.

Quarto, utrum illae conditiones quae a Magistris assignantur, ad confessionem requirantur.

ARTICULUS I. 39

Utrum Confessio possit esse informis.

S. Thom. in IV. dist. XVII. quest. III. art. 4. quest. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod confessio non possit esse informis (1). Dicitur enim *Eccli. xvii. 26. A mortuo, quasi nihil, peris confessio*. Sed ille qui non habet caritatem, est mortuus, quia ipsa est animae vita. Ergo absque caritate non potest esse confessio.

2. Praeterea. Confessio dividitur contra contritionem, & satisfactionem. Sed contritio, & satisfactio numquam possunt extra caritatem fieri. Ergo nec confessio.

3. Praeterea. In confessione oportet quod os cordi concordet: quia hoc ipsum nomen confessionis requirit (2). Sed ille qui adhuc manet in affectu peccati, si confitetur, non habet cor ori conforme: quia corde peccatum tenet, quod ore damnat. Ergo talis non confitetur.

Sed contra. Quilibet tenetur ad confessionem mortali. Sed si aliquis semel confessus est etiam in mortali existens, non tenetur ulterius ad confitendum eadem peccata: quia cum nullus sciat se caritatem habere, nullus sciret se confessum fuisse. Ergo non est de necessitate confessionis quod sit caritate formata.

Respondetur dicendum, quod confessio est actus virtutis, & est pars sacramenti. Secundum autem quod est actus virtutis, est actus meritorius propriae: & sic confessio non valet sine caritate: quae est principium merendi. Sed secundum quod est pars sacramenti.

K men.

(1) Vel absque caritate, ut adjuncta explicat, quia forma virtutum caritas est: ut ex professo in 2. 2. *quest.* 23. art. 8. probatum est ac explicatum. Intelligendum autem absque caritate vel imperfecta vel perfecta, ut dicitur paulo post.

(2) Quasi hoc sit simul fieri, quod fit quando pronunciamus ore id quod corde tenemus; ut & su-

pra ex Augustino in *Joan. Tract. 26.* non quoad notationem nominis notatum est, sed quoad sensum & veritatem rei: *Hoc est confiteri, dicere quod habes in corde*, inquit: addens quod qui aliud habet in corde quam quod exprimit ore, non confitetur sed loquitur.

menti, sic ordinat consistentem ad sacerdotem, qui habet claves ecclesie (1), qui per confessionem conscientiam consistentis cognoscit: & secundum hoc confessio potest esse etiam in eo qui non est contritus: quia potest peccata sua pandere sacerdoti, & clavis Ecclesie se subicere: & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam in aliis sacramentis est. Unde non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam consistere.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa intelligenda est (2) quantum ad fructum confessionis percipiendum, quem nullus extra caritatem existens percipit.

Ad secundum dicendum, quod contritio, & satisfactio sunt Deo; sed confessio fit homini: & ideo de ratione contritionis, & satisfactionis est quod homo sit Deo per caritatem unitus, non autem de ratione confessionis.

Ad tertium dicendum, quod ille qui pec-

cata quae habet, narrat, vere loquitur: & sic cor concordat voci, vel verbis quantum ad substantiam confessionis, quamvis discordat a confessionis fine.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito declaratum fuisse a Papa Alexandro III. quod Confessio potest esse infirma. Tunc autem hoc ipsum ille Papa declaravit, quando *Belvacensi* Episcopo scribens ait. „ Quod quidam ad confessionem „ de criminibus veniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non „ posse. Consultationi tuae taliter respondemus, quod eorum confessionem recipere debere, & eis de criminibus consilium exhibere: quia, licet non sit vera huiusmodi „ poenitentia, admittenda tamen est eorum „ confessio, & crebris, & salubribus monitis „ poenitentia indicenda „. Hæc ibi, & recitatur de *penit. & remiss.* Ecce, quod a non contrito potest fieri confessio sacerdoti.

V.

(1) Per participationem tantum & potestatem subordinatam quam per superiorem limitatur; cum eas absolute habere pertineat ad summum Pontificem ut successorem Petri cui singulariter promissæ sunt & exhibitæ.

(2) Non litterali sensu sed mystico; cum significet literaliter quod post corporis mortem non sit confessio loca, accipiendo quoque *confessionem* prout idem est quod laus Dei: sicut & Pl. 113. vers. 26. *Non mortui laudabunt te Domine*: vel utroque pariter modo, tam pro laude quam pro confessione peccatorum, post mortem nulla vel inutili; ut ex adjunctis ibi patet: Sic enim plene vers. 26. ac deinceps: *Non demoreris in errore impiorum: Ante mortem consistate: A mortuo quasi nihil perit confessio: Confiteberis vivens; vivus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & glorietur in misericordibus illius, &c.* Unde ibi Rabanus lib. 4. in Ecclesiastico cap. 7. infert quanto studio id præstandum sit ante mortem ut utiliter fiat: *Mystice autem interpretatur Augustinus de morte ipsa spirituali sicut & S. Thomas; cum de verbis Domini serm. 8. sic loquitur paulo post initium: Confitemur sive laudantes Deum, sive accusantes nos ipsos: Pia est utraque confessio: sive tunc ista iudas qui non potest habere poenitentiam, sive cum te reprehendis qui non es sine peccato: Si autem bene cogitemus, reprehensio tua laus ipsius est: Quare enim iam confiteris in accusatione peccati tui, Nisi quia ex mortuo vivus factus es? At quippe Scriptura (Ecclesiast. 17.) A mortuo quasi qui non sit perit confessio: Porro cum sine charitate dicitur esse infructuosa & inutilis confessio quasi effectu suo creans nec iustificans consistentem, intelligitur vel de confessione in ultimo termino sui quando confitens*

absolvitur, vel de initiali charitate seu via quadam & dispositione ad charitatem, tamen eam actu non includat. Nam confessio facta cum sola imperfecta contritione que communitur *attritio* dicitur, valet cum Sacramento per absolutionem Sacerdotis ad justificationem seu peccati remissionem obtinendam; ut Concilium Tridentinum indicat Sess. 14. cap. 4. cum sic ait: *Es quamvis (contritio imperfecta que attritio dicitur) sine sacramento poenitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in sacramento poenitentia impetrandam disponit*: Manifestum est autem quod contritio illa imperfecta intelligatur que charitatem actu non includit; cum neget eam sine sacramento poenitentia perducere ad justificationem posse, quod potest contritio quilibet charitatem includens actu, ac præmiterit eam nondum inhabitantis Dei deponere esse sed *movens impulsivum*, & contritio charitatem includens actu Deum inhabitantem præsupponat: Non ergo imperfecta Janseniano sensu propter defectum gradus tantum subintelligi debet, sicut *vir imperfectus* puer, quia totam perfectionem viri nondum habet; sed imperfecta vero sensu propter defectum essentia contritionis in qua charitas actu includitur, licet ad illam introducat; sicut *imperfectus embryo* est, quia essentiam humanam nondum habet, sed est dispositio ad habendam: Et hinc *initialis timor* appellatur ad charitatem introducens, ac ad confessionem ab initio sufficiens ut absolutionis effectum percipiat, & propterea *ex attritio contritus* fiat, sicut dicitur passim; tamen attritio nunquam contritio fieri possit, ut ostensum est quest. 1. art. 3. sicut album potest fieri nigrum, non albedo nigredo.

Verum, si taliter est incontritus, ut se inabsolubilem proponat (in quo casu loquitur Papa) confessio ejus admittitur quidem ad audientiam pro salubribus monitis, qualicumque poenitentia a confessario imponenda; sed non ad absolutionem. Peccaret namque tunc peccato sacrilegii tam absolvens, quam absolutionem recipiens: quoniam eorum quilibet contra formam sacramenti veniret, ac per hoc injuriam in essentialibus inferret sacramento. Non tamen propter hoc confessio illa respuenda, sed admittenda, dicitur. Multo igitur magis in casu nostro informis confessio admitti debere, per hoc significatur. Nam ibi & impenitens est ipse confitens: & impenitentiam suam illam manifestat confessario: in casu autem articuli nostri, neque impenitens, sed imperfecte poenitens est, & consequenter impenitentiam manifestare non potest: ibi non absolvitur, hic vero absolvitur. *Secundo* habes: quomodo per rationem dictum Pontificis, pro quanto confessionem informem sentiri esse admittendam, & intelligas, & probes, & defendas. In hoc tamen semper præ oculis habeto discrimen prædictum in *secunda* not. post ad *seriam*, inter illas confessiones informes, ne fiat error. *Tertio* vides: quomodo, &c.

ARTICULUS II. 36

Utrum oporteat confessionem esse integram.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod non oporteat confessionem esse integram, ut scilicet omnia peccata uni sacerdoti confiteatur aliquis. Quia erubescencia facit ad diminutionem poenæ. Sed quanto pluribus sacerdotibus quis confitetur, tanto majorem erubescenciam patitur. Ergo fructuosior est confessio, si pluribus sacerdotibus dividatur.

2. Præterea. Confessio ad hoc necessaria est in poenitentia, ut poena secundum arbitrium sacerdotis peccato taxetur. Sed sufficiens poena potest imponi a diversis sacerdotibus de diversis peccatis. Ergo non oportet uni sacerdoti omnia peccata confiteri.

3. Præterea. Potest contingere quod post confessionem factam, & satisfactionem perfectam recordetur quis alicujus peccati mortalis, quod dum confitebatur, in memoria non habebat; & tunc copiam proprii sacerdotis, cui primo confessus fuerat, habere non poterit. Ergo poterit solum peccatum illud alteri confiteri; & sic diversa peccata diversis sacerdotibus confitebitur.

4. Præterea. Sacerdos non debet fieri confessio de peccatis, nisi propter absolutionem. Sed quandoque sacerdos qui confessionem audit, potest de quibusdam peccatis absolvere, non de omnibus. Ergo ad minus in tali casu non oportet quod confessio sit integra.

Sed contra. Hypocrisis est impedimentum poenitentiae. Sed dividere confessionem ad hypocrisim pertinet, ut Augustinus dicit (alius Auctor Lib. de vera & falsa poenit. cap. xv. cir. med.) Ergo confessio debet esse integra.

Præterea. Confessio est poenitentiae pars. Sed poenitentia debet esse integra. Ergo & confessio.

Respondeo dicendum, quod in medicina corporali oportet quod medicus non unum solum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi: eo quod unus morbus ex adjunctione alterius aggravatur; & medicina quæ uni morbo competet, alteri nocumentum præstaret. Et similiter est in peccatis; quia unum aggravatur ex adjunctione alterius; & illud quod uni peccato esset conveniens medicina, alteri incentivum præstaret, cum quandoque aliquis contrariis peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastoralis (parte III. cap. III.) docet. Et ideo de necessitate confessionis est quod homo omnia peccata confiteatur quæ in memoria habet: quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio.

Ad primum ergo dicendum, quod etsi erubescencia sit multiplicior, quando dividit diversa peccata diversis; tamen omnes simul non sunt ita magnæ erubescenciæ, sicut illa una qua quis omnia sua peccata simul confitetur: quia nnum peccatum per se consideratum non ita monstrat malam dispositionem peccantis, sicut quando est cum pluribus aliis consideratum: quia in unum peccatum aliquis quandoque ex ignorantia, vel infirmitate labitur; sed multitudo peccatorum demonstrat malitiam peccantis, vel magnam corruptionem ejusdem.

Ad secundum dicendum, quod poena a diversis sacerdotibus imposita non esset sufficiens: quia quilibet consideraret peccatum unum tantum per se, & non gravitatem ipsius, quam habet ex adjunctione alterius: & quandoque poena quæ contra unum peccatum daretur, esset promotiva alterius peccati: & præterea sacerdos confessiones audiens vicem Dei gerit; & ideo debet ei fieri hoc modo confessio sicut fit Deo contritio. Unde

K 2 sicut

sicut non esset contritio, nisi quis de omnibus peccatis quæ memoriæ occurrunt, confiteretur; ita non esset confessio, nisi quis de omnibus quæ memoriæ occurrerint, confiteretur.

Ad tertium dicendum, quod quidam dicunt, quod quando aliquis recordatur eorum quæ prius oblitus erat, debet etiam ea quæ prius confessus fuit, iterum confiteri: & præcipue si non potest eundem habere, cui ante confessus fuerat, qui omnia cognoscit, ut totius culpæ quantitas uni sacerdoti innotescat. Sed hoc non videtur necessarium: quia peccatum habet quantitatem & ex seipso, & ex adjunctione alterius. Peccatorum autem de quibus confessus est, manifestavit quantitatem quam ex seipsis habent. Ad hoc autem quod sacerdos utramque quantitatem hujus peccati cuius fuerat oblitus, cognoscat, sufficit quod hoc peccatum confitens dicat explicite, & alia in generali, dicendo quod cum alia multa confiteretur, hujus oblitus fuit.

Ad quartum dicendum, quod etiam si sacerdos non de omnibus possit absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscat, & de illis de quibus non potest absolvere, ad superiorum remittat.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Lutheri* dicentis, confitenda non esse omnia peccata mortalia, quia impossibile est omnia peccata mortalia cognoscere: nec necessarium esse omnium peccatorum examen. Item dicentis, confiteri dum volumus pure omnia peccata, nihil aliud facimus, quam, quod misericordiz Dei nihil volumus relinquere ignoscendum. Item hæresim *Secliariorum* dicentium, *confiteri peccata, & enumerare, est Papistica carnificina, & impietas*. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, omnes hos errores fuisse merito damnatos a Concil. *Trident.* sess. 14. ca. 5. sic. „ Ex institutione sacramenti pœnitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere, & *infra*. „ Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri; & *infra*.

„ Itaque, dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata, Christi fideles confiteri student, proculdubio omnia divinæ misericordiz ignoscenda exponunt: qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Hæc ibi. Unde liquido constat, quod totum oppositum est ejus, quod *Lutherus* aiebat. Tantum enim abest a vero, quod confiteri volens pure omnia, nihil ignoscendum divinæ misericordiz relinquere velit, ut per hoc, quod confiteretur omnia, parerit sibi viam percipiendi veniam de omnibus: & per hoc quod non confiteretur omnia, nullius sibi a divina largitate indulgentiam procuret. Post præmissa adhuc errores illos impugnando, subinfert ibi idem Concilium. „ Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas, quæ speciem peccati mutant, & *infra*. Sed & impium est, confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim, nihil aliud in ecclesia a pœnitentibus exigi, quam, ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientiz suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum eadem confessione inculca esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Ipsa vero hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, graves quidem videri possent: nisi tot, tantisque commodis, & consolationibus levarentur, quæ omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur, Hæc ibi. Item a Concilio Cabilonensis 2. cap. 32. sic. Hoc emendatione egere perpeximus; quod quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat, hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet, & corpore, & interdum animi motu; & interdum carnis fragilitate peccatur; solerti indagatione inquiri debent ipsa peccata, ut ex utriusque plena sit confessio. Hæc ibi. Ecce. Detestatur illos, qui non plene, idest integre confitentur: & non solum indagatione, sed etiam solerti, inquirenda esse peccata, per examen utique conscientiz, Synodus ista pro-

pronunciat. Item a Papa Eugenio IV. in decret. Armenis dato sacro approbante Concil. Florentin. sic. *Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter.* Hæc ibi: & per ly *secunda* intelligit secundam partem poenitentiz. Item a Leone X. in Bulla contra errorem Lutheri. Vide circa hoc supra qu. 1. art. 1. & 3. par. qu. 68. art. 9. Item a Concilio Trident. sess. 14. can. 8. *Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam, &c. anathema sit.* Hæc ibi. Quæ autem sit confessio, qualem Ecclesia servat, prædeclarat idem Concilium canon. 7. sic. „ Si quis dixerit in sacramento poenitentiz ad remissionem peccatorum, necessarium non esse de jure divino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant: sed eam confessionem tantum esse utilem ad erudiendum, & consolandum poenitentiam: & olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam: aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiz agnoscendum: aut demum, non licere confiteri peccata venialia anathema sit. Hæc ibi. Item *Ec. ut supra* quæst. 6. a. 2. & 3. Item ab Innocentio III. in Concilio Lateranen. cap. 21. omnis utriusque sexus fideles: cum ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata confiteatur fideliter. Hæc ibi. Nota ly *omnia*. Ergo confiteatur integraliter. Nota ly *fideliter*. Ergo, diligenti examine prævio, vel saltem concomitante. De qualitate hujus examinis vide supra in not. post. ad *tertium*, & hic in *append.* Vide *Roffensem* contra Lutherum art. 8. & 9. *Tertio* habes quomodo per rationem præmissa sanctorum Patrum documenta, pro quanto confessionem oportere esse integram dicunt, & probes, & declares, & defendas. *Quarto* vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S III.

Utrum quis possit per alium, vel per scriptum confiteri.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod possit per alium quis confiteri, vel per

scriptum. Quia confessio necessaria est ad hoc ut conscientia poenitentis sacerdoti pandatur. Sed homo potest per alium, vel per scriptum suam conscientiam manifestare. Ergo sufficit per alium, vel per scriptum confiteri.

2. Præterea. Quidam non intelliguntur a propriis sacerdotibus propter linguæ diversitatem; & tales non possunt nisi per alios confiteri. Ergo non est de necessitate sacramenti quod per seipsum quis confiteatur: & ita videtur quod si per alium quis confessus fuerit qualitercumque, sufficiat ei ad salutem.

3. Præterea. De necessitate sacramenti est quod homo proprio sacerdoti confiteatur, ut ex dictis patet (quæst. præc. art. 5.) Sed aliquando proprius sacerdos est absens, cui non potest poenitens propria voce loqui; posset autem per scriptum ei suam conscientiam manifestare. Ergo videtur quod per scriptum ei suam conscientiam transmittere debeat.

Sed contra. Homo ita tenetur ad confessionem peccatorum, sicut ad confessionem fidei. Sed confessio fidei ore est facienda, ut patet Rom. x. Ergo & confessio peccatorum.

Præterea. Qui per seipsum peccavit, per seipsum debet poenitere. Sed confessio est poenitentiz pars. Ergo poenitens debet confiteri propria voce.

Respondeo dicendum, quod confessio non solum est actus virtutis, sed etiam pars sacramenti. Quamvis autem ad eam, secundum quod est actus virtutis, sufficeret qualitercumque fieret, etsi non esset tanta difficultas in uno modo sicut in alio; tamen secundum quod est pars sacramenti, habet determinatum actum, sicut & alia sacramenta habent determinatam materiam: & sicut in baptismo ad significandam interiorem abluitionem assumitur illud elementum cujus est maximus usus in abluendo; ita in actu sacramenti ad manifestandum ordinarie assumitur ille actus quo maxime consuevimus manifestare, scilicet proprium verbum. Alii enim modi sunt inducti in supplementum istius.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in baptismo non sufficit qualitercumque abluere, sed per elementum determinatum; ita nec in poenitentia sufficit qualitercumque peccata manifestare, sed oportet quod per actum determinatum manifestentur.

Ad secundum dicendum, quod in eo qui usum linguæ non habet, sufficit quod per scriptum, aut per autum, aut per interpretem

tem confiteatur (1) quia non exigitur ab homine plus quam possit; quamvis homo non possit, vel debeat baptismum accipere nisi in aqua, quæ est omnino ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur. Sed actus confessionis est ab intra, & a nobis: & ideo quando non possumus uno modo, debemus, secundum quod possumus confiteri.

Ad tertium dicendum, quod in absentia proprii sacerdotis potest etiam laico fieri confessio; & ideo non oportet quod per scriptum fiat: quia plus pertinet ad necessitatem confessionis actus quam ille cui fit confessio (*).

✠ Adde quod in Decretis distinct. 1. de poenitentia cap. *Quem pœnitens* exemplo leproforum qui se Sacerdotibus offendere, iussi sunt ut de lepra purgata iudicaret, necessarium esse indicatur ut confitentes coram Confessario Sacerdote se listant ac præsentem peccata sua per seiplos accusent & absolutionem ab illis recipiant. Sic enim ibi: (2) *Præcepit Dominus mandandis (vel mandatis) ut ostenderent ora Sacerdotibus (Luc. 17.) docens corporali presentia confitenda peccata; non per nuntium aut per scriptum manifestanda: Dixit enim, Ora monstrate; & Omnes, non unus pro omnibus: Non alium statuas nuntium qui pro vobis offerat munus a Moyse statutum; sed, Qui per vos peccastis, per vos erubescatis: Erubescencia enim ipsa partem be-*

bet remissionis: In hoc enim quod per seipsum dicit Sacerdoti & erubescenciam vincit timore offensi, fit venia criminis &c.

Adde item quod in hanc sententiam ex Concilio Tridentino colligi potest Sess. 14. cap. 2. sub his verbis: *Eos qui se crimine aliquo post baptismum contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui, sed ante hoc tribunal (Pœnitentiæ) tanquam eos fisci voluit Christus, ut per Sacerdotum sententiam quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari: Quid porro est ante tribunal fisci aut confugere ad tribunal, nisi præsentem confiteri præsentem, & peccata manifestare per seipsum?*

Adde quoque quod anno 1602. Clemens 8. hanc propositionem, *licere per literas seu per internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam se damnare ac prohibere declaravit, imo præcepit ne deinceps ista propositio in publicis privatisve lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur; neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut imprimatur, aut quovis modo ad praxim deducatur, sub pœna excommunicationis lata sententiâ suprema ipsi Pontifici qui tunc fuerit reservate (3).*

Nec vero status confitentis per factam ab absente confessionem innotescere Confessario potest

(1) Mutus quidem per scriptum si literas formare novit; vel per nutum, si eas non didicit formare; sed qui est alterius linguæ, per interpretem, quia non potest ea lingua scribere qua supponitur non posse loqui.

(*) Ad hanc firmandam sententiam extra omnem aliam positam plura in textu addit Nicolaus ex Decretis præsertim, ex Concilio Tridentino, & ex proscriptioe sententiæ oppositi facta a Clemente VIII. anno 1602. qua scripsit duximus confusionis vitanda gratia, referre continuo, & in eadem sextus columna, ut Notis ejusdem Nicolai locus esset pariter, & a S. Præceptoris textu, apposito ✠ signaculo secretarentur.

(2) Ex capite 10. libri de vera & falsa poenitentia qui Augustino perperam olim attribuebatur, & nunc inter adulterina repositus est; ubi etiam his additur: *Multum satisfactionis obtulit, qui erubescencia dominans, nihil eorum quæ commisit nuntio Dei denegavit.* Intolerandum vero illud quod mihi contrariam opinionem de absentis confessione impugnanti quispiam in publico Auditorio perabsurde respondit: propterea confessionem illam fieri posse scripto ut minor esset pudor vel erubescencia confitentis; quasi non ad confessionem veram, & sinceram hæc erubescencia requiratur, ut art. 4. inter conditiones confessionis assignandas patebit.

(3) Infeliciter hoc Decretum Clementis in frivolis interpretationes trahunt qui hoc tantum ab illo

prohiberi somniant ne absenti absolutio detur; non prohiberi vero ne confessio absenti fiat; nec daminari confessionem absenti factam, sed absolutionem absenti datam: Quorsum enim absentis confessio si præsentem tantum absolvendus est? Eadem plane incommoda redeunt & majora, si confiteri potest cum est absens, & tunc absolvi tantum cum est præsentem: An sine nova confessione absolvendus? Incertum ergo ejus conscientie status, præsertim si aliqua longior mora inter confessionem & absolutionem intercessit: An cum obligatione denuo confitendi? Quid ergo confessio quam absens fecit, prodest, si eam interari oportet a præsentem? Cur porro Clemens utramque simul assertionem illam uno tenore conjungeret, nisi utramque pari modo damnaret? Unde hanc præposteram interpretationem Romana ipsa inquisitio abdicavit. Nihilo falcius, qui supradictam de absentis confessione opinionem ut illicitam quidem sed non ut invalidam a Clemente rejectam fingunt, quia nimirum dixit hanc propositionem a se daminari *licere per literas absenti confiteri*, nec de validitate vel invaliditate quidquam dixit: Cur enim in re ad sacramenti usum tantopere necessaria tam severe interdiceret ne ad praxim quocunque casu occurrente reduceretur, nisi putaret invalidam? cum alioqui si valida supponeretur, non videretur deneganda; ut pote quæ in casu prodesse alicui plurimum posset, nec injuriam cuiquam faceret ob quam præfereretur illicita.

potest, etiam conjectura morali, ut secure absolvat vel absolutionem pronunciet: Quid enim si post scriptam confessionem ac transmissam, præsertim in remotis partibus degens, a voluntate pœnitendi jam resiliit? Quid si vel hæc eadem quæ confessus est scripto, iteravit, vel nova quædam quæ confiteri oporteat, adiecit? Quid si fortasse actu peccat, cum absolvitur vel absolvi putatur? Præterquam quod absolutio materiam præsentem indicare videtur in quam illius forma cadat; sicut alia sacramenta præsentem semper materiam requirunt ut fieri valide possint.

Annon frivolum vero matrimonij argumentum quod contrahitur inter absentes? Et si enim contractus, qua civilis & legitime factus, qualis ad ineundum rite matrimonium requiritur æque inter absentes ac præsentem fieri possit, ipsum tamen matrimonij sacramentum inter præsentem tantum potest celebrari. Nec refert ad contractus validitatem scripto roboratam, an contrahentes in eadem deinde voluntate persistant, quia scriptum præcedens posterius contradicentes ligat: Refert autem omnino ad absolutionis valorem ut confitens in eo statu permaneat quo percipere fructum illius possit, & affectum peccati non habeat: Unde id moraliter innotescere debet absolventi per præsentiam confitentis.

Frustra etiam objicitur quod vel forensis Judex absolvere a absentem potest; vel Sacerdos vocatus ad infirmum qui obmutuit aut a sensibus alienus est, eum ex aliorum testimonio afferentium quod quædam signa pœnitentis exhibuisset ac vocari Confessarium petiisset, absolvit: Primo enim non absolvit forensis Judex ab intrinsicâ culpa quasi statum internum rei vel affectum immutans, ne sacerdos absolvens confitentem ex vi divinæ potestatis cujus est administer: Unde forensis in absentem absolutio æque pronunciarî potest ac si re ipsa præsens esset; sed non sacramentalis & mystica: Secundo qui absolvit infirmum eo modo & casu quo dictum est, eum quasi præsentem habet moraliter, ac de illius voluntate quæ non apparet nec præsumitur immutata per fide dignum testimonium

securus est; sed non sic ille quæ absolvit absentem, quia bene præsumi potest immutatus.

Nec minus frustra objicitur quod causa 3. quæst. 5. cap. *Qualis adulteræ pœnitentia per scripturam recipienda* decernitur: Non enim ea verba proprie significant eam recipendam scripto, sed Scriptura testimonio probant sic recipi debere quia & receptam a Christo adulteræ pœnitentiam ex Joannis 8. constat: Vel de pœnitentia sacramentali verba illa intelligenda non sunt, sed ea tantum pœnitentia quam exhibet marito ut se fideliorum fore profiteatur: Vel corruptum est Gratiani Exemplar, & sic potius corrigendum, *Pœnitentia illi recipienda*; sive planius, ut in Capitularibus Caroli magni lib. 7. cap. 127. exprimitur, *Pœnitentia illi accipienda*; id est suscipere injunctam sibi pœnitentiam debet ut ab adulterio absolvatur. Et sic etiam corruptelam hanc emendandam appendix ibi notat.

Denique nec exemplum quod Scotus 4. Sent. dist. 17. refert S. Thomæ Cantuariensis qui ad Curiam pro absolutione obtinenda misisse asseritur, ullius momenti est: Non enim a Curia sacramentalem absolutionem postulavit, nec eam illi Alexander 3. dedit, sed canonicam tantum; propterea quod non satis animose in Consilio Regis Angliæ jura Ecclesiæ a se defensa fateretur, & se indignum esse sacerdotio propter hoc ipsum judicaret; ut ex illius ad Pontificem epistola & ex Pontificis rescripto manifestum est, quod sic habet: *Si te recolis aliquid commississe de quo propria te debeat conscientia remordere, quidquid sis, Sacerdoti qui discretus & providus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri: (1) Quo facto misericors Dominus qui multo amplius ad cor respicit quam ad actus, tibi consuete pietatis suæ miseratione dimittet: Et nos de Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus meritis confidentes, te ab eo quod est commissum absolvimus, & id ipsum fraternitati tuæ autoritate Apostolica relaxamus.* En ut eum ad Sacerdotem ire monet ac ei confiteri ut absolutionem certe sacramentalem ab eo recipiat, propter quam solam confessio fieri solet Sacerdoti; & eum tamen autoritate apostolica

(1) Cur Morinum non dicam hic ludere, ne quid amplius? Cum in opere suo de administratione sacramenti Pœnitentiæ lib. 8. cap. 25. §. 12. illum S. Thomam vult confiteri Sacerdoti ex Pontificis mente, ut imponat pœnitentiam, non absolvat; Hicine vero Confessionis usus; Præter alia multa non debi-

lia tantum (quoque accusat in Ysamberto) sed inania prorsus congerit ut absolutionem aliquando absenti datam vel etiam confessionem factam esse contendant, si oculate attendantur: Nec ego hæc odio viri qui nec facie mihi notus me unquam læsit, sed sincero studio veritatis,

lica quæ ad solius canonicæ pœnæ remissionem sic solemniter adhibetur, se absolvere dicit, ac eidem si quid ab eo commissum est quale putabat relaxare: Unde absolutio a censuris quas incurrisse videbatur, subintelligi debet; non autem illa sacramentalis absolutio quæ communiter datur confitenti: Et propterea subdit Pontifex quod a Missarum solemnibus vel celebratione abstinere deinceps non debeat; quod potissimum ad censuræ quam formidabat remissionem pertinere videtur. Nec de facto dubitandum est, sicut dubitant quidam, quia Scotus non refert unde sumpsit; cum Baronius in Annalibus tom. 12. ad annum 1164. num. 6. illud plene referat &c.

APPENDIX.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem explodas erroneas propositiones *Erasmi* (has recenset *Jacob. Lop.* Stunica post suum itinerarium inter propositiones quas tanquam suspectas ipse excerptit ex lib. *Erasmi*) dicentis, confessio clancularia, quæ nunc recepta est, & in aurem fit, videtur ex consultationibus privatis esse nata: quæ solet apud Episcopos fieri, si quis scrupulus urget animum. Iterum dicentis, confessionem admissorum secretam, apparet, Hieronymi tempore nondum fuisse institutam. Si enim confessio per internuncium, scriptum, testem, vel epistolam non potest fieri, secundum articulum hunc; utique sancti Doctoris ratio præsens prædicta propositiones exterminat. Nam hinc discurrenti patet, quod, esse secreto factam, convenit confessioni aliunde, quam ex illis consultationibus privatis apud Episcopos fieri solitis, & consequenter, quod ante Hieronymi tempora talis secreta confessio fuit instituta. Ut quid enim scriptura, interpres, testis, excluduntur a confessione? Ad significandum, quod confessio debet esse non tantum secreta, sed etiam magis secreta, quam fieri possit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illas propositiones erroneas merito fuisse damnatas a *Papa Leone primo* in epistola 78. ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos, sic. „ Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, „ quam nuper agnovi a quibusdam illicita „ usurpatione committi, modis omnibus consilio submoventi (*de pœnitentia videlicet*, „ *quæ ita a fidelibus postulat*) ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta „ confessio publice recitetur, cum reatus

„ conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus „ indicari confessione secreta, quamvis enim „ plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ „ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen, quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea, „ qui pœnitentiam poscunt, non timeant „ publicare, removeatur improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentiz remediis arceantur: dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta referare, a „ quibus possunt legum constitutione percellari: sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, „ qui pro delictis pœnitentium præcator accedit: tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi „ auribus non publicetur conscientia contentis. *Hæc ibi. Item a Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. sic*: Ceterum, quoad modum confitendi secreto apud solum sacerdotem, etsi Christus non venisset, quia „ aliquis in vindictam suorum scelerum, & „ sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit, „ non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humana aliqua „ lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda. Unde, cum a sanctissimis, & antiquissimis Patribus magno, unanimique „ consensu secreta confessio sacramentalis, „ qua ab initio Ecclesia sancta usa est, & „ modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifeste repellitur inanis eorum „ calumnia, qui eam divino mandato alienam, & inventum humanum esse, „ atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. *Hæc ibi. Ante Hieronymi ergo tempora secreta confessio fuit in usu, quoniam ab initio illa Ecclesia sancta usa est: & cum non sit inventum humanum, non est nata ex privatis consultationibus ab Erasmo dictis. Nota Concilii verba ly secreto apud solum sacerdotem, quod per hoc innuere videtur, confessionem fieri non posse per alium, neque per scriptum. Si enim solummodo per hoc suum dictum significare voluisset, quod confessio fieret in præsentia sacerdotis, sufficiens videretur ly apud solum sacerdotem: cum vero addat ly secreto, videtur excludere per hoc & interpretem, & scriptum, ut in articulo præsentis Sanctus Thomas determinavit. Tertio habes: quomodo*

modo per rationem sanctorum Patrum præmissa decreta; pro quanto confessionem dicunt secretam, idest non per alium, neque per scriptum esse debere, & declares, & probes, & defendas. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 38

Orum sexdecim condiciones assignate requirantur ad confessionem.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod sexdecim illæ condiciones quæ a Magistris assignantur, his versibus (1) contentæ, non requirantur ad confessionem:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis.

Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda.

Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata.

Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Fides enim, & simplicitas, & fortitudo sunt per se virtutes. Ergo non debent poni condiciones confessionis.

2. Præterea. *Purum* est quod non habet permixtionem; & similiter *simplex* compositionem, & permixtionem aufert. Ergo superflue alterutrum ponitur.

3. Præterea. Peccatum semel tantum commissum nullus tenetur confiteri nisi semel. Ergo si homo peccatum non iterat, non oportet quod sit *frequens* ejus penitentia.

4. Præterea. Confessio ad satisfactionem ordinatur. Sed satisfactio quandoque est publica. Ergo & confessio non semper debet esse *secreta*.

5. Præterea. Illud quod non est in potestate nostra, non requiritur a nobis. Sed lacrymas emittere non est in potestate nostra (2). Ergo non requiritur a confitente.

Summ. S. Th. Tom. XIII.

Sed contra est Magistrorum assignatio.

Respondeo dicendum, quod dictarum conditionum quædam sunt de necessitate confessionis, quædam de bene esse ipsius. Ea autem quæ sunt de necessitate confessionis, vel competunt ei, secundum quod est actus virtutis, vel secundum quod est pars sacramenti. Si primo modo, aut ratione virtutis in genere, aut ratione specialis virtutis cujus est actus, aut ex ipsa ratione actus. Virtutis autem in genere sunt quatuor condiciones, ut in II. Ethic. (cap. iv.) dicitur. Prima est ut aliquis sit *sciens*: & quantum ad hoc confessio dicitur esse *discreta*, secundum quod in actu omnis virtutis prudentia requiritur. Est autem hæc discretio ut majora peccata cum majori pondere confiteatur. Secunda conditio est ut sit *eligens*: quia actus virtutum debent esse voluntarii: & quantum ad hoc dicitur *libens*. Tertia conditio est ut *propter hoc*, scilicet debitum finem, *operetur*: & quantum ad hoc dicitur, quod debet esse *parata*, ut scilicet recta sit intentio. Quarta est ut *immobiliter operetur*: (3) & quantum ad hoc dicitur, quod debet esse *fortis*, ut scilicet propter verecundiam veritas non dimittatur. Est autem confessio actus virtutis penitentia. Quæ quidem primo initium sumit in horrore turpitudinis peccati: & quantum ad hoc confessio debet esse *verecunda*, ut scilicet non se jactet de peccatis propter aliquam seculi vanitatem admixtam. Secundo progreditur ad dolorem de peccato commissio: & quantum ad hoc dicitur esse *lacrymabilis*. Tertio in abiectione sui terminatur: & quantum ad hoc debet esse *humilis*, ut se miserum confiteatur, & infirmum. Sed ex propria ratione hujusmodi actus, qui est confessio, habet quod sit manifestativa: quæ quidem manifestatio per quatuor impediri potest. Primo per falsitatem: & quantum ad hoc dicitur *fidelis*, idest vera. Secundo per

L ob-

(1) Parum exacte tamen ac poetice concinnatis, nec syllabarum quantitate tribus in locis observata, cum duæ breves protrahantur, *nuda* nimirum & *secreta*, sed una longa corripitur, *verecunda*: Utunque sic mutari ac emendari possent. *Sit simplex humilis* (confessio) *pura, fidelis*: *Nuda, frequens, discreta, libens, pudibunda, latensque*: *Integra nil sciens, lacrymabilis, accelerata* &c. Sed quid ad sensum refert?

(2) Sicut nec est in potestate nostra humor ille qui per lacrymas fluit & materia lacrymarum est, aut corporis alteratio quæ hunc humorem potest excitare: Tametsi tritum illud Ovidianum de feminis, *Non ferens oculos erudiere suos, quasi lacrymarum*

suarum sint domina: Itemque illud ex Ovidio rursum: *Quo non ars penetrat Discunt lacrymare dolenter: Quoque volunt plorant tempore, quoque modo*: Præter aliud item illud Senecæ lib. de Coniolat. ad Helvidiam cap. 16. *Mulieris nomini pene concessum est immoderatum in lacrymas jus, &c.*

(3) Sive firmo & immobili proposito (β. *Βασιλειος* *αὐτὸς ἐπισημαίνων*) ut cap. græco lat. videre est, vel in antiquis cap. 4. & apud S. Thomam lect. 4. Ubi scorsim illa duo & separatim sic explicat: *firmiter quidem* (β. *β. ius*) idest *constanter* (inquit) *quoad seipsum*; *immobiliter* autem, idest *ita ut a nullo exteriori ab hoc remoueat: quin habeat electionem virtuosam & operetur secundum eam, &c.*

obscuritate verborum : & contra hoc dicitur *nuda*, ut non involvat obscurationem verborum. Tertio per verborum multiplicationem : & propter hoc dicitur *simplex*, ut scilicet non recitet in confessione nisi quod ad quantitatem peccati pertinet. Quarto ut non subtrahatur aliquid de his quæ manifestanda sunt : & contra hoc dicitur *integro*. Secundum autem quod confessio est pars sacramenti, sic concernit (1) iudicium sacerdotis, qui est minister sacramenti. Unde oportet quo sit *accusans* ex parte confitentis ; *parere parata* per comparisonem ad sacerdotem ; *secreta* quantum ad conditionem fori, in quo de occultis conscientiarum agitur. Sed de bene esse confessionis est quod sit *frequens*, & quod sit *accelerata*, ut scilicet statim confiteatur.

Ad primam ergo dicendum, quod non est inconveniens quod conditio unius virtutis in actu alterius inveniat, qui ab ipsa impetratur ; vel quia medium quod est unius virtutis principaliter, etiam aliarum virtutum per participationem habent.

Ad secundum dicendum, quod hæc conditio, *pura*, intentionis excludit perversitatem, (2) a qua homo mundatur ; sed *simplex*, alieni admixtionem excludit.

Ad tertium dicendum, quod hoc non est de necessitate confessionis, sed de bene esse.

Ad quartum dicendum, quod propter scandalum aliorum, qui possunt ex peccatis auditis ad malum inclinari, non debet confessio fieri in publico, sed in occulto. Ex poena autem satisfactoria non scandalizatur ita aliquis : quia quandoque pro parvo, vel nullo peccato similia opera satisfactoria fiunt.

Ad quintum dicendum, quod intelligen-

dum est de lacrymis mentis. (3)

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo* : quomodo per rationem, de ly *secreta*, interimas erroneas propositiones *Erasmi* (has recenset *Jacobus Lep. Sunico* post suum itinerarium, inter propositiones suspectas *Erasmi*) dicentis : confessionem nullam fuisse antiquitus secretam male actam vitæ : sed apertam (ut opinor) quam nec legimus exactam a quoquam. Item confessionem admissorum secretam, apparet, tempore *Hieronymi* nondum fuisse institutam. Item, confessio claustraria, quæ nunc recepta est, & in aurem fit, videtur ex consultationibus privatis esse nata, quæ solent apud *Episcopos* fieri, si quis scrupulus urgeret animum. Item errorem *Calvini* (ut habetur ex *Calvini* libello contra acta *Concilii Trid.*) qui articulum hunc, *Confessio auricularis exigitur ab omni Christiano*, tanquam falsum, detestabilemque impingit *Papistis* (nos catholicos sic irrisorie vocitant, non attendentes illud *Psal.* 108. *Maledicent illi, & tu, Domine, benedices.*) Si namque confessio sacramentalis est, quantum ad conditionem fori, secreta (ut in textu dicitur, & verum est) utique antiquitus, & tempore *Hieronymi* fuit facta secreto ; nec hoc ex consultationibus illis natum est, sed ex conditione fori ; nec falsum est, vel detestabile. Nam conditio fori semper fuit eadem, fuit vera, fuit laudabilis ; sicut & sacramentalis forus. *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas, errores illos omnes merito fuisse damnatos a *Papa Leone primo*, & *Concil. Trident.* ut supra *art.* 3. *appen.* Item a, &c. ut *q.* 6. *ar.*

(1) Id est, includit vel involvit, ad eum sensum quo *concreta* dicimus quæ duplicem significationem continent vel includunt. Non eo sensu quo *concernere* pro *respicere* vel *spectare* vulgo ac vernacule usurpatur.

(2) Vel includit rectitudinem intentionis, ex qua etiam 1. ad *Timoth.* 1. vers. 5, & 2. ad *Timoth.* 2. vers. 22. *cor purum* appellatur ; ut & 1. ad *Timoth.* 3. vers. 9. & 2. ad *Timoth.* 1. vers. 3. *conscientia pura* : Nisi & *pura confessio* propter verborum puritatem.

(3) Quod ad confessionem nempe requirantur : *Quamvis* & conandum est omni modo ut & lacrymis corporalibus conjuncta sit, quod per vehementem animi motum ac intentum dolorem potest obtineri. Unde libro de vera & falsa poenitentia cap. 9. inter opera *Augustini* adulterina tom. 4. & inde in *Decretis* dist. 3. de poenitentia c. *Sunt plures* versus

finem : *Recte poenitens quidquid sordium post purificationem contraxit, oportet ut abluit, saltem lacrymis mentis : Sed satis durum est, cujus mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare : Sed scias se culpabiliter durum qui desit damna temporis vel mortem amici, & dolorem peccati lacrymis non ostendit : Non itaque est ut quis excuset se non habere fontem lacrymarum, qui nonnunquam lacrymis ostendit dolorem temporalium : Quod est intelligendum quando ex quadam sua negligentia vel parum sollicita consideratione peccatorum non excitatur ad lacrymas ; cum alioqui jam dictum sit cur ex temporali damno potius fluant, quia sensum propius afficiunt temporalia. De his quoque lacrymis *Hugo* lib. 2. de Sacram. art. 14. cap. *Si tantum valuerunt Petri lacryme ubi confessionem oris non habuerunt, quanto magis cum habent hæc.**

6. 7. 1. & 2. & 9. 8. a 2. Quantum vero ad Calvinum attinet, ultra hoc respondendum etiam est, atque, ut obmutescat insipientium hominum ignorantia, eidem dicendum: Si contra acta sacrosancti Concilii Tridentini multa moliebaris; quare tu cum tui similibus ad Synodum ipsam non accessisti: & in faciem ei, si reprehensibilis erat, non restitisti? Etenim, præterea quod in foribus adversariorum celebrata est, salvos conductus (ut vocant) illis ipsis multoties fuit impartita, atque omnino concessit: quo ad civitatem Tridentinam libere venirent, ibidem manerent, proponerent, loquerentur: una cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractarent, discuterent, & omnia, quæcumque eis libuissent, ac articulos quoslibet tam scripto, quam verbo libere offerrent, propalarent, ipsosque scripturis sacris, & beatorum Patrum verbis, sententiis, & rationibus declararent, astruerent, persuaderent, & (si opus esset) etiam ad objecta Concilii generalis responderent, & cum iis, qui a Concilio delecti fuissent, Christiane, aut charitative, absque omni impedimento disputarent, conferrent, opprobriis, conviciis, ac contumeliis penitus semotis, & signanter, quod causæ controversiæ secundum sacram scripturam, Apostolorum traditiones, probata Concilia, catholicæ Ecclesiæ consensum, & sanctorum Patrum auctoritate, in prædicto Concilio Tridentino tractarentur: illo etiam addito, ut religionis prætextu, aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum minime punirentur. Nunquid non & in eisdem salvis conductibus concessum adversariis omnino voluit, ut, his antedictis peractis, vel non peractis, quandocumque eis libuisset, aut superiorum suorum mandato, & assensu, ad propria reverti optassent, aut aliquis eorum optasset, mox absque ulla penitentia, & occasione, aut mora, salvis rebus eorum, & suorum pariter honore, & personis, possent juxta beneplacitum libere, & secare redire? Nonne voluit etiam sancta ipsa Synodus, in sua illa publica fide, verissimaque securitate, salvo conductu toties concesso, omnes quascumque clausulas contineri, ac pro inclusis haberi, quæ pro plena, efficaci, & sufficienti securitate in eundo, stando, & redeundo necessariæ, & opportunitate fuissent? Utiq; Inimmo pluribus pro plenissimo salvo conductu, speciatim adhuc expressis (quæ res in admirationem legentes facile pertrahat) seipsam pœnis, si dicto non stare, addixit inquires: „ Quod si sancta

„ Synodus, aut aliquis ex ea, vel fuis, cuiuscumque conditionis, vel status, aut præminentie existens, præscriptæ affercationis, & salvi conductus formam, modum, in quocumque puncto, vel clausula violaverit) quod tamen avertere dignetur omnipotens) & sufficiens emenda non fuerit, mox subsecuta ex ipsorum arbitrio merito approbanda, & laudanda, habeant ipsam Synodum, & habere poterunt, incidisse in omnes pœnas, quas jure divino, & humano, aut consuetudine, hujusmodi salvorum conductuum violatores incurere possunt, absque omni excusatione, aut qua, vis in hac parte contradictione. „ Hac illa. Proh Deum immortalem! quid non fecit pia mater Ecclesia, ut illos ad veritatis viam induceret: vel saltem, ut si quid rationis oppositæ dogmatibus Romanæ fidei sibi ipsis viderentur habere, ad lucem coram libere afferrent, proponerent, disputarent: quo vel sic hinc, inde variis disputationibus adductis, veritas, quam nobiscum sequeretur, errorum pulso nubilo, iidem elucesceret? *Nulla enim modo* (inquit Sanctus Thomæ opusculo 18. in fine) *melius, quam contradicentibus resistendo, aperitur veritas; & falsitas confutatur*, secundum illud Salomonis: *Ferrum ferro acuitur, & homo exacuit faciem amici sui*. Quid, inquam, pro salute suorum hostium Synodus ipsa *Tridentina* non fecit? Semel de mense Novembris, 1551. *sess.* 13. ac iterum de Januarii, 1552. *sess.* 25. nec non tertio die Martii, 1552. *sess.* 18. salvis conductibus amplis, amplioribus, amplissimis, fideliter datis, eos dulciter advocavit, longanimiter expectavit, eorum expectationis causa definitionem multarum rerum (ut patet *sess.* 13. & 15.) inibi postea (Deo aspirante) decisuram humanissime distulit. Sed forte dicat Calvinus: Prædicti salvoconductus Germanis dati sunt, non Picardis: ego vero eram natio Picardus. Esto, Fuisisti Picardus, novimus, Basileæ post delituisti, novimus, tum Argentorati exulans, profugorum ibidem concionator extitisti, deinde Genevensis civitatis (pulso, contra Dei legem, Episcopo) gubernationem arripuisti, illam cum Sabaudia, & Gallia tuis blasphemis infecisti, evertisti, perdidisti. Scimus hæc, Calvine, scimus (*ex Lindani Dubitanii dialog.* 2.) Sed istud, te non fuisse natione Germanum, nullius excusationis hac in re, de qua tractatur, vel umbram tibi obtendit. Concilium siquidem ipsum quasi tua, tibi que similium, verba malitiæ ad excusandas excu-

lationes in peccatis prævidens, eaque, ceu dentes caninos, in ore omnium vestrum viriliter contere volens, salvos illos conductus ad alias totius orbis nationes in hæc verba olim extendit. „ Eadem sacrosancta „ Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, præsentibus in ea eisdem Apostolica Sedis de latere legatis, omnibus, & singulis aliis, qui nobiscum in iis, quæ sunt fidei, communionem non habent, ex quibuscumque regnis, nationibus, provinciis, civitatibus, ac locis, in quibus publice, & impune prædicatur, vel docetur, sive creditur contrarium eius, quod sancta Romana sentit Ecclesia, dat fidem publicam, sive salvum conductum sub eadem forma, & eisdem verbis, quibus datur Germanis. „ Hæc Concilium in sess. 18. fin. Si ergo tantis te, o Calvine, prædiis communitivit Ecclesia, ut ad libere dicendum omnia, quæ tibi pro veritate videbantur, accederes, quare instar aspidis surdæ, & obturantis aures suas, te habuisti? Quare ad locum disputationum pro veritate non venisti, & in palestram apertam, quo vocabaris, non descendisti? Cur sic in angulis tuis, & conventiculis, falsitates tuas plebeculæ pro veris venditare elegisti, & non potius in medio magnatorum (Concilii dico) examinandas una tecum apponere maluisti? Cæterum, hoc illud est, quod de te, tuique similibus, jamdudum bene prophetaverat Christus dicens: *Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem. Quare? Ut non arguantur opera ejus.* Quo contra de bonis Doctoribus ait: *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut videantur opera ejus, quæ in Deo sunt facta.* O quam belle de te prædixerat Spiritus sanctus; *Sapientior sibi stultus videtur, septem viris loquentibus sententias.* Quare? Quia præviderat, te ad veritatem inquirendam charitative a Patribus Tridentinis accersendum; & non venturum: insuper & tantorum senatorum decretis obnixè manibus, pedibusque contrahiturum; quasi eum te uno nata sit, vivat, commoretur sapientia ipsa. Et quidem juxta fabellas tuas: Nam (teste Lindano, ubi supra) urbe Geneva occupata, summaque sacerdotii potestate a tuis impetrata, memor consiliorum, quibus seditiosi in Atheniensium, & Romanum imperiis cives vigerant, continuo exclamare, profiteri, denunciarè cœpisti: veram pietatem hætenus ignoratam, tibi esse patefactam, te unum esse, qui plus quam majores, & quotquot mille, & quingentis annis vixerint,

sciat, videat, intelligat, sicque Patres nostros idolorum cultores, delusos, obcecosque fuisse, te autem veram Christi cultum quodam divino spiritu cognovisse; nostros Episcopos impostores, Antichristos, & sceleratorum duces hætenus extitisse: tuos vero Christi nuncios, Apostolos, & Doctores esse. Te, te insuper, tanquam e regione Concilii, Asylum in proximis Galliarum finibus constituisse, ac munivisse, ad quod exules, damnati, aborigines, & omnium ordinum, gentiumque perditæ, ac deploratæ greges, suis finibus ablegati confugiant, in quo velut in tutissimo portu placide conquiescant, significasti: nec non ceu Lucifer super astra descendere volens, fictitiam tuam doctrinam fictitio confirmare miraculo impudentissime aggressus fuisti. Fide digni quidam narrant ex Burgundis (inquit Lindanus) Calvinum pro concione publica quendam stipendio, ut sese mortuum simulares, conductum voluisse quasi in vitam revocare: qui, ubi sese in seretro imponi passus fuisset, in templum perlatus divina ultione vere mortuus est reperiatus, frustra Calvino inclamante (*Surge, surge, in Christi nomine: tibi dico surge*). Et de hac mariti injuria uxorem fuisse apud Magistratum Genevensem graviter conquestam, collectaque informatione, rem fuisse veram deprehensam: sed in gratiam sui Evangelistæ suppressam. Audistine, Calvine, mirabilia, quæ tu facis? Deo autem gratias, cujus suprema justitia nescit patrocinium dare criminibus. Et novit conforme tuis miraculum præstare sophismatibus. Hujuscemodi demonstrationibus tuam misericordiam doctrinam firmabas, quando & stupendorum tuorum operum æmulator quidam discipulus tuus tale quid præsumebat efficere. Nam in Polonia non longe a Cracovia pago Biethæze (narrat D. Franciscus Turrianus, lib. dogm. Chænest. V. D.) concionator Calvinista, evangelii sui confirmandi gratia, Matthæum quendam certo condixit stipendio, qui se mortuum simularet, & ad clamantis vocem ceu mortuus resurgeret, at contrarium evenit. Ubi enim ille pseudoevangelista clamavit (iuxta Matthæum in nomine Christi, cujus Evangelium prædico) vivus factus est mortuus. Et uxor, quæ nuper fluxerat lachrymas, nunc vere lachrymans in concionatorem illum, non pastorem, sed impostorem invecta, suo malo, novo fidem habuit Evangelio. Non mirum igitur, quod ad Concilium Tridentinum accersitus non venisti, quod ei tuam doctrinam examinandam, vel una tecum, non ab-

tulisti: immo, quod & contra ejus decreta adeo rabidis moribus effervuisti, defravisti, totos (ut latius patet in tabula articuloꝝ ex tuo libello contra acta Concilii Tridentini) nervos tuos intendisti. Quid enim, si & tu cum Apostolo Paulo Evangelium suum secundam revelationem cum his, qui videbantur columnæ esse, Hierosolymis conferente, evangelium tuum novum cum Ecclesia sancta, quam Synodus Tridentina representabat, contulisses: Profecto, si tibi taliter conferenti, & ad lucem revocato, dextras socijatis ipsa dedisset: non tibi talia monstruosa miracula obtigissent. Nunquam siquidem talia Paulo miracula in suæ doctrinæ evangelicæ favorem obtigerunt, qualia de tuo novo evangelio supra narravimus. Esto igitur, Calvine, de tua doctrina securus: hanc inter pueros, mulierculas, homines illos, quorum (ut supra) asyllum te præbuiti, commendare, dilatare, extendere, ne pigrescis, ex quo de illa tam miris modis certificatus es. Eja miser: quis unquam talia de aliquo vero Christi discipulo, veroque prædicatore legit? Quis talia vidit? A sæculo non est auditum, quod volens quis in protestationem veræ fidei quempiam suscitare, ipsum de vivo mortuum fecerit. Soli Calvino, similisque farinæ declamatoribus, hoc servabatur: ut vel hinc omnes discere cogentur de doctrina sua; utrum ex Deo sit, an ex diabolo, qui mendax est. Quale miraculum, talis & doctrina. Miraculum mendax, mendax & doctrina. Inversum miraculum, doctrina & inversa. O bone Deus! in cujus nomine facere tales miracula student, quam verax es? Nunquid incredulitas istorum fidem tuam evacuavit? Absit. Quare? Quia tu, qui *solus mirabilia facis*, dignum satis profecto, penituleque concordans, novis his evangelistis miraculum condonasti. Signum suam doctrinam comprobans exigabant: & tu; qui bonus es, de cælo exaudisti eos. Mendaciter suam doctrinam comprobare tuo patrocinio satagebant: & tu, qui verax es, eam ipsam veraciter comprobasti. *Fidelis enim es tu: & ubique sive testimonium veritati, sive falsitati, secundum tua incomprehensibilia judicia, perhibueris, te ipsum negare non potes.* Neque enim falsitati fallaciter, sicut veritati veraciter, sed utrique veraciter verum testimonium perhibes: & ideo *testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Veraciter ergo novorum istorum evangelistarum doctrinam inversam, perversam, mortuam, esse proculdubio semper credemus: quia veraci miracu-

lo divinitus eam esse, ac tenèri debere talem, monstratum est. Qualitatem enim doctrinæ horum, non intentionem, demonstrabat veracissimus Deus, quando (ut supra dictum est) ad horum clamores pro vita e morte, de vivis mortuos faciebat. Benedictus Deus, qui *reddidit illis secundum nequitiam adinventionum ipsorum*, qui confundis illos in superbia sua, qui hos figuram esse Antichristi nobis declaravit; *cujus adventus erit in omni simulata virtute, in signis, & prodigiis mendacibus.* Hucusque dictum sit de Calvino, aliisque hujusmodi, qui charitatem veritatis Tridentinæ Synodi non receperunt, ut salvi fierent. Cæterum ad rem nostram, unde, coacti ferme, digressi sumus. Item habes: quomodo per articuli rationem ceteras errores contra integritatem confessionis allatos supra *ar. 2. append.* & ostendas, illos merito fuisse damnatos a, &c. ut ibi, & *qu. 6. ar. 3.* Item: quomodo per rationem extermines errores contra lachrymas, seu contritionem, in confessione allatos supra *q. 1. a. 3. & q. 5. a. 1.* & ostendas, illos merito damnatos a, &c. ut ibi. *Tertio* habes: quomodo per rationem monstres; Scripturam sacram merito insinuare, quod confessio debet esse *libens, accusans, pura*, ut Psal. 31. *Dixi, confitebor adversum me, &c. & tu remisisti impietatem peccati.* In *ly Dixi*, vide electionem, sive, quod est *libens*; In *ly adversum me*, quod est contentis *accusans*. In *ly tu remisisti impietatem peccati*, quod est *pura*, idest ad debitum finem ordinata, ad hoc scilicet, ut in gratiam Dei contentens recipiatur, per quam Deus remittit impietatem peccati. Item sacram Scripturam merito insinuasse, quod confessio debet esse *parata, lacrymabilis, & accelerata*, ut Eccles. 17. *Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua, minus offendicula, avertere ab injustitia tua, nimis odito execrationem, &c. non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere.* In *ly relinque peccata tua*, minus offendicula, *averte ab injustitia*, vide, quod confessio (de hac prædixit per *ly Convertere ad Dominum*) debet esse *parata ad patendum*, sive a confessario mandetur, quod relinquantur peccata, idest, quod propositum firmum habeas amplius non peccandæ: sive mandetur, quod minuas offendicula, idest, quod occasiones peccatorum caveas; sive mandetur, quod avertaris ab injustitia tua, idest, quod restituas rem alienam. Ad hæc enim tria videtur reduci posse omnia, quæ a confessario mandantur contenti. In *ly nimis odito exe-*

orationem, vide, quod confessio debet esse lachrymabilis, sive contritionem habens. Huiusmodi siquidem lachrymæ, seu contritio, sunt odium contra peccata, execrando scilicet illa, & pro rebus execrabilibus firmissime tenendo, ut supra qu. 1. ar. 1. & 2. In ly non demoreris in errore impiorum, ante mortem confiteri, vide, quod confessio debet esse accelerata, idest non demorando in errore commisso, & confitendo ante mortem, idest citissime. Nam mors ubique nos expectat; & consequenter ille ante mortem confitetur, qui ubique, cum peccaverit, confitetur, idest, qui post commissum peccatum subito confitetur. Item Romanum clerum merito insinuasse, quod confessio sit discreta, verecunda, humilis, fortis, lachrymabilis: „ sic „ oremus, ut, qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant, non momentaneam, neque præproperam desiderare medicinam. Maxime illis convenit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non utique, ut transiliant, castrorum caelestium excubent portis, sed armati modestia, ut intelligant, se desertores fuisse. Arment se modestiæ telis, ut contra hostem diabolum armatos se esse credant. Multum illis proderit patientia non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lachrymas. Advocacione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus: „ dolorem probantes commissi criminis, & „ pudorem. „ Hæc ibi. Et hæc epistola scripta ad Cyprianum Episcopum Carthaginensem, & est in tom. 1. Conciliorum. Quamvis autem ibi nominaliter non scribatur ly confessio, sed ly pœnitentia: hoc tamen nihil refert (ut consideranti patet). Item Scripturam sacram merito insinuare, quod confessio debet esse integra; ut Jo. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. In ly ut remittat, vide, quod confessionem vult esse integram. Non enim Deus remittit unum sine alio peccato, & consequenter Joannes, dum per confessionem nobis remittenda peccata testatur, de integra solum loquitur. Quasi dixerit: Si confiteamur integre, Deus nobis remittet. Item in ly ab omni iniquitate, vide idipsum. Nam emundatio ab omni iniquitate præsupponit, nos omnem iniquitatem per confessionem expuisse. Item merito Scripturam insinuasse, quod confessio debet esse fortis, fidelis, nuda, simplex: ut Eccles. 4. Non confun-

daris confiteri peccata tua. In ly ne confundaris, vide ista omnia. Quia enim non confunditur, non impeditur a confitendo peccata per erubescenciam (ergo est fortis) neque per falsitatem (ergo est fidelis) neque per hoc, quod involvat peccata obscuritate verborum (ergo est nuda ejus confessio) neque per verborum ad gravitatem peccati detegendam non facientium (ergo est simplex). Quarto habes: quomodo per rationem omnia tum Patrum, tum Scripturarum prædicta, pro quanto conditiones illas confessionis insinuant, & probes, & declares, & defendas. Quinto vides: quomodo &c.

QUESTIO X.

De Effectu confessionis.

In quinque articulos divisa.

DEinde considerandum est de effectu confessionis.

Circa quod quærentur quinque.

Primo, utrum confessio liberet a morte peccati.

Secundo, utrum confessio liberet aliquo modo a pœna.

Tertio, utrum confessio aperiat paradysum.

Quarto, utrum confessio tribuat spem salutis,

Quinto, utrum confessio generalis deleat peccata mortalia oblita.

ARTICULUS I. 39

Utrum Confessio liberet a morte peccati.

S. Thom. ubi supr. art. 5. quæst. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod confessio non liberet a morte peccati. Confessio enim contritionem sequitur. Sed contritio sufficienter delet culpam. Ergo confessio non liberat a morte peccati.

2. Præterea. Sicut mortale est culpa, ita etiam veniale. Sed per confessionem fit veniale quod prius fuit mortale, ut in litera (IV. dist. xvii.) dicitur. Ergo per confessionem non remittitur culpa, sed culpa in culpam mutatur.

Sed contra. Confessio est pars pœnitentiæ sacramenti. Sed pœnitentia a culpa liberat. Ergo & confessio.

Respondeo dicendum, quod pœnitentia, in quantum est sacramentum, præcipue in confes-

fessione perficitur : quia per eam homo ministris Ecclesie se subdit , qui sunt sacramentorum dispensatores . Contritio enim votum confessionis annexum habet ; & satisfactio pro iudicio sacerdotis , cui fit confessio , taxatur . Et quia in sacramento penitentiae gratia infunditur , per quam fit remissio peccatorum ; sicut in baptismo ; ideo eo modo confessio ex vi absolutionis conjuncta , remittit culpam , sicut & baptismus . Liberat autem baptismus a morte peccati , non solum secundum quod actu suscipitur , sed etiam secundum quod in voto habetur ; sicut patet in illis qui jam sanctificati ad baptismum accedunt : & si aliquis impedimentum non praestaret , ex ipsa collatione baptismi gratiam consequeretur remittentem peccata , si prius ei remissa non fuissent . Et similiter dicendum est de confessione adjuncta absolutioni : quia secundum quod in voto penitentis praesertit , a culpa liberavit ; postmodum autem in actu confessionis , & absolutionis gratia augetur ; & etiam remissio peccatorum daretur , si praecedens dolor de peccatis non sufficiens ad contritionem fuisset . & ipse tunc obicem gratiae non praebet . (1) Et ideo sicut de baptismo dicitur , quod liberat a morte ; ita etiam de confessione dici potest .

Ad primum ergo dicendum , quod contritio habet votum confessionis annexum : & ideo eo modo liberat a culpa penitentes , sicut desiderium baptismi baptizandos .

Ad secundum dicendum , quod veniale non sumitur ibi pro culpa , sed pro poena de facili expiabili : unde non sequitur quod culpa in culpam convertatur , sed penitus annihilatur . Dicitur enim veniale tripliciter : uno modo ex genere , sicut verbum otiosum ; alio modo ex causa , idest venia causam in se habens , sicut peccatum ex infirmitate ; alio modo ex eventu , sicut accipitur hic : quia per confessionem hoc evenit quod de culpa praeterita homo veniam consequatur .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas haeresim *Lutheri* (Alph.

Castr. Confessio) dicentis : in confessione non conferri gratiam , qua homo iustificatur . Si enim confessio remittit peccata , utique confertur ibi gratia , qua peccatum remittitur ; & consequenter per eandem rationem , per quam demonstras , quod confessio a morte peccati liberat , demonstras etiam quod in confessione confertur gratia iustificans . Vide in 3. par. de Bap. quest. 69. art. 1. & 4. Nam in art. supponitur (ut patet) quod baptismus tollat peccatum , & det gratiam , cuius ad instar confessio dicitur operari ; consequenter ratio huius de confessione corroboranda relinquitur ex ratione illa de baptismo . *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas , haeresim praedictam merito damnatam esse a Concilio *Trident.* sess. 14. cap. 2. ubi de confessione loquens , ait : *Ante hoc tribunal sisti voluit , ut per sacerdotum sententiam ab admissis peccatis possent liberari .* Hae ibi . Item a *Plal. 31. Dixi , confitebor adversum me iniquitatem meam Domino , & tu remisisti impietatem peccati mei .* Item a *Joan. Si confiteamur peccata nostra , fidelis est Deus , & iustus , ut remittat illa , & emundet nos ab omni iniquitate .* Item ab *1sa. 43. Narra , si quis habes , ut iustificeris .* Vel (secundum *LXX.* interpretes) *Dic tu primus iniquitates tuas , ut iustificeris .* Item 2. , &c. ut *quast. 5. ar. 3.* Item a *Conc. Trid. sess. 14. ca. 1. Dominus noster Jesus Christus sui ipsius vicarios reliquit tanquam iudices , ad quos omnia mortalia peccata deferantur : quo pro potestate clavium remissionis , aut retentionis peccatorum sententiam pronunciant .* Hae ibi . Ex quibus patet , quod confessio remittit peccata , quatenus absolutioni adjungitur , ut limitavit articuli conclusio : & per consequens , quod in illa sic accepta confertur gratia , contra *Lutherum* . Item ab eodem ibi de sacramento penitentiae loquente *ca. 3. Sane vero res , & effectus huius sacramenti , quantum ad ejus vim , & efficaciam pertinet , reconciliatio est cum Deo : quam interdum in piis viris , & cum devotione hoc sacramentum percipientibus , conscientiae pax , ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet .* Hae ibi . Ubi nota ly. *quantum ad ejus vim , & efficaciam pertinet ,*

(1) Hinc duo infer , quisquis revera & sincere catholicus es , contra *Jansenianos* dogmatistas : Alterum quod gratia obicem , id est impedimentum , homo ponere potest : Quomodo ergo sic necessitat ut resistere illi nemo possit ? Alterum quod non sola perfecta contritio que charitatem actu includat potest in

Sacramento sufficere ad peccatorum remissionem obtinendam , sed imperfecta quoque nondum actu includens charitatem nec ad iustificandum per se ac secundum se sufficiens , ut & ex Concilio *Tridentino* jam notatum est supra .

net, & ex hoc sensum rectum S. Thomæ in conclusione intelligas tam de confessione, quam de baptismo: immo (ut extendatur) de omnibus Ecclesie sacramentis . Item ab eodem *sess. 4. ca. 14.* sed, quoniam hoc alias adductum est, ideo vide tu supra . Item ab eodem *sess. 14. ca. 1.* *Si quis dixerit: in Ecclesia catholica penitentiam non esse vere, & proprie sacramentum pro fidelibus, quoribus post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: anathema sit.* Hæc ibi . Ubi nota ly pro fidelibus Deo reconciliandis . Ergo aut sic instruendo Christus erravit, quod est blasphemum, & hæreticum: aut confessio, ad quam aliz penitentiz partes annectuntur, Deb reconciliat, quod est verissimum, & ab articulo intentum . Item ab *Eugenio IV.* sacro approbante Concilio *Florentino*, in decreto Armenis dato, sic: *Effectus hujus sacramenti est absolutio a peccatis.* Hæc ibi . Ubi per contextum loquitur de confessione . Item a *Leone I. Papa*, epist. 89. ad *Theodorum Forojuliensem Episcopum*, sic; *Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, hanc prepositis Ecclesie tradidit potestatem; ut & contentibus actionem penitentiae darent, & eisdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Hæc ibi . Ubi nota ly eisdem purgatos, & ly per januam reconciliationis . Ergo contentibus janua reconciliationis est confessio . Item a *Papa Clemente I.* in ep. 1. ad *Jacobum fratrem Domini* sic: *Non erubescat, qui anime sue curam gerit, confiteri hæc huic, qui præst, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre curetur: quo possit integra fide, & operibus bonis penas eterni ignis effugere, & ad perpetua vite premia pervenire.* Hæc ibi . Inter hæc tamen prædicta, ubi confessionem conferre gratiam designatur, vitandus est error *Petri Oxomensis* dicentis quod sacramentum penitentiz, quantum ad collationem gratiz, sacramentum naturæ est, non alicujus institutionis veteris, vel novi testamenti . Nam hunc errorem damnavit supra in hac appendice *Concil. Trident. sess. 14. can. 1.* ultra quod idem error damnatus fuerat antea per *Sixum IV.* approbantem acta *Alphonfi Carilli* Archiepiscopi Toletani, cui auctoritatem contulerat declarandi, ac definiendi omnes propositiones, & conclusiones falsas, erroneas, hæreticas, ac male sonantes, quæ in libello præfati Petri continerentur . Hujus libellum Reverendiss. D. Archiepiscopus antedictus comburendum

judicavit, quem illico promotor fiscalis curiz tradidit seculari: prius tamen prolata sententia, qua conclusiones prædictas (inter has præcitata conclusio pro errore, scilicet quod sacramentum penitentiz, &c.) tanquam hæreticas, erroneas, scandalosas, & male sonantes Apostolica, & primitiali auctoritate damnandas decreverat . Hanc erroream propositionem præmissam cum aliis abjuravit dictus magister *Petrus Oxomensis* inter cetera dicens: *Ego præfatus magister Petrus desiderans salutem anime mee, ac proprium recognoscens errorem, & culpam, dico, & confiteor, me graviter errasse in compositione dicti libelli, usque continentis propositiones falsas, erroneas, scandalosas, & male sonantes: Quas, ut tales confiteor, & declavo: submittoque me determinationi sanctæ matris Ecclesie, & sententiæ præfate per dictum Reverendissimum Dominum, cui ego ex nunc specialiter, & expresse assentior. Et cognoscens veram fidem, anathematizo omnem hæresim; maxime eam, de qua hæctenus sum infamatus; & confentio sanctæ matri Ecclesie Romane, & Sedi Apostolicæ, & ore, ac corde confiteor, me sacramenta Ecclesie, & illam fidem tenere, quam Dominus *Sixus Papa* modernus auctoritate Apostolica, & Evangelica tenet. Et per hæc sancta Dei Evangelia omnes, qui contra hæc fidem venerint, cum suis doctrinis dignos æterna damnatione pronuncio.* Hæc ibi in *Summa Conciliorum*, ubi narratur vita *Sixti IV.* qui ad prædicta speciale confirmationem addidit, contra *Lutherum* sacramenta non dare gratiam, asserentem: vide *Roffensem art. 1.* magnopere triumphantem . Idem contra eundem vide *Leonem X.* in *Bulla* contra *Lutheri* errores supra *qu. 1. art. 1.* & *Concilium Tridentinum sess. 7.* de sacramentis, *can. 7.* & *8.* His enim singulis, imo etiam per *Petri* antedicti in calce abjuracionem, damnatur implicate saltem error *Lutheri* in principio appendicis recitati . *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissa omnia Scripturarum, ac Patrum dicta, pro quanto effectum confessionis innuunt esse liberationem a morte peccati, & probes, & declares, & tuearis . *Quarto* vides quomodo, &c.

ARTICULUS II. 40

Utrum confessio liberet aliquo modo a pœna.

AD secundum sic proceditur . Videtur quod confessio non liberet aliquo modo a pœna . Quia peccato non debetur nisi pœna æter-

æterna, vel temporalis. Sed pœna æterna per contritionem dimittitur, pœna autem temporalis per satisfactionem. Ergo per confessionem nihil dimittitur de pœna.

2. Præterea. Voluntas pro facto reputatur, ut in littera (IV. dist. xvii. æquivalenter.) (1) dicitur. Sed ille qui contritus est, habuit propositum confitendi. Ergo tantum valuit sibi, sicut si fuisset confessus: & ita per confessionem, quam postea facit, nihil ei de pœna dimittitur.

Sed contra. Pœnam habet confessio. Sed per omnia opera pœnalia expiatur pœna peccato debita. Ergo & per confessionem.

Respondeo dicendum, quod confessio simul cum absolutione habet vim liberandi a pœna dupliciter. Uno modo ex ipsa vi absolutionis: & sic quidem liberat in voto existens a pœna æterna, (2) sicut etiam a culpa: quæ quidem pœna est pœna condemnans, & ex toto exterminans, a qua homo liberatus adhuc manet obligatus ad pœnam temporalem, secundum quod pœna est medicina purgans, & promovens: & sic hæc pœna restat in purgatorio patienda (3) etiam his qui a pœna inferni liberati sunt: quæ quidem pœna est improporcionata viribus pœnitentis in hoc mundo viventis; sed per vim clavium intantum minuitur quod proporcionata viribus pœnitentis remanet, ita quod satisfaciendo se in hac vita purgare potest. Alio modo diminuit pœnam ex ipsa natura actus confitentis, qui habet pœnam erubescens annexam: (4) & ideo quanto aliquis pluries de ipsis peccatis confitetur, tanto magis pœna minuitur.

Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod voluntas pro facto non reputatur in his quæ sunt ab alio, sicut est de baptismo: non enim tantum valet voluntas suscipiendi baptismum, sicut ipsius susceptio. Sed reputatur voluntas pro facto in his quæ sunt omnino ab homine.

Summ. S. Th. Tom. XXIV,

ne: & iterum quantum ad præmium essentialia, non autem quantum ad pœnæ remotionem, & huiusmodi, respectu quorum attenditur meritum accidentaliter, & secundario. Et ideo confessus, & absolutus minus in purgatorio punietur quam contritus tantum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas errorem quorundam poenitentium, nullam poenam remanere unquam post Confessionem. De hoc habetur in Concil. Trid. ubi & condemnatur, ut infra. Inter hos est *Lusberus*, qui ad tollendam satisfactionem absolute dicit: poena, quæ debetur culpæ, dimissa culpa, remanet & ipsa dimissa. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem ostendas, errorem præmissum merito damnari a Synodo Trid. sess. 14. can. 12. *Si quis dixerit: totam poenam sibi cum culpa remitti semper a Deo, &c. anathema sit.* Hæc ibi. Item canon. 15. *Si quis dixerit, &c. fictionem esse, quod, virtute clavium sublata poena æterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat, anathema sit.* Hæc ibi. Item sess. 6. can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti culpam remitti, & reatum æternæ poenæ deleri, dixerit, ita, ut nullus remaneat reatus poenæ temporalis exsolvenda vel in hoc saculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit: anathema sit.* Tertio habes, quomodo per rationem ostendas, Concil. Trid. sess. 6. cap. 14. merito dixisse: *Christiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eamque continere non modo cessationem a peccatis, & eorum damnationem, aut eor contritum; & humiliatum; verum etiam eorundem sacramentalem Confessionem, falsam in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, elemosynas, orationes*

torio agetur infra.

(1) Sicut jam supra ostensum est, excusabitur de vera & falsa poenitentia cap. 9. ubi & hæc adduntur ad eundem sensum pertinentia: *Laborat mens patiendi erubescensiam: Et quoniam verecundia magna est poena, quæ erubescit pro Christo, dignus est misericordia: Unde patet quod quanto pluribus confitebitur in spe venia turpitudinem criminis, tanto favorabilius consequetur misericordiam remissionis.* Referunturque ista eadem in Decretis distinct. 1. de poenit. cap. *Quem poenitet*, ut supra.

(1) Sub his verbis *Votum pro operatione iudicatur*; quæ sunt Cassiodori explicaverunt tunc Davidicum verbum Psal. 31. *Dixi, confitebor, & tu remisisti & ut referunt, & in Decretis dist. 1. de poenit. cap. Magna pietas &c.* Ubi tamen ex Augustino prænotantur in textu, sed ex Cassiodoro ad marginem emendatius reponuntur.

(2) Si cum vera contritione coniungatur hoc votum: Alioquin a tali poena liberare non potest.

(3) Nisi ex toto in hac vita per plenam & perfectam poenitentiam seu satisfactionem expiatur, ut suo loco ex professo dicendum erit, cum de Purga-

nes, & alia spiritualis vita exercitia, non quidem pro pena aeterna, quae vel sacramento, vel sacramenti voto, una cum culpa remittitur sed pro pena temporali: quae, ut sacra litera docent, non tota semper, ut in baptismo fit; dimittitur illis, qui gratia Dei, quam receperunt, ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt & templum Dei violare non sunt verisi. Hæc ibi. Ubi vide, si non ad literam ferme præfens D. Thom. recensetur articulus. Item & quod merito idipsum, scilicet, quod a culpa cum pena aeterna per vim clavium, seu per absolutionem, & etiam a pena temporali remanente per verecundiam in actuali confessione habitam liberamur, insinuat saltem implicite sic. *Ipsa vero huiusmodi confessionis difficultas, & peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posses, nisi tot, tantisque commodis, & consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur.* Hæc Concil. Trid. sess. 14. c. 5. Confessionem ergo absolutioni junctam, verecundiamque in detestatione peccatorum actualiter habitam, ista commoda in *art.* posita nobis pœnitentibus asserre insinuat. Per commoda etiam intellige omnes effectus confessionis reliquos in ista *quæst.* positos. Concilium præmissum facit partim, pro quanto scilicet de culpæ dimissione per confessionem, ad *art.* præcedentis immediate confirmationem. Vide extra de *pen. dist.* 1. c. *sacrificium.* Item, quod merito Concilium *Senonense*, Confessionem liberare ab æterna pœna, & verecundiam a temporali partim liberare, insinuavit decreto 10. de Confessione sic inquiring. *Operet isaque, quem antiquus ille serpens occulte membraverit, abstrusissimum quodque vulnus medico detegere, & omnem indigestum humorem, & si stomacho mentis alius insederit, evomere, pudorem in satisfactionis partem de singulo quovis errato pati: ne, dum occultis peccatorum vinculis sese teneri dissimulat, horrendo tandem sub omnium oculis aeterna damnationis laqueo constringatur.* Hæc ibi. Item, quod merito a sacris literis insinuatum est, confessionem, dimissa culpa, pœnaque aeterna, re-

linquere pœnam temporalem pro iisdem peccatis expandam, ut 2. Regum 12. dixit David; *Peccavi Domino, & Nathan ad eum, Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Quo enim Dominus transtulerat peccatum Davidis per confessionem, tanquam in figuram nostræ, dicentis, *Peccavi?* Ad mortem filii ex adulterio nati: & ad persecutionem ab Absalone contra David fiendam, ac similia. Unde Nathan ipse, quasi translationem prædictam declarans, statim subinfert. *Verumtamen filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Quin etiam Dominus confessionem Davidis prævidens fecit, quod Nathan quasi hoc ignorans translationem ipsam prædiceret, inquiring: „ Quamobrem non recedet gladius „ de domo tua usque in sempiternum, & „ hæc dicit Dominus. Ecce ego suscitabo „ super te malum de domo tua; & tollam „ uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in „ oculis solis huius. Tu fecisti abscondire, „ ego autem faciam verbum istud in conspectu „ omnis Israel, & in conspectu solis huius. „ Hæc ibi: cum tamen Christus purgasset peccata ipsius Davidis, ut dicitur *Eccles. 47.* delendo scilicet culpam, & remittendo pœnam æternam, mediante confessione prædicta. *Quarto* vides: quemodo &c.

ARTICULUS III. 41

Utrum confessio aperiat paradisum.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod confessio non aperiat paradisum. Quia diversorum sacramentorum diversi sunt effectus. Sed apertio paradisi effectus est baptismi. Ergo non est effectus confessionis.

2. Præterea. In id quod clausum est, ante apertionem intrari non potest. Sed ante confessionem moriens intrare paradisum potest. Ergo confessio non aperit paradisum.

Sed contra. Confessio facit hominem subiaci clavibus Ecclesie. Sed per eas aperitur paradisus. Ergo & per confessionem. (1)

Respondet dicendum, quod a paradisi intro-

(1) Huc pertinet quod Gregorius homil. 16. super Ezechielem cum vestibulum interius mysticæ civitatis quam prophetica vidit interpretatur, ait: *Quid per inexcusabile vestibulum nisi aeterna vite latitudo figuratur, quae modo inter angustias vite presentis iam sine mente concipitur: De qua per Psalmistam dicitur (Psal. 99.) Intrate portas ejus in confessione, atria*

ejus in hymni confessionum: Cum enim peccata nostra per lacrymas confitemur angustiae vite (sive angustiae via) portam ingredimur: Sed cum post hæc ad aeternam vitam perducimur, porta nostra atria in confessionum laudibus intramus, quia ibi iam angustia non erit, cum nos latitudo perpetua seorsum exceperit.

erit prohibetur aliquis per culpam, & reatum pœnæ. Et quia hæc impedimenta confessio amovet, ut ex dictis patet (art. 1. & 2. præc.) ideo dicitur paradysum aperire.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis baptysmus, & pœnitentia sint diversa sacramenta; tamen agunt in vi unius passionis Christi, per quam aditus paradysi est apertus.

Ad secundum dicendum, quod ante votum confessionis paradysus clausus erat peccanti mortaliter; quamvis postea per contritionem votum confessionis importantem apertus sit, etiam ante confessionem actualiter factam; non tamen obstaculum reatus est totaliter amotum ante confessionem, & satisfactionem.

A P P E N D I X,

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Manicheorum* (Direct. Inquisit. part. 2. q. 13.) dicentium, confessionem peccatorum factam sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ nihil valere ad salutem. Si enim pro salute intelligant per antonomasiam paradysum, sive paradysi apertionem: articulus præsens eos directe expugnat. Si vero per salutem intelligant viam directam salutis, idest gratiam, vel remotam viam, idest liberationem a culpa, & pœna: articuli *primus*, & *secundus* hæreticos illos expugnarunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim hanc merito damnari a B. Jacobo cap. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra, ut salvemini*. Ecce, quod confessio facta sacerdotibus valet ad salutem. Nam per ly *alterutrum* intelliguntur sacerdotes confessarii; ut patet ex Concilio *Cabilonensi*. 2. cap. 33. id contextualiter affirmante sic. „ Quidam sacerdotibus peccata confitemur, tendam esse percensent, quod non sine magno fructu intra sanctam sit Ecclesiam. „ Ita, ut, &c. secundum institutionem Apostoli, confiteamur alterutrum peccata nostra, ut salvemur. Confessio itaque, quæ fit sacerdoti, &c. Hæc ibi. Item per rationem ex articulo sumptam ostendes, hæresim prædictam merito damnari, &c. ut supra art. 1. & 2. *append.* Cum enim ratio, quod aperiat paradysum confessio, sit hæc, quod scilicet culpam, pœnamque amovet, atque in appendicibus illorum articulorum canonice monstratur, quod huiusmodi effectus confessio facit, liquet; quod ab ibidem dictis radicaliter, & ostenditur, quod ista a-

perit Paradysum, & contrarium (quod est præmissus error) condemnatur. Item, merito damnari a Concilio *Maguntino*, cap. 27. sic. *Ipsè Dominus ait*: „ Nolo mortem peccatoris, sed, ut convertatur, & vivat. „ Salutem ergo homini admittit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegat: & desperat de clementia Dei, qui eam ad subveniendum morienti sufficere vel in momento posse non credit. Perdidisset latro in cruce præmium ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset. Cum esset in pœna, pœnituit: & per unius sermonis confessionem habitaculum paradysi, Deo promittente, promeruit. „ Hæc ibi. Ubi per pœnitentiam intelligit confessionem sacerdoti factam: quoniam in illo capitulo determinat, quod suspendendi in patibulis sunt & confessione sacramentali, & sacra Eucharistia post dignam confessionem munijendi. Ecce igitur; quod non tantum de salute qualibet, sed expresse de Paradysi, tanquam de effectu confessionis, Synodus illa facit mentionem. Ne te moveat *Lutherus* huic veritati infestus iniquiens (ut ait *Leo Papa* in Bulla contra errores *Lutheri*) quod fomes peccati, etiam si nullum adsit actuale peccatum, moratur animam ab ingressu cæli. Verum quidem est, quod confessio formitem omnino non tollit: tamen ob hoc non sequitur, quod anima post confessionem abique actuali peccato, ejusque reatu existens ab ingressu cæli retardetur ob fomitem prædictum. Nam, si anima talis post confessionem statim exiret a corpore, in cælum reciperetur. Quare? Quia confessio illa præcedens Paradysum aperuit: etiam quod ad homine ipso vivente fomitem totaliter non abstulerit. Quod enim fomes non sit peccatum, & consequenter ab ingressu paradysi animam alias dignam non removeretur, & per consequens, quod *Lutherus* in hoc damnatur: habes a Concilio *Trident.* sess. 5. Decr. 1., ubi sic ait: Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ, cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus, non valet: quinimmo, qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, &

„ ad peccatum inclinatur: Si quis autem contrarium senserit; anathema sit. Hæc ibi. Et, licet Synodus ipsa loquatur ad literam de fomite in baptizatis: tamen universaliter etiam in confessis hoc, quod videlicet fomes non est peccatum proprie, verificatur: error etiam præcedens a Leone ibidem condemnatur: cuius Bullæ particulam h. videre cupis, vide supra q. 1. art. 1. app. & 3. par. q. 68. ar. 9. Vide Rossensem contra *Lutheri* errores ar. 2. & 3. Cæterum, si a *Manicheis* in principio appendicis dictis fiat vis in *ly Romana Ecclesia*, quasi quod de sacerdotibus non omnibus, sed Romanæ Ecclesiæ tantum negatur confessionis valor ad salutem: vide *quæst.* 6. art. 2. & *quæst.* 8. ar. 2. ubi confutatur iste error pro hac parte. Quibus adde, contra eundem, Concilium *Aquisgranense* ca. 9. ubi de sacerdotibus loquens ait: „ In novo autem testamento post Christum sacerdotis ordo a Petro Apostolo capit. Ipsi enim primum datus est Pontificatus in Ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eum Dominus. Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. *Et infra*: Quatuor sunt genera Apostolorum: unum a Deo tantum, ut Moyses: alterum per hominem, & Deum, ut Josue: tertium tantum per hominem, sicut his temporibus multi favore populi, & potestatum in sacerdotium subrogantur: quartum autem genus ex se est, sicut pseudoprophetarum, & pseudoapostolorum. „ Hæc ibi. Cum ergo quartum genus sacerdotum, tanquam pseudo rejiciatur: & tertium a sancta Synodo *Triden-*

sine (ut patet ex appendicibus articuloꝝ proxime citatorum) reprobetur: restat, ut in novo testamento sacerdotalis ordo ille nullus sit, nisi qui derivatur a Petro Apostolo, qui fuit a Deo tantum. *Matth.* 16. & 24. *quæst.* 1. *rogamus*; Romanus Pontifex, & consequenter, quod Romanæ Ecclesiæ sacerdotes (hi omnes sunt; qui ubilibet existentes a Petro in sacerdotio dependent) soli sunt veri sacerdotes. Hoc voluit dixisse Concilium *Aquisgranense* supra: quando sacerdotalem ordinem in novo testamento a Petro Apostolo cœpisse sanxit. Vide pro hoc *quæst.* 22. art. 1. *not. primam post ad primum*. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 42

Utrum confessio spem tribuat salutis.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod effectus confessionis poni non debeat quod tribuat spem salutis. Quia spes ex omnibus meritoriis actibus provenit. Ergo non videtur esse proprius effectus confessionis.

2. Præterea. Per tribulationem ad spem perventus, ut patet Rom. v. Sed tribulationem homo præcipue in satisfactione sustinet. Ergo tribuere spem salutis magis est satisfactionis quam confessionis.

Sed contra. *Per confessionem homo fit humilior, & cautior*, sicut in littera Magister dicit. (IV. dist. xvii. in fi.) Sed per hoc homo accipit spem salutis. Ergo confessionis effectus est tribuere spem salutis. (1)

Re-

(1) In eum sensum Glossa mystice illud interpretatur Pl. 113. *vers.* *Facta est Judæa sanctificatio ejus*: Quippe *Judæa* juxta hebraici nominis usum confessionem significat; & propterea tunc *Judæa* dicitur sanctificatio fieri cum cor confessione sanctificatur & purgatur: Ac ad eundem sensum pertinere vult quod statim subjungitur, *Jordanis conversus est reversum*, cum sic ait: *Jordanis rivus iudicii interpretatur*: Per hoc ergo significatur quod penitentia peccatorem facit reverti de iudicio condemnationis ad iudicium salvationis &c. ibidem quoque Beda: *Facta est* (inquit) *Judæa sanctificatio ejus, quia cor ejus confessio purgavit* &c. Præter illud ex Ambrosio *serm.* 34. *Confessio Paradisum aperit, tribuit spem salvandi*: Et illud quod aliqui ex Augustino de penitentia notant: *Confessio est salus animarum dissipatrix vitiorum, restitrix vitiorum, expugnatrix demonum: Quid plura? Obstruit os inferni, aperit portas Paradisi*: Et illud sub nomine Bernardi lib. de interiori domo cap. 1. *Homo per veritatem simulatas peccata sua confitetur: Deus autem per misericordiam fluxus confitentis miseretur: Omnis namque spes veniæ & misericordiam in confessione est & c.*

Palis conscientia in qua misericordia & veritas obviaverunt sibi (Pl. 84.) *Veritas confitentis, & misericordia miserantis, quis non potest illi misericordia deesse qui se agnovit in veritate*: Similiaque c. 21. verbis aliis indicantur. Ut & apud Hugonem de S. Victore lib. 3. de anima qui est iste ipse Tractate interiori domo. Adde quod super Psalm. 106. sic ait Chrysostomus: *Rape tu quisquis es peccator, remedia, qui peccando divina contempsisti præcepta: Confessio offerat salutem, cui contempseris assuleris mortem*: Adde quod ad Rusticum Hieronymus (in epistola 4.) *Confessio & pulchritudo coram eo* (inquit ad Psalmum 95. alludens) *ut qui sua confessus fuerit peccata, fudicatem vulnorum in sanitatis decorem commiserit*: Adde quod in eundem Psalmum Calliodorus: *Confessionem bene sequitur pulchritudo, quia nemo potest esse speciosus, nisi qui Domini fuerit meditatione mundatus: Pados nos peccata faciunt, sed penitentia reddunt lavacra decores: Et ideo mundissimam speciem ante Domini stare conspectum dirigit, qua fuerit fidei confessione purgata* &c. Hinc spes porro salutis.

Respondeo dicendum, quod spes remissionis peccatorum non est nobis nisi per Christum. Et quia homo per confessionem se subicit clavibus Ecclesiae ex passione Christi virtutem habentibus, ideo dicitur, quod confessio spem salutis tribuit.

Ad primum ergo dicendum, quod ex actibus non potest esse spes salutis principaliter, sed ex gratia Redemptoris. Et quia confessio gratiae Redemptoris innititur, ideo spes salutis tribuit, non solum ut actus meritorius, sed etiam ut pars sacramenti.

Ad secundum dicendum, quod tribulatio spem salutis tribuit per experimentum propriae virtutis, & purgationem a poena; sed confessio etiam modo praedicto (in corp.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas haeresim quorundam inclusive negantium (ut ex Concilio Tridentino adducendo patet) quod confessio non tribuat spem salutis. Dixi ly *inclusive*, quia hi negant spem habendam pro quibuscumque bonis operibus universaliter, & consequenter in suo hoc dogmate perverso includunt etiam confessionem. Quandoquidem confessio ipsa est actus virtutis, q. 7. art. 2. & 3. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas praedictam haeresim merito damnari a Concilio Tridentino. sess. 9. ca. 16 sic; „ Bene operantibus usque in finem proponenda est vita aeterna, & tanquam gratia filii Dei per Jesum Christum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda. *Haec ibi. Et ca. 26.* Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare, & sperare aeternam retributionem a Deo per eius misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo, & divina mandata custodiendo, usque in finem perseveraverint: anathema sit. „ *Haec ibi.* Ex quibus patet inclusive: quod confessio, cum sit bonum opus, tribuit spem salutis habendae sive per gratiam in re, sive per gloriam in spe; sive etiam per gloriam in re, si perseverantia inibi a Concilio notata jungatur. Item merito damnari ab Apostolo 1. Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino.* Hoc est, habentes spem, quod labor vester retributionem accipiet a Domino, & consequenter scientes, quod omne opus

bonum (confessio autem est huiusmodi) spem tribuit salutis. Item ab eodem Hebr. 6. „ *Non enim injustus est Deus: ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis; quam ostendistis in nomine ipsius.* Ecce, quod omne opus bonum (secundum doctrinam Apostoli) & consequenter confessio spem salutis tribuit. Unde & clarius eandem haeresim damnans Hebr. 10. inquit: „ *Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem.* Quasi aperte dicat, confidentia vestra causata a bonis operibus, quae fecistis, bona est. Unde in contextu de bonis operibus idem mentionem fecerat, dicens: „ *Rememoramini* „ *ni pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinistis passionum; &* „ *in altero quidem opprobriis, & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem* „ *socii taliter conversantium effecti. Nam* „ *& vincitis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis,* „ *cognoscentes, vos habere meliorem, &* „ *manentem substantiam.* „ *Haec ille, immediate subdens ly: Nolite amittere confidentiam, &c.* Item merito damnari a Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Hoc est, propter spem retributionis, sive sperando retributionem. Item merito damnari ab Apostolo Hebr. 12. de Moyse dicente, quod *aspiciebat in remunerationem.* Ecce, per has virtualiter, seu inclusive damnari errorem dicentium, quod confessio non tribuit spem salutis. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, Concil. Tridentino jure radicaliter insinuisse, confessionem tribuere spem salutis; dum sess. 6. ca. 7. inquit: „ *Vere justii nominamur, &* „ *sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundum suam mensuram, quam* „ *Spiritus sanctus partitur singulis, prout* „ *vult, & secundum cujusque dispositionem,* „ *& cooperationem. Quamquam enim nemo* „ *possit esse justus, nisi cui merita passionis* „ *D. N. Jesu Christi communicantur; id tamen* „ *in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimae passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in* „ *cordibus eorum, qui justificantur, atque* „ *ipsis inhaeret.* „ *Haec ibi.* Et ca. 3. praedixerat: quod meritum passionis Christi nobis communicatur in baptismo. A simili ergo & in aliis sacramentis; quare & in confessione. Cum igitur radix, quod confessio tribuat spem salutis, sit meritum Christi, & ejusdem meriti communicatio nobis per confessionem facta (ut in corp. art. patet) clarum

rum est; quod Concilium per illa capitula infirmat radicaliter, confessionem dare spon- salis. Constat supra qu. 5. art. 3. & qu. praesens. art. 1. 2. & 3. & inde multa pro hujus conclusionis veritate, & contrarii erro- ris falsitate, ex appendicibus canonice han- rics. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 43

Utrum confessio generalis sufficiat ad delenda peccata mortalia oblita.

IV. Sen. dist. XXI. quast. I. art. I.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod confessio generalis non sufficiat ad delendum peccata mortalia oblita. Peccatum enim per confessionem deletum non est necesse iterum confiteri. Si ergo peccata oblita per confessionem generalem dimitterentur, non esset necessarium quod cum ad notitiam rede- unt, aliquis ea confiteretur.

2. Praeterea. Quicumque non est conscius sibi peccati, vel non habet peccatum, vel est oblitus sui peccati. Si ergo per generalem confessionem peccata mortalia oblita dimittuntur, quicumque non est sibi conscius de aliquo peccato mortali, quandocumque ge- neralem confessionem facit, potest esse certus quod sit immunis a peccato mortali: quod est contra Apostolum I. Corinth. IV. 4. *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum.*

3. Praeterea. Nullus ex negligentia repor- tat commodum. Sed non potest esse sine ne- gligentia quod aliquis peccatum mortale ob- liviscatur, antequam ei dimittatur. Ergo non reportat ex hoc tale commodum quod sine speciali confessione peccatum ei dimittatur.

4. Praeterea. Magis est elongatum a co- gnitione confitentis id quod omnino ignorat, quam illud cuius est oblitus. Sed peccata per ignorantiam commissa generalis confessio non delet: quia tunc haeretici, qui nesciunt ali- qua peccata, in quibus sunt, esse peccata, aut etiam aliqui simplices per generalem confessionem absolventur: quod falsum est. Ergo generalis confessio non tollit peccata oblita.

Sed contra. Psal. XXXIII. 6. dicitur: *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies*

vestra non confundentur. Sed ille qui confite- tur omnia peccata quae scit, accedit ad Deum, quantum potest: plus autem ab eo requiri non potest. Ergo non confundetur, ut repul- sam pariat, sed veniam consequetur.

Praeterea. Ille qui confitetur, veniam consequitur, nisi sit fictus. Sed ille qui confite- tur omnia peccata quae in memoria habet, & aliquorum oblitus est, non est ex hoc fi- ctus, quia ignorantiam facti patitur, quae a peccato excusat. Ergo veniam consequitur: & sic peccata quae oblita sunt, relaxantur; cum impium sit dimidiam sperare veniam.

Respondeo dicendum, quod confessio ope- ratur, praesupposita contritione, quae culpam delet. Et sic confessio directe ordinatur ad dimissionem poenae: quod quidem facit ex erubescencia, quam habet, & ex vi clavium, quibus se confitens subicit. Contingit autem quandoque quod per contritionem praecedentem peccatum aliquod deletum est quoad cul- pam, sive in generali, si ejus memoria tunc non habetur, sive in speciali; & tamen ante confessionem (*) aliquis illius peccati obli- tus est: & tunc confessio generalis sacramen- talis operatur ad dimissionem poenae ex vi clavium, quibus se confitens subicit, nullum obstaculum, quantum in ipso est, ponens; sed ex illa parte qua erubescencia confessio- nis peccati poenam minuebat, poena istius, de quo quis specialiter coram sacerdote non erubuit, non est diminuta.

Ad primum ergo dicendum, quod in con- fessione sacramentali non solum requiritur ab- solutio, sed iudicium sacerdotis satisfactio- nem imponentis expectatur: & ideo quam- vis iste absolutio sit functus; tamen tene- tur confiteri, ut suppleatur quod defuit sa- cramentali confessioni.

Ad secundum dicendum, quod confessio non operatur, ut dictum est (in corp.) nisi contritione praesupposita: quae si vera fue- rit, non potest aliquis scire, sicut nec scire potest per certitudinem, an gratiae habeat plenitudinem: & ideo nec potest scire per certitudinem, utrum per confessionem ge- neralem sit sibi peccatum oblutum dimissum, quamvis possit per conjecturas aliquas ex- stimare.

Ad tertium dicendum, quod iste non re- portat commodum ex negligentia: quia non ita plenam remissionem consequitur, sicut alias

(*) Al. deest aliquis,

alias consecutus fuisset, nec tantum meretur; & tenetur iterum confiteri, cum ad memoriam peccatum venerit.

Ad quartum dicendum, quod ignorantia juris non excusat, quia ipsa peccatum est; (1) sed ignorantia facti excusat. Unde aliquis de hoc quod non confiteretur peccata, quia nescit esse peccata, propter ignorantiam juris divini, non excusatur a fictione; excusaretur autem, si nesciret ea esse peccata, propter ignorantiam particularis circumstantiæ; sicut si cognovit alienam, quam credit esse suam. Sed oblitio de actu peccati habet ignorantiam facti: & ideo excusat a peccato fictionis (2) in confessione, quod fructum absolutionis, & confessionis impedit.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per retentionem ostendas, Concilium Tridentinum merito innuisse, peccata oblita in confessione generali dimitti. Reliqua autem insinualse videntur sess. 14. ca. 5. dum ait: *Reliqua peccata, quæ diligenter cogitasti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propbeta dicimus: Ab oculis meis munda me, Domine.* Hæc ibi. consideranti patere potest, quod peccata oblita in confessione generaliter inclusa, a Domino Deo mundantur, præsupposita tamen semper contritione. Ad cuius Psalmi 18. intellectum conformiter Synodo ipsi, antequam esset, loquitur venerabilis Beda, in huiusmodi super Luc. cap. a. dicens: *Modo Salvator rogatur, modo ultro sanat egrotos, ostendens, se contra peccatorum passiones precibus fidelium semper annuere: Et ea, quæ ipsi minime in se intelligunt, vel intelligenda dare, vel etiam non intellecta dimittere, quæ illud, quod postulat, dicens: Delicta quis intelligis? Ab oculis meis munda me.* Hæc ibi. Item: quomodo per rationem ostendas, consuetudinem ecclesiasticam, quæ dicit sacerdos: *Absolvo te a peccatis, quæ mihi modo confessus es, Et ab omnibus aliis, quorum memoriam non habes; consuetudinem, inquam,*

hanc merito insinuare, quod confessio generalis, idest in generali clausula, scilicet de omnibus etiam aliis, non tantum de specialiter confessis, in quibus offendi Deum, dicentem culpam, peccata comprehendens universa, sufficit ad delenda mortalia. Nisi enim sufficeret ad hoc minister ecclesiæ, quæ est columna veritatis, secundum Apostolum, non diceret: *Absolvo te ab his, quorum memoriam non habes.* Et nota, quod hoc intelligitur de non habitis in memoria post diligentem cogitationem, pro conatu ad rememorandum (ut supra alibi dictum fuit, & Concilium Tridentinum adductum nunc innuit) non aliter. Secundo igitur habes: quomodo per rationem ostendas, quod ex præmissis, scilicet Concilio, & consuetudine ecclesiastica, merito damnatur pestiferus error *Lutheri* (ut narrat *Leo X.* in Bulla contra ipsius errores) dicentis: quod liberum arbitrium, dum facit, quod in se est, peccat mortaliter. Secundum Concilium enim supradictum cogitavit iste confitens diligenter peccata sua, faciendo scilicet quod in se est, ut recordaretur illorum, & tamen non solum non peccasse ipsum, sed etiam ex hoc munditiam conscientie de oblitis promeruisse, vidimus. Quod de Concilio damnante *Lutheri* errorem dictum est, dic etiam tu de consuetudine ecclesiastica præmissa. Quanta autem sit auctoritas ecclesiasticæ consuetudinis, patet ex hoc, quod præponderat auctoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscumque alterius Doctoris; de quo vide 2. 2. qu. 10. art. 12. Item errat prædictus a *Leone ipso* inter alios damnatur de quo ejus Bullæ particulam vide supra qu. 1. art. 1. append. & 3. par. qu. 68. art. 9. Rursus per rationem articuli ostendes, merito damnari ex eisdem Concilio, & consuetudine ecclesiastica hæresim *Novati* (Præterquam *Accesius Novati. Episcopus*) dicentis: peccantes ad mortem post baptismum a communione divinarum esse rejiciendos, & solius Dei, non sacerdotis esse potestatem huiusmodi peccantibus delicti remissionem concedere. Ecce enim, quod Concilium, & consuetudo ecclesiastica talibus peccatoribus per confessionem sacerdoti factam remissionem delicti, etiam obliti

(1) Quoad universalia saltem juris præcepta quæ tenentur omnino scire omnes, & quoad ea quæ ad iudicium officium pertinent, ut in 1. 2. quest. 76. art. 2. ex professo explicatum est.

(2) Vel per peccatum fictionis intelligendo indispotionem ejus qui non recta intentione confitetur, sed solummodo per hypocrisim: vel dissimulationem

alicuius peccati quod suppressit & confiteri non vult. Quo referendum illud Tertulliani libro de penitentia: *Tantum relevas confessio delictum quantum dissimulatio exagrat: Confessio enim satisfactionis consilium est; Dissimulatio, contumacia, subintellige, consilium.*

obliti dari decernunt. Ergo & a fortiori (quod pro art. 1. facit) de eisdem delictis specialiter confessis sacerdoti, remissionem concedunt. Item ex eisdem ostendes, merito damnari hæresim *Judeorum*, & *Lutheranorum* (Præteolum *Judeorum hæreses*) una voce dicentium, peccatum statim a resipiscencia, & dolore, nullam agentibus pœnitentiam, neque consentientibus esse remissum. Patet enim discurrantibus, quod tam præmissam confessionem, saltem in generali, factam implicite supponunt etiam a contrito ad hoc, ut peccatum oblitum ei remittatur. Faciunt præmissæ auctoritates ad append. artic. multorum supra pro confutandis variis erroribus ibi adductis. *Tertio* habes; quomodo per rationem præmissa in Concilio, & ecclesiastica consuetudine dicta; pro quanto confessionem generalem ad mortalium remissionem statuunt valere, & intelligas, & probes, & defendas. *Quarto* vides: quomodo, &c.

QUESTIO XI.

De Sigillo confessionis.

In quinque articulos divisa.

DEinde queritur de sigillo confessionis: & circa hoc queruntur quinque.

Primo, utrum in quolibet casu teneatur homo celare ea quæ sub sigillo confessionis habet.

Secundo, utrum sigillum confessionis se extendat in alia quam ad illa quæ habita sunt de confessione.

Tertio, utrum solus sacerdos sigillum confessionis habeat.

Quarto, utrum de licentia consentientis possit sacerdos ejus delictum, quod habet sub sigillo confessionis, alteri prodere.

Quinto, utrum teneatur illud celare, etiam aliter noverit.

ARTICULUS I. 44

Utrum in quolibet casu teneatur sacerdos celare peccata quæ sub sigillo (1) confessionis novit.

IV. Sen. dist. XXI. quæst. III. art. 1. & 2.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non in quolibet casu teneatur sacerdos celare peccata quæ sub sigillo confessionis novit. Quia sicut dicit Bernardus (implic. in tract. de præcepto & dispensat. 11. a med. (2) quod est institutum pro caritate, contra caritatem non militat. Sed celatio confessionis in aliquo casu contra caritatem militaret; sicut si aliquis in confessione sciat aliquem hæreticum, quem non potest inducere ad hoc quod desinat a corruptione plebis: & simile est de illo qui scit per confessionem affinitatem esse inter aliquos qui contrahere volunt. Ergo talis debet confessionem revelare.

2. Præterea. Illud ad quod quis obligatur ex præcepto Ecclesiæ tantum, non est necesse observari, mandato Ecclesiæ in contrarium facto. Sed celatio confessionis est introducta ex statuto Ecclesiæ tantum. Si ergo per Ecclesiam præcipiatur, quod quicumque scit aliquid de tali peccato, dicat, ille qui scit per confessionem, debet dicere.

3. Præterea. Magis debet homo servare conscientiam suam quam famam alterius: quia caritas ordinata est. Sed aliquando aliquis peccatum celans incurrit propriæ conscientie damnum; sicut cum in testimonium adducitur pro peccato illo quod scit in confessione, & jurare cogitur de veritate dicenda; vel cum aliquis Abbas scit per confessionem alicujus Prioris subjecti sibi peccatum, cujus occasio inducit ipsum ad ruinam, si ei Prioratum dimittat; unde tenetur ei auferre pastoralis curæ dignitatem; auferendo autem videtur confessionem publicare. Ergo videtur quod in aliquo casu liceat confessionem publicare.

4. Præterea. Aliquis sacerdos per confessionem alicujus quem audivit, potest accipere

(1) Cur sigillum dicatur, jam notatum est quæst. 7. art. 1. ad marginem.

(2) Equivalenter saltem, licet aliis verbis & alia occasione cum de regularibus institutis sic ait, ut cap. 2. videre est: *Instituta fuerunt non ad aliud quam ad lucrum & custodiam caritatis. Quamdiu ergo caritati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino ne ab ipsis quidem Præpositis absque offensa possunt: At si e contrario contraria forte ob-*

quando caritati visa fuerint; his dumtaxat quibus hoc videre datum est & providere creditum est (sive commissum) nonne iustissimum esse liquet ut quæ pro caritate inventa fuerunt, pro caritate quoque intermissantur, vel omittantur, vel in aliud commodius fortasse demutentur? Sic e regione iniquum proculdubio foret si statuta pro sola caritate contra caritatem tenentur.

de conscientiam, quod sit pralatione indignus. Sed quilibet tenetur contradicere promotioni indignorum, si sua interfit. Cum ergo contradicendo suspicionem inducere videatur de peccato, & sic quodammodo con-

sessionem revelare; videtur quod oporteat quandoque confessionem revelare.

Sed contra est quod dicit Decret. de poenitent. & remiss. (cap. Omnis utriusque &c.) (1) Caveas sacerdos ne verbo, aut si-

Sum. S. Th. Tom. XIII.

N

gno

(1) Nimirum Decretalis itam celebrata Innocentio 3. five potius Lateranensis Concilij sub Innocentio 3. cap. Omnis utriusque sexus §. Caveas autem: Ubi addit quod si Sacerdos prudentiori consilio indigerit, illud absque ulla expressione persona cause requiratur; quoniam qui peccatum in penitentiali iudicio sibi detectum præsumptorè revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam penitentiam in artium Monasterium detrudendum: Gravior quoque poena cap. Sacerdos in Decretis. distinct. 6. de poenitentia revelanti confessionem injungitur, cum postquam præmissum est, Sacerdos ante omnia caveas ne de his quae ei confitentur peccata alicui recitans non propinquis non extraneis, neque (quod absque) pro aliquo scandalo, subjungitur: Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vite suae ignominiosus peregrinando pergat, Ex Gregorio porro indefinite prænotatur, sed ex quo non occurrit. Quod autem S. Thomas de contentente qui emendari non vult addit, esse nihilominus contra veritatem sacramenti si confessio ejus reveletur, colligi potest ex cap. Quod quidam Extra de poenitentia & remissionibus, ubi Alexander 3. Episcopo Belvacensi rescribens de quibusdam qui ad confessionem de criminibus veniunt, & quamvis velint confiteri, se tamen asserunt abstinere non posse, sic respondet; Eorum confessionem recipere debes & eis de criminibus consilium exhibere; quia licet non sit vera hujusmodi penitentia, tamen admittenda est eorum confessio & crebris ac salubribus monitis penitentia indicanda: Cur autem admittenda eorum confessio nisi velut sacramentalis quodammodo & propterea sub sigillo sive secreto retinenda? Denique nullum ad revelandam confessionem cogi posse, ut hic etiam ad 2. subjungit S. Thomas, colligi potest ex cap. Dilectus Extra de excessibus Prælatorum, ut Honorius 3. cuidam Cardinali rescribens dicit: Dilectus filius Joannes Presbyter exposuit conquerendo quod Rectores fraternitatis urbis ipsum ad revelandum fures & quod super quadam furto sibi tanquam Sacerdoti sperat revelatum, vel ad satisfaciendum exinde damnatum passo, archare niterent, in eum (nisi alterum præmissorum officeret) tulerunt sententiam interdicti. Quis igitur perniciosum esset prædictum Presbyterum sibi taliter credita revelare, cogique ad id quod non rapuit, exolvendam Discretioni sua mandamus, quatenus præfatos Rectores coram se conveniens (id est comparere faciens) injungas istem ut a memorati Presbyteri gravamina penitus conquiescant. Hinc Leo Papa epi. 80. illam præsumptionem quæ a quibusdam illicita usurpatione committebatur, submoveri modis omnibus constituit, ne de singulorum peccatorum genere scripta professio publice recitetur; eam reatus conscientiarum sufficit solis Sacerdotibus indicari confessione secreta: Et mox rationem subjungens addit: Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis qua propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur; tamen quia non omnium hujusmodi sunt peccata ut qui penitentiam poscunt, ea non timeant publicare, removeatur tam improba-

bilis consuetudo, ne multi a penitentia remediis arceantur, dum aut erubescunt aut metuent inimicis suis sua facta reservari quibus possint legum constitutione percelli. Tunc enim demum plures ad penitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Hoc est etiam solum quod Nectarius Constantinopolitanus Episcopus & Chrysoctomi Prædecessor putari debet abrogasse occasione mulieris cujus peccatum cum Diacono perpetratum & imprudenter per publicam confessionem in populi notitiam adductum gravissimi scandali causa fuit: Nam aliqui confessionem auricularem ac secretam post Nectarium apud Græcos etiam remanuisse, satis ex Chrysoctomo patet qui homil. 31. in Joan. ait: In peccatis qua commissimus confitendis nominem veremur: Deum dumtaxat formidamus: Et de Sacerdotio lib. 2. christianos curationi Sacerdotum submissi oportere inculcat; sed quomodo nisi per peccatorum confessionem? cum curari non possit quod nescitur: Nec obstat quod in Psalm. 50. homil. 2. Si confunderis (inquit) alicui dicere quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua: Et de poenitentia homil. 8. Nemine præter Deum ostente inus reforma quod peccasti: Et homil. 31. in epistolam ad Hebræos: Ante Deum confitere peccata tua, non lingua sed conscientia tua memoria: Hoc enim tantum dicit ad excludendam illam confessionem ex qua exprobratio vel confusio sequi potest extra poenitentis sacramentum; ut homil. 4. de Lazaro explicat: Cave homini dixeris (inquit) ne tibi exprobes: Non cogo te in medium prodire theatrum &c. Et homil. supra dicta in epistolam ad Hebræos: Non tibi dico ut te producas in publicum, neque ut te apud alios accuses &c. Quasi alludens ad id quod Nectarius abrogat. Quid quod subinde quoque Anastasius Sinaita (Nizænus dictus) qu. 6. super Scripturam & Nicolaus Cabasilas in explicatione Liturgiæ cap. 26. tomo 12. recentioris Bibliothecæ Patrum confessionem sacramentalem Sacerdotibus faciendam agnoscunt, cum peccatorum remissionem per sacerdotum orationem dari notant, etiam uterque Græcus, & schismaticus alter? Imo & Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus in Censura Confessionis Augustinæ c. 11. hisce postremis temporibus Lutherum carpit quod in confessione peccatorum enumerari omnia peccata oportere neget: Quod est sacramentalem agnoscere necessariam, proindeque sigillum ejus (id est secretum) observandum. Perperam ergo Gratiani Exemplaria in Decretis de poenitentia cap. Quidam legunt quod quidam Deo solummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci: Hæc enim particula, ut Græci, non est in Theodoro cujus nomine prænotatur hoc ipsum caput, nec alibi omnino reperitur, ut & Appendix ibi notat: Nec refert quod privatim in Concilio Florentino Græcos interrogavit Eugenius cum celebrationi mysteriorum confessionem non præmitterent: Hoc enim intelligi non de confessione sacramentali debet, sed potius de illa quam Sacerdos latius in altaris ingressu coram toto populo facit &c.

gno, aut alio quovis modo prodatur aliquatenus peccatorem.

Præterea . Sacerdos debet Deo, cuius minister est, conformari . Sed Deus peccata quæ per confessionem panduntur, non revelat, sed tegit . Ergo nec sacerdos revelare debet .

Respondeo dicendum, quod in sacramentis ea quæ exterius geruntur, sunt signa rerum quæ interius contingunt . Et ideo confessio, qua quis sacerdoti se subicit, signum est interioris subjectionis, qua quis Deo subicitur . Deus autem peccatum illius qui se subicit per poenitentiam, tegit . Unde & hoc oportet in sacramento poenitentiae significari . Et ideo de necessitate sacramenti est quod quis confessionem celet; & tanquam violator sacramenti peccat qui confessionem revelat . Et præter hoc sunt aliae utilitates huius celandi: quia per hoc homines magis ad confessionem attrahuntur, & simplicius etiam peccata confitentur .

Ad primum ergo dicendum, quod quidam dicunt, quod sacerdos non tenetur servare sub sigillo confessionis nisi peccata de quibus poenitens emendationem promittit; alias potest ea dicere ei qui potest prodesse, & non obesse .

Sed hæc opinio videtur erronea, cum sit contra veritatem sacramenti . Sicut enim baptismus est sacramentum, quamvis quis fictus accedat; nec est immutatum aliquid propter hoc de essentialibus sacramenti: ita confessio non desinit esse sacramentalis, quamvis ille qui confitetur, emendationem non proponat .

Et ideo nihilominus sub occulto tenenda est . Nec tamen sigillum confessionis contra caritatem militat: quia caritas non requirit quod apponatur remedium peccato quod homo nescit . Illud autem quod sub confessione scitur, est quasi nescitum; cum illud non sciat aliquis ut homo, sed ut Deus . Tamen aliquod remedium adhibere debet in prædictis casibus, quantum potest sine revelatione confessionis; sicut monendo eos qui confitentur, & aliis diligentiam apponendo, ne corrumpantur per hæresim . Potest etiam dicere prælato, quod diligentius vigilet super gregem suum; ita tamen ut non dicat aliquid, per quod verbo, vel nuda confitentem prodatur .

Ad secundum dicendum, quod præceptum de confessione celandi consequitur ipsum sacramentum . Et ideo sicut præceptum de confessione sacramentali facienda est de jure

divino, & non potest aliqua dispensatione, vel iussione humana homo absolvi ab eo; ita nullus ad revelationem confessionis potest ab homine cogi, vel licentari . Unde si præcipiatur sub poena excommunicationis, jam latet, quod dicat, si aliquid scit de tali peccato, non debet dicere: quia debet existimare, quod intentio præcipientis est, si sciat ut homo; hoc autem non scit ut homo . Et si etiam exprimeret de confessione interrogatus, non deberet dicere; nec excommunicationem incurreret: quia non est subjectus superiori suo, nisi ut homo: hoc autem non scit ut homo, sed ut Deus .

Ad tertium dicendum, quod homo non adducitur in testimonium nisi ut homo: & ideo sine lesione conscientiae potest jurare se nescire quod scit tantum ut Deus, similiter etiam potest Prælati sine lesione conscientiae dimittere peccatum impunitum, quod scit tantum ut Deus, vel sine aliquo remedio, quia non tenetur adhibere remedium, nisi eo modo quo ad ipsum deferretur . Unde in his quæ ad ipsum deferuntur in foro poenitentiae, debet in eodem foro, in quantum potest, adhibere remedium; ut Abbas in casu prædicto debet eum admonere ut Prioratum resignet; vel si noluerit, potest ex aliqua alia occasione absolvere eum a cura Prioratus; ita tamen quod omnis suspicio vitetur de confessionis revelatione .

Ad quartum dicendum, quod ex multis aliis causis redditur quis indignus ad prælationis officium, quam ex peccato; sicut ex defectu scientiae, vel ætatis, vel alicujus huiusmodi: & ideo qui contradicit, nec suspicionem de crimine inducit, nec confessionem revelat .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo ostendas; merito esse decretum a Concilio Lateranense generali sub Innocentio III. ca. 21. quod confessarius ad sigillum strictissime tenetur, & hoc sic . *Caveat autem omnino, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodatur aliquatenus peccatorem, sed, si prudentiori consilio indigeris, illud absque ulla expressione persone caute requiras: quoniam, qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum presumpsit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agenda perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum . Hæc ibi, & recitatur extra de poenitent. c. revisis, cap. omnis usque .*

ofque . Item ab Eugenio & Gregorio summis Pontificibus, ut infra *art. 4. appen.* Item merito idipsum de sigillo fuisse sancitum a Papa Leone I. epistol. ad universos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos, quæ in ordine est epist. 78. in 1. tom. Concilii sic . *Illam etiam contra Apostolicam regulam presumptionem, quam super agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus confisio submoveri (de penitentia videlicet, quæ ita a fidelibus postulatur)* , ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta confisio publice recitetur : cum reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessiones secreta . Removeatur tam improbabilis consuetudo ; ne multi a penitentia remediis arceantur dum aut erubescunt , aut metuant inimicis suis sua facta referare . Sufficit enim illa confisio, quæ primum Deo fit, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis penitentium precator accedit . Tunc enim demum pluries ad penitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis . Hæc ibi . Leonis decretum hoc ad illum finem tendit principaliter, ut sacramentalis confisio secreto, non publice fiat, fateor, & in hoc sensu adducta fuere supra, cum de modo confitendi secreta contra errantes tractaretur . His tamen non obstantibus, adaptantur secundario ad sigillum conservandum de confisio, & hoc ad mentem ipsius Papæ . Quem finem sibi præstituit Papa, quando ista decrevit ? Testationem delictorum confitentis, ne, ut ipse dicit, *multi a penitentia remediis arceantur, & ut plures ad penitentiam provocentur* . Iste idem est finis sigilli, ut patet . Consequenter igitur Papa sub prædicto decreto cointellexit, implicite saltem, præcipere de sigillo . Tunc videre delectat, quam conformiter Pontificiæ huic declarationi correspondeat *secunda conclusio præfens, & ex consequenti, quam apte conclusio ipsa per huiusmodi Pontificis dicta confirmetur ad litteram* . Item, &c. merito ipsum de sigilli custodia fuisse a sacra scriptura innuatum Ecclesiastici 10. *Secundum iudicem populi, sic & ministri ejus*: conjungendo cum Ezech. 18. *Si impius egerit penitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor* . Cum igitur confessorius sit minister Dei, secundum *ly Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, &c. Joan. 20.* & secundum quod ex Concilio Tridentino alibi supra adductum est, & Deus post penitentiam peccatoris non recordetur peccato-

rum illius, in quantum scilicet legit illa, non puniendo amplius, oportet secundum scripturam hanc, quod & confessorius peccata ipsius confitentis tegat, quod est sigillum custodire . *Secundo* habes : quomodo & Concilii, & Pontificis, & scripturarum prædicta, pro quanto sacerdotem ad sigillum peccatorum in confessione auditorum obligant, & intelligas, & declares . & tucaris . *Tertio* vides ; quomodo, &c.

ARTICULUS II. 45

Utrum sigillum confessionis se extendat ad alia quam ad illa quæ sunt de confessione .

S. Thom. dist. ubi sup. art. 1. & sequ.

AD secundum sic proceditur . Videtur quod sigillum confessionis se extendat ad alia quam ad illa quæ sunt de confessione . Quia de confessione non sunt nisi peccata . Sed aliquando cum peccatis alia multa quis narrat, quæ ad confessionem non pertinent . Ergo cum illa sacerdoti dicantur ut Deo, videtur quod etiam ad illa sigillum confessionis se extendat .

2. Præterea . Aliquando aliquis dicit alicui aliquod secretum, & ille recipit sub sigillo confessionis . Ergo sigillum confessionis se extendit ad illa quæ non sunt de confessione .

Sed contra . Sigillum confessionis est aliquid annexum sacramentali confessioni . Sed ea quæ annexa sunt alicui sacramento, non se extendunt ultra sacramentum illud . Ergo sigillum confessionis non se extendit nisi ad ea de quibus est sacramentalis confisio .

Respondeo dicendum, quod sigillum confessionis directe non se extendit nisi ad illa de quibus est sacramentalis confisio ; sed indirecte id quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum confessionis pertinet ; sicut illa per quæ posset peccator, vel peccatum deprehendi . Nihilominus etiam illa summo studio sunt celanda ; tum propter scandalum, tum propter pronitatem, quæ ex consuetudine accidere posset .

Et per hoc patet responsio ad primum .

Ad secundum dicendum, quod aliquis non debet de facili aliquid recipere hoc modo ; si tamen recipiat, tenetur ex promissione hoc modo celare, ac si in confessione haberet, quamvis sub sigillo confessionis non habeat .

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam ab Innocentio III. quod directe ad sigillum spectant peccata, indirecte vero, ea, per quæ peccator, vel peccatum ejus posset apprehendi. Insinuat autem id, ut in *append. articuli primi* narratum est, per ejus litteram sic. *Caveat sacerdos, ne verbo, vel signo, vel quovis modo, prodatur peccatorem.* Quasi dicat: Illa, per quæ posset vel peccator confessus, vel ejus peccatum apprehendi, pertinent, saltem indirecte, ad sigillum confessionis. Pro hoc consule quoque *Eugenium, & Gregorium, articuli quart. append.* Hinc vide bonitatem Dei maximam; non tantum, quia ipse per ministrum suum tegit peccata sibi sacramentaliter confessa, quod est proprium confessioni huic: cum in foro contentioso ex confessione delictorum suorum quis decapitetur, aut aliam pœnam subeat; sed etiam, quia ipsa voluit ab eodem confessorio tam strictissima circumspectione semper tegi, ita, ut eorum videatur mox post confessionem totaliter oblitus. Hanc oblivionem confessorii voluit forsitan, ultra alias expositiones, designare Deus; quando *Ezechiele 33.* inquit: *Si impius egerit pœnitentiam, & cœtera, vita vivet, omnia peccata ejus non imputabuntur ei.* Hoc est, ut ab oppositis loquamur, oblivioni tradentur. Ibi namque præmiserat; *Etsi dixero justo, quod vita vivet, & confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus oblivioni tradentur, in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur.* Et infra. *Si dixero impio, morte morieris, & impius egerit Pœnitentiam, & cœtera, omnia peccata ejus non imputabuntur ei, & cœt. vita vivet.* Ecce, quod, ab oppositis discurrendo, in idem redit: *ly non imputabuntur, cum ly oblivioni tradentur.* Quare nunc in tertia persona dicit, *non recordabuntur:* cum tamen supra capitulo decimo octavo in prima persona dixerit, *non recordabor?* ut ex hac phrasi locutionis designet, ministrum suum, qui est in persona alter ab eo, non recordaturum, seu ad modum non recordantis se habiturum, circa peccata a pœnitente sibi confessa. Ecce, quod sigillum a ministro suo custodiendum etiam antiquitus prædixerat divina bonitas. Et nota juxta seriem capitulorum ordinem sigilli: quoniam series hæc demonstrat, ideo sigillum debere servari a ministro ex eo, quod in Deo præcessit: id est, quod,

ut *articulo primo* in corpore dixit sanctus Thomas, sacerdos debet custodire sigillum confessionis, eo quia a Deo teguntur peccata. Quod autem series capitulorum id ostendat, patet: quia in capitulo decimo octavo dixit, *non recordabor;* & in capitulo trigesimo tertio subjunxit, *non recordabuntur.* Hinc aliud quoque mirandum, quod tamen verum est, vide, quod scilicet homo inexcusabilis est, si non confiteatur: ex quo peccata sua in confessione revelata tantæ celationis custodia, sub tanto præcepto, communiuntur. Vide mirum. Si peccator tegit peccata sua, Deus eadem detegit: si vero peccator detegit, Deus eadem tegit. Ex præcepto itaque sigilli a Christo Domino instituti, & ab Innocentio III. superius in appendice hac declarati, duo habita sunt ad litteram; bonitas maxima Dei erga peccatorem confitentem, & inexcusabilitas maxima peccatoris præ rubore, vel alio venenoso respectu, peccata propria confiteri recusantis. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta a Pontifice, & scripturis, pro quanto sigillum tum directe, tum indirecte statuunt, & declares, & probes, atque defendas: maxime si junxeris articulum primum huic. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 46

Utrum solus sacerdos habeat sigillum confessionis.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non solus sacerdos sigillum confessionis habeat. Quia aliquando aliquis confiteretur sacerdoti per interpretem, necessitate urgente. Sed interpretis, ut videtur, tenetur confessionem celare. Ergo etiam non sacerdos aliquid sub sigillo confessionis habet.

2. Præterea. Aliquando aliquis in casu necessitatis potest laico confiteri. Sed ille tenetur peccata celare; cum sibi dicantur sicut Deo. Ergo non solum sacerdos sigillum confessionis habet.

3. Præterea. Aliquando aliquis se sacerdotem fingit, ut conscientiam alterius exploret per hanc fraudem; & ille etiam, ut videtur, peccat, si confessionem revelet. Ergo non solus sacerdos sigillum confessionis habet.

Sed contra est quod solus sacerdos minister est hujus sacramenti. Sed sigillum confessionis est annexum huic sacramento. Ergo solus sacerdos habet sigillum confessionis.

Præterea. Ideo aliquis tenetur ea quæ in

confessione audit, celare, quia non scit ea ut homo, sed ut Deus. Sed solus sacerdos est minister Dei. Ergo ipse solus tenetur occultare.

Respondeo dicendum, quod sigillum confessionis competit sacerdoti, in quantum est minister hujus sacramenti: quod nihil aliud est quam debitum confessionem celandi, sicut clavis est potestas absolvendi. Tamen sicut aliquis qui non est sacerdos, in aliquo caso participat aliquid de actu clavis, dum confessionem audit propter necessitatem; ita etiam participat aliquid de actu sigilli confessionis, & tenetur celare, quamvis, proprie loquendo, sigillum confessionis non habeat.

Et per hæc patet solutio ad objecta.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem monstres, *Innocent. III.* per extensionem insinuasse, quod quilibet de actu confessionis participans, etiam laicus, debet necessario servare sigillum. Insinuavit autem hoc per idem decretum supra articulo secundo, appen. recitatum; ubi accipitur proprie *ly sacerdos* pro audiente confessionem ex officio, puta, quia habet ordinem, & jurisdictionem. Extensive autem pro quocumque, & quomodocumque audiente confessionem; quantum ad sigillum servandum, loquendo. Intentio namque *Innocentii* ibi est: quod peccata confitentis maneant omnimode, dempto tunc audiente, secreta. Effectum vero hunc, scilicet totalem peccatorum absconsonem, non consequeretur, nisi de omni audiente confessionem, etiam laico, extensive non intendisset. Cum ergo Papa sufficienter providere famæ confitentis voluerit, ut undique libera esset confessio, & ipsius famæ sufficienter provideri non possit, nisi per extensionem sigilli ad quoscumque peccata confitentis in confessione narrata quomodocumque audientes, ut patet, clarum restat, quod Papa ipse præmissum decretum ad omnes hos, implicite saltem, extendere voluit, & extendit. Sub nomine igitur sacerdotis intellexit quoscumque, etiam laicos: non quia laici sacerdotes sunt, hoc enim est damnata hæresis *q^a & 2. 1. & 2. & 4.* sed quia in proposito, de quo loquimur, possunt & ipsi aliquo modo participare de audientia confessionis: ut supra in notat. post conclus. Quoniam ergo accessorium sequitur naturam principalis, de *reg. ju. in 6.* & principalis in casu nostro est verus sacerdos immediate audiens confiten-

tem, accessorius autem est quicumque alius, etiam laicus: fatendum est, quod intentio Papæ est obligare istos accessorios, & eodem proportionaliter circumspectionis vinculo, & ejdem pœnis: Vide igitur *ar. 2.* decreti illius distinctionem, & circumspectionis, & pœnarum: atque inde ad hos etiam facito utriusque rectam applicationem. Ex supradictis quoque motus, *Gregorium*, & *Eugenium* ablegatos ibi, scripturasque pro sigillo sacerdotum adductas huc proportionaliter applicare potes: ad instar auctoritatis *Innocentis* te regulando. Hinc videbis melius & bonitatem Dei ibi articulo secundo expressam, & hominis non confitentis inexcusabilitatem. Secundo habes: quomodo per rationem dicta Pontificis, & scripturæ præfata, pro quanto sigillum extendunt etiam ad alios a sacerdote confessario immediate, intelligas, probes, ac tuearis. Addendo, quod participans alicujus naturam, & proprietates ejus participat; ut patet de ferro ignito, & mille aliis per te faciliter inveniendis. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 47

Utrum de licentia confitentis possit sacerdos ejus peccatum, quod habet sub sigillo confessionis, alteri prodere.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod de licentia confitentis non possit sacerdos peccatum quod habet sub sigillo confessionis, alteri prodere. Quod enim non potest superior, non potest inferior. Sed Papa non potest aliquem licentiare ut peccatum quod habet in confessione, alteri proderet. Ergo nec ille qui confitetur, potest ipsum licentiare.

2. Præterea. Illud quod est institutum propter bonum commune Ecclesiæ, non potest ex arbitrio unius irritari. Sed celatio confessionis est instituta propter bonum totius Ecclesiæ, ut homines confidentius ad confessionem accedant. Ergo ille qui confitetur, non potest licentiare sacerdotem ad dicendum.

3. Præterea. Si possit licentiarum sacerdos, videtur dari pallium malitiæ malis sacerdotibus, quia possent prætere de sibi licentiam datam; & sic impune peccarent: quod est inconveniens. Et sic videtur quod non possit a consistente licentiarum.

4. Præterea. Ille cui iste peccatum revelabit, non habebit peccatum hoc sub sigillo confessionis, & sic poterit peccatum publicari, quod jam deletum est: quod est inconveniens.

Sed

Sed contra. Superior potest remittere peccatorem cum litteris ad inferiorem sacerdotem de voluntate ipsius. Ergo de voluntate confitentis potest sacerdos peccatum revelare alteri.

Præterea. Qui potest aliquid facere per se, potest etiam per alterum facere. Sed confitens potest peccatum suum, quod fecit, per se alteri revelare. Ergo potest per sacerdotem hoc facere.

Respondeo dicendum, quod duo sunt propter quæ tenetur sacerdos peccatum occultare: primo & principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia sacramenti, in quantum scit illud ut Deus, cujus vicem gerit in confessione; alio modo propter scandalum vitandum. Potest autem confitens facere ut sacerdos illud quod sciebat ut Deus, sciat etiam ut homo; quod facit, dum licentiat eum ad dicendum: & ideo si dicat, non frangit sigillum confessionis; tamen debet cavere scandalum dicendo, ne fractor sigilli prædicti repatur.

Ad primum ergo dicendum, quod Papa non potest licentiaré sacerdotem ad dicendum, quia non potest facere quod illud sciat ut homo; quod tamen facere potest ille qui confiterur.

Ad secundum dicendum, quod non irritatur illud quod est institutum propter bonum commune: quia sigillum confessionis non frangitur, cum dicitur quod alio modo scitur.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc non datur aliqua impunitas malis sacerdotibus: quia imminet eis probatio, si acculantur, quod de licentia confitentis revelaverint.

Ad quartum dicendum, quod ille ad quem notitia peccati devenit mediante sacerdote de voluntate confitentis, participat in aliquo actu sacerdotis: & ideo simile est de eo, & de interprete; nisi forte peccator velit quod ille absolute sciat, & libere.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem rejicias errorem quorundam (ut refert Magister Joannes de Tabia) dicentium: quod non licet sacerdoti de licentia confitentis dicere audita ab eo in confessione. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, errorem hunc merito repelli a Papa Alexandro III. extra, De Adulter. Capitulo significasti. Sic. significasti nobis quendam presbyterum cum alterius conjugis intra ecclesiam dormivisse, quæ se, & illum euidam

sacerdoti hujusmodi delictum confessos fuisse, publice sibi detexit, & hoc ipsum idem sacerdos nomen adulteri celans in presentia sua dixit. Hæc ibi. Ubi apparet, quod iste sacerdos (secundum Panormitanum etiam) revelavit hoc de licentia mulieris, quæ sibi hoc confessa fuerat. Nominavit ergo mulierem, quia licentiam ab ea habebat: celavit nomen adulteri, quia ab illo licentiatum sic non fuerat. Item a Papa Lucio III. Mattheus Cardinalis secreta nobis insinuatione monstravit, quod, cum fuisset ad Ecclesiam sua regimen, & cætera. Hæc extra de sermo. Mattheus. Ubi dicunt doctores, quod iste Cardinalis revelavit ex licentia sibi data: & dicit Abbas: Nota ex hoc sensu, quod peccatum detectum in penitentia potest per confessorem alteri detegi, consentiente tamen ipso peccatore penitente. Hæc ille, & recitatur in marginalibus glossis ad capitulum prædictum. Nec valet ratio illorum errantium in contrarium adducta, quando dicunt, quod confitens non potest in hoc dispensare sacerdotem: quia est de lege nature, divina, & essentia sacramenti, sigillum. Respondetur enim per textum articuli quod confitens non dispensat super jura prædicta: sed quod facit per licentiam suam illud idem esse notum sacerdoti, ut homini: quod ante licentiam erat solum notum ipsi, ut Deo. Responsum hoc ad illos errantes confirmatur ex Eugenio Papa, capitulo si sacerdos, extra de offic. jud. ord. dicente: Tamen non potest nominatim eum removere a communione, licet scias eum esse reum: quia non ut judex scit, sed ut Deus. Hæc ibi. Ecce, quod Eugen. Papa adducens rationem de servando sigillo a sacerdote, inquit, quod sacerdos scit, ut Deus, non, ut judex, id est, ut homo. Quasi ex opposito dicat; si sacerdos illud sciret, ut homo, posset revelare. Cum igitur confitens per licentiam faciat, quod dictum est, patet (ultra quod ratio D. Thom. est fundatissima: cum sit & ratio Eugenii) quod de ejus licentia potest sacerdos revelare, cum cautela tamen debita, & notata, tum in textu artic. tum in elucid. Cæterum, si a penitente licentiam super hoc non habeat, nec aliunde sibi detecta in confessione sciat, videat diligenter, ut observet jam dicta in 1. ar. append. Quibus & addas præceptum Gregorii. Papæ dicentis. Sacerdos ante omnia caveat: ne de his, qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quod ea confessus est, non propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam, si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus visa sua igno-

ignominiosus persequendo preget. Hac ibi, de poeniten. dist. 6. cap. Ubi vides, quod nec pro scandalo aliquo vitando licet frangere sigillum. Item ad hoc ipsum adde Eugenium Papam dicentem. Si sacerdos scias pro certo, aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fuerit, & emendare noluerit (nisi iudicialio ordine quis probare possit) non debet eum arguere nominatim, sed indeterminate; sicut dixit Christus; unus vestrum me traditurus est. Sed, si ille, cui damnatum illatum est, petens iustitiam, potest excommunicare auctorem damni, licet etiam ei confessus sit, sed tamen non potest eum nominatim removere a communione: licet sciat eum esse reum: quia non ut iudex scit, sed ut Deus, sed debet eum admonere, ne se ingerat, quia nec Christus Judam a communione removit. Hæc extra de offic. iud. ordin. si sacerdos. Ecce, quod confessum sacramentaliter non vult prodi a sacerdote propter rationem dictam; quia sc. sacerdos tunc illum esse reum scit, non ut iudex (idest in foro contentioso, in quo & petitur iustitia a damnificato, & excommunicatio fertur) sed ut Deus. Tertio habes: quomodo per rationem dictum Alexandri supra, pro quanto sacerdotem posse de licentia poenitentis dicere audita in confessione insinuat, & intelligas, & probes, & defendas. Memineris tamen in tali casu semper cautele dictæ in corp. art. & in coroll. post ad quartum. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 48

Utrum illud quod quis scit per confessionem, & etiam aliquo alio modo, possit alteri revelare.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod illud quod quis scit per confessionem, & etiam aliquo alio modo, non possit alteri revelare. Non enim frangitur sigillum confessionis, nisi dum peccatum quod scitur in confessione, revelatur. Si ergo ille revelet peccatum quod in confessione audivit, qualitercumque alias sciat, sigillum confessionis frangere videretur.

2. Præterea. Quicumque confessionem alicujus audit, ei obligatur ad hoc quod peccata ipsius non revelet. Sed si aliquis promitteret alicui tenere privatum quod ei diceretur, quantumcumque post sciret, deberet privatum tenere. Ergo quod quis in confessione audivit, quantumcumque alias sciat, debet privatum habere.

3. Præterea. Duorum quod est altero potentius, trahit ad se reliquum. Sed scientia qua quis scit peccatum ut Deus, est potentior, & dignior scientia qua scit peccatum ut homo. Ergo trahit ad se eam: & ita non poterit revelare, secundum quod scientia qua scit ut Deus, exigit.

4. Præterea. Secretum confessionis institutum est ad vitandum scandalum, & ne homines a confessionibus retrahantur. Sed si aliquis posset dicere illud quod in confessione audivit, etiam si aliter sciret, nihilominus scandalum sequeretur. Ergo nullo modo potest dicere.

Sed contra. Nullus potest alium obligare ad quod non erat obligatus, nisi sit suus prælatus, qui obligat eum præcepto. Sed ille qui sciebat alicujus peccatum per visum, non erat obligatus ad celandum. Ergo ille qui ei confitetur, cum non sit prælatus suus, non potest eum obligare ad celandum per hoc quod ei confitetur.

Præterea. Secundum hæc posset impediri iustitia Ecclesie, si aliquis, ut evaderet sententiam excommunicationis, que in ipsum ferenda esset propter aliquod peccatum, de quo convictus est, confiteretur ei qui sententiam ferre debuisset. Sed iustitiæ executio est in præcepto. Ergo non tenetur quis celare peccatum quod in confessione audivit, si alias ipsum sciat.

Respondeo dicendum, quod circa hoc est triplex opinio. Quidam enim dicunt, quod illud quod in confessione aliquis audivit, non potest aliquo modo dicere alii, etiam si alias scivit sive ante, sive post. Quidam vero dicunt, quod per confessionem præcluditur sibi via ne possit aliquid dicere de hoc quod prius scivit; non autem quin possit dicere, si post alio modo sciat. Utraque autem opinio, dum nimium sigillo confessionis attribuit, præiudicium veritati, & iustitiæ servandæ facit. Posset enim aliquis ad peccandum esse promissor, si non timeret ab illo accusari cui confessus est, si coram illo peccatum iteraret. Similiter etiam multum iustitiæ perire poterit, si testimonium ferre aliquis non posset de eo quod vidit post confessionem de hoc factam. Nec obstat quod quidam dicunt, quod debet protestari, se non tenere privatum hoc: quia hoc non posset protestari, nisi postquam peccatum esset sibi dictum: & tunc quilibet sacerdos posset, eum vellet, revelare peccatum, protestationem faciendo, si hoc ipsum ad revelandum liberum redderet. Et ideo alia opinio est communior, quod illud quod homo alias scit sive ante confessionem, sive post, non.

non tenetur celare quantum ad id quod scit ut homo: (1) potest enim dicere: *Scio, illud quia vidi*. Tenuerit tamen celare illud, in quantum scit ut Deus: non enim potest dicere: *Ego audivi hoc in confessione*. Tamen propter scandalum vitandum debet abstinere ne de hoc loquatur, nisi imminet necessitas.

Ad primum ergo dicendum, quod quando aliquis dicit se vidisse quod in confessione audivit, non revelat quod in confessione audivit, nisi per accidens; sicut qui scit aliquid per auditum, & visum, non revelat quod vidit, per se loquendo, si dicat se audivisse; sed per accidens, quia dicit auditum, cuius accidit visum esse. Et ideo talis sigillum confessionis non frangit.

Ad secundum dicendum, quod non obligatur audiens confessionem ad hoc quod non revelet peccatum simpliciter, sed prout est in confessione auditum: nullo enim casu dicere debet se audivisse in confessione.

Ad tertium dicendum, quod hoc intelligendum est de duobus quae habent oppositionem; sed scientia qua scit aliquis peccatum ut Deus, & illa qua scit ut homo, non sunt opposita; & ideo ratio non procedit.

Ad quartum dicendum, quod non debet ita vitari peccatum ex una parte, quod ex alia iustitia relinquatur. Veritas enim non est propter scandalum dimittenda. Et ideo quando imminet periculum iustitiae, & veritatis, non debet dimitti revelatio eius quod quis in confessione audivit, si aliter sciat, propter scandalum; verumtamen scandalum, quantum in se est, evitare tenetur.

A P P E N D I X.

EX art. habes: *primo* quomodo per rationem convincas errorem quorundam dicentium, quod in confessione audita, etiam quod alia via noscat eadem, non potest quis revelare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hunc errorem a fortiori rejici

ex praedictis in *art. 4. append.* Dixi, a fortiori, quoniam, si de licentia contentis audita in confessione manifestare licet, multo magis visa extra confessionem, etiam quod ante, vel post in confessione sint habita, manifestare licebit, ut patet. Nam licentia illa contentis non est adeo remota a confessione, sicut sunt illa, quae totaliter extra confessionem cognita sunt. Item, merito damnari directe ab *Eugenio* Papa, *extr. cap. Si sacerdos*, &c. ut supra *s. 4. append.* Nam ibi dicit sententialiter *Eugenius*, quod scire, ut Deus, prohibet nos a manifestatione ad extra; scire autem, ut homo, non item. Vide tu verba eius ibi. Cum igitur aliquis sibi dictum in confessione, & consequenter scitum a se, ut Deo, sciverit quandoque extra, & consequenter, ut homo: patet secundum *Eugenium*, quod absque peccato manifestare poterit. Memento tamen semper illius cautela, quae in *tertia* conclusione explicatur. *Tertio* vides: quomodo &c.

Q U E S T I O XII.

De satisfactione quoad ejus quidditatem,

In tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de satisfactione, de qua quatuor consideranda sunt. Primo de ejus quidditate. Secundo de ipsius possibilitate. Tertio de ejus qualitate. Quarto de his per quae homo Deo satisfacit.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo, utrum satisfactio sit virtus, vel actus virtutis.

Secundo, utrum sit actus iustitiae.

Tertio, utrum definitio satisfactionis quae in littera ponitur, convenienter assignetur.

AR-

(1) Quantum aberat ab hac opinione Sancyranus (ut notiori vocabulo eum indicem) De quo lepidum illud factum in processu adversus eum per publicam auctoritatem instituto refertur & jurati insignis viri qui ex ipsius ore se audisse dicebat fide digno testimonio confirmatur; quod cum quidpiam sui novi erroris occurrenti per itineris occasionem Sacerdoti & secum equitanti aperuisset, nec id sibi place-re ostendisset is cui hoc suggerere conabatur, statim ex equo desiliit, & ut alius quoque similiter ex equo desiliiret instanter compellavit, ac ei postquam desi-

lisset ad pedes se abiecit, rogavitque ut in medio itineris tramite suam confessionem exciperet. in qua, sicut ipse narrabat, accusavit quaedam dogmata sua quae a vulgari sensu & Ecclesiae usu differrent, quasi hoc modo vellet os obstruere Sacerdoti ne quod ab ipso in praedicto familiari colloquio de illis acceperat alteri cuiquam detegere privatim posset, vel multo minus, publice declarare auderet. Nec id utique sine risu effusissimo referebat, ut in eodem ejus processu continetur. O bellum Ecclesiae reformatorem!

ARTICULUS I. 49

Utrum satisfactio sit virtus, vel actus virtutis.

S. Thom. IV. dist. xv. quest. 1. art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod satisfactio neque sit virtus, neque actus virtutis. Omnis enim virtutis actus est meritorius. Sed satisfactio non est meritoria, ut videtur: quia meritum gratuitum est; sed satisfactio debitum attendit. Ergo satisfactio non est actus virtutis.

2. Præterea. Omnis actus virtutis est voluntarius. Sed aliquando fit satisfactio de aliquo, homine invito; ut quando aliquis pro offensa in alterum commissa a iudice punitur. Ergo satisfactio non est virtutis actus.

3. Præterea. Secundum Philosophum in VIII. Ethic. (1) *in virtute moris principale est electio*. Sed satisfactio non fit per electionem; sed respicit principaliter exteriora opera. Ergo non est virtutis actus.

Sed contra. Satisfactio ad poenitentiam pertinet. Sed poenitentia est virtus. Ergo & satisfactio est actus virtutis.

Præterea. Nullus actus operatur ad deletionem peccati, nisi sit actus virtutis: quia contrarium destruitur per suum contrarium. Sed per satisfactionem peccatum totaliter annihilatur. Ergo satisfactio est virtutis actus.

Respondeo dicendum, quod aliquis actus dicitur esse actus virtutis dupliciter. Uno modo materialiter: (2) & sic quilibet actus qui malitiam non habet implicitam, vel defectum debite circumstantiæ, actus virtutis dici potest: quia quolibet tali actu potest uti virtus in suum finem, sicut est ambulare,

Summ. S. Th. Tom. XIII.

loqui, & huiusmodi. Alio modo dicitur actus aliquis esse actus virtutis formaliter, quia ipse in suo nomine formam, & rationem virtutis implicitam habet; sicut fortiter sustinere dicitur actus fortitudinis. Formale autem cuiuslibet virtutis moralis est ratio medii. Unde omnis actus qui rationem medii importat, actus virtutis formaliter dicitur. Et quia æqualitas medium est, (3) quod suo nomine satisfactio importat (non enim dicitur aliquid satisfieri nisi secundum proportionem æqualitatis ad aliquid) constat quod satisfactio etiam formaliter est actus virtutis.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis satisfacere in se fit debitum; tamen in quantum satisfaciens voluntarie hoc opus exequitur, rationem gratuiti accipit ex parte operantis; & sic operans facit de necessitate virtutem: ex hoc enim debitum diminuere habet meritum, quod necessitatem importat, quæ voluntati contrariatur: (4) unde si voluntas necessitati consentiat, ratio meriti non tollitur.

Ad secundum dicendum, quod actus virtutis non requirit voluntarium in eo qui patitur, sed in eo qui facit, quia illius actus est. Et ideo cum ille in quem iudex vindictam exercet, se habeat ut patiens ad satisfactionem, non ut agens, non oportet quod in eo voluntaria sit satisfactio, sed in iudice faciente.

Ad tertium dicendum, quod principale in virtute potest accipi dupliciter. Uno modo principale in ipsa accipi potest, in quantum est virtus: & sic ea quæ ad rationem ejus pertinent, vel magis ei propinqua sunt, principaliora sunt in virtute: & sic electio, & interiores actus in virtute, in quantum virtus est, principaliores sunt. Alio modo potest acci-

Ⓞ

(1) Ut cap. 15. græcolat. vel cap. 13. in antiquis & apud S. Thomam lect. 13. videre est: Nec dissimili sensu dicit lib. 3. cap. 4. græco-lat. vel in antiquis cap. 5. & apud I. Thomam lect. 5. quod electio est maxime familiaris & propria virtuti, magisque morum quam actiones ipsæ indicativa esse possunt.

(2) Hoc est, ut possit esse materia virtutis, licet per se ac secundum se sit indifferens ad virtutem; ut in exemplis hic adjunctis manifestum est.

(3) Inter excessum & defectum, ut in 2. lib. Ethicorum cap. 5. græco-lat. vel in antiquis cap. 6. & apud S. Thomam lect. 6. ex professo dicitur ad propriam & veram justitiæ conditionem explicandam.

(4) Qualis est non moralis præcisè, sed physica

dumtaxat necessitas. Moralis enim necessitas vel obligationis impositio (quod idem est) voluntatem quidem ad aliquid faciendum astringit, ut non possit hoc omittere vel aliud facere contrarium, quin peccet: sed liberam physice voluntatem relinquit ut faciat vel non faciat, prout ad unam partem vel ad aliam inclinatur: unde non potest dici simpliciter contrariari voluntati: Physica vero necessitas ita astringit voluntatem ut nec aliud facere possit quam id quod necessitatur in præsentem, nec id prætermittere faciendum: Et propterea voluntati contrariatur simpliciter, ac libertatem ejus veram & perfectam omnino tollit quæ in electione posita est; ut suo loco contra Jansenianos Dogmatistas ex manifesta S. Thomæ doctrina ostensum est.

accipi principale in virtute, in quantum est talis virtus: & sic principaliter in ipsa est illud ex quo determinationem accipit actus interior, qui in aliquibus virtutibus determinatur per actus exteriores: quia electio, quæ est communis omnibus virtutibus, ex hoc quod est electio talis actus, efficitur propria hujus virtutis. Et sic actus exteriores in aliquibus virtutibus sunt principaliores; & ita etiam est in satisfactione.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Concilio Florentino & Tridentino, quod satisfactio est actus virtutis. Hoc autem insinuavit Florentino, quando in Decreto Papæ Eugenii IV. determinavit, quod satisfactio est pars, seu actus pœnitentiæ. Item Concilio Tridentino, quando sessio 14. ca. 3. dixit: quod satisfactio est actus pœnitentiæ, & pars pœnitentiæ. Cum enim pœnitentia sit virtus, alioquin a Christo Matth. 3. non præciperetur per ly *pœnitentiam agite*, cum præcepta legis non dentur, nisi de actibus virtutum, ut habetur ex 2. Eschicor. dicente Philosopho, quod legislator intendit facere homines virtuosos, sequitur aperte, quod, qui dicit satisfactionem esse partem, seu actum pœnitentiæ, dicit per hoc, quod satisfactio est actus virtutis. Nec obstat phantasia Lutheri negantis, satisfactionem esse partem pœnitentiæ, & consequenter esse actum virtutis, ut dictum est: quoniam suum dicere damnatum intelligitur a prædictis Conciliis ibi. Unde idem Concilium Tridentinum, eadem sessione damnans Lutherum can. 4. ait: *Si quis negaverit, ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, videlicet, contritionem, confessionem, & satisfactionem, que tres pœnitentiæ partes dicuntur, &c. anathema sit.* Erubescat ergo Lutherus pertinaciæ suæ hæreticæ prædictæ (ut refert Koffensis contra ipsius assertiones, art. 5.) sic jungens: *Vehementer odi & sublatum vellem hoc vocabulum, satisfactio.* Item damnatur illa hæresis a Papa Leone X. in

bullâ contra errores Lutheri: cujus particulam pro damnatione hujus cum aliis erroribus vide *quest. 1. art. append. & 3. par. quest. 68. art. 9.* Vide Koffensem supra contra errorem illum Lutheri mirifice triumphantem, Secundo habes: quomodo per rationem, ostendas, prædicta a Conciliis, pro quanto satisfactionem innuunt esse actum virtutis, merito damnasse errorem ipsum Lutheri: & quomodo eadem, pro tanto & intelligas, & probes, & tuearis. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 50

Utrum satisfactio sit actus justitiæ.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod satisfactio non sit actus justitiæ. Quia satisfactio fit ad hoc quod reconcilietur homo ei quem offendit. Sed reconciliatio, cum sit actus amoris, ad caritatem pertinet. Ergo satisfactio est actus caritatis, & non justitiæ.

2. Præterea. Causæ peccatorum in nobis sunt passiones animæ, quibus ad malum incitatur. Sed justitia, secundum Philosophum (Lib. V. Ethic. cap. 11. & 111.) non est circa passiones, sed operationes. Cum ergo ad satisfactionem pertineat peccatorum causas excidere, ut in littera dicitur (IV. dist. xv.) videtur quod non sit actus justitiæ.

3. Præterea. Cavere in futurum non est actus justitiæ, sed magis prudentiæ, cujus pars ponitur cautela. Sed hoc pertinet ad satisfactionem, quia ipsius est suggestionibus peccatorum aditum non indulgere. Ergo satisfactio non est actus justitiæ.

Sed contra. Nulla virtus attendit rationem debiti nisi justitia. Sed satisfactio honorem debitum Deo impendit, ut Anselmus ait (in Lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. xi. ad fin.) (1) Ergo satisfactio est actus justitiæ.

Præterea. Nulla virtus habet rerum exteriorum adæquationem perficere nisi justitia. Sed hoc fit per satisfactionem, qua constituitur æqualitas emendæ ad offensam præcedentem. Ergo satisfactio est justitiæ actus.

Respondeo dicendum, quod secundum Philosopho-

(1) Sic enim lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 11. *Omnis voluntas rationalis creatura subiecta esse debet voluntati Dei: Hoc est debitum quod Angelus & homo Deo debent: Hic solus est & totus honor quem a nobis exigit Deus: Hunc honorem debitum Deo qui non reddit, auferit Deo quod suum est & Deum exhonorat: Et rursus infra: Sic ergo debet omnis qui peccat, honorem quem rapit Deo solvere: Et hoc est sa-*

satisfactio &c. Quod autem subjungitur ex 5. *Ethicorum*, non sicut prius ad marginem c. 9. sed potius cap. 6. & 7. græco-lat. vel c. 4. & 5. in antiquis & apud S. Thomam lect. 4. & 5. videre est: Et quod sequitur de justitia sui ad alterum vel alterius ad alterum, sumptum est ex eodem etiam libro cap. 9. græco-lat. vel c. 10. in antiquis & apud S. Thomam lect. 10.

losofophum in V. Ethic. (cap. III. & IV.) medium justitiæ accipitur secundum adæquationem rei ad rem in proportionalitate aliqua. Unde cum talem adæquationem ipsum nomen satisfactionis importet, quia hoc adverbium *satis* æqualitatem proportionis designat, constat quod satisfactio formaliter justitiæ actus est. Sed justitiæ actus secundum Philosophum (Lib. V. Ethic. cap. II. & IV.) est vel sui ad alterum, ut quando aliquis reddit alteri quod ei debet; vel alterius ad alterum, sicut quando iudex facit justitiæ inter duos. Quando autem est actus justitiæ sui ad alterum, æqualitas in ipso faciente constituitur; quando autem alterius ad alterum, æqualitas constituitur injustum passo. Et quia satisfactio æqualitatem in ipso faciente exprimit, ideo dicit actum justitiæ, qui est sui ad alterum, proprie loquendo. Sed sui ad alterum potest aliquis facere justitiæ vel in actionibus, & passionibus, vel in rebus exterioribus; sicut etiam injuria fit alteri vel subtrahendo res, vel per aliquam actionem lædendo. Et quia usus rerum exteriorum est dare, ideo actus justitiæ, secundum quod æqualitatem in rebus exterioribus constituit, proprie dicit hoc quod est reddere; sed satisfacere manifeste æqualitatem in actionibus demonstrat, quamvis quandoque unum pro alio ponatur. Et quia adæquatio non est nisi inæqualium, ideo satisfactio inæqualitatem actionum præsupponit, (1) quæ quidem offensam constituit: & ideo habet respectum (2) ad offensam præcedentem. Nulla autem pars justitiæ respicit offensam præcedentem, nisi justitia vindicativa, quæ æqualitatem constituit in eo qui injustum patitur, indifferenter; (3) sive sit patiens idem quod agens, (ut quando aliquis sibi ipsi poenam infert;) sive non sit idem quod agens, ut quando iudex alium punit, ad utrumque vindicativa justitia se habente. Similiter & poenitentia, quæ æqualitatem tantum in faciente importat, quia ipsemet poenitens poenam tenet; ut sic quodammodo poenitentia vindicativæ justitiæ species sit. Et per hoc constat quod satisfactio, quæ æqualitatem re-

specu offensæ præcedentis in faciente importat, opus justitiæ est quantum ad illam partem quæ poenitentia dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod (4) satisfactio, ut ex dictis patet (in corp.) est quadam injuriæ illatæ recompensatio. Unde sicut injuria illata immediate ad inæqualitatem justitiæ pertingebat, & per consequens ad inæqualitatem amicitie oppositam; ita & satisfactio directe ad æqualitatem justitiæ perducit, & ad æqualitatem amicitie ex consequenti. Et quia actus aliquis elicitive ab illo habitu procedit ad cuius finem immediate ordinatur, imperative autem ab illo ad cuius finem ultimo tendit, ideo satisfactio elicitive est a justitia, sed imperative a caritate.

Ad secundum dicendum, quod quamvis justitia sit principaliter circa operationes, tamen etiam ex consequenti est circa passiones; in quantum sunt operationum causæ. Quare sicut justitia cohibet iram, ne alteri læsionem injuste inferat, & concupiscentiam, ne ad alienum thorum accedat; sic etiam satisfactio potest peccatorum causas excidere.

Ad tertium dicendum, quod quælibet virtus moralis participat actum prudentiæ, eo quod formaliter ipsa complet in eis rationem virtutis, cum secundum eam medium accipiat in singulis virtutibus moralibus, ut patet per definitionem virtutis positam in II. Ethic. (cap. II. VI.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam a sacris literis, a Conciliis, a summis Pontificibus, quod satisfactio est actus justitiæ vindicativæ, seu actus justitiæ quoad illam partem, quæ poenitentia dicitur. A sacris literis, Matth. 3. *Facite fructus dignos poenitentia.* Hoc est. Vestras satisfactiones facite, ut ad æqualitatem proportionaliter præcedentium offensarum, de quibus jam vos poenituit, fiant. Quis non videat, per hoc aperte in sensu dici, quod satisfactiones ad justitiam pertinent? Lege corporis articuli prin-

O 2 ci

(1) Ut ad æqualitatem reducatur.
 (2) Supple satisfactio quæ non nisi propter offensam exigitur, ut supra.
 (3) Vel poeniori constructione, *indifferenter æqualitatem constituit in eo* &c. Ut sit sensus quod sine discrimine, vel ejus qui est simul & agens & patiens, vel ejus qui est patiens tantum, constituit æqualitatem illam in alterutro, sive tam in uno quam in altero &c.
 (4) Secundum illam Tertulliani sententiam lib. de

poenitentia cum de satisfactione agit: *Hoc pretio Dominus veniam addicere instituit; hac poenitentia compensatione redimendam proponit impunitatem*: id est liberationem a poenis quas in futura vita merebatur; sicut & Ambrosius ad virginem lapsam cap. 8. dixit *Panas gehennæ perpetuus in hoc parvo vitæ spatio compensari*: Et Eusebius Emyssenus (vel Eucherius Lugdunensis) loquens de Saul (homil. 5. ad monachos) *non compensabas magnitudinem criminis tanta humiliatio supplicantis.*

aprium de medio iustitiæ, & inde, auctoritatem prædictam Evangelii sic innuere, facile colliges. Item Deuteron. 25. *Pro mensura delicti eris & plagarum modus.* Item Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Audis æqualitatem? Infer iustitiam. Item 1. Corinth. 11. *Si nos ipsos iudicaremus non uique iudicaremur.* Iudicium est actus iustitiæ, 2. 2. qu. 60. a. 1. & Apostolus satisfactiones hic vocat iudicia, ergo per hoc manifeste docet, satisfactionem esse actum iustitiæ. Item Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem.* Hoc est. Unusquisque, quot in se habuit oblectamenta, tot de se inueniat holocausta. Convertat ad virtutum numerum, numerum criminum: ut totum seruiat Deo in pœnitentia, quicquid ex se Deum contempserit in culpa. Vide ergo satisfactionem, secundum Apostolum esse actum iustitiæ. Item Psal. 118. *Feci iudicium, & iustitiam, non trahas me calumniantibus me.* Quid autem intelligat per iustitiam, declarauerat jam in Pl. 6. dicens: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Quod exponens Chrysostr. Hom. 41. de pœnitentia, dicit: *Olim peccatum peccatum, post tot annos, post tot generationes, quasi nuper accidisset, lugebat. Pœnitentem irasci non oportet, neque seruire, tanquam condemnatum, tanquam non habentem fiduciam, tanquam iudicatum reum, tanquam ex sola saluari misericordia debentem, tanquam ingratum erga benefactorem redargutum in iudicium, & reprobum, tanquam innumeris dignum suppliciis. Si hæc cogitet: non indignabitur, sed lugebit, flebit, gemit, & conqueretur nocte, ac die. Pœnitentem nunquam oportet oblivioni peccatum tradere: sed Deum quidem rogare, ne ejus meminerit: ipsum vero nunquam ipsius obliuisci. Si nos ejus non recordemur, Deus ipse non obliuiscetur, si nos ejus meminerimus, Deus obliuiscetur. A nobis ultionem sumamus, nos ipsos accusemus, ita placabimus iudicem.* Hæc ille. Ubi si notaveris ly ultionem, ly accusemus, dices, quod secundum Psalmistam ab eo interpretatum satisfactio est actus iustitiæ. A Conciliis item id ipsum in principio append. insinuat. Item Nam Concil. Trident. sess. 14. ca. 8. *Habeant sacerdotes Domini præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.* Hæc ibi, Ecce, quod actum

iustitiæ vindicativæ, & respectu præcedentis offensæ, esse satisfactionem, habes ex Concilio. Item octava Synodus, & recitatur 26. q. 7. *Affectum illum in se recipias penitens, quem gerebat ille, qui dicebas: iniquitatem odio habui, & abominatus sum, &c. vel secundum ea, quæ Apostolus dixit ad eos, qui secundum Deum contristati sunt. Quansum (inquit) in nobis operatus est sollicitudinem, sed accusationem, sed indignationem, sed amulationem, sed vindictam, &c.* Hæc ibi. Item eadem Synodus octava, & recitatur 26. qu. 7. *Ergo eum, qui peccatum non punit, tales esse debemus, sicut Dominus præcepit, dicens: sit tibi, sicut ethnicus; & sicut Apostolus docuit, dicens: subtrahite vos ab omni fratre ambulante inordinato, & secundum traditionem, quam tradidimus vobis.* Hæc ibi. Ubi ad propositum nota ly ponit. Item Concilium Aquense, cap. 1. sic: *Apostolus inquit, si nos ipsos iudicauerimus, a Domino non iudicabimur. Hæc est vindicta, quam (inspirante Deo) omnis peccator pro suis admissis pœnitendo in seipso vindicat.* Hæc ibi. A summis etiam Pontificibus idem in principio appendicis dictum insinuat. Leo enim I. sic ait: *Oportet, unumquemque christianum conscientia sua habere iudicium, ne conuersi ad Dominum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vitæ suæ constituat, quem periculose ignorantia humana concludit, ut ad peccatorum horarum se referret incertum: & cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vitæ inueniat spatium, vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis.* Hæc ille in epistola ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, & est 89. in ordine, tom. 1. Conciliorum. Ubi nota ad propositum ly iudicium: quod scilicet de satisfactione loqui volens, ipsam ad iudicium, consequenter ad iustitiam conscientia, pertinere affirmat. Item Gregorius I. epist. ad Secundinum, sic: *A capite itaque incipientes us ad quantum altaris ministrum banc formam seruandam cognoscimus, ut, sicut minorum major præcedit in honore, ita & in crimine, & quem major sequitur culpa, majori placeatur vindicta, quæ post pœnitentiam credatur esse fructuosa.* Hæc ibi, Ubi satisfactionem vocat vindictam: & vindictam ipsam pro majori delicto maiorem fore determinat. Item Innocentius III. Livon. Episcopo, & eis, qui cum ipso sunt, fratribus, ait: *Pœnitentia non tam secundum quantitatem excessus, quam penitentis contritionem, per discreti sacerdotis arbitrium est moderanda.* Hæc ibi. Ubi idem

Idem apparet per hanc secundum quantitatem delicti. Unde etiam patet, quod in satisfactione computatur contritionis magnitudo, ut iustitiae actus conservetur, quod annotatum est supra ante probat. conclus. Secundo habes: quomodo praedicta Scripturarum, Conciliorum, Romanorum Pontificum, pro quanto satisfactionem esse iustitiae vindictivae actum insinuant, & declares, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 51

Utrum definitio satisfactionis in littera convenienter ponatur.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod definitio satisfactionis in littera (IV. dist. xv.) inconvenienter ponatur ab Augustino dicente (in Lib. de ecclesiast. dogmat. cap. lii.) quod *satisfactio est peccatorum causas excidere, & eorum suggestionibus aditum non indulgere.* (1) Causa enim actualis peccati sines est. Sed in hac vita non possumus fomitem excidere. Ergo satisfactio non est peccatorum causas excidere.

2. Praeterea. Causa peccati est fortior quam peccatum. Sed homo per se non potest peccatum excidere. Ergo multo minus causas peccati: & sic idem quod prius.

3. Praeterea. Satisfactio, cum sit pars poenitentiae, praeteritum respicit, non futurum. Sed non indulgere aditum suggestionibus peccatorum (2) respicit futurum. Ergo non debet poni in definitione satisfactionis.

4. Praeterea. Satisfactio dicitur respectu offensae praeteritae. Sed de offensa praecedenti nulla fit mentio. Ergo inconvenienter assignatur definitio satisfactionis.

5. Praeterea. Anselmus ponit aliam definitionem in Lib. I. *Cur Deus homo* (cap. xi. ad fi.) scilicet: *Satisfactio est honorem debitum Deo impendere:* in qua nulla fit mentio horum quae Augustinus (Gennadius) hic ponit. Ergo altera earum videtur esse incompetens.

6. Praeterea. Honorem debitum potest innocens impendere. Sed satisfacere non competit innocenti. Ergo definitio Anselmi est male assignata.

Respondeo dicendum, quod iustitia non ad hoc tantum tendit ut inaequalitatem praecedentem auferat, puniendo culpam praeteritam, sed etiam ut in futurum aequalitatem custodiat: quia secundum Philosophum in II. Ethicor. (cap. iii. a princ.) *paenae medicinae sunt.* (3) Unde & satisfactio, quae est iustitiae actus poenam inferentis, est medicina curans peccata praeterita, & preservans a futuris. Et ideo quando homo homini satisfacit, & praeterita recompenfat, & a futuris cavet. Et secundum hoc dupliciter potest satisfactio defini. Uno modo respectu culpae praeteritae, quam recompenfando curat: & sic dicitur, quod satisfactio est illatae injuriae recompenfatio secundum iustitiae aequalitatem: & in idem redit definitio Anselmi, qui dicit, quod *satisfacere est honorem debitum Deo impendere*, ut consideretur debitum ratione culpae commissae. (4) Alio modo potest defini, secundum quod preservat a culpa futura: & sic definit eam hic Augustinus (Gennadius.) Praeservatio autem a morbo corporali fit per ablationem causarum quibus morbus consequi potest: eis enim ablatis, non potest morbus sequi. Sed in morbo spirituali non est ita: quia liberum arbitrium non cogitur: (5) unde (*) causis etiam praesentibus potest vitari, quamvis difficulter, & causis amo-

(1) Vel nec earum suggestionibus aditum indulgere (supple causarum) ut etiam refertur in Decretis dist. 3. de poenitentia cap. Satisfactio sub eodem nomine Augustini libro de ecclesiasticis dogmatibus cap. 54. sed Gennadii Massiliensis esse iam notavimus.

(2) Sive causarum peccatorum, ut iam immediate notatum est: Sunt enim illae quae peccatum suggerunt perpetrandum. Ac proinde in definitione supra dicta, earum non eorum originalis textus legit; & sic suggestiones non passive intelligendae sunt sed active; id est non prout cadunt in peccata quae suggeruntur, sed potius in causas quae suggerunt. Nec dissimilis definitio Isidori lib. 6. Etymol. vel originum tit. de officiis ubi sic ait: *Satisfactio est causas peccatorum & suggestiones excidere, ac peccatum*

ultra non iterare.

(3) Ut cap. 2. graecolat. vel cap. 3. in antiquis & apud S. Thomam lect. 3. videre est; ubi virtutem circa voluptatem doloremque versari probat ex indicio punitionum quae per dolores adhibentur, quia medicamentosa quaedam sunt, medicamentosa vero per contraria fiunt.

(4) Sicut Anselmus ipse significat, cum ait post praedicta: *Hac est satisfactio quam omnis peccator debet Deo facere.*

(5) Ita edis. Patav. cum antiquis praeter vocem etiam, quae ab iis omittitur, Nicolaus causis praecedentibus.

(5) Utiq; nec ex parte subjecti quantum ad violentiam coactionem; nec ex parte objecti quoad necessitatem.

amotis potest incitari. Et ideo in satisfactionis definitione duo ponit, scilicet excisionem causarum quantum ad primum, & renitentiam liberi arbitrii ad ipsum peccatum quantum ad secundum.

Ad primum ergo dicendum, quod accipiendæ sunt causæ proximæ peccati actualis, quæ sunt duplices; scilicet interiores, ut libido ex consuetudine, vel acta peccati relicta, & ea quæ dicuntur reliquiæ peccati; quædam vero sunt exteriores, ut exteriores occasiones ad peccandum, scilicet locus, mala societas, & hujusmodi. Et tales causæ in hac vita per satisfactionem tolluntur; quamvis fomes, qui est causa remota peccati actualis, non tollatur totaliter in hac vita per satisfactionem, etsi debilitetur. (1)

Ad secundum dicendum, quod quia causa mali, vel privationis eo modo quo causam habet, non est nisi bonum deficiens; bonum autem facilius tollitur quam constituatur: ideo facilius est causas privationis, & mali excidere quam ipsum malum remove, quod non removetur nisi per constructionem boni, ut patet in cæcitate, & causis ejus.

Et tamen causæ peccati prædictæ non sunt sufficientes causæ, cum ex eis non de necessitate sequatur peccatum; sed sunt occasiones quædam. Nec iterum satisfactio sine Dei auxilio fit, quia sine caritate esse non potest, ut dicitur (quæst. xiv. art. 2.)

Ad tertium dicendum, quod quamvis pœnitentia ex prima sui institutione, sive intentione respiciat præteritum; tamen etiam ex consequenti futurum respicit, inquantum est medicina præservans: & sic etiam satisfactio.

Ad quartum dicendum, quod Augustinus (Gennadius) definit satisfactionem, secundum quod fit Deo; cui secundum rei veritatem nihil subtrahi potest, quamvis peccator, quantum in se est, aliquid subtrahat. Et ideo in satisfactione tali principaliter requiritur emendatio in futurum, quam recompensatio præteritorum: (2) & propter hoc in parte ista Augustinus (Gennadius) definit satisfactionem. Nihilominus tamen ex cautela futurorum cognosci potest recompensatio præteritorum, quæ fit circa eadem converso modo. (*) In præterita enim respicientes, causas peccatorum propter peccata detestamur, a peccatis incipientes detestationis motum; sed in cautela a causis incipimus, ut causis subtractis, facilius peccata vitemus.

Ad quintum dicendum, quod non est inconveniens quod de eodem dentur diversæ assignationes secundum diversa quæ in ipso inveniuntur: & sic est in proposito, ut ex dictis patet (in corp.)

Ad sextum dicendum, quod intelligitur debitum, quod debemus Deo ratione culpæ commissæ: quia debitum pœnitentia respicit, ut prius dictum est (art. præc.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri*, ut refert *Leo Papa Decimus* in bulla contra illius errores dicentis: optima pœnitentia est nova vita. Ubi per novam vitam intelligit abstinere a peccatis, & virtutes assequi; non autem cointelligit recompensationem justam ratione culpæ præteritæ. Contra hunc, inquam, interimendum habes ex *artic.* non tantum rationem, sed *Anselmi* definitionem. Contra quem & habuisse recordaberis articulum secundum præcedentem. Secundo habes: quomodo per rationem articuli, & hujus, & præcedentis ostendas, hæresim prædictam merito damnatam fuisse a Concil. *Trid.* sess. 14. cap. 8. sic: *Nemo unquam catholicus sensit, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti, & satisfactionis Domini nostri Jesu Christi, vel obscurari, vel aliqua ex parte immitti, quod, dum Novatores intelligere volunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent*

essitatem qualemcunque qua constringatur ad agendum vel qua impediatur ab agendo; sicut explicat ipse lib. 2. Sent. dist. 25. quæst. 1. art. 2. expressis verbis quæ ibi contra Jansenianæ perfidie abusum discussimus.

(1) Cum nec tollatur prorsus per baptismum, sed ad agonem vel ad pugnam in baptizatis relinquatur; ut Concilium Tridentinum definit Sess. 5. Can. 5. Tolli autem prædicta sic ex eodem Concilio Sess. 14. cap. 8. colligitur: *Proculdubio magnanimitate a peccato revocant & quasi freno quodam coercens he sa-*

atisfactoria pane, cautionsque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; moventur quoque peccatorum reliquiis. & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt

(2) Hinc in Decretis dist. 3. de pœnitentia cap. *Pœnitentes* ex libro 5. homiliarum homil. 41. *Si se pœnitent, cur facis quod jam male fecisti? Si fecisse pœnitent, noli facere: Si adhuc facis, non es pœnitens.*

(*) Alii. In præterito,

cent, ut omnem satisfactionis vim, & usum tollant. Hæc ibi. Et Can. 13. Si quis dixerit, pro peccatis, quoad penam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri panis ab eo inflicti, & patienter toleratis, vel a sacerdotibus injunctis, &c. atque ideo optimam penitentiam esse tantum novam vitam: Anathema sit. Hæc ibi. Item, merito damnatam a Leone in prædicta bulla, cujus damnationis particulam vide quæst. 1. art. 1. append. & 3. par. quæst. 68. art. 9. Item a scripturis Luc. 15. gaudium est Angelis Dei super uno peccatore penitentiam agente, quam super 99. justis, qui non indigent penitentia. Quid contra Novatores illos clarius, cum justii ipsi indigeant nova vita, ut patet, saltem, perseverando, & non indigeant penitentia? Ergo penitentia addit ad novam vitam. Tertio habes: quomodo per rationem, definitionemque Augustini, interim hæreses Almarici, ut refert Cardinalis Turrecremata, de Eccle. lib. 4. par. 2. cap. 35. & Direct. Inq. 2. par. qu. 7. dicentis, quod in charitate confituito nullum peccatum imputabitur: item, quasi declarantis prædictum dogma, quod, quæcumque supra, adulteria, &c. ex charitate carnaliter committuntur, non sunt peccatum: ex quo & alia hæresis ab eodem parturiebatur de charitate ficta, dicente, quod mulieres non peccabant commiscendo carnaliter, dummodo ex charitate id agerent. Et ejusdem fere tenoris erat hæresis Begardorum, & Beguinarum (Præf. Begardi) garrimentum, quod, cum ad statum quandam perfectionis homo pervenerit, tunc sensualitas est ita perfectæ spiritui, & rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere, quicquid placet. Concordant namque errantes hi omnes in hoc, quod non opus est cavere a peccatis excidendo causas illorum, ut considerantibus propositiones ipsorum adductas, quidnam pariant, facile patere potest. Contra hos ergo pugnat articulus præfens, in quantum dicit, quod homini jam indulgentiam de peccatis consecuto, & pro illorum pœna satisfaciendi, excidendæ sunt causæ peccatorum, &c. nimirum, quia talis homo, etiam in gratia constitutus potest cadere in peccatum sibi imputandum, & quia sensualitati suæ non est licitum libere concedere, quicquid placuerit. Quarto habes: quomodo ostendas per rationem, esse merito damnatum prædictum errorem Almarici ab Innocentio III. in Concilio generali Lateranens. c. 2. in fine sic: Reprobamus etiam, & damnamus perverissimum dogma impii Almarici, cujus mentem sic

pater mendacii excacavit, & ejus doctrina non tam hæretica censenda sit, quam insana. Hæc ibi. ubi, licet Pontifex Romanus singulariter loquatur, tamen sub singulari illo totam Almarici doctrinam, & omne dogma condemnare intendit: ut fufius declarat Franciscus Pegna in scholiis suis super Direct. Inq. in parte illa, ubi recensetur ista definitio Innocentii. Item merito esse damnatum errorem Begardorum, & Beguinarum a Clemente V. Papa in Concil. Viennen. ut habetur in Clement. de Hæretic. cap. Ad nostrum. Ibi enim narratis octo erroribus illorum simul cum isto in fine concluditur sic. Sacro approbante Concilio secliam ipsam, Begardorum, & Beguinarum sc. cum præmissis erroribus damnamus, & reprobamus omnino. Quinto vides: quomodo &c.

QUESTIO XIII.

De Satisfactionis possibilitate.

In duos articulos divisa.

DEinde considerandum est de possibilitate satisfactionis.

Circa quod duo queruntur.

Primo, utrum homo possit Deo satisfacere.

Secundo, utrum aliquis pro alio satisfacere possit.

ARTICULUS I. 52

Utrum homo possit Deo satisfacere.

AD primum sic proceditur. Videtur quod homo non possit Deo satisfacere. Satisfactio enim debet æquari offensæ, ut ex dictis patet (quæst. præc. art. 2. & 3.) Sed offensæ in Deum commissa est infinita: quia quantitatem recipit ab eo in quem committitur; cum plus offendat qui Principem percutit quam alium quemquam. Cum ergo actio hominis non possit esse infinita, videtur quod homo Deo satisfacere non possit.

2. Præterea. Servus, quia totum quod habet, domini est, non potest pro aliquo debito recompensare. Sed nos servi Dei sumus, & quicquid boni habemus, ab ipso habemus. Cum ergo satisfactio sit recompensatio offensæ præteritæ, videtur quod Deo satisfacere non possimus.

3. Præterea. Ille cujus totum quod habet, non sufficit ad unum debitum exolvendum,

dum, non potest pro alio debito satisfacere. Sed quicquid homo est, & potest, & habet non sufficit ad solvendum debitum pro beneficio creationis: unde Isa. xl. 16. dicitur, quod *ligna Libani non sufficiunt ad holocaustum* (1). Ergo nullo modo potest satisfacere pro debito offensæ commissæ.

4. Præterea. Homo totum tempus suum debet in Dei servitium expendere. Sed tempus amissum non potest recuperari: propterea quod nihil est gravius iactura temporis, ut Seneca dicit (implic. Lib. I. epist. 1.) Ergo non potest homo recompensationem Deo facere: & sic idem quod prius.

5. Præterea. Peccatum actuale mortale est gravius quam originale. Sed pro originali nemo potuit satisfacere, nisi Deus, & homo esset. Ergo neque pro actuali.

Sed contra. Sicut Hieronymus dicit (Pelagius in exposit. fidei ad Damas. ad fi.) *qui dicit Deum aliquid impossibile homini præcipisse, anathema sit*. Sed satisfactio est in præcepto: Luc. 111. 18. *Facite dignos fructus penitentia*. Ergo possibile est Deo satisfacere.

Præterea. Deus est magis misericors quam aliquis homo. Sed homini est possibile satisfacere. Ergo & Deo.

Præterea. Satisfactio est, cum poena culpæ æquatur: quia iustitia est idem quod contrapassum. ut Pythagorici dixerunt. Sed contingit æqualem poenam assumere delectationi quæ fuit peccando. Ergo contingit Deo satisfacere.

Respondeo dicendum, quod homo Deo dupliciter debitor efficitur: uno modo ratione beneficii accepti; alio modo ratione peccati commissi (*). Et sicut gratiarum actio, vel latria, vel si quid est aliquid huiusmodi, respicit debitum accepti beneficii; ita satisfactio respicit debitum peccati commissi. In his autem honoribus qui sunt ad parentes, & Deum, etiam secundum Philosophum (Lib.

VIII. Ethic. sub fin. Lib.) impossibile est æquivalens reddere secundum quantitatem; sed sufficit ut homo reddat quod potest: quia amicitia non exigit æquivalens, sed quod possibile est: & hoc etiam est æquale æqualiter, scilicet secundum proportionalitatem: quia sicut se habet hoc quod Deo est debitum, ad ipsum Deum, ita hoc quod iste potest reddere ad ipsum: & sic aliquo modo forma iustitiæ conservatur. Et similiter est ex parte satisfactio. Unde non potest homo Deo satisfacere, si ly satis æqualitatem quantitatis importet; contingit autem, si importet æqualitatem proportionis, ut dictum est (hic sup.) & hoc sicut sufficit ad rationem iustitiæ, ita sufficit ad rationem satisfactio.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut offensa habuit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ Majestatis; ita etiam satisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate divinæ misericordię, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur quod homo reddere potest.

Quidam tamen dicunt, quod habet infinitatem ex parte averſionis; & sic gratis dimittitur: sed ex parte conversionis finita est; & sic pro ea satisfieri potest. Sed hoc nihil est: quia satisfactio non respondet peccato, nisi secundum quod est offensa Dei; quod non habet ex parte conversionis, sed solum ex parte averſionis.

Alii vero dicunt, quod etiam quantum ad averſionem pro peccato satisfieri potest virtute meriti Christi, quod quodammodo infinitum fuit. Et hoc idem redit quod prius dictum est: quia per fidem Mediatoris gratia data credentibus est. Si tamen alio modo gratiam daret, sufficeret satisfactio per modum prædictum.

Ad secundum dicendum, quod homo, qui ad imaginem Dei factus est, aliquid libertatis participat, in quantum est dominus suorum actuum

(1) Vel sic potius vers. 16. *Et Libanus non sufficit ad succendendum, & animalia ejus non sufficiunt ad holocaustum*, ligna enim in holocaustum non offeruntur, sed adhibentur ad holocaustum incendenda. Utrumque tamen Hieronymus conjungit ibi quod *omnia ligna Libani & armenta qua in eo pascuntur, sufficere nequeant holocaustis*: Etsi diverso sensu quod alia non sufficiant ad offerendum, alia vero ad incendendas oblationes. Quod autem Hieronymi nomine argum. *Sed contra* subiungitur, & sic alibi sæpe citat S. Thomas, ac nominatim 1. 2. quæst. 106. art. 4. circumferrique olim velut ex Hieronymo confueverat ac fidei expositio ad Damasum directa prænotari, est Pelagii opus Catholicum fingentis ut errorum suorum ac hæresum damnationem

declinaret, in ea nempe quam ad Innocentium primum adhuc ut putabat viventem scripsit epistola & quæ subinde ad Zozyum Innocentij successorem immediatum perlata est. Inde factum ut Hieronymo ab ineautis tribueretur, quia nihil non catholicum primo aspectu continebat; etsi aliquid in eadem notavit Augustinus quo sub ambiguitate verborum se fallaciter occultaret: Sed hæc jam expressius 1. 2. ubi supra. Senecæ porro dictum quod præmittitur argum. 4. paulo aliter apud illum habetur epist. 1. quam Lucilio scribit: *Quædam tempora (inquit) eripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt: Turpissima tamen est iactura qua per negligentiam venis &c.*

(*) In exemplari an. 1486. desunt sequentia usque ad verba In his autem.

actum per liberam arbitrium : & ideo ex hoc quod per liberam arbitrium agit Deo satisfacere potest : quia quamvis Dei sit, prout a Deo est sibi commissum ; tamen libere ei traditum est, ut ejus dominus sit (1) : quod servo non competit.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa concludit, quod Deo æquivalens satisfactio fieri non possit, non autem quod non possit sibi sufficiens fieri. Quamvis enim posse suum homo Deo debeat ; non tamen ab eo exigitur de necessitate salutis ut totum quod possit faciat : quia hoc est ei impossibile secundum statum præsentis vitæ, ut totum posset suum in aliquid unum expendat ; cum oporteat eum circa multa esse sollicitum : sed est quædam mensura homini adhibita, quæ ab eo requiritur, scilicet impletio mandatorum Dei ; & super ea potest aliquid erogare, ut satisfaciatur.

Ad quartum dicendum, quod quamvis homo non possit tempus præteritum recuperare, potest tamen in futuro recompenfare illud quod in præterito facere debuisset : quia non debuit debito præcepti totum quod potuit, ut dictum est (in solut. præc.)

Ad quintum dicendum, quod originale peccatum, etsi minus habeat de ratione peccati quam actuale ; tamen est gravius malum ; quia est ipsius humanæ naturæ infectio : & ideo per unius hominis puri satisfactionem expiari non potuit, sicut actuale.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas errorem quorundam, ut habetur ex Concilio infra assignando, dicentium hominem Deo offenso satisfacere non posse. Et est *Lutheri*, ut elicitur ex Rosenst. contra illud art. 5. dicentis, *hoc vocabulum satisfactio, quod odi, periculosum habes sensum, quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere.* Secundo habes : quomodo per rationem ostendas, merito illum errorem *Summ. S. Tb. Tom. XIII.*

damnatum fuisse a Concilio Tridentino sess. 14. ca. 8. sic. *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est conformes efformamur : certissimam quoque inde arbam habentes, quod, si compatimur, & conglorificabimur. Neque vero ista nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum. Nam, ut cu nobis, nihil possumus, eo autem cooperante, qui nos confortat, omnia possumus ; ita non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est : in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos penitentiæ, qui ex illo vici habent, ab illo offerantur Patri, & per illum acceptantur a Patre. Hæc ibi. Ecce quod sufficiens est nostra satisfactio, secundum Concilium, & consequenter secundum illud damnantur hi, qui hominem Deo satisfacere non posse dicunt. Ex his Concilii dictis gravissimis sumas articuli declarationem ; ut supra in not. post ad primum monitus es. Rursus : Canone decimotertio, contra errorem illum. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad penam temporalem, minime Deo per Christi meritum satisfieri partem ab eo infirmitas, & patienter toleratis : vel a sacerdote injunctis, &c. Anathema sit.* Hæc ibi. Item merito damnatum a scripturis Jonæ tertio, & crediderunt viri Ninivæ in Domino. & predicaverunt jejunia, & vestiti sunt sacis &c. Et vidit Deus opera eorum, qui conversi sunt de via sua mala, & miseratus est super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit. Item tertio Reg. 21. Itaque, cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit vilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit, dimisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam Tesbitom dicens. Nonne vidisti humilitatem Achab coram me ? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. Item 2. Paralip. 33. Quis Manasses, postquam coangustatus est, oravit ad Deum.*

(1) Et ita quidem ut hujusmodi pro arbitrio facere possit aut non facere, sicut passim explicat S. Thomas quid sit esse dominum sui actus : puta lib. 2. Sentent. dist. 25. quæst. 1. art. 1. lib. 2. contra Gent. cap. 47. & 48. In questionibus disputatis quæst. 3. de potentia art. 7. ad arg. 12. & 13. Itemque 1. part. quæst. 82. art. 1. ad 3. Præterea quæ jam alibi notata sunt. Non eo sensu Janseniano quo sufficere putant quidam ad dominium sui actus ut homo agat ex principio intrinseco, licet non cum indifferenti

libertate ; sicut desperam ex prædicto contra Genes. 16o loco (non integro sed mutilato) asseruere unus e nostris conatus est. Jansenianum agens non Thomistam, quem in Pantheologia Rayneriana tom. 2. tit. de libero arbitrio cap. 7. de hac fraude convictum ad suam doctrinam S. Thomæ ac veritati repugnandum honorem, cum ad insulsummodi hujusmodi hominum in me calumnias ob impugnatum Jansenianum & Jansenianum retundendas.

*Dominum Deum suum : & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum . Deprecatusque est eum , & obsecravit intente : & exaudivit orationem ejus , reduxitque eum Hierusalem in regnum suum , & cognovit Manasses , quod Dominus ipse esset Deus . Ex his tribus locis scripturarum , aliisque multis hujusmodi , inferas , & a fortiori quidem , quod satisfactoribus a sacerdote injunctis potest homo Deo satisfacere . Si Deus , inquires , pœnitentiam horum , & afflictiones ipsorum sponte susceptas , clementia sua , velut justam pœnæ temporali , quæ eorum sceleribus debebatur , satisfactionem admittit ; ideoque cohibuit flagellum , quod illis digne inferre meditabatur ; multo magis ad satisfactiones hominum a confessariis injunctas ipsemet Deus talia operabitur . Si satisfacere potuerunt Deo operibus prædictis homines illi : multo magis operibus suis pœnitens per confessarium impositis Deo satisfacere poterit . Ratio deductionum harum est : quia satisfactionis opera per confessarium injuncta pluris valent , ut quæ virtute clavium etiam operentur , quam ipsamet sine tali injunctioe sponte suscepta , ut supra *quæst. 6. art. 1. ad 4. & quæst. 8. art. 1. ad 3. & art. 6. ad 3.* Vide Rossensem contra *Lutheri quintum articulum* . Tertio habes : quomodo per rationem prædicta Patrum , aut scripturarum , pro quanto hominem satisfacere posse Deo significant , & de clares , & probes , & defendas . *Quarto* vides : quomodo , &c.*

ARTICULUS II. 53

Utrum unus pro alio possit pœnam satisfactoriam explere .

S. Th. II. dist. xx. quæst. un. art. 2. quæst. 3.

AD secundum sic proceditur . Videtur quod pœnam satisfactoriam non possit unus pro alio explere . Quia ad satisfactionem meritum requiritur . Sed unus pro altero non potest mereri , vel demereri , cum sit scriptum

(Psal. lxi. 12.) *Reddes enim unicuique secundum opera sua .* Ergo unus pro alio non potest satisfacere .

2. Præterea . Satisfactio contra contritionem , & confessionem dividitur . Sed unus pro alio non potest conteri , nec confiteri . Ergo nec satisfacere .

3. Præterea . Unus pro alio orando etiam sibi meretur . Si ergo aliquis pro alio satisfacere potest , satisfaciendo pro alio pro se satisfacit : & ita ab eo qui pro altero satisfacit , non exigitur alia satisfactio pro peccatis propriis .

4. Præterea . Si unus pro alio satisfacere potest , ergo ex quo unus solvit debitum pœnæ , alius statim a debito liberatur . Ergo si moriatur , postquam tota pœna sibi debita ab alio suscepta est , statim evolvabit ; vel si adhuc puniatur , duplex pœna reddetur pro eodem peccato , scilicet illius qui satisfacere incipit , & illius qui punitur in purgatorio .

Sed contra Galat. vi. 2. dicitur : *Alter alterius onera portate .* (1) Ergo videtur quod unus possit onus pœnitentiæ impositæ pro alio portare .

Præterea . Caritas magis potest apud Deum quam apud homines . Sed unus potest apud homines pro alterius amore debitum ejus solvere . Ergo multo fortius hoc in divino iudicio fieri potest ,

Respondeo dicendum , quod pœna satisfactoria est ad duo ordinata , scilicet ad solutionem debiti , & ad medicinam pro peccato . In quantum ergo est ad medicinam sequentis peccati , sic satisfactio unius non prodest alteri : quia ex jejuniis unius caro alterius non domatur ; nec ex actibus unius alius bene agere consuevit , nisi secundum accidens , in quantum scilicet aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ , quæ efficacissimum remedium est ad vitandum peccatum . Sed hoc est per modum meriti magis quam per modum satisfactionis . Sed quantum ad solutionem debiti unus potest pro alio satisfacere , dummodo sit in caritate , ut opera ejus satisfactoria esse possint . Nec oportet quod major pœna imponatur ei qui pro altero satisfacit , quam principali imponeretur ,

(1) Quod sic explicat Hieronymus ibi : *Quia peccatorum onus sit , & Psalmista testatur dicens (Psal. 37.) iniquitates meæ gravatæ sunt super caput meum , quasi onus gravatæ sunt super me : Et Zacharias in specie mulieris (cap. 5.) vidit super talentum plumbi sedere iniquitatem : Hoc onus Salvator pro nobis suis suo exemplo dicens quid facere deberemus &*

ipse quippe iniquitates nostras portat , & pro nobis dicit : Qui ergo fratris non desperat salutem , sed manum porrigit deprecanti , & (quantum in se est) flet cum stente , infirmus est cum infirmo , suaque judicat aliena peccata , iste per charitatem attingit legem Christi .

tur, ut quidam dicunt, hac ratione moti, quod pœna propria magis satisfaciat quam aliena: quia pœna habet vim maxime satisfaciendi ratione caritatis, qua homo ipsam sustinet. Et quia major caritas apparet in hoc quod aliquis pro altero satisfacit, quam si ipse satisfaceret; ideo minor pœna requiritur in eo qui pro alio satisfacit, quam in principali requireretur: unde dicitur in vitis Patrum (1) quod propter caritatem unius qui alterius fratris sui caritate ductus pœnitentiam fecit pro peccato quod non commiserat, alteri peccatum quod commiserat, dimissum est. Nec etiam exigitur quantum ad solutionem debiri quod ille pro quo fit satisfactio, sit impotens ad satisfaciendum: quia etiam si esset potens, alio satisfaciente pro ipso, ipse a debito immunis esset. Sed hoc requiritur, in quantum pœna satisfactoria est in remedium. Unde non est permittendum quod aliquis pro alio pœnitentiam agat, nisi defectus aliquid appareat in pœnitente, vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam pœnam.

Ad primum ergo dicendum, quod primum essentiale redditur secundum dispositionem hominis: quia secundum capacitatem videntium erit plenitudo visionis divinæ. Et ideo sicut unus non disponitur per actum alterius; ita unus alteri non meretur primum essentiale, nisi meritum ejus habeat efficaciam infinitam; sicut Christi, cujus merito solo pueri per baptismum ad vitam æ-

ternam perveniunt. Sed pœna temporalis pro peccato debita post culpæ remissionem non taxatur secundum dispositionem ejus cui debetur: quia quandoque ille qui est melior, habet majoris pœnæ reatum. Et ideo quantum ad pœnæ remissionem unus alteri potest mereri; & actus unius efficitur alterius, caritate mediante, per quam omnes unum sumus in Christo (Galat. 3: 28).

Ad secundum dicendum, quod contritio ordinatur contra culpam, quæ ad dispositionem bonitatis, vel malitiæ hominis pertinet; & ideo per contritionem unus alius a culpæ non liberatur. Similiter per confessionem homo se sacramentis Ecclesiæ subicit. Non autem potest unus sacramentum pro alio accipere: quia in sacramento gratia suscipienti datur, non alii. Et ideo non est similis ratio de satisfactione, contritione, & confessione.

Ad tertium dicendum, quod in solutione debiti attenditur quantitas pœnæ; sed in merito attenditur caritatis radix: & ideo ille qui ex caritate pro alio meretur saltem merito congrui, etiam sibi magis meretur; non autem qui pro alio satisfacit, etiam pro se satisfacit: quia illa quantitas pœnæ non sufficit ad utrumque peccatum: tamen satisfaciendo pro alio sibi meretur aliquid majus quam sit dimissio pœnæ, scilicet vitam æternam.

Ad quartum dicendum, quod si ipsemet ad aliquam pœnam se obligasset, non prius a debito esset immunis (2) quam eam solvisset: & ideo pœnam ipse patietur, quamdiu

P 2 ille

(1) Ut videre est libro 5. cujus innominatus auctor & incertus qui græce tamen scripsit, atque a Pelagio Ecclesiæ Romanæ Cardinali latine redditus est: habetur autem ibi libello 5. qui de fornicatione inscribitur, num. 27. ubi frater innocens qui se tamen fingens fornicatum fuisse, pœnitentiam agit pro alio qui re ipsa fuerat fornicatus. Nec obstat quod ibidem subiungit Apostolus paulo post: *Unusquisque onus suum portabit*: Sicut enim lib. de consensu Evangelistarum cap. 30. ante medium Augustinus interpretatur & ex eodem Beda in Epistolam ad Galatas, nisi oneris nomen sub diversis significationibus accipitur; proculdubio pœnalis eundem sibi in loquendo esse constariunt. Et hoc in una sententia tam vicine positus verbis; qui cum paulo ante diceret Alter alterius onera portare, postea dixit, Unusquisque onus suum portabit: Sed alia sunt onera parsicipanda infirmitatis, illa vedenda rationis Deo de actibus nostris: Illa sum fratribus sustinenda communicantur: Hæc propria ab unoquoque portantur: Et, sensus, est quod quantum ad meritum vel demeritum unusquisque proprium onus portat, & propter suum opus bene vel male fa-

ctum remuneratur solus vel punitur: Sed quantum ad id quod est alienam infirmitatem ferre condolendo, compatiendo, sublevando unus portare potest alterius onus, &c.

(2) Hinc manifesto patet immunitatem non pro preventionem debiti tantum, sed & æque pro liberatione a debito contracto usurpari, sicut de lib. 2. Sent. dist. 51. qu. 1. art. 2. questiunc. 1. lib. 4. dist. 17. qu. 3. art. 4. questiunc. 1. ad dist. 11. qu. 1. 2. 2. questiunc. 3. & art. 3. questionis ejusdem arg. 2. dist. 44. quest. 3. art. 3. questiunc. 3. arg. 6. dist. 45. qu. 2. art. 2. questiunc. 4. in corp. Ut & ad Annibaldum lib. 3. dist. 3. qu. 1. art. 3. ad 3. Et similiter extra de sordis, cap. Infirmationes presbiterium, et in Magistri cæsu lib. 3. dist. 9. lit. D. h. v. §. 1. Unde frigidum & jejunium argumentum est quod num. 1. Sent. dist. 44. art. 3. ad 3. beatissimam virginem ab originali culpa immunem dicat S. Thomas ut sibi ipsi contradicere videatur, quicquid existimari de re ipsa debeat secundum se, ut expulsum est suo loco.

ille satisfactionem pro eo fecerit ; quam si non fecerit , tunc uterque est debitor illius pœnæ , unus pro commisso , alius pro omisso : & ita non sequitur quod peccatum unum bis puniatur .

A P P E N D I X .

EX art. habea primo : quomodo per rationem interimas errorem *Mahumetis* (*Præteolus Mahumetes*) dicentis , opera aliena nil prodesse . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , merito fuisse hunc errorem damnatum a *Moguntino* Concilio , dum unum pro alio satisfacere posse decrevit . Hoc verò patet ca. 26. in hæc verba : *Ab infirmis in mor-tis articulo positis per presbyteros pura inquirenda est confessio : non tamen illis imponenda quantitas pœnitentiæ , sed innocescenda , & cum amicorum orationibus , & elemosynarum studii pondus pœnitentiæ sublevandum : ut , si forte migraverint , ne alieni ex consortio bonorum fiant .* Hæc ibi . Ecce , quam patenter dicit : quod quantitas pœnitentiæ , idest satisfactio-nis a confessario impositæ , debet pro illo moribundo ab amicis impleri , vel quod (& in idem redit) pœnitentiæ suæ pondus illor-um orationibus est sublevandum , & quod hoc valet illis ad solutionem debiti . Talem habuisse videntur mentem Pontifices illi , qui morientibus pœnitentiæ sacramentum non de-negandum statuerunt . Cum enim scirent : quod ad sacramentum pœnitentiæ integran-dum requiritur satisfactio (hæc ordinariè vo-catur pœnitentia) & quod ab ipsis in articulo mortis constitutis per seipos nunquam fere impleri potest , valde probabiliter sequitur , quod præcipiendo de sacramento pœ-nitentiz moribundis dando , intentionem de sa-tisfactione conformem Concilio *Moguntino* prædicto implicite saltem habuerint . Conse-quenter ergo dicendum , quod *Julius Primus* Papa id subintelligi voluit in suo Decreto se-quenti : *Si presbyter pœnitentiæ morientibus abnegaverit , reus erit animarum , quia Domi-nus dicit : Quocumque die conversus fuerit pec-cator ad pœnitentiæ , vita vivet , & non morietur , Vera enim confessio in ultimo tempore esse potest : quia Dominus non solum temporis , sed etiam cordis inspector est . Sicut latro , v-nus momenti pœnitentiæ , meruit esse in Para-diso , in hora ultima confessionis .* Hæc ille , & recitantur 26. quæst. 6. Item *Cælestinus Pri-mus* Papa in Decreto suo ; *Agnovimus , pœ-nitentiam morientibus denegari ; nec illorum de-fectum puniri , qui obitus sui tempore hoc ani-*

*ma sua cupiunt remedio subveniri . Horumam-que fateor , tanta impietatis aliquem reperiri , ut de Dei pietate desperet ; quasi non possit ad se quovis tempore concurrentis succurrere , & periclitantem sub onere peccatorum hominem ponde-re , quo se expeditè desiderat , liberare . Quid hoc , rogo , aliud est , quam morienti mortem addere , ejusque animam sua crudelitate , ne absoluta esse possit , occidere ? Cum Deus ad subveniendum paratissimus , invitans ad pœni-tentiæ , sic promittat ; Peccator , inquit , qua-cumque die conversus fuerit , peccata ejus non imputabuntur ei . Et iterum ; Nolo mortem pec-catoris sed tantum , ut convertatur , & vivat , Hæc ille ; & recitantur 26. quæst. 6. Item *Leo Primus* Papa in epist. & est in ordine 89. ad *Theodorum Forojuliensem* Episcopum , *His , qui in tempore necessitatis , & in peri-culi urgentis instantia præsidium pœnitentiæ , & mox , reconciliationis implorant , nec satisfactio imerdicenda est , nec reconciliatio deneganda ; quia misericordie Dei nec mensuras possumus ponere , nec tempora desinere , apud quem nul-las patitur venia moras vera confessio , dicente spiritu Dei per Prophetam : Cum conversus ingemaveris , tuac saluus eris .* Hæc ibi ; & recitantur 26. quæst. 6. Item : quomodo per rationem ostendas , prædictum *Mahumetis* errorem fuisse damnatum a Scripturis , Gal. 6. *Alter alterius onera portate , & sic adimplebitis legem Christi .* Nota ly *portate* , ut differ-entiam facias inter portare , & per volunta-tem solam suscipere ad portandum , secundum quod fecit responsio ad quartum . Quasi ergo dicat . Cum alter alterius onera satisfactio-num non tantum susceperitis ad portandum , sed & portaveritis , tunc adimplebitis legem Christi , qua apud Christum ipsum talis alter tenebatur de tanto onere satisfactio-nis . Alio-quin , si tantum acceptaveritis ad portandum , non adimplebitis legem Christi de actuali satisfactioe alterius fratris vestri : quoniam ipse frater tenebitur adhuc lege Christi obli-gatus ad satisfaciendum per seipsum . Hoc idem apertius taliter verificari ostenditur ex Concilio *Carthaginensi* Quarto , cap. 35. *Qui oblationes defunctorum , aut negant ecclesiis , aut cum difficultate reddunt , tanquam egen-tium necatores excommunicentur .* Hæc ibi & recitantur 13. quæst. 2. Hoc ipsum confirmat Concilium *Varense* , ibi : cap. *Qui oblationes defunctorum retinent ; & Concilium Agathense* , ibi , cap. *Clerici , vel seculares .* Nisi enim requireretur actualis onerum alterius portatio ad hoc , ut de facto a pœnis satisfactoriis ille alter sublevaretur : tales , qui legata ad*

pias causas a defunctis pro sui sublevatione relicta differunt actualiter implere, non dice-
rentur egentium necatores; quoniam ipsi le-
gata & adimplenda jam susceperunt, & ad-
implere intendunt. Quia igitur talis & su-
scriptio, & intentio non sufficiunt ad suble-
vandam alterum, pro quo satisfacturi sunt:
ideo tales negligentibus egentium necatores vo-
cantur, Necatores, inquam, quia ille alter
in purgatorii carcere pœnas solvendo mane-
bit, quandiu ille pro illo satisfacturus legata
ejus actualiter non adimpleverit. Recte ergo
necatores egentium animarum tales vivi di-
cuntur: quia per negationem adimplentis
actualis onerum illorum tenent defunctos in
pœnis purgatorii, quæ morti corporali æqui-
parantur. Damnarunt ergo omnes suprascripti
Pontifices, & Scripturæ illum errorem *Ma-
bumetis* per hoc, quod sic dixerunt, ut su-
pra, *Tertio* habes: quomodo per rationem
dicta superius Conciliorum, Pontificum, Scri-
pturarum, pro quanto unum pro alio satisfacere
posse insinuant, & intelligas, & decla-
res, & tuearis. *Quarto* vides: quomodo, &c.

QUESTIO XIV.

De Qualitate satisfactionis.

In quinque articulis divisa.

DEinde considerandum est de qualitate
satisfactionis: & circa hoc queruntur
quinque.

Primo, utrum homo possit de uno pecca-
to satisfacere sine alio.

Secundo, utrum ille qui de omnibus pec-
catis prius contritus fuit, & postea in pec-
catum incidit, de aliis peccatis, quæ sibi
per contritionem dimissa fuerunt, satisfacere
possit extra caritatem existens.

Tertio, utrum homini, postquam carita-
tem habuit, valere incipiat satisfactio præ-
cedens.

Quarto, utrum opera extra caritatem fa-
cta sint alicujus boni meritoria.

Quinto, utrum opera prædicta valeant ad
pœnæ infernalis mitigationem.

Utrum homo possit de uno peccato satisfacere sine alio.

S. Thom. ubi sup. art. 3. quest. 1. & 2.

AD primum sic proceditur. Videtur quod
homo possit de uno peccato sine alio
satisfacere. Eorum enim quæ non habent
connexionem ad invicem, unum potest auferri
sine alio. Sed peccata non habent ad in-
vicem connexionem: alias qui haberet unum,
haberet omnia. Ergo unum potest expiari
sine alio per satisfactionem.

2. Præterea. Deus est magis misericors
quam homo. Sed homo recipit unius debiti
solutionem sine alio. Ergo & Deus satisfac-
tionem unius peccati sine alio.

3. Præterea. Satisfactio, ut in littera di-
citur (IV. dist. xv.) est peccatorum causas
excidere, nec eorum suggestionibus aditum indul-
gere. Sed contingit hoc fieri de uno pecca-
to sine alio; ut si aliquis luxuriam refrenet,
& avaritiæ insistat. Ergo de uno peccato
potest fieri satisfactio sine alio.

Sed contra. Isa. LVIII. jejuniium eorum
qui ad contentiones, & lites jejunabant, Deo
acceptum non erat (.), licet jejuniium sit satis-
factionis opus. Sed non potest fieri satisfactio
nisi per opus Deo acceptum. Ergo non potest,
qui habet aliquod peccatum, Deo satisfacere.

Præterea. Satisfactio est medicina curans
peccata præterita, & præservans a futuris,
ut dictum est (quest. XII. art. 3.) Sed pec-
cata non possunt sine gratia evitari. Ergo
cum quodlibet peccatum gratiam auferat (2),
non potest de uno peccato sine alio fieri satis-
factio.

Respondeo dicendum, quod quidam dixe-
runt, quod potest de uno peccato satisfieri
sine alio, ut Magister in littera dicit (IV.
dist. xv.) (3) Sed hoc non potest esse. Cum
enim per satisfactionem tolli debeat offensæ
præcedens, oportet quod talis sit modus sa-
tisfactionis qui competat ad tollendam offen-
sam. Offensæ autem ablatio est amicitia re-
stitu-

(1) Sic enim ibi conquerentibus: *Quarto jejunavi-
mus & non asperixisti, respondet Deus per Prophetam:
Ecco in die jejuniij vestri invenitur voluntas vestra,
& omnes debitorum vestros reperistis: Ecco ad illos &
ad conserationes jejuniis & precibus &c.*

(2) Quantum est de se ubicunque invenit illam
sicut primum peccatum, nisi & eatenus illam aufer-
re sequentia dicuntur, quia plus ab illa elongant. &c.

(3) Lit. D. seu §. Ubi ab illis dictum refert sed
refellit; ut videre est ibi.

stitutio (1). Et ideo si aliquid sit quod amicitie restitutionem impediatur, etiam apud homines satisfactio esse non potest. Cum ergo quodlibet peccatum amicitiam caritatis impediatur, quæ est hominis ad Deum, impossibile est ut homo de uno peccato satisfaciat, alio retento; sicut nec homini satisfaceret qui pro alapa ei data se ei prosterneret, & aliam similem daret.

Ad primum ergo dicendum, quod quia peccata non habent connexionem ad invicem in aliquo uno, unum potest quis incurrere sine alio; sed unum & idem est, secundum quod omnia peccata remittuntur: & ideo remissiones diversorum peccatorum connexæ sunt. Et ideo de uno sine alio satisfactio fieri non potest (2).

Ad secundum dicendum, quod in obligatione debiti non est nisi inæqualitas iustitiæ opposita, quia unus rem alterius habet: & ideo ad restitutionem non exigitur, nisi quod restituatur æqualitas iustitiæ: quod quidem potest fieri de uno debito, & non de alio. Sed ubi est offensa, ibi est inæqualitas non tantum iustitiæ opposita, sed etiam amicitie: & ideo ad hoc quod per satisfactionem offensa tollatur, non solum oportet quod æqualitas iustitiæ restituatur per recompensationem æqualis pœnæ, sed etiam quod restituatur amicitie æqualitas: quod non potest fieri, dum aliquid est quod amicitiam impediatur.

Ad tertium dicendum, quod unum peccatum suo pondere ad aliud trahitur, ut Gregorius dicit (Lib. XXV. Moral. cap. ix. a princ. & hom. xi. in Ezech. a med. (3)) Et ideo qui unum peccatum retinet, non sufficienter causas alterius peccati excidit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a sacris litteris, quod homo non potest satisfacere pro uno peccato, & non pro alio, juxta sensum tamen prædeklaratum. Hoc autem insinuatam fuit 3. Reg. 18. *usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum.* Ecce; quod Elias, per *ly usquequo claudicatis in duas partes?* demonstrat: quod populus rem inconvenientem, imo & impossibilem facere conatur, dum & Domino Deo adherere vult, & a Diabolo simul non vult discedere. Hoc siquidem inconveniens, quin & impossibile esse denotat de se ille modus increpatorius cum interrogatione: ut consideranti facile patet. Juxta igitur dictum impossibile est, simul cum Deo amicitiam habere, & a Diabolo non recedere. Hoc autem in idem redit (ut declaratum est) cum eo, quod dicimus hominem non posse satisfacere pro uno peccato, & non pro alio. Item insinuatam Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis servire, &c.* Quasi aperte in proposito dicat. *Nemo potest Deo, & appetitui diabolico conformi, satisfacere, quod sane est, uno peccato velle satisfacere alio retento.* Item Isa. 58. *Quare jejunavimus, & non aspexisti: humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecco in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra. Ecce ad contentiones, & lites jejunatis. Nolite jejunare, sicut usque ad hunc diem, ut audiantur in excelsis clamor vester. Numquid istud vocabitis jejunium, & diem acceptabilem Domino? Ecce quod per Isaiam Dominus dicit, se non acceptaturum esse illud, quod pro parte peccatorum sibi datur: si pars alia peccatorum ab ipsis peccatoribus retineatur: hoc significant, si considerentur, verba præadducta: maxime si ad interrogationem hominum sic pro peccatis suis satisfacere volentium jungantur, tamquam ad eandem interrogationem (ut par est) responsio. *Quare (inquit) jejunavimus, & non aspexisti, humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Hoc est. *Quare; &c.* & ad modum non*

(1) Fictitium enim est, ut sibi Scotus finxit, offensam tantum in reatu vel obligatione ad poenam consistere, cum sit vere gratiæ privatio, & propterea nisi gratia restituta tolli non possit; hoc est amicitia Dei restituta quæ per gratiam impartitur.

(2) Ut Gregorius homil. 34. super Evangelia, sic inculcat *Quid prodest si peccata quis luxuria defleat, & tamen adhuc avaritiæ astibus anhelat? Aut quid prodest si culpas ira jam lugeat, & tamen adhuc invidia facibus tabescat? Postquam & ibidem præmisit *Quod quis sic alia deplorat ut tamen alia committat, adhuc poenitentiam agere aut ignorat aut dissimulat.**

(3) Vel sic plenius. *Omne peccatum quod citius poenitendo non detergitur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum & poena peccati: Peccatum namque quod poenitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahitur: Unde sic ut non solum peccatum sit, sed peccatum & causa peccati. Et illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcitas mens ducitur ut pejus ex alio ligetur; Sed peccatum quod ex peccato oritur, non jam peccatum tantummodo, sed peccatum est & poena peccati, quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut præcedentis peccati merito in alia vitia cadat &c.*

non aspicientis te habuisti (*humiliavimus*,) &c. & ad modum nescientis fuisti? Cum ergo non aspiciat, imo despiciat quis illud, quod non acceptat (ut quotidie per experientiam patet) neque id ipsum sciat, imo se nescire profiteatur, restat, quod per illa verba dicere velint impii, quare jejunium, & humiliationes nostras non acceptasti? Hoc vero adhuc magis ad litteram patet, si responsonem exprimentem sensum illorum sic querentium notaveris dicentem, *numquid istud vocabis* (o tu interrogans, & in interrogando nimis arrogans) *numquid istud vocabis jejunium acceptabile Domino?* Quasi dicat, non; & quare non? Quia *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*: qua scilicet partem peccatorum vestrorum retinere vultis: satisfacere ergo per jejunium, sive aliud bonum opus, non potest aliquis, secundum lsaïam, ita, quod sit acceptabilis domino satisfactio illa (sic etiam loquitur articulus) si aliud peccatum mente retineat. Vide *qu. 9. art. 2. & 4.* ubi tractatur de confessionis integritate: item *qu. 2. art. 3.* ubi agitur de integritate contritionis, & inde multa ad propositum præsens facientia huc applicabis. Nam circa integritatem contritio, confessio, & satisfactio assimilantur. Cave tamen, ne ex præmissis occasione accepta dicas, quod dolor de uno peccato sine dolore omnium sit peccatum. Erroneum enim est dictum hoc, & pro tali revocatum a Jacobo Præpositi, tanquam a SS. Patribus reprobatur (ut refert *Bernardus a Luszob. in catal. her.*) Secundo habes: quomodo per rationem præmissa scripturarum dicta, pro quanto hominem non posse pro uno peccato satisfacere, insinuant, si ne alio, & intelligas, & probes, & defendas. Terrio vides: quomodo, &c.

ARTICULUS II. 55

(*) *Utrum quis extra caritatem existens possit satisfacere de peccatis ante contritum,*

AD secundum sic proceditur. Videretur quod qui de omnibus peccatis contritus fuit

prius, & postea in peccatum incidit, de aliis peccatis quæ sibi per contritionem dimissa fuerunt, satisfacere possit extra caritatem existens. Dicit enim Daniel Nabuchodonosori, Dan. iv. 24. *Peccata tua elemosynis redime.* Sed ipse adhuc peccator erat: quod sequens posna demonstrat. Ergo potest, in peccato existens satisfacere.

2. Præterea. (***) *Nemo scit, utrum sit dignus odio, vel amore:* Eccle. ix. 1. Si ergo non possit fieri satisfactio nisi ab eo qui est in caritate; nullus sciret se satisfacisse: & hoc est inconveniens.

3. Præterea. Ex intentione quam homo habet in principio actus, totus actus informatur. Sed ponitens, quando penitentiam inchoavit, in caritate erat. Ergo tota satisfactio sequens ex illa caritate intentionem ejus informante efficaciam habebit.

4. Præterea. Satisfactio consistit in quadam adæquatione culpe ad penam. Sed talis adæquatio pœnæ potest etiam fieri in eo qui caritatem non habet. Ergo &c.

Sed contra Proverb. x. 12. *Universa delicta operis caritas.* Sed satisfactionis virtus est delere delicta. Ergo sine caritate non habet suam virtutem.

Præterea. Præcipuum opus in satisfactione est elemosyna (1). Sed elemosyna extra caritatem facta non valet, ut patet I. Corinth. xiii. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas... caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ergo nec satisfactio aliqua est cum peccato mortali.

Respondet dicendum, quod quidam dixerunt, quod postquam omnia peccata per præcedentem contritionem remissa sunt, si aliquis ante satisfactionem peractam in peccatum decidat, & in peccato existens satisfaciatur, satisfactio talis ei valet (2); ita quod si in peccato illo moreretur, in inferno de illis peccatis non puniretur.

Sed hoc non potest esse: quia in satisfactione oportet quod amicitia restituta etiam justitiæ æqualitas restituatur, cujus contrarium amicitiam tollit, ut Philosophus in IX. Ethic.

(*) Ita cum veteribus edis. Patav. Nicolaus: Utrum aliquis de illis peccatis quæ sibi per contritionem dimissa fuerunt, satisfacere possit extra caritatem existens.

(**) *Vulgata* Nescit homo.

(1) Non ex ipsa natura sui, cum oratio saltem veluti opus mentis præfessi videatur, sed prout vi-

ces aliorum operum per seipsam supplere potest, facultates proprias minuendo, & per earum erogationem orationes procurando, ut inferius ex professo dicitur qu. 19. art. 3.

(2) Non ad penam inferni per se ac formaliter sumptam quæ per contritionem simul cum culpa remittitur, velut inseparabilis a culpa ipsa, sed ad penam

Ethic. dicit. (cap. 1. & 3.) Æqualitas autem in satisfactione ad Deum non est secundum æquivalentiam, sed magis secundum acceptationem ipsius. Et ideo oportet quod etiam si jam offensæ sit dimissa per præcedentem contritionem, opera satisfactoria sint Deo accepta; quod dat eis caritas. Et ideo sine caritate opera facta non sunt satisfactoria.

Ad primum ergo dicendum, quod consilium Danielis intelligitur, quod a peccato cessaret, & pœniteret, & sic per elemosynas satisfaceret.

Ad secundum dicendum, quod sicut homo nescit pro certo, utrum caritatem habuerit in satisfaciendo, vel habeat: ita etiam nescit pro certo, utrum plene satisfecerit: & ideo dicitur Eccli. v. 5. *De propitiato peccato (1) noli esse sine metu.* Nec tamen exigitur quod propter hunc metum homo satisfactionem expletam iteret, si conscientiam peccati mortalis non habeat. Quamvis enim pœnam non expiet per huiusmodi satisfactionem; tamen non incurrit reatum omissionis ex satisfactione neglecta; sicut nec illi qui accedit ad Eucharistiam sine conscientia peccati mortalis, cui subjacet, reatum indignæ sumptionis incurrit.

Ad tertium dicendum, quod intentio illa interrupta est per peccatum sequens: & ideo non dat vim aliquam operibus post peccatum factis.

Ad quartum dicendum, quod non potest fieri adæquatio sufficiens nec secundum divinam acceptationem, nec secundum æquivalentiam (2). Ideo ratio illa non sequitur.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas errorem *Cæangelorum* dicentium: Certum unumquemque esse debere, quod gratis propter Christum peccata sibi remissa sint: quodque Deo acceptus, & hæres sit vitæ æternæ: quidquid sit de nostris operibus. Ecce, quod secundum istum satisfactio extra caritatem erat Deo accepta: cum

& ipse satisfaciens, etiam si esset in peccato mortali (Nonne hoc significant per ly *quicquid sit de nostris operibus?*) sit Deo acceptus. Contra horum ergo vesaniam hanc movetur iste articulus, contra quos eriam; ut certitudinem gratiæ innuant modo prædicto, habes, quid dicas ex argumenti *secundæ* auctoritate, & responso ad illud. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hunc merito damnari a Concilio *Tridensino* (sess. 14. cap. 8. „ Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficiamur, certissimam quoque inde arham habentes, quod, si compatimur, & conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum Jesum, &c, omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ: qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre, Hæc ibi „ . Ecce, quod satisfactiones nostræ requiruntur, etiam quod Christus satisfecerit: quoniam non ideo satisfecit pro nobis, ut nos non satisfaciamus, sed ideo satisfecit, ut satisfactiones nostræ ad ipsius exemplum fierent, & ex ipsius satisfactionibus vim haberent ad hoc, ut acceptarentur a Patre. Rursum inquit. *In quo, Christo, vivimus, in quo satisfacimus.* Sine hoc ergo quod nos vivamus in Christo, dum satisfacimus, nostræ satisfactiones, secundum concilium, non sunt acceptæ Deo, & consequenter non satisfaciunt. Quomodo in Christo vivimus? Per caritatem, seu per fidem caritate formatam, 1. *Joan. 4. & Ephes. 3.* Satisfacimus ergo in Christo, quando satisfactiones nostræ in caritate fiunt: tantum abest; ut vera sit illorum blasphemia ly *quicquid sit de nostris operibus.* Item damnari a scripturis 1. *Corinth. 13. Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, caritatem autem*

nam inferni per accidens & consequenter tantum, quia temporaria pœna quæ post contritionem adhuc manet vel hic vel in Purgatorio eluenda, redditur eo casu æterna per accidens & in inferno debet sustineri nisi fuerit hic expleta: Hoc ergo sensu eos refellit S. Thomas qui contrarium opinantur.

(1) Jam notatum est supra, nunc in vulgata legi vers. 5. *De propitiato peccato*; græcè autem abique

additamento ullo, *καὶ ἐξ ἡμεῶν* id est *de propitiatio*ne; sive *propitiatis*: sed ad majorem expressionem ab aliquo additum *peccatum*.

(2) Utique non secundum divinam acceptationem; quia non potest opus acceptare, ejus displicet auctor: Sed nec secundum æquivalentiam rei ad rem quia pœna ordinis naturalis adæquari non potest culpæ supernaturalem ordinem pervertenti.

incommodum non habeam, nihil sum, nihil mihi prodest. Ubi patet, nullam satisfactionem, nisi in caritate fiat, valere apud Deum ad vitam æternam consequendam: licet apud forum Ecclesiæ valeat, in quantum non reiteratur, ut in ad *secundum*: & etiam apud Deum, in quantum aliqua alia bona præter vitam æternam extra caritatem satisfaciens a Deo opera illa remunerante consequitur, quem & sensum habet articuli prædicta conclusio. Nec huic veritati ultimæ obstat Apostolus per *ly nihil sum*, *ly nihil mihi prodest*: quoniam comparative intelliguntur, & secundum æstimationem Apostoli. Bona enim temporalia, animo totus mundus, in comparatione ad vitam æternam, & nihil vera sunt, & pro nihilo revera habentur ab Apostolo, licet ipsa secundum seipsa aliquid vera sint, & pro aliquo sic sumpta habeantur ab Apostolo. Similiter quoque Apostolus secundum seipsum consideratus, etiam quod in caritate non esset, aliquid re vera est, tamen in comparatione ad supernaturalem vitam, vel in præsentem, vel in futurum haberi solitam considerationem implet, & nihil vera est, & nihil se esse revera æstimat, in quo sensu & Philippo primo dixit: *Mibi vivere Christus est*, & Galat. secundo: *vivus ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*. Ecce igitur, secundam scripturam, opera de genere bonorum magnorum, hoc importat *ly omnes facultates meas in cibos pauperum*, atque pœnialium, hoc significat *ly corpus meum, ita, ut ardeam*, si extra caritatem fiant, non posse Deo satisfacere. Ut cum Augustino dicamus. „ Illa quidem magna sunt, sed, si ego hæc sine caritate habeam, *inquis*, non illa, sed ego, nihil sum. Ecce venit ad passionem, venit & ad sanguinis effusionem, venit & ad corporum incensationem: & tamen nihil prodest, quia caritas deest. Adde caritatem, profunt omnia: detrahe caritatem, nihil profunt cætera. „ Hæc ille in Homilia super Evangelium: *Ego sum pastor bonus*. Item a Concilio Tridentino merito damnari quoad *ly Verum, &c. quod gratis per Christum peccata sibi remissa sint, &c. quicquid sit de nostris operibus, &c.* „ Verum, etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: sed iisdumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur. Nam, sicut revera homines, nisi ex semine Adæ propagati nascentur, non nascerentur injusti; sum ea propagatione per ipsum, dum concipiunt.

„ tur, propriam injustitiam contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, numquam justificarentur; cum ea renascentia per meritum passionis ejus gratia, qua iusti sunt, illis tribuatur. „ Hæc in sessione sexta, capit. tertio. Item a Leone I. Theodoro Foropolitensi Episcopo scribente sic. „ Multiplex misericordia Dei ita lapidibus humanis subvenit, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparatur æternæ, ut, qui dona regenerationis violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent. „ Hæc ille: & recitantur in decr. de pœn. distin. prim. multiplex. Vide, quod ad hoc, ut effectualiter salvemur, non sufficit, quod pro nobis Christus mortuus sit, alioquin omnes de facto salvarentur, cum pro omnibus mortuus sit Christus: sed requiritur, quod meritum passionis, & mortis ejus nobis communicetur. Communicatur autem nobis, in quantum in nos insluit iugiter, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites; ut ait Concil. idem sess. ead. capitulo decimosexto: Membra vero ejus fieri non possumus sine lavacro regenerationis, saltem in voto (ut ibi capitulo quarto) & post violationem donorum regenerationis, sine pœnitentiæ medicina (ut supra dixit Leo.) Ex quibus omnibus secundum concilium, atque Leonem, concludenda relinquuntur veritas hæc; quod Christus actualiter non insluit, nisi in filios suos, seu in iustificatos: quoniam his solis meritum passionis ejus per sacramenta communicatur actualiter. Hæc omnia contra Cacangelos, id est malos angelos, ut qui per prædictum errorem nobis mala annunciant, dicta sine in damnationem. Tertio habes, quomodo per rationem præmissa, tum scripturæ, tum Patrum dicta, pro quanto nullum per opera extra caritatem facta insinuant satisfacere posse, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 56

Utrum valere incipiat satisfactio præcedens homini, postquam caritatem habuerit.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod postquam homo caritatem habuerit, valere incipiat satisfactio præcedens. Quia super illud Levit. xxv. *Si attenuatus frater tuus &c.* dicit Glossa (interl. implic. & sparsim) quod „ fructus bonæ conversationis debent

Summ. S. Th. Tom. XIII.

Q „ com.

„ computari ex eo tempore quo peccavit (1)
 „ Sed non computarentur, nisi aliquam effi-
 ciam acciperent ex caritate sequenti. Ergo
 post caritatem recuperatam valere incipiunt.

2. Præterea. Sicut efficacia satisfactionis
 impeditur per peccatum; ita efficacia bap-
 tismi impeditur per fictionem. Sed baptismus
 incipit valere recedente fictione. Ergo satis-
 factio recedente peccato.

3. Præterea. Si alicui pro peccatis com-
 missis injuncta fuerint jejunia, & in pecca-
 tum cadens ea perfecit, non injungitur,
 cum iterum confitetur, ut jejunia illa iteret
 Injungeretur autem ei, si per ea satisfactio
 non impleteret. Ergo per penitentiam se-
 quentem opera præcedentia satisfaciendi effi-
 ciam accipiunt.

Sed contra. Opera extra caritatem facta
 ideo non erant satisfactoria, quia fuerunt
 mortua. Sed per penitentiam non vivifican-
 tur. Ergo nec incipiunt esse satisfactoria.

Præterea. Caritas non informat actum,
 nisi qui ab ipsa aequaliter procedit. Sed o-
 pera non possunt esse Deo accepta, ac per
 hoc nec satisfactoria, nisi sint caritate in-
 formata. Ergo cum opera facta extra caritatem
 nullo modo ex caritate processerint, vel de
 cetero procedere possint, nullo modo pote-
 runt in satisfactionem computari.

Respondeo dicendum, quod quidam dixe-
 rant, quod opera in caritate facta, quæ vi-
 va dicuntur, sunt meritoria vitæ æternæ, &
 satisfactoria respectu poenæ dimittendæ; &
 quod per caritatem sequentem opera extra
 caritatem facta vivificantur quantum ad hoc
 quod sint satisfactoria, sed non quantum ad
 hoc quod sunt meritoria vitæ æternæ.

Sed hoc non potest esse: quia utrumque
 habent ex eadem ratione opera ex caritate
 facta, scilicet ex hoc quod sunt Deo grata:

unde sicut caritas adveniens non potest ope-
 ra extra caritatem facta grata facere quan-
 tum ad unum, ita nec quantum ad aliud.

Ad primum ergo dicendum, quod non de-
 bet intelligi, quod fructus computentur a
 tempore quo primo in peccato fuit, sed a
 tempore in quo peccare cessavit, quo scilicet
 ultimum in peccato fuit: vel intelligitur,
 quando statim post contritus fuit, & fecit
 multa bona, antequam confiteretur.

Vel dicendum, quod quanto est major con-
 tritio, tanto magis diminit de poena; &
 quanto aliquis plura bona facit in peccato
 existens, magis se ad gratiam contritionis
 disponit; & ideo probabile est quod minoris
 poenæ sit debitor: & propter hoc debere a
 sacerdote discrete computari, ut ei minorem
 poenam injungat, in quantum invenit eum
 melius dispositum.

Ad secundum dicendum, quod baptismus
 imprimit characterem in anima, (2) non au-
 tem satisfactio. Et ideo adveniens caritas,
 quæ fictionem tollit, & peccatum, facit quod
 baptismus effectum suum habeat: non autem
 facit hoc de satisfactione. Et præterea bap-
 tismus ex ipso opere operato justificat; quod
 non est hominis, sed Dei: & ideo non eo-
 dem modo mortificatur, sicut & satisfactio,
 quæ est opus hominis.

Ad tertium dicendum, quod aliqua satis-
 factiones sunt ex quibus manet aliquis effe-
 ctus in satisfaciendis, etiam postquam ac-
 ctus satisfactionis transit; sicut ex jejunio
 manet corporis debilitatio, & ex elemosyna-
 rum largitione substantiæ diminitio; & sic
 de similibus. Et tales satisfactiones in pec-
 catis factis non oportet quod iterentur: quia
 quantum ad hoc quod de eis manet, per pen-
 itentiam Deo acceptæ sunt. Satisfactiones
 autem quæ non relinquunt aliquem effectum in

(1) Equivalenter, non expresse: Nam textus qui-
 dem dicit quod si attonatus frater vendiderit posse-
 sionem suam, & voluerit propinquus ejus post
 redimere quod ille vendiderat sua autem non habue-
 rit proximum, & ipse pretium ad redimendum po-
 tuerit invenire, computabuntur fructus ex eo tempore
 quo vendidit: Hinc ipsam Glossa interlinealis pos-
 sessionem interpretatur conversationem Deinde pre-
 tium satisfactionis pro pretio ad redimendum con-
 sideratur; & similiter fructus computatos paulo post
 intelligit fructus hanc conversationis, ac demum
 tempus quo vendidit, illud indicat esse quo peccavit.
 Ibidem vero collateralis Glossa Iſychij nomine præ-
 notata sic tantum: *Quæ sit nostra substantia, quo-
 modo eam alienamus, quomodo eam recipimus, per
 ordinem docet: Habes quisque possessionem bonam,*

*conversationem sanctam: Alius virginitatem habes,
 alius continentiam potest: hic præsumit sacerdotio,
 ille pauperum paritiam, quisque secundum virtutem
 habet possessionem, sed cum per desiderium cogitatio-
 nes nostras infirmamur, & a propria possessione ex
 parte cadimus docet quomodo restituatur.*

(2) Non secundum se vel secundum ipsammet ef-
 fectum considerata, sed secundum intellectivam vel
 cognitivam potentiam ut suo loco 3. part. quæst. 63
 art. 4. ex professo de characterem in communi dictum
 est, per oppositum ad gratiam, quæ ipsam essentiam
 animæ sibi vendicat pro subiecto; quia gratia pro-
 pter esse spirituale datur, character propter operatio-
 nem: esse autem ad essentiam spectat, operatio ad po-
 tentiam.

in satisfaciēte, postquam actus transit, oportet quod iterentur; sicut est de oratione, & similibus. Actus autem interior, quia totaliter transit, nullo modo vivificatur, sed oportet quod iteretur. (1)

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem a fortiori interimas hæresim Bucerii impiissime dicentis, homines debere credere, se esse gratos Deo per Christum, quantumlibet impure, & scelerate vivant. Si enim per caritatem subsequentem, opera etiam de genere bonorum facta in peccato mortali non possunt esse satisfactoria, eo, quod non possunt fieri grata Deo: multo utique magis homo peccata perpetrans non erit gratus Deo. Unde homo in peccato uno mortali existens bona opera faciendo non est gratus Deo, & adeo non est gratus ut sua etiam bona tunc facta ob hoc neque sint, neque fieri possint per caritatem sequentem grata Deo: quomodo ergo fieri unquam poterit; ut homo opera mala, impura, ac scelerata committens, sit gratus Deo? Taceo, quod Bucerius suo isto pessimo dogmate implicite admittit, quod opera illa bona per caritatem sequentem fiunt satisfactoria, immo quod etiam tunc prius erant satisfactoria; eoquod (secundum Bucerium) tunc ille homo, quamvis in peccato mortali, erat Deo gratus, & consequenter sua opera tunc facta. Taceo, inquam, hoc, ne disputatio de minori disputationem de majori aliquo modo impediatur. Secundo habes quomodo per rationem a fortiori ostendas, hanc merito fuisse damnatam a Concilio Trident. sess. 6. cap. 15. sic: „ Adversus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium, asserendum est, non modo infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divite legis doctrinam defendendo, quæ a regno Dei non solum infideles excludit, sed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterosque omnes, qui lethalia committunt

peccata, a quibus eum divina gratia adjumento abstinere possunt, & pro quibus a Christi gratia separantur. *Hec ibi. Et can. 27.* Si quis dixerit, nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi, & enormi, præterquam infidelitatis peccato, semel acceptam gratiam amitti, anathema sit. *Hec ibi.* Quibus omnibus Concilii verbis vide adeo Bucerum cum sua dulci, mortifera tamen, cantilena constringi, ut non habeat, quo se vertat. Item a, &c. ut applicare potes huc ex articulo primo, & secundo, append. ubi ostenditur, Christum non influere actualiter, nisi in justificados, atque non claudicandum, & consequenter damnatur, quod scelerate viventes sint grati Deo per Christum, aut etiam, quod hoc ipsum isti credere debeant, quamdiu sic vixerint. Item a justitia in eum, tanquam hæreticum, exercita, quoniam anno 1557. de mense Februarii, reintegrata religione in Anglia, animadversum est in ossa Bucerii, eoquod indigna viderentur piis, quæ in sacro loco sepulta quiescerent, quare defossa in Anglia combusta sunt (teste Lindano): Cum enim Augustinus de fide catholica de quibusdam hæreticis dicat: *Quomodo poterunt illa capitula recipi, quorum damnantur auctores?* patet, quod ex damnatione prædicta Bucerii, ejus capitula, seu dogmata, quorum unum est hæresis in principio narrata, pariter damnari cointelliguntur. Item a Scripturis 2. Corinth. 6. 7. „ Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidei cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter illos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias; dicit Dominus omnipotens. Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Videſne, Apostolum ex promissione, & spe, gratificandi nos Deo, deducere conclu-

Q 2 ſio-

(1) Nimirum actus ille quo proposuit satisfacere in peccato existens; vel quo sive ad jejunandum,

sive ad faciendam orationem, sive ad erogandam elemosinam, se voluntas ipsius applicavit.

sionem hanc : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei?* Ubi nos gratos Deo neque esse, neque debere credere esse, apertissime (contra Bucerum) monstravit, nisi emundemus nos non tantum ab aliquo, sed & ab omni inquinamento, non tantum carnis, sed & spiritus. Quare autem dixit, *sanctificationem perficientes?* Quia non solum emundare se a malo quocumque requiritur ad hoc, ut quis sit gratus Deo, sed etiam facere bonum (quod est sequi sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum) ad hoc ipsum conrequiritur. Notastine illas interrogaciones, quasi per manifestissimæ veritatis inculcationem in principio ab eodem factas? *Quæ inquit, participatio, &c. Quæ societas, &c. Quæ conventio, &c. Quæ pars, &c. Qui consensus, &c.* Ac si dicat : Nulla, Nullus. Hoc norunt omnes ratione utentes. Quibus verbis Apostolus, seu potius in Apostolo Spiritus sanctus, quasi digito monstravit, Bucerum illam suam hæresim evomentem esse notorie sine ratione. Item a Levit. 11. 19. 20. *Sancti eritis, quia ego sanctus sum.* Ne autem sanctitatem nostram, more Bucerii, libertatem scelerate vivendi somnians, addidit *ly mibi*, in cap. 20. dicens : *Eritis sancti mibi.* Quæ autem sit sanctitas ei, idest, quæ sanctitas in nobis placeat ei, exprimitur Deuter. 10. sic : „ Et nunc Israel, quid Dominus tuus petit a te, nisi ut timeas „ Dominum Deum tuum, & ambules in „ viis ejus, & diligas eum, ac servias „ Domino Deo tuo in toto corde tuo, & „ in tota anima tua, custodiasque manda „ ta Domini? „ Ubi patet ex librorum ordine, quod sanctitatem, quæ in Levitici capitulis requisierat a populo, nunc eidem populo, ne quando ab aliquibus nomine sanctitatis abutentibus deciperetur, distinctissimis, lucidissimisque verbis declarat. Item a 1. Jo. 1. „ Si dixerimus, quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, „ mentimur, & veritatem non facimus. Si „ autem in luce ambulamus, sicut & ipse in „ luce est, societatem habemus ad invicem, „ & sanguis Jesu Christi filii ejus emundat „ nos ab omni peccato. „ Ergo, secundum Beatum Joannem, non sumus grati Deo, si in peccatis ambulamus, &, si hoc credimus

(ut suadebat Bucerus) a veritate deviamus, & mentimur. Ergo, secundum eundem Joannem, Christi sanguis non emundat nos, idest non prodest nobis, si etiamnum ambulamus in tenebris. Ergo, secundum eundem, emundari per Christi sanguinem non tantum ab uno, sed etiam ab omni peccato exigitur ad hoc, ut societatem habeamus cum Deo, id est sumus grati ei. Hæc omnia deducta sint ex Beati Joannis auctoritate illa, ad tollendum verba malitiæ Bucerii, & similitum excusantium excusationes in peccatis. Item, merito esse damnatas Galat. 2. *Non quid Christus peccati minister est? Absit.* Non vult ergo Apostolus ullo modo, quod patrocinio, vel ministerio, aut alio quovis favoris prætextu Christi glorientur, quod hæreticis familiare est; vel etiam innitantur ii, qui voluntarie in sceleribus, & impudicitis vivunt. Aliter enim agentes Christum tanquam ministrum peccati faciunt, cum tamen, secundum rei veritatem, nihil a divina justitia magis alienum sit. Item a 1. Thes. 4. *non vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* Huic Apostolico dicto subinferas tu, quod Deus vocavit nos ad hoc, ut sumus grati sibi, & videbis damnationem Bucerii, cum similibus, apertam. Item a 2. Thesalon. 2. *Ambuletis digne Domino, qui vocavit vos in suum regnum.* Tercio habes: quomodo per rationem dicta Scripturarum superius, pro quanto virtualiter saltem indirecte innuunt, opera in mortali facta non esse post satisfactoria, seu non placencia Deo, & declares & probes, & (quantum opus est) tenearis. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 57

Utrum opera extra caritatem facta sint alicujus boni meritoria.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod opera extra caritatem facta sint alicujus boni meritoria, saltem temporalis. Quia sicut se habet pena ad malum actum, ita se habet præmium ad bonum. Sed nullum malum factum apud Deum iustum judicem est impunitum (1). Ergo nec aliquod bonum irremuneratum & sic per illud bonum aliquid meretur.

2. Præ-

(*) Quo spectat illud ad Job. 4. vers. 17. *Etiam si peccata mea non sciam, quod non parceris do-*

minum: *Delinquenti Dominus nequaquam parcis, quia*

2. Præterea. Merces non datur nisi merito. Sed operibus extra caritatem factis merces datur: unde dicitur Matth. v. de illis qui propter gloriam humanam opera bona faciunt, quod *receptunt mercedem suam*. Ergo opera illa fuerunt alicujus boni meritoria.

3. Præterea. Duo existentes in peccato, quorum unus multa bona facit ex genere, & circumstantia, alius autem nulla, æqualiter propinque non se habent ad recipiendum bona a Deo; alias non esset ei consulendum ut aliquid boni faceret. Sed qui magis appropinquat Deo, magis de bonis ejus percipit. Ergo iste per opera bona quæ facit, aliquid boni a Deo meretur.

Sed contra est quod Augustinus dicit, *quod peccator non est dignus pane quo vescitur*. Ergo non potest aliquid a Deo mereri.

Præterea. Qui nihil est, non potest aliquid mereri. Sed peccator, cum non habeat caritatem, nihil est secundum esse spirituale, ut patet I. Corinth. XIII. Ergo non potest aliquid mereri.

Respondeo dicendum, quod meritum proprie dicitur actio qua efficitur ut ei qui agit, sit justum aliquid dari. Sed justitia dupliciter dicitur: uno modo proprie, quæ scilicet respicit debitum ex parte recipientis; alio modo quasi similitudinarius, quæ scilicet respicit debitum ex parte dantis; aliquid enim decet dantem dare, quod tamen non habet recipiens debitum recipiendi (*). Et sic justitia dicitur *decentia divina bonitatis*, sicut Anselmus dicit (in Prologio cap. x.) *quod Deus justus est, cum peccatoribus parcit, quia cum decet*. (1) Et secundum hoc etiam meritum dupliciter dicitur: uno modo actus ille per quem efficitur ut ipse agens habeat debitum recipiendi; & hoc vocatur meritum condigni; alio modo ille per quem efficitur, ut sit debitum dandi in dante secundum decentiam

ipsius; & ideo hoc meritum dicitur meritum congrui. Cum autem in omnibus illis quæ gratis dantur, prima ratio dandi sit amor, impossibile est quod aliquis proprie sibi debitum faciat qui amicitia caret. Et ideo contra omnia & temporalia, & æterna ex divina liberalitate nobis donentur, nullus acquirere potest debitum recipiendi aliquid illorum, nisi per caritatem ad Deum. Et ideo opera extra caritatem facta non sunt meritoria ex condigno neque æterni, neque temporalis alicujus boni apud Deum. Sed quia divinam bonitatem decet ut ubicunque dispositionem invenit, perfectionem adiciat; ideo ex merito congrui dicitur aliquis mereri aliquid bonum per opera bona extra caritatem facta. Et secundum hoc opera ista ad triplex bonum valent, scilicet ad temporalium consecutionem, ad dispositionem ad gratiam, & ad assuetudinem bonorum operum. Quia tamen hoc meritum non proprie dicitur meritum, ideo magis concedendum est quod hujusmodi opera non sint alicujus boni meritoria, quam quod sint.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Philosophus dicit in VIII. Ethic. (cap. ult.) quia filius per omnia quæ facere potest, nihil æquale reddere patri potest his quæ a patre recipit (2). ideo nunquam pater debitor filii efficitur: & multo minus homo potest propter æquivalentiam operis Deum sibi constituere debitorem. Et ideo nullum opus nostrum ex quantitate suæ bonitatis habet quod aliquid mereatur; sed habet ex vi caritatis, quæ facit ea quæ sunt amicorum, esse communia. Unde quantumcumque sit opus bonum extra caritatem factum, non facit, proprie loquendo, in homine debitum aliquid a Deo recipiendi. Sed opus malum ex quantitate suæ malitiæ secundum æquivalentiam poenam meretur: quia ex parte Dei non

delectum sine aliquo non deservit. Aut enim ipse homo in se saniens punis, aut hoc Deus cum homine vindicatis percussit. Nequaquam ergo peccato pariter, quia sine vindicta nullatenus sanatur: Et paulo post: Scitis quid non pariter delinquenti, quia delicta nostra (sive per nos, sive per sanctissimum) taceat, etiam cum relaxat. Nec advertatur illud Job. 14. vers. 16. Parcis peccatis, aut sicut legit Gregorius. parcis peccatis, quia tunc parcat (inquit) cum punimus, lib. 12. Mo. 2. cap. 12.

(*) Nicolaus quod scilicet recipiens non habet debitum recipiendi.

(1) Sive paulo, aliter & plenius per apostrophen: Cum punis malos, justus est, quia illorum meritis

compenit: Cum vero parcat malis, justus est, non quia illorum meritis sed quia sua bonitati condonans est: Nam parcendo malis ita justus est servandum se, non secundum nos, sicut misericors et secundum nos non secundum te salvandum nos; non quia tu sentias afflictum, sed quia nos sentiatum effectum esse justus es, non quia nobis reddas debitum, sed quia facis quod decet te summe bonum; ut cap. 10. Prologii videatur aliter.

(2) Vel pleniori constructione: Nihil reddere patri potest æquale his quæ a patre recipit: sive beneficiis in se collatis nihil dignum (aut tunc recipiuntur) ut videre est prope finem.

non sunt nobis aliqua mala facta, sicut bona. (1) Et ideo quamvis opus malum mereatur poenam ex condigno; non tamen opus bonum sine caritate meretur ex condigno premium.

Ad secundum, & tertium dicendum, quod procedunt de merito congrui.

Aliæ autem rationes procedunt de merito condigni (2).

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem *prime* conclus. interimas hæresim *Pelagii* dicentis, mereri posse hominem vitam æternam absque gratiæ Dei auxilio. Cum enim neque etiam temporalis boni alicujus sint meritoria, quantacumque opera bona nostra extra caritatem facta: patet a fortiori, quod ad merendum vitam æternam requiritur necessario gratia Dei informans opera nostra. Quod si *Pelagius* neget conclusionem illam *primam*, si neget *Aug. in 1. argum.* contrario adductum, si neget *secundum* ibi argum. ex Apostolo tractum, ratio naturalis in corpore allata ipsum convincit: si tamen ratione naturali, ut homo vivat, & totaliter in brutorum naturam rationis incapax non transferat. Id autem, quod nunc de *Pelagio* dicitur, ad omnes hæreticos applicari posset: quando rationi naturali a S. Doctore in corpore articuli adductæ acquiescere nolent: cum ratio naturalis hominem non tantum, ut Christianum, sed etiam ut solum hominem adstringat. *Secundo* igitur habes: quomodo per rationem a fortiori quoque ostendas, Pelagianam illam hæresim merito damnari ab Apostolo Rom. 8. *Non sunt condigna passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ergo bona non ista, vel illa, sed hujus temporis, id est quæcumque possunt fieri in hoc tempore, quantum est ex quantitate illorum operum, non sunt meritoria de condigno future gloriæ, id est vite æternæ. Unde loquitur Apostolus de merito condigni, sicut & *Pelagius*, de operibus secundum se consideratis absque auxilio gratiæ Dei: & tamen de his ad litteram negat, quod *Pelagius* pro sua superbia affirmat. Item a Concilio *Tridentino*, sess. 6. cap. 16. „Christus Jesus

„tanquam caput in membra, & tanquam
„vitis in palmites, in ipsos justificatos ju-
„giter virtutem influit: quæ virtus bona eo-
„rum opera semper antecedit, & comita-
„tur, & subsequitur, & sine qua nullo pa-
„cto Deo grata, & meritoria esse possent.”
Hæc ibi. Nota *ly sine qua*, & *ly nullo pacto*, & quod loquitur de operibus justificatorum. Ergo a fortiori, secundum Concilium, opera non justificatorum non possunt sine virtute influxa a Christo esse meritoria vite æternæ. Ad merendum igitur, secundum Concilium, oportet operantem esse in gratia, utpote per ipsam justificatum, & ultra hoc a Christo influxum virtutis motivæ ad operandum participare, & hoc est quod S. Th. *in 1. 2. quest. 109. art. 9.* catholice determinavit, ubi eum videas cum pulcherrimo exemplo Augustini. Item ab eodem Concilio ibidem cap. 2. ibi: „Si quis dixerit: ad hoc solum
„divinam gratiam per Christum Jesum da-
„ri, ut facilius homo juste vivere, ac vi-
„tam æternam promereri possit, quasi per
„liberum arbitrium sine gratia utrumque,
„sed ægre tamen, & difficulter possit, ana-
„thema sit.” Hæc ibi. Item a, &c. ut *in 1. par. quest. 12. art. 4. & quest. 23. art. 1. & quest. 62. art. 2. append.* Item a Concilio *Milevitano* cap. 4. 5. 6. & *Arauscano* cap. 3. 6. 7. 8. 25. & a *Carthaginensi* in epist. ad *Papam Innocentium I.* quæ habetur tom. 1. Conciliorum inter epistolas ejusdem Innocentii, & ab *Africano* cap. 80. Hoc tamen, quod dicitur cap. 18. Concil. *Arauscani* non est prætereundum. *Debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia Dei, quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Neminem nisi Deo miserante, salvari.* Hæc ibi. Item damnari a summis Pontificibus, *Innocentio I.* in epistola rescripta ad Concilium *Carthaginense*, & est epistola in ordine 25. & *Celestino I.* in epistola 1. ad *Episcopos Gallie*. Vide tu loca hic citata; ne nimia fiat prolixitas. *Tertio* habes, quomodo per rationem *secundæ* conclusionis articuli ostendas merito a Concilio, & Scripturis fuisse insinuatam, quod per opera extra charitatem facta de congruo aliquid meremur. A Concilio quidem *Trid.* id fuit insinuatam sess. 14. c. 4. quando de attritione, quæ est opus sine gratia, ait: „Quamvis sine sacra-
„men-

(1) Sic ex 4. Sententiarum reponimus quod prius hic minus aperte dicebatur, *ex parte Dei non sunt aliqua mala sicut bona.*

(2) Nempe quod *pars quo vescitur non est dignus*

pcccator; & quod *nihil mereri potest qui nihil est*, sicut non habens charitatem. Sed ubi primum illud ab Augustino scriptum. Non occurrit.

mento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat: tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Hæc ibi. Cum ergo opera etiam alia extra caritatem facta disponant ad gratiam, a fortiori ad bonorum operum assuetudinem, & ad bonorum temporalium adeptionem valebunt; quoniam disponere ad gratiam, majus est, quam ista alia duo: triplex ergo bonum hujusmodi opera de congruo merentur. A Scripturis vero tale quid insinuat fuit Exod. 1. & quia simulerunt obstetrices Deum, edificavit illis domos; & Ezech. 29. Rex Babylonie servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum, & merces non est reddita ei; & infra dicitur: Erit merces exercitui illius: & dedi ei terram Egypti pro eo, quod laboraverunt mihi. Ecce tum obstrictum, tum Regis Babylonis, opera erant extra caritatem facta, & tamen meruerunt de congruo; illorum quidem domos, idest rerum temporalium abundantiam, vel prolis fecunditatem, istius autem terram Egypti. Si enim Egyptus tamquam merces data est exercitui illius propter servitutem illam, utique, cum merces correspondeat merito, per ipsam servitutem meruit, at non de condigno, quia extra caritatem fuit, ergo de congruo. Ergo meritum de congruo ex sacris litteris, scilicet Ezech. 29. sicut & Matth. 5. in respons. ad 2. habetur. Quinto vides: quomodo, &c.

ARTICULUS V. 58

Utrum opera prædicta valeant ad mitigationem pœnarum infernalium.

AD quantum sic proceditur. Videtur quod opera prædicta non valeant ad pœnæ infernalis mitigationem. Quia secundum quantitatem culpæ erit quantitas pœnæ in inferno. Sed opera extra caritatem facta non minuunt quantitatem peccati. Ergo nec infernales pœnæ.

2. Præterea. Pœna infernalis, quamvis sit duratione infinita, tamen intensione finita est. (1) Sed quodlibet finitum consumitur, aliqua finita subtractione facta. Si ergo opera extra caritatem facta aliquid subtraherent de pœna debita pro peccatis, contingeret tantum multiplicari illa opera quod totaliter tolleretur pœna inferni; quod falsum est.

3. Præterea. Suffragia Ecclesiæ sunt magis efficacia quam opera extra caritatem facta. Sed, sicut ait Augustinus in Enchir. (cap. cx.) damnatis in inferno non profunt suffragia Ecclesiæ. Pœnæ ergo multo minus per opera extra caritatem facta mitigantur.

Sed contra est quod idem Augustinus dicit in Enchirid. (ibid. (2)) Quibus profunt, aut ad hoc profunt ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Præterea. Magis est facere bonum quam dimittere malum. Sed dimittere malum semper vitat pœnam, etiam in eo qui caritate caret. Ergo multo fortius facere bonum.

Respondeo dicendum, quod diminuere pœnam infernalemi potest intelligi dupliciter. Uno modo ita quod quis liberetur a pœna quam jam meruit: & sic cum nullus liberetur a pœna, nisi sit absolutus a culpa, quia effectus non diminuuntur, neque tolluntur, nisi diminuta, vel ablata causa; per opera extra caritatem facta, quæ neque culpam tollere, neque diminuere possunt, pœna inferni mitigari non potest. Alio modo ita quod meritum pœnæ impediatur; & sic hujusmodi opera minuunt pœnam inferni: primo quia homo reatum omissionis evadit, qui hujusmodi opera perficit: Secundo quia hujusmodi opera aliquo modo ad bonum disponunt, ut homo ex minori contemptu peccata faciat, atque etiam a multis peccatis per hujusmodi opera retrahatur. Verumtamen diminutionem, vel dilationem temporalis pœnæ merentur hujusmodi opera; sicut patet de Achab III. Reg. XXI. (3) eodem modo sicut & honorum temporalium consecutionem.

Quidam autem dicunt, quod diminuunt pœ-

(1) Idest quoad illius gravitatem, acerbitatem, afflictionem vel cruciatum: Qualis non esset porro, si (ut aliqui fingunt) peccatum esset simpliciter ac intrinsece infinitum.

(2) Postquam enim præmisit defunctorum animarum pietate suorum viventium relevari cum pro illis sacrificium mediatoris offerretur, vel elemosyne in Ecclesia fiunt, subiungit: Sed eis hæc profunt qui cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent meruerunt: Est enim quidam vivendi modus nec tam bonus ut non requiratur ista post mortem; nec tam malus ut ei

non profint ista post mortem: Est vero talis in bono ut ista non requiratur: Et est rursus talis in malo ut nec his valeant, cum ex hac vita transierit adjuvari: Primus modus est purgandorum: Secundus, beatorum: Tertius, damnatorum.

(3) De quo nimirum propter occisum Naboth vestimenta scindente, cilicium gestante, jejunante, sic Deus ad Prophetam: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia ergo humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, &c.

pœnam inferni, non subtrahendo aliquid de ipsa quantum ad substantiam, sed fortificando subiectum, ut melius sustinere possit. Sed hoc non potest esse: quia fortificatio non est nisi ex ablatione passibilitatis. Passibilitas autem est secundum mensuram culpæ: & ideo si culpa non diminuitur, nec subiectam fortificari potest.

Quidam etiam dicunt, quod diminuitur pœna quantum ad vermem conscientiæ, licet non quantum ad ignem. Sed hoc etiam nihil est: quia sicut pœna ignis æquatur culpæ, ita etiam pœna remorsionis conscientiæ. Unde similis ratio est de atroque.

Et per hoc patet solutio ad objecta. (1)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Amsdorphanorum* dicentium: opera bona perniciose esse ad salutem. Item, hæresim *Lutheri* (Prat. *Luthersani*) dicentis, opera omnia cuiuslibet, etiam recte facta, quomodocumque esse peccata. Si enim bona opera extra charitatem facta tantum valent ad utilitatem nostram (sicut valent) utique nec peccata, nec perniciose ad nostram salutem sunt. Quocirca & 4. & 5. articulo- rum rationes contra istorum phantasmata diriguntur, & efficaciter a fortiori quoque faciunt. Per ipsas enim demonstratur, quod talia opera in bonum & nunc, & in futuro operantibus cedunt, quod proculdubio majus est, quam demonstrare solum, quod nec peccata, nec ad nostram salutem perniciose sunt. Item, quia *Lutherus* etiam de operibus justorum in charitate factis loquitur, a fortiori confunditur, quando etiam de operibus bonis extra charitatem factis demonstratur, quod ad bonum nostrum, & multipliciter sane valent, quod de peccatis sentiendum non est, cum semper ex se de malo in malum trahant. *Secundo* habes: quomodo per rationem, immo per rationes, a fortiori ostendas, hæreses illas merito damnari a Concilio *Trid.* *sess. 6. cap. 11. Constat, eos orthodoxæ religionis doctrinam adversari, qui dicunt, nullum in omni bono opere saltem venialiter peccare, aut*

(quod intolerabilius est) pœnas aeternas mereri. Hæc ibi, & can. 24. *Si quis in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare dixerit; aut (quod intolerabilius est) mortaliter, æque ideo pœnas aeternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non impo- set ad damnationem: anathema sit.* Hæc ibi. Et can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri: aut, quanto vehementius quis nisiim se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: anathema sit.* Hæc ibi. Item, damnari a *Leone X. in Bulla contra errores Lutheri*, quam damnationem videas *quæst. 1. art. 1. & 3. par. quæst. 68. art. 9.* Item *Jona 3.* ubi opera bona Ninivitarum adhuc extra charitatem existentium, neque peccata, neque ad salutem suam perniciose, immo salutifera primum fuisse testatur Scriptura, dicens: *Vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & miserus est super malitiam, quam locusus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Item, damnari a Principe Apostolorum in tota sua sequenti prædicatione, quam *Pa- pa sanctus, & martyr Clemens I.* in epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini enarrat in hæc verba: „ Bonorum operum, inquit, semina „ sunt, quantum uniusquisque sapit, & po- „ test, totis intimi cordis visceribus Deum „ diligere, & proximum, velut seipsum. Ab- „ negare seipsum sibi, ut Jesum Christum „ Dominum nostrum sequatur, & nihil ejus „ amori præponere, veritatem corde, & ore „ proferre debere, & totam spem Deo sem- „ per committere. Instruebat actus suæ vi- „ tæ omni hora custodire, & in omni loco „ Deum respicere: firmiter scire, cogitatio- „ nes malas cordi suo advenientes mox ad „ Christum allidere, & sacerdotibus Domini „ manifestare. Os suum a malo, vel pra- „ vo colloquio custodire, & verba vana, aut „ mendacia non loqui, quia os, quod men- „ titur, occidit animam. Verba divina li- „ benter audire, & sacerdotibus libenter ob- „ temperare, atque obedienter esse docebat. „ *Quæstionibus, & orationibus, ac lectioni fre-* „ quenter incumbere, & elemosynas veras „ perfi-

(1) Quamvis illud 1. quod 1. argum. Sed contra velut Aug. allatum est, non ad æternam damnationem refert quam aliqua opera bona prius facta minuunt eo modo quo S. Thomas hic explicat; sed ad Purgatorij pœnam, (vel extenso sensu damnationem appellatam) quam suffragia Ecclesiæ pro animabus

ibi detentis facta vel omnino eluant vel mitigent. Sic enim Augustinus immediate post prædicta de suffragiis quod illis tantum profunt qui hæc sibi prodesse meruerunt: Nec suffragia fiunt nisi pro pœnis actu sublevandis.

28 perficere . Desideria carnis non perficere ,
 29 sed propriam frangere voluntatem : bonum
 30 aliquid in se cum viderit , Deo attribuere ;
 31 non sibi : & malum a se factum cognoscat ,
 32 & sibi imputet . Multum loqui non ama-
 33 re , sed custodire labia sua , ne dolum , aut
 34 malum loquantur . Diem iudicii timere ,
 35 gehennam expavere , vitam æternam omni
 36 concupiscentia desiderare . Non occidere ,
 37 non adulterari , non furtum facere , non
 38 rem proximi desiderare : non falsum testi-
 39 monium dicere : sed omnes homines hono-
 40 rare , corpus custodire , vanas , & caducas
 41 non amplecti delicias , jejuniis , & vigi-
 42 lias sanctas amare , pauperes recreare , nu-
 43 dos vestire , infirmos visitare , sitientes po-
 44 tare , mortuos sepelire , & diligenter eor-
 45 rum exequias peragere , pro eisque orare ,
 46 & eleemosynas dare , dolentes consolari , &
 47 suis bonis relevare , & a malis actibus se
 48 alienum scire . Non esse superbum , non
 49 vinolentum , nec multum edacem , non som-
 50 nolentum , non pigrum , non murmura-
 51 torem , nec detractorem , quia qui detra-
 52 hit , non se solam , sed & multos alios oc-
 53 cidit . Iram non perficere , nec iracundiæ
 54 tempus reservare : dolum in corde non te-
 55 neri , nec pacem falsam prætere . Cha-
 56 ritalitatem non derelinquere , nec jurare , ne
 57 forte perjurium (quod absit) fiat . Malum
 58 pro malo non reddere , nec injuriam face-
 59 re ; sed factam patienter sufferre . Inimi-
 60 cos diligere , maledicentibus se non male-
 61 dicere , sed magis benedicere , & persecu-
 62 tionem pro justitia sustinere . Castitatem
 63 habere . Nullum odio habere : quia , qui
 64 odit fratrem suum homicida est . Elatio-
 65 nem fugere , zelum malum non habere ,
 66 invidiam non exercere , nec contentionem
 67 amare . Cum discordantibus ante solis oc-
 68 casum in pacem redire , & de Dei miseri-
 69 cordia nunquam desperare . Seniores vene-
 70 rari , & juniores diligere , plebem , & cun-
 71 ctos Ecclesiæ ministros , Episcopos tota
 72 animi virtute diligere , ut oculos suos , quia
 73 oculi sunt illorum . Eorum præceptis in
 74 omnibus obedire , etiam si ipsi aliter (quod
 75 absit) agant , memores scilicet illius do-
 76 minici præcepti : quæ dicunt , facite , quæ
 77 autem faciunt , facere nolite . Ipsi autem
 78 Episcopi , si exorbitaverint , ab istis non
 79 sunt reprehendendi , vel arguendi , sed sup-
 80 portandi , nisi in fide erraverint . Nullus se
 81 extollat erga doctores , ac magistros suos :
 82 quia discipulus super magistrum esse non
 83 debet , nec potest . Nullus velit dici san-

28 ctus , antequam sit : sed prius sit , ut ve-
 29 rius dicatur . Præcepta Domini , doctorum-
 30 que , ac magistrorum factis quotidie adim-
 31 plere & in Christi nomine pro inimicis o-
 32 rare oportet . Obedientia enim , & humi-
 33 liatio , quæ magistris agitur , Domino ex-
 34 hibetur . Veh dissolutis corde , qui non cre-
 35 dunt Deo , & resistunt mandatis ejus , &
 36 inobedientes , ac contumaces sunt his , qui
 37 ejus legatione funguntur , & ideo non pro-
 38 tegentur ab eo . Currite , dum lumen vi-
 39 tæ habetis : ne tenebræ mortis vos com-
 40 prehendant . Venite filii , audite me , timo-
 41 rem Domini docebo vos : omnis , qui
 42 vult vitam , & cupit diu videre bonos ,
 43 prohibeat linguam suam a malo , & la-
 44 bia sua ne loquantur dolum ; divertat a
 45 malo , & faciat bonum , inquirat pacem ,
 46 & sequatur eam . Timenti Deum bene e-
 47 rit in extremis , & in die defunctionis suæ
 48 benedicetur . Hæc ibi . Clemens de Pe-
 49 tro sic instruente . Ergo , bona opera esse pec-
 50 cata , & ad salutem perniciosa , etiam si extra
 51 caritatem fiant , damnat Petrus , dum omnes ,
 52 inter quos utique erant & peccatores , ad o-
 53 pera illa bona faciendâ hortatur . Similiter
 54 in eorundem hæreticorum in principio ap-
 55 pend. dictorum damnationem consentit Cle-
 56 mens ipse per hoc , quod præmissam Petri
 57 approbans de operibus prædicationem , sub-
 58 dit ibidem : *Propter quod deprecor te , frater
 59 charissime , ut doceas attentius hunc prædica-
 60 tionis ordinem , & absolutionum dies , ut sal-
 61 ventur anima hominum , &c.* Hæc ibi . Proli-
 62 xior fui ; quia in prædicatione Petri , & mul-
 63 ta bona a nobis agenda expresse docentur , &
 64 multæ hæreses condemnantur ultra prædictas ,
 65 ut per te videbis , si hanc prædicationem con-
 66 tra errores diversos , juxta quod occurrerent in
 67 appendicibus narrari , ut decet , applicaveris .
 68 Ad hæc , si placet , vide *Roffensem* contra Lu-
 69 theri errores , *art. 2. & 32.* Tertio habes : quo-
 70 modo per rationem prædicta Scripturarum ,
 71 Petrique , pro quanto moralia bona , etiam
 72 extra caritatem facta insinuant , operantibus
 73 esse utilia , a fortiori & probes , & declares ,
 74 & defendas . Quarto vides ; quomodo , &c.

Summ. S. Thom. 2. 2. q. 133.

R

QUÆ.

QUAESTIO XV.

De his per quae fit satisfactio.

in tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de his per quae satisfactio fit.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo, utrum satisfactionem oporteat fieri per opera poenalia.

Secundo, utrum flagella quibus a Deo in hac vita homo punitur, sint satisfactoria.

Tertio, utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria, cum dicitur, quod sunt tria, scilicet elemosyna, jejunium, & oratio.

ARTICULUS I. 59

Utrum oporteat fieri satisfactionem per opera poenalia.

AD primum sic proceditur. Videtur quod satisfactionem non oporteat fieri per opera poenalia. Quia per satisfactionem oportet fieri recompensationem ad divinam offensam. Sed nulla recompensatio videtur fieri per opera poenalia: quia Deus non delectatur in poenis nostris, ut Job III. patet. Ergo non oportet satisfactionem per opera poenalia fieri.

2. Praeterea. Quanto aliquod opus ex majori caritate procedit, tanto minus est poenale: quia (*) *caritas poenam non habet*, ut dicitur I. Joan. IV. 18. Si ergo oporteat opera satisfactoria esse poenalia, quanto magis sunt ex caritate facta, tanto minus erunt satisfactoria: quod falsum est.

3. Praeterea. *Satisfacere*, ut dicit Anselmus (Lib. I. *Cur Deus homo*, cap. XI. ad fin.) *est honorem debitum Deo impendere*. Sed hoc etiam aliis quam operibus poenalibus fieri potest. Ergo satisfactionem non oportet

poenalibus operibus fieri.

Sed contra est quod Gregorius dicit (hom. XX. in Evang. aliquant. ante med.) *Iustum est ut peccator tanto maiora sibi inferat (**)* *lamenta per poenitentiam, quanto maiora sibi intulit damna per culpam* (1).

Praeterea. Per satisfactionem oportet peccati vulnus sanari perfecte. Sed peccatorum medicinae sunt poenae, ut Philosophus dicit in II. Ethic. (cap. III. ante med.) Ergo oportet quod per poenalia opera satisfactio fiat.

Respondeo dicendum, quod satisfactio, ut dictum est (quest. XII. art. 3.) respectum habet & ad praeteritam offensam, pro qua recompensatio fit per satisfactionem, & etiam ad futuram culpam, a qua per eam praeservamur. Et quantum ad utrumque exigitur quod satisfactio per opera poenalia fiat. Recompensatio enim offensae importat adaequationem, quam oportet esse eius qui offendit, ad eum in quem offensam commissa est. Adaequatio autem in humana iustitia attenditur per subtractionem ab uno qui plus habet iusto, & additionem ad alterum cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est ex parte eius, nihil subtrahi possit; tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtrahit peccando, ut dictum est (quest. XII. art. 3. ad 4.) Unde oportet, ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quod est huiusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi poenale sit. Et ideo ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit; & poenale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur. Similiter etiam poena a culpa futura praeservat: quia non facile homo ad peccata redit, ex quo poenam expertus est. Unde secundum Philosophum (loc. sup. cit.) poenae medicinae sunt.

Ad

(*) *Vulgata*: Timor non est in caritate; sed perfecta caritas foras mittit timorem: quoniam timor poenam habet; qui autem timet, non est perfectus in caritate.

(**) Cur non potius *emolumenta*.

(1) Vel mutatis paulisper verbis: *Uniuscuiusque conscientia convenitur, ut tanto maiora quaeratur bonorum lucra per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam*: homil. 20. in Evangelia super illud, *Facite fructus dignos poenitentiae*: Postquam praemisit paulo supra in illa verba, *Quis offendit vobis fugere a vultu ira*; quod per ven-

turam iram significatur *animadversio alienis commissa, quam fugere peccator tunc non valet qui nunc ad lamenta poenitentiae non recurrit*. Perperam vero prius indicabatur ad marginem id lib. 4. moral. cap. 21. quoad sensum haberi: vel cap. 17. in modernis) nec verus locus notabatur; cum ibi tantum dicitur versus capitis finem quod *hinc distributionem iustitiae, illinc meritum culpa ante oculos ponens animae, conspiciat quo supplicio digna sit, si parcens pietas desit qua per lamenta praesentia ab aeterna eruetur poena consuevit*.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis Deus non delectetur in pœnis, ut sunt pœnæ; & delectatur tamen in eis, ut sunt iustitiae: & sic satisfactoriz esse possunt.

Ad secundum dicendum, quod sicut in satisfactione consideratur pœnalitas; ita & in merito consideratur difficultas. Diminutio autem difficultatis quæ est ex parte ipsius actus, diminuit (ceteris paribus) meritum; (1) sed diminutio difficultatis, quæ est ex promptitudine voluntatis, non diminuit meritum, sed auget: & similiter diminutio pœnalaris ex promptitudine voluntatis, quam facit caritas, non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget.

Ad tertium dicendum, quod debitum pro peccato est recompenratio offensæ, quæ sine pœna peccantis non fit. Et de tali debito Anselmus intelligit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem a fortiori interimas hæresim *Dosithei* dicentis: vivendum esse solum secundum carnem in lege Domini. Si enim vivendum est solum secundum carnem, jam sequitur propter *ly solum*, quod dogma hoc implicat hunc errorem, quod satisfactio non debet fieri per opera pœnalia, cum hæc, secundum omnes sint contraria carni, sed ipsi vivere secundum carnem, & hunc errorem in illo hæretico dogmate includi necesse est, nisi forsitan *Dositheus* vitare volens hunc in alium peiorem incidat, scilicet *Catharorum*, ut refert Cardinalis Turrecremata, *de Ecclesia, lib. 4. c. 25.* dicentium, non esse pœnitendum de peccatis. Cæterum hic error damnatus ad sufficientiam intelligitur per ea, quæ dicta sunt *quæst. 2. art. 2. & 6. & quæst. 3. art. 1. & 2. & 9. 6. art. 1. & 2. adjunctis quæst. 7. art. 2. & 3.* Nam inde quomodo hoc totaliter timoris Dei destructivum phantasma, scilicet de peccatis non est pœnitendum, condemnatur multipliciter, & in textu, & in elucidatione. haberur, & consequenter ad *Dositheum*, si ad hoc confugerit, habes, quid dicas. Quod si non; a fortiori, ut dicemus, ratione ex articulo sumpta hæresim ejus in principio dictam interimere potes. Nam, si per opera pœnalia satisfactio-

nem debere fieri demonstraveris, utique eadem ratione convinces, quod tunc temporis multo minus est vivendum secundum carnem. ergo nec semper. ergo nec solum, ut ipse mentiebatur. Secundo habes: quomodo per rationem a fortiori ostendas, brutalem illam *Dosithei* hæresim fuisse merito condemnatam a scripturis, 1. Pet. 2. *Charissimi, obsecro vos, tanquam advenas, & peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* Item infra. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Non dicit, ut vivatis secundum carnem in lege sua. Item ibi 3. *Christus mortuus est, iustus pro iniustus, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu.* Audis, quod ideo passus est Christus, ut simus mortificati, non autem viventes secundum carnem? Item ibi 4. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini; quia qui passus est in carne, desit a peccatis: ut jam non desideris hominum, sed voluntate Dei, quod reliquum est in carne, vivas temporis.* Ergo secundum *Beatum Petrum*, vivens desideratis hominum, id est secundum carnem, non vivit secundum voluntatem Dei. Ergo dicere: vivendum est secundum carnem solum in lege Domini, est dicere, vivendum est solum non secundum voluntatem Domini in lege Domini. En apertissima fatuitas. Item a *Ro. 8. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem in carne non estis: & infra. Si secundum carnem viveritis, moriemini.* Item *Galat. 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum visis, & concupiscentiis.* Ergo *Dositheus* per suam dogma vult, nos non placere Deo, nos mori, nos non esse Christianos. Item, damnatam a Principe Apostolorum in tota sua prædicatione per *Papam Clementem* narrata, & recitata ad longam supra *quæst. 14. art. 5. append.* ubi continue fideles hortatur ad vivendam contra desideria carnis. Item a *Concil. Trident.* sess. 14. in doctrina de sacramento extremæ unctionis circa principium capituli; ubi dicit, quod tota Christiana vita pœnitentia perpetua esse debet. Item a *Ps. 18. Lex Domini immaculata. Nam sunt manifeste immunda, scilicet fornicatio, &c.* Item ab ipso Domino legis *Matth. 16. Si quis vult venire post me, ab-*

R 2

(1) Id est, si sit etiam remissior affectus voluntatis, qui non se ultra illud extendat quod facile factu est, nec sit æque paratus ad id pariter faciendum si dif-

ficile foret; vel si facile illud ipsum faciat quodammodo perfunctosse seu cum negligentia quadam, &c.

veget semetipsum, & tollas crucem suam, & sequatur me. Sed, quia & tota scriptura, & omnia Concilia, & omnes summi Pontifices, clamant contra Dositheum: ideo ipsam dimittendo ad articuli rem propius accedendum. Tertio igitur habes: quomodo per rationem ostendas, merito Concil. Trident. sess. 14. c. 8. dixisse. *Divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ne occasione peccata leviora putantes, velut injurii, & consumeliosi Spiritu sancto, in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die ire. Proculdubio omnimagnopere a peccato revocant, & quasi freno quodam coercent hæc satisfactoria pœnæ, cautioreque, & vigilantiores in futurum penitentes efficiunt, medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt.* Hæc ibi. Ubi nota, satisfactiones dari, ne peccata putentur leviora; & esse quasi frenum, & coercere: quæ omnia, immo singula, satisfactionum opera esse pœnalia dicunt. Et infra hoc ipsum docet, inquiring: *Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei nunquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam, ut hæc penitentia opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc: quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, &c. Et infra. Satisfactio fit etiam ad præteritorum peccatorum vindictam; & castigationem.* Hæc ibi. Nota ly opera penitentia, ly satisfaciendo patimur, ly vindictam, ly castigationem. Item Apocalyp. secundo. *Memento itaque, unde excideris: & age penitentiam.* Quid autem est pœnitere, nisi pœnam tenere: & pœnitentia, nisi tentio pœnæ? Ex ipso igitur nomine, dum satisfactionem vocat pœnitentiam, monstrat scriptura, quod satisfactio fit per opera pœnalia. Vide loca additionum citata supra in principio append. Quinto habes: quomodo per rationem prædicta sanctorum Patrum, pro quanto satisfactionem decernunt fieri per opera pœnalia, & intelligas, & probes, & defendas. Sexto vides:

quomodo, &c.

ARTICULUS II. 69

Utrum flagella presentis vite sint satisfactoria.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod flagella quibus a Deo in hac vita punimur, non possint satisfactoria esse. Nihil enim potest esse satisfactorium, nisi quod est meritorium, ut ex dictis patet (quæst. præc. art. 2.) Sed non mereretur nisi per ea quæ in nobis sunt (1). Cum ergo flagella quibus a Deo punimur, non sint in nobis, videtur quod satisfactoria esse non possint.

2. Præterea. Satisfactio tantum bonorum est. Sed huiusmodi flagella etiam malis inducuntur, & præcipue eis debentur. Ergo non possunt esse satisfactoria.

3. Præterea. Satisfactio respicit peccata præterita. Sed aliquando ista flagella infliguntur illis qui peccata non habent, sicut de Job patet. Ergo videtur quod non sint satisfactoria.

Sed contra est quod dicitur Rom. v. 3. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem,* (2) idest a peccato purgationem, ut Glossa (interl.) ibidem dicit. Ergo flagella hujus vite peccata purgant; & sic sunt satisfactoria.

Præterea. Ambrosius dicit (sup. Pl. cxviii. octonar. xvii. parum a princ.) *Et si fides, idest peccati conscientia, (3) desit, pœna satisfaci.* Ergo hujus vite flagella sunt satisfactoria.

Respondeo dicendum, quod recompensatio offensæ præteritæ potest fieri ab eo qui offendit, & ab alio. Quando autem fit ab alio, talis recompensatio vindicationis magis quam satisfactionis rationem habet; quando autem fit ab ipso qui offendit, rationem satisfactionis habet. Unde si flagella, quæ pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis acci-

(1) Sive in potestate nostra & arbitria posita sunt, juxta vulgarem Græcam phrasim qua τὰ ἐν ἡμῖν, vel ἐν αὐτῷ, idest, *existentia in nobis* appellantur quorum habemus potestatem ut faciamus ea vel non: sicut lib. 2. de fide orthodoxa cap. 25. ex professo usurpat Damascenus.

(2) Vel simpliciter purificationem tum in moderna laterali, tum in collateralibus manuscriptis.

(3) Sicut explicat Gratianus dist. 3. de pœnitentia post caput *Quæras* ex Hieronymo prænotatum; ubi ait quod illud Ambrosij de illa fide intelligitur de qua dicitur ad Rom. 14. *Omne quod non est ex fide peccatum est, idest, quod fit contra conscientiam:* Alio tamen sensu dici 3. part. qu. 86. art. 3. notavimus.

A P P E N D I X.

accipiunt (1). Fiunt autem ipsius, in quantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, ets utens patienter. Si autem omnino eis per impatientiam differant, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius: & ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra; tamen quantum ad aliquid sunt, ut scilicet eis patienter utamur: & sic homo facit de necessitate virtutem: videlicet & meritoria, & satisfactoria esse possunt.

Ad secundum dicendum, quod, sicut sub eodem igne, ut Augustinus (2) dicit (Lib. I. de civ. Dei cap. VIII. ad fi.) *aurum rutilat, & palea fumat*, ita etiam eisdem flagellis & boni purgantur, & mali magis inficiuntur per impatientiam. Et ideo quamvis flagella sint communia, tamen satisfactio tantum est bonorum.

Ad tertium dicendum, quod flagella respectum habent ad culpam præteritam semper, sed non semper ad culpam personæ, sed quantum ad culpam naturæ. Si enim in humana natura nulla culpa præcessisset, nulla poena fuisset. Sed quia culpa in natura præcessit, personæ alicui divinitus poena infertur sine culpa personæ, ad meritum virtutis, & cautelam peccati sequentis. Et hæc etiam duo necessaria sunt in satisfactione. Oportet enim esse opus meritorium, ut honor Deo exhibeatur; & oportet esse virtutum custodiam, ut a futuris peccatis præservemur.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas errorem quorundam (ut ex Conc. Trid. infra patebit) dicentium, flagella in præfati vita hominibus a Deo inflictis non esse satisfactoria. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hunc merito damnari a Concil. Trid. sess. 14. cap. 9. *Docet præsertim, sanctam esse divinæ munificentiæ largientem, ut non solum panis sponte a nobis pro vindicando peccato susceperis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.* Hæc ibi. Et cano. 1. *Si quis dixerit, pro peccatis quoad penam temporalem minime Deo per Christi merito satisfieri panis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, &c. anathema sit.* Item a scripturis Tob. 3. *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.* Hæc verba sunt de flagellis a Deo inflictis, cum sint Saræ mulieris in proposito suæ magnæ afflictionis prolata. Iterum Eccl. 2. *Pius, & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata.* Ecce, quod (ut dicebat Concil. Trid.) hoc est argumentum magnæ pietatis, & misericordiæ divinæ, flagella scilicet ab ipso nobis inflictis, patienterque tolerata computari in satisfactiones pro peccatis nostris. Iterum Eccles. 35.

Spe-

(1) Ex Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 9. ubi expresse ita docet: ut & can. 3. ubi hoc ipsum et professio definit: nimirum quod flagellis temporalibus a Deo inflictis & patienter toleratis apud Deum Patrem per Jesum Christum satisfacere valeamus.

(2) Gregorii olim nomine citabatur; sed est potius Augustini de Civit. Dei lib. 1. cap. 8. sic plenius dicentis: *Mancet dissimilitudo: passerum etiam in similitudine passionum; & licet sub eodem sormento, non est idem virtus & vitium: Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eodem tribula stipula comminuantur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca confunditur quid eodem prælii pondere exprimitur: sed una eademque vis irruens bonos probat, purificat, aliquos malos damnat, vastat, exterminat: Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant; boni autem præcantur & laudant: Tantum interest (sed tantopere) non qualis sed qualis quisque pariatur: Nam pari modo exagitatum & exhalat horribilitatem omnium, & suaviter fragrat unguentum. Nihil autem in Gregorio tale occurrit, sed sic tantum super*

Ezechielem hom. 17. *Solis radius diversus non est & tamen eum diversus non sit, diversa sunt que in ipso operatur & cera; quia uno eodemque sui ignis calore lutum durat & ceram liquat: Ut & 4. Dialog. cap. 43. alio sensu, quod unus quidem est gehenna ignis, sed non uno modo omnes cruciatus peccatores: Nam sicut in hoc mundo sub uno Sole multi consistunt, nec tamen eisdem Solis ardorem æqualiter sentiunt, quia plus alius estuat, alius minus; ita illis in uno igne non unus est modus incendiij; quia quod hic agit diversitas corporum, illic agit diversitas peccatorum; ut & ignem non dissimilem habeant, & tamen eisdem singulos dissimiliter exurat: Sed huc nisi analogice non pertinet, nempe si ad afflictionis diversitatem sive diversum modum & effectum pro meritorum diversitate comparisonem diversi actus ab eodem causati Sole applicemus. Quod porro Hieronymi nomine argumentatur. 2. subiungitur, est alterius adulterini commentatoris qui Hieronymus olim indignissime putatus est, ut in aureæ catenæ suo per Marcum præfatione notavimus 2. quamvis indignum eo non sit, quod hic inde usurpat S. Thomas.*

Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis. Item Psalm. 68. *Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adventiones eorum.* Hoc est. Tu Deus ulciscendo contra peccata eorum, idest pro eis flagellando ipsos, fuisti propitius eis. Ubi insinuat eundem, quod flagella nobis immissa reputantur pro satisfactionibus, si patienter toletentur: & hoc est magna propitiatio Dei erga nos sic flagellatos. Item Psal. 94. *Quadragesima annis offensus fui generationi illi, & secutum aliam litteram communiter ab Ecclesia pro invitatorio Psalmo receptam, 40. annis proximus fui generationi.* Dicitur autem Deus fuisse proximus generationi illi, in quantum erga illam misericordia magna usus est: dicitur vero eidem fuisse infensus, in quantum illam pro peccatis sæpius flagellavit. Ecce, quod secundum intentum Psalmistæ tunc fuit proximus, quando ei fuit infensus, idest tunc misericordiam erga illam generationem exercuit, quando ipsam pro delictis castigavit. Et nota, quod non dicit *ly propinquus*, sed *ly proximus*, ut ex superlativo non qualemcumque sed maximam, in genere puniendi peccatores, misericordiam illam fuisse cognoscas, & reuera sic est. Nam fuit misericordia, in quantum castigationes illas peccatis debitas pro satisfactionibus etiam computari Deus voluit: fuit magna, in quantum flagellationes easdem locum poenarum in purgatorio pro iisdem peccatis habendarum (cum tamen incomparabiliter ferme illæ purgatorii præsentis excedant) supplere dignatus est: fuit maxima, in quantum illas ipsas etiam meritorias effecit (quod tamen in purgatorio cum tanta acerbitate poenarum non fit.) Exemplum de latrone a dextris crucifixo, in cuius flagellis hæc triplex Dei misericordia resplenduit. Confirmatur intelligentia hæc ex D. Thom. qui super epist. ad Hebr. c. 3. lect. 2. exponens *ly proximus*, postquam hoc ad divinam misericordiam retulit, subdit sic: *Hoc ipsum temporaliter punire peccatores magnum misericordiam signum est.* Unde August. *Hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in verbum parcas.* Ubi notabis tu, quod accipitur *ly magnum* antonomastice, idest pro maximo, propter rationem supradictam. Item a lib. 2. Machab. 6. *multo tempore non sine peccatores ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium.* Ubi per *ly magni*, tanquam antonomastice dicti, intelliges maximi. Redit enim auctoritas ista in eundem cum superioribus a Psalmo, & S. Doctore prolatis. *Tertio habes: quo-*

modo per rationem præmissa Scripturarum, Sanctorumque dicta, pro quanto flagella vitæ præsentis indicant esse satisfactoria, & intelligas, & probes, & tuearis: *Quarto vides: quomodo &c.*

ARTICULUS III. 61

Utrum convenienter enumerentur opera satisfactoria.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod inconvenienter enumerentur opera satisfactoria, cum dicitur quod sunt tria: elemosyna, jejunium, & oratio. Quia opus satisfactorium debet esse poenale. Sed oratio poenam non habet, cum sit contra poenæ tristitiam medicina, sed delectationem: unde dicitur Jacobi v. 13. *Tristetur aliquis vestrum? orate: æquo animo est? psallat.* Ergo non debet computari inter opera satisfactoria.

2. Præterea. Omne peccatum vel est carnale, vel spirituale. Sed, sicut dicit Hieronymus (in illud Mar. 12. *Hoc genus demoniorum jejunio sanantur, pestes corporis, oratione pestes mentis.*) jejunio sanantur pestes corporis, oratione pestes mentis. Ergo non debet esse aliud quod aliud opus satisfactorium.

3. Præterea. Satisfactio est necessaria ad emundationem peccatorum. Sed elemosyna ab omnibus peccatis emundat: Luc. xi. 41. *Date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Ergo alia duo sunt superflua.

4. Sed contra. Videtur quod debeant esse plura. Quia contraria contrariis curantur. Sed multo plura sunt peccatorum genera quam tria. Ergo debent plura satisfactionis opera computari.

5. Præterea. Peregrinationes etiam injunguntur pro satisfactione, & discipline, sive flagellationes, quæ non computantur sub aliquo horum. Ergo insufficienter enumerantur.

Respondetur dicendum, quod satisfactio debet esse talis, per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei. Nos autem non habemus nisi tria bona, scilicet bona animæ, & bona corporis, & bona fortunæ, scilicet exteriora. Ex bonis quidem fortunæ subtrahimus nobis aliquid per elemosynam; sed ex bonis corporis per jejunium; ex bonis autem animæ non oportet quod aliquid subtrahamus nobis quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionem ipsorum: quia per ea efficiuntur Deo accepti, sed per hoc quod ea submittimus Deo totaliter: & hoc fit per orationem.

Competit etiam iste numerus ex parte illa qua

qua satisfactio peccatorum causas excidit: quia radices peccatorum tres ponuntur I. Joan. II. 16. scilicet *concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vite*. Contra concupiscentiam carnis ordinatur *jejunium*: contra concupiscentiam oculorum ordinatur *elemosyna*: contra *superbiam vite* ordinatur *oratio*, ut Augustinus dicit super Mattheum.

Competit etiam quantum ad hoc quod satisfactio est peccatorum suggestionibus adiutum non indulgere: quia omne peccatum vel in Deum committimus; & contra hoc ordinatur *oratio*: vel in proximum; & contra hoc ordinatur *elemosyna*: vel in nos ipsos: & contra hoc ordinatur *jejunium*.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum quosdam duplex est oratio: quarundam quæ est contemplativorum, quorum *conversatio in caelis est*; & talis, quia totaliter est delectabilis, non est satisfactoria: alia est quæ pro peccatis gemens fundit; & talis habet penam, & est satisfactoria pars.

Vel dicendum, & melius, quod quilibet oratio habet rationem satisfactionis: quia quamvis habeat suavitatem spiritus, habet tamen afflictionem carnis: quæ; ut dicit Gregorius super Ezech. (hom. XIV. inter med. & fr.) *dum crescit in vobis fortitudo amoris intemi, infirmatur proculdubio fortitudo carnis: urde & nervus femoris Jacob ex luctu Angeli emarcuisse legitur Gen. XXXI.*

Ad secundum dicendum, quod peccatum carnale dicitur dupliciter: uno modo quod in ipsa delectatione carnis completur, ut gula, & luxuria; alio modo quod completur in his quæ ad carnem ordinantur, quamvis non in delectatione carnis, sed in delectatione animæ magis perficiatur, ut avaritia. Unde talia peccata sunt quasi media inter spiritalia, & carnalia: & ideo oportet quod eis etiam aliqua satisfactio respondeat propria, scilicet elemosyna.

Ad tertium dicendum, quod quamvis singula istorum trium per quamdam convenientiam singulis peccatis approprientur, quia congruum est ut in quo quis peccavit, in hoc puniatur, (1) & quod peccati commissi per satisfactionem radix abscindatur; tamen quodlibet horum pro quolibet peccato satisfacere potest. Unde ei qui non potest unum ex his perficere, injungitur aliud; & precipue elemosyna, quæ aliorum vices supplere potest, in quantum alia satisfactionis opera per elemosynam quisque sibi mercatur (2) quodammodo in illis quibus elemosynam tribuit. Unde non oportet quod si elemosyna omnia mundat peccata, propter hoc alia satisfactiones superfluant.

Ad quartum dicendum, quod quamvis sint multa peccata in specie; tamen omnia ad illas tres radices, vel ad illa tria peccatorum genera, quibus diximus (in corp. art.) distas satisfactiones respondere, reducuntur.

Ad quintum dicendum, quod quicquid ad afflictionem corporis pertinet, totum ad jejunium refertur; & quicquid in proximi utilitatem expenditur, totum elemosynæ rationem habet; & similiter quæcumque largia exhibetur Deo, orationis accipit rationem: & ideo etiam unum opus potest habere plures rationes satisfaciendi.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Joviniani* (Prat. *Lutherani*) dicentis, jejunium nullius esse meriti apud Deum: item *Pelagii* dicentis: orationem prorsus esse inutilem, nulliusque virtutis. Qua enim ratione probatur, & jejunium, & orationem esse opera satisfactoria, eadem probatur, quod sunt alicujus virtutis, & meriti; cum satisfactio sit actus virtutis; *quæst. 12. art. 1. & opus meritorium, qu. 14. art. 2. & quæst. hujus art. 2. ad 1. Secun-*

(1) Juxta illud Sap. II. vers. 17. *Per que quis peccat, per hæc & torquetur & castigatur, & punitur, &c.* ut jam plenius notatum est.

(2) Sic legi debet, id est *emis*; alludendo ad illud ex Matth. 10. vers. 41. *Qui recipit justum in nomine justii, mercedem justii accipiet: Nec ad marginem in aliis editionibus notari oportuit, alias meretur.* Huc pertinet quod Ecclesiastici 29. vers. 15. dicitur: *Conclude elemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo: Quod S. Leo serm. 5. Quadragesimæ prope finem: Exorabunt pro vobis & ipsa elemosyna, & ij qui*

vestris muneribus juvabuntur, ut ad omne opus bonum idonei semper esse possitis: Quod in Psalm. 48. vers. 8. Augustinus: Qui sunt qui dant pretium redemptionis anima sua? Quibus ait Dominus (Luc. 16.) Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula: Illi dant pretium redemptionis anima sua quæ non cessant elemosynas facere: Hoc est ergo mercari sibi satisfactionis opera quibus animam a peccatis redimat & a penis, quæ elemosynam confert pauperi, &c.

cundo habes? quomodo per rationem ostendas, merito damnari prædictas hæreses a Concilio Tridentino, sess. 6. ca. 14. sic: *Docendum est, christiani hominis penitentiam post lapsum continere cessationem a peccatis, eorum detestationem, cor contritum, & humiliatum, eorumdem sacramentalem confessionem, iterumque satisfactionem, per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vite exercitia.* Hæc ibi. Ubi jejunium, orationemque esse utilia, & alicujus virtutis, ac meriti, determinari vides per hoc, quod satisfactoria discernuntur: & alia quoque pia exercitia, quod est pro confirmatione responsionis ad *quæstum*, in satisfactionem computari. Et sess. 14. ca. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis, quoad penam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis, &c. ut jejniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam penitentiam essetantum novam vitam, anathema sit.* Hæc ibi. Ubi vides id, quod supra, & ulterius anathematismum contra negantes, ista esse satisfactoria, atque ideo nullius meriti, virtutis, vel utilitatis. Item a Concilio Carthaginensi 4. ca. 85. *Baptizandi diu sub abstinentia vini, & carni, crebra examinatione baptismum percipiant.* Hæc ibi; & recitantur de consecrat. dist. 4. Ergo jejunium, immo & abstinentia, est ad utilitatem, & alicujus virtutis, ac meriti. Item a Concilio Telensi in rescripto ad Siricum Papam contra Jovinianistas. *Non in indulgentia corporis, non in honore aliquo ad saturitatem, & diligentiam carnis, non in desieris erroris; sed in spiritu, quo renovamur, est vivendum. Si parum est, quod Apostolus dixit: Audiant Prophetam dicentem: & operui in jejunio animam meam. Ergo, qui non jejunat, insectus, & nudus est; patet vulnere. Denique, si Adam se recessisset jejunio, non fuisset nudus effectus. Nimirum se a morte jejunio liberavit; & ipse Dominus ait: Non ejicitur hoc genus damnatorum, nisi per orationem, & jejunium.* Hæc ibi. Ubi etiam de oratione habes, quod est alicujus utilitatis, & virtutis, cum demonium exagitet, ac expellat. Item a Papa Sirico; ut ex eodem rescripto habetur. *Itaque Jovinianum, Germinatorem, Felicem, Plotinum, Germinialem, Martialem, Januarium, & Ingeniosum, quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos.* Hæc ibi. Audivimus modo ex Augustino in de fide cathol. quod *capitula, seu dogmata illa non possunt recipi, quorum damnantur auctores.* Item a Scripturis multis,

quarum tu loca videbis. Nam populus Hebraeus, jejunio a Samuele indicto in Masphat, hostes superavit, 1. Reg. 7: & Achab jejunio, sacco, lacrymis suorum veniam criminum obtinuit, 3. Reg. 21: & Judith jejunio afflicta Holofernem prostravit, Judic. 7: & Daniel trium hebdomadarum jejunio visionem Domini intellexit, Daniel 10: & Hester post triduanum jejunium furorem Assueri in mansuetudinem convertit, Hester 4: & Machabeus contra Gorgiam pugnaturus, jejunio sese armans, victoria potitus est. Quid? Salvator noster, qui nos solum utilia, ac virtuosa docuit, jejunium nobis exemplo suo commendavit, Matth. 4: & jejunii modum vocaret ab hypocritis, & vana gloria, Matth. 6: & jejunium futurum in nobis prædixit, inquit Luc. 5. *Venient dies, in quibus auferetur ab eis sponsum, & tunc jejunabunt.* Item a Cæsario I. Papa in epistola ad Episcopos Galliarum; in qua errores Pelagii damnat sic: *Orationes Ecclesie gratiam Christi resonans: qua genus humanum reparatur, & ab æterna damnatione reducitur.* Hæc ille in sententia. Item apertissime a Christo Domino Luc. 18. *Aperte semper orate, & nunquam desicere.* Item Act. 10. *Corneli, orationes sue ascenderunt ante conspectum Domini: & nunc misit, & accersit Simonem, qui vocatur Petrus, & accersit Simonem, qui vocatur Petrus, hic dicit tibi, quid se oporteat facere.* En a fortiori. Ille Cornelius nondum erat actualiter baptizatus; & tamen orationes suas tam utiles ei fuerunt, ut salutis notitiam pleniorum his mediantibus habere promeruerit. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam, quod eleemosynæ sunt satisfactoriæ, in Concilio V. Constantiopol. act. 1. sic: *Eleemosynis fidelibus expurgari peccata didicistis.* Hæc ibi. Item Tob. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat: & non patietur animam ire in tenebras.* Item Eccles. 3. *Ignem ardentem exstinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Item ib. 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te erunt ab omni malo.* Item iterum Tob. 12. Eccles. 3. 4. 7. 17. & Dan. 4. Matth. 6. Luc. 11. 12. Act. 10. 24. Propter auctoritatum tamen præmissarum occasionem, præsertim Tob. 4. Eccles. 3. cave diligenter; ne incidas in errorem quorundam ab Augustino de civit. Dei, lib. 21. cap. 22. recitatorum, dicentium, quod *eleemosynæ sunt tantæ virtutis, ut, qui eas exerceat, quantumlibet criminose, & nefarie vivat, æternam tamen supplicium non est habiturus.*

scelus. Cave etiam inde, ne impingas in scandalosam illam propositionem nonnullorum, recitatum ab *Alphons. Cast. de jus. heres. punis. lib. 1. cap. 3.* dicentium, quod eleemosynam pauperibus elargiri est majoris meriti, quam eleemosynam pro Missæ sacrificio offerre. Nam primum damnat apertissime Apostolus 1. Corinth. 13. *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Nota *ly omnes, ly meas, ly cibos, ly pauperum, ly nihil*, scilicet ad vitam æternam promerendam, & supplicium æternum evadendum. Item illud damnat Concilium *Cabilonense* II. c. 36. „ Sed nec hoc prætereundum putavimus, quod quidam ex industria peccantes, propter eleemosynarum largitionem, quandam sibi promittunt impunitatem. Eleemosyna extinguit peccata, juxta illud: ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata; sed ea, quæ aut necessitate, aut casu, aut qualibet sunt fragilitate. Ea vero, quæ ex industria, aut cujuslibet libidinis explendæ causa idcirco sunt, ut eleemosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt: quia, qui hoc perpetrarunt, videntur Deum mercede conducere, ut eis impune peccare liceat. Non ergo quis idcirco peccare debet, ut eleemosynam faciat, sed ideo eleemosynam facere debet, quia peccavit. Mentem enim, & corpus, quæ libido traxit ad culpam, afflictio, & contritio debet reducere ad veniam. Hæc ibi. Ex his quoque recte glossato tu illud *Tobiz 4.* cum dicit, quod *eleemosyna non patietur, animam ire in tenebras*. Vel etiam intellige sic, quod eleemosyna, quantum est de se, &c. non autem, si alias male vivatur. Vide *quest. 14. art. 3. app. & quest. 15. art. 1. append. & 1. par. quest. 87. art. 2. append.* Disputat & *August. lib. 21. de Civ. Dei, cap. 27.* contra prædictum errorem a se de aliis recitatum supra. Porro propositionem illam scandalosam redarguit ratio hæc, ut omnia alia omittamus. Nam illa, ut cuique patere potest, a sacrificio Missæ, reverentiaque ejus, avertit, Si enim populus credat, minoris meriti esse Missæ sacrificium, quam eleemosynam; tunc populus reverebitur minus, quam oportet, illud sacrificium, & consequenter non tam frequenter, ut nunc facit, illud celebrari faciet; sed unam Missam, ut evomuit *Lutherus*, uni populo affirmabit esse satis. Redarguit etiam, atque damnat hanc

Summ. S. Th. Tom. XIII.

Conc. *Trid.* sess. 22. decret. de obser. & evit. in celebr. Missæ: „ Quod si necessario, fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotem quotidie immolatur, satis etiam apparet, omnem operam, & diligentiam in eo ponendam esse, ut, quanta maxima potest, interiori cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur. Hæc ibi. Nota *ly tam sanctum, ly tam divinum, ly interiori, ly exteriori*. Missa ergo, secundum Concilium, nil sanctius, nil divinius, nil tanta interiori, exteriorique devotione tractandum. Quarto vides: quomodo, &c.

QUESTIO XVI.

De suscipientibus sacramentum poenitentia,

In tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de suscipientibus sacramentum poenitentia.

Circa quod tria queruntur.

Primo, utrum poenitentia possit esse in innocentibus.

Secundo, utrum in Sanctis qui sunt in gloria.

Tertio, utrum in Angelis seu bonis, seu malis.

ARTICULUS I. 62

Utrum poenitentia possit esse in innocentibus.

S. Th. IV. dist. XIV. quest. 1. art. 3. quest. 2.

AD primum sic proceditur. Videtur quod in innocentibus poenitentia esse non possit. Quia poenitentia est commissa mala plangere. Sed innocentes nullum malum commiserunt. Ergo in eis poenitentia non est.

2. Præterea. Poenitentia ex suo nomine importat poenam. Sed innocentibus non debetur poena. Ergo in eis non est poenitentia.

3. Præterea. Poenitentia in idem coincidit cum vindicativa justitia. Sed omnibus existentibus innocentibus, vindicativa justitia locum non haberet. Ergo nec poenitentia: & ita non est in innocentibus.

Sed contra. Omnes virtutes simul infunduntur. Sed poenitentia est virtus. Cum ergo

S 80

go in baptismo innocentibus infundantur alie virtutes, (1) infunditur etiam & pœnitentia.

Præterea. Ille qui numquam fuit infirmus corporaliter, dicitur sanabilis. Ergo & similiter ille qui numquam fuit infirmus spiritua-liter. Sed sicut sanatio in actu a vulnere peccati non est nisi per actum pœnitentiæ; ita nec sanabilitas nisi per habitum pœnitentiæ. Ergo ille qui numquam habuit infirmitatem peccati, habet habitum pœnitentiæ.

Respondeo dicendum, quod habitus medius est inter potentiam, & actum. Et quia remoto priori, removetur posterius, non autem e converso; ideo remota potentia ad actum, removetur habitus, non autem remoto actu. Et quia subtractio materiæ tollit actum, propter hoc quod actus non potest esse sine materia, in quam transit; ideo habitus alicujus virtutis competit alicui cui non superpet materia, propter hoc quod suppetere potest, & ita in actum exire; sicut pauper homo potest habere habitum magnificentiz, sed non actum, quia non habet magnitudinem divitiarum, quæ sunt materia magnificentiz, sed potest habere. Et ideo cum innocentes in statu innocentiz non habeant peccata commissa, quæ sunt materia pœnitentiæ, sed possint habere; actus pœnitentiæ in eis esse non potest, sed habitus potest: & hoc, si gratiam habeant, cum quæ omnes virtutes infunduntur.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis non commiserint, possunt tamen committere: & ideo eis habitum pœnitentiæ habere competit. Sed tamen habitus iste numquam in actum exire potest, nisi forte respectu venialium peccatorum: quia peccata mortalia tollunt ipsum. Nec tamen est frustra, quia est perfectio potentiz naturalis.

Ad secundum dicendum, quod quamvis non sit debita eis pœna actu; tamen in eis possibile est aliquid esse pro quo eis pœna debeatur.

Ad tertium dicendum, quod remanente

potentia ad peccandum, adhuc haberet locum vindicativa justitia secundum habitum, quamvis non secundum actum, si peccata actu non essent.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem a fortiori interimas hæresim *Catharorum* (ut refert Cardinalis Turresemata de *Eccles. lib. 4. cap. 35.*) dicentium, quod non est pœnitendum de peccatis. Si enim innocentibus, etiam quod de facto non peccaverint, convenit suo modo pœnitentia, alioquin nec innocentes essent, si propositum dolendi actualiter, dato, quod peccassent, non haberent: multo utique magis de peccatis jam actualiter commissis pœnitendum erit. *Secundo* habes: quomodo a fortiori per rationem ostendas, illam merito damnari a, &c. ut *qu. 15. ar. 1.* Item a, &c. ut *qu. 6. ar. 1. & 3. app.* Nam ibi confessionem esse necessariam demonstratur; & confessio non fit, nisi de peccatis, *qu. 9. ar. 4.* & est actus pœnitentiæ, *quest. 7. ar. 3.* Item damnari a multis locis Scripture, ut *Levit. 5. 3. Reg. 8. 2. Paralipom. 6. Job 21. 24. Sapient. 11. 12. Eccles. 2. 20. 49. Jer. 8. 88. 31. Ezech. 33. Matth. 3. Luc. 3. 5. 15. 24. Roman. 3. 2. Corint. 7. Act. 2. 5. 8. 11. 20. 2. Pet. 3. Apocal. 2. 3. 9.* Sed unum sufficiat expresse adducere in ejus manifestissimam damnationem, *Luc. 23.* dictum, & a *Concil. Trident. sess. 14. cap. 1.* pro veritate firmanda, & contra errores replicatum, scilicet: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Ecce Christus Dominus, qui passus est tot pœnitentias pro nobis, loquitur. Quare? Ut scias, contra hæreticos, quod, *si compatimur, & conglorificabimur*, Rom. 8. si autem non, non. Parum dixi. Non enim Christus ait solum, non: idest, si non compatimini, non conregnabitis: sed dicit plus, idest, si non compatimini, peribitis. Quid cla-

(1) Ut ostensum est ex professo 3. part. qu. 69. art. 4. & habetur in Clementina *Fidei Catholica 5.* Verum, ex Concilio Viennensi sub Clemente 5. ubi dicitur: *Quia quantum ad effectum baptismi in parvulis reperiuntur Doctores quidam Theologi contrarias opiniones habuisse: quibusdam dicentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; aliis autem a contrario asserentibus quod & culpa eisdem in baptismo remittitur, & virtutes ac informans gratia quoad habitum infunduntur, nisi non pro illo tempore quoad usum:*

*Nos attendentes generalem efficaciam mortis Christi que per baptismum applicatur omnibus baptizatis, opinionem secundam, que dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorum & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologia magis conformem & concordam sacro approbante Concilio dudum eligendam. Hoc autem sub dubio antea reliquerat Innocentius 3. ut cap. *Majores* videre est Extra de baptismo.*

clarior contra Catharos? Tertio habes: quomodo per rationem & recte intelligas, & in quo sensu merito fuisse dictum ostendas, illud Luc. 15. *justi non indigent pœnitentia: & illud Luc. 5. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam: sine prœjudicio tamen veritatis in præsenti articulo determinata. Indigent enim pœnitentia justis, ad illamque vocantur, ut hic docetur, quia, nisi haberent firmum propositum dolendi actualiter, ut oportet, de peccato, si ipsum aliquando committerent, non essent justis: & non indigent pœnitentia, neque vocantur ad illam, ut Evangelium dicit, quia, cum non commiserint actu peccatum, de eo dolere tanquam de commisso non tenentur, immo nec possunt. Quarto habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse virtualiter insinuatum a Scripturis, quod pœnitentia est in innocentibus. Hoc autem sic insinuatum videtur Eccles. 7. *Noli esse justus multum; & Eccles. 18. Sapiens in omnibus metuit.* Ille namque multum se esse justum præsumat, qui se esse hominem peccabilem, quasi in justitia sua nimis confusus, non recognoscit; & talis non metuit de casu possibili sibi venturo, & consequenter non prœcaverit sibi ab illo, nec cogitat dicens, si, quod absit, cadam quandoque, habeo firmum propositum, quod tunc vellem de casu meo, ut oportet, pœnitentiam facere. Quando igitur nos Scriptura ad metuendum in omnibus hortatur, & ab esse multum justos dehortatur: quasi nos ad nostræ considerationem fragilitatis reducit, & ad habendam pœnitentiam modo exposito, dum sumus adhuc in justitia, monet. Et, quia, ut dictum est, nemo potest esse justus, nisi etiam præmissum pœnitendi propositum habeat; ideo Scriptura, quotiescumque ad esse justum invitat aliquem, toties ipsis justis, etiam quod antea nunquam actu mortaliter peccassent, pœnitentiam secundum habitum competere, attestatur. Plurimæ igitur Scripturæ id modo dicto affirmant; quam*

eorum affirmationem merito fieri, per rationem articuli & ostendere, & declarare, & defendere potes. Quinto vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 63

Utrum sancti homines qui sunt in gloria, habeant pœnitentiam.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod sancti homines qui sunt in gloria, non habeant pœnitentiam. Quia sicut dicit Gregorius in Moral. (Lib. IV. cap. ult. ad fi. (1) *beati peccatorum recordantur, sicut nos sani sine dolore dolorum memoramur.* Sed pœnitentia est dolor cordis. Ergo Sancti in patria non habent pœnitentiam.

2. Præterea. Sancti in patria sunt Christo conformes. Sed in Christo non fuit pœnitentia, quia nec fides, quæ est principium pœnitentiæ. Ergo nec in Sanctis in patria erit pœnitentiæ.

3. Præterea. Frustra est habitus qui ad actum non deducitur. Sed Sancti in patria non pœnitebunt actu, quia sic eis esset aliquid contra votum. Ergo non est in eis habitus pœnitentiæ.

4. Sed contra. Pœnitentia est pars justitiæ. Sed justitia est perpetua, & immortalis, & in patria remanebit. Ergo & pœnitentia.

5. Præterea. In vitis Patrum (2) legitur a quodam Patre dictum, quod etiam Abraham pœnitebit de hoc quod non plura bona fecerit. Sed magis debet homo pœnitere de malo commisso, quam de bono omisso, ad quod non tenebatur, quia de bono tali loquitur. Ergo erit ibi pœnitentia de malis commissis.

Respondeo dicendum, quod virtutes cardinales remanebunt in patria, sed secundum actus quos habent in fine suo (3). Et ideo cum pœnitentia virtus sit pars justitiæ, quæ est virtus cardinalis, quicumque habet habitum pœnitentiæ in hac vita, habebit in

S 2 futu-

(1) Ubi plenius ait: *Sicut tristitiam læti reminiscimur, ita tunc, transacta nequitiâ sine læsione nostræ beatitudinis recordamur. Plerumque enim incolumitatis tempore dolores præteritis ad memoriam sine dolore reducimus.*

(2) Ubi porro? Nam in moderna editione non occurrit, ut jam in Sententiis notavimus. An & legendum ut in Pantheologia Rayneri tit. de Pœnitentia, tom. 3. *Pœnitebat?* Et sic nihil pertinet ad beatos.

(3) Ut suo loco 1. 2. qu. 67. art. 1. ex professo

dictum est, ubi tunc solum actum justitiæ in eo statu significat futurum 3. Thomas esse *subditum Deo*; sed loquitur de justitia secundum se ac in communi sumpta, ut præcise alteri reddat quod suum est, adeoque superiori subjectionem quam inferior debet: Plus autem addit secundum suas partes considerata pro diversa conditione singularum; quamvis hoc ipsum quod est *gratias agere Deo pro misericordia relaxante peccata* est pars quedam illius quod est esse *subditum Deo*.

futura ; sed non habebit eundem actum , quem nunc habet , sed alium , scilicet gratias agere Deo pro misericordia relaxante peccata .

Ad primum ergo dicendum , quod illa auctoritas probat quod non habent eundem actum quem hic habet pœnitentia : & hoc concedimus .

Ad secundum dicendum , quod Christus non potuit peccare : & ideo materia hujus virtutis non competit sibi nec actu , nec potentia . Et propter hoc non est simile de ipso , & de aliis .

Ad tertium dicendum , quod pœnitere , proprie loquendo , prout dicit actum pœnitentiæ qui nunc est , non erit in patria ; nec tamen habitus frustra erit , quia alium actum habebit .

Quartum concedimus . Sed quia quinta ratio probat quod etiam idem actus pœnitentiæ erit in patria qui modo est , ideo .

Ad quintum dicendum , quod voluntas nostra in patria omnino erit conformis voluntati Dei . Unde sicut Deus voluntate antecedente vult omnia esse bona , & per consequens nihil esse mali , non autem voluntate consequente ; ita etiam est de Beatis . Et talis voluntas improprie dicitur ab illo sancto (1) Patre pœnitentia .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito a Scripturis insinuatam fuisse , quod in beatis patriæ est pœnitentia . Insinuatam est autem hoc Apocal. 21. ubi de patria loquens ait : *Non intrabis in eam aliquid coinquinatum , aut abominationem faciens* . Item Psal. 117. *Hæc porta Domini , iusti intrabunt in eam ;* & 100. *Non habitabis in medio domus meæ , qui facit superbiam ; qui loquitur iniqua , non direxerit in conspectu oculorum meorum ;* & 94. ad peccatores etiam solum corde loquens Dominus , postquam permiserat *ly errans corde , & isti non cognoverunt vias meas* , subdit dicens : *quibus seravi in ira mea , si introibunt in requiem meam* . Hoc est . Non introibunt ; vel (& in idem redit) si introibunt , tale quid mali accidat ; aut si introibunt , mihi amplius non credatur ; aut aliquid huiusmodi . Solent enim , qui maxima determinatione

apud se definitum esse aliquid volunt ostendere contra aliquos , quibus maxime irati sunt , jurare sic truncate , quasi præ iræ magnitudine juramentum totaliter exprimere non valentes : & tunc hoc modo jurando statutum irrefragabiliter , & adimplendum indispensabiliter , declarant esse illud , quod sic semipronunciant . Hunc modum jurandi humanum ibi in *Psal.* repræsentat Deus ; ut facilius homines ex suo ipsorum solito modo jurandi intelligant , quid velit dicere per talem comminationem . Cum ergo loquatur sic Deus ibi ad peccatores , & dicat , illos , dum remanserint in tali statu , non intraturos in requiem suam , patet multo magis , quod nullus peccator existens manet in requie illa ; seu , quod nullum peccatum est in beatis . Hinc fit , quod , cum ingratitude sit peccatum , & Scripturæ præmissæ a beatis peccatum omne excludant , ingratitude omnem etiam per hoc coexcludere intendunt : & per consequens , quod in ipsis pœnitentiam secundum actum statui beatorum convenientem ponant . Nam pœnitentia illa est gratitudo quædam beatorum erga Deum de hoc , quod ei specialiter obligati sunt : & per consequens non pœnitentia talis esset ingratitude beatorum erga Deum . Nisi ergo pœnitentia modo hic declarato esset in beatis , tunc ingratitude , & ex consequenti , peccatum esset in illis , quod aures fidelium audire non sustinent . Tot igitur & Scripturæ , & Concilia , & summi Pontifices , pœnitentiam prædictam in beatis esse dicunt ; quot ab eis omne vel minimum peccatum excludunt . Ingratitudo enim peccatum est , 2. 2. *quest.* 107. *art.* 3. quoniam repugnat virtuti gratitudinis , de qua nobis dicitur ad Coloss. 3. *& grati estote* . Quis modo nesciat , ingratum esse illum , qui a magnis liberatus periculis liberatori suo debitas non reddit gratias ? Essent ergo ingrati in patria existentes (quod nefas est etiam cogitare) si Deo gratias non agerent pro misericordia , qua sibi ipsis relaxavit peccata , vel in quæ de facto ceciderant , vel in quæ cadere sive per commissionem , sive per omissionem quamcumque potuerant . Vide supra examen tertium post probationem . Secundo habes : quomodo per rationem dicta Scripturarum præmissarum , aut similibus , pro quanto pœnitentiam insinuant reperiri in patriæ beatis , & intelligas , & pro-

(1) Qualicumque fuerit , & hoc iisdem verbis dixit , & non sicut indicavimus paulo supra .

& probes, & defendas. Tertio vides quomodo
&c.

A R T I C U L U S III. 64

Utrum Angelus sit susceptivus pœnitentiæ.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod etiam Angelus seu bonus, seu malus, sit susceptivus pœnitentiæ. Quia timor est initium pœnitentiæ (1). Sed in eis est timor: Jacobi 11. 19. *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Ergo in eis potest esse pœnitentiæ.

2. Præterea. Philosophus dicit in IX. Ethic. (cap. 1v. ad fin.) quod *pœnitentiæ replentur mali, & hæc est maxima pœna eis* (2). Sed dæmones maxime sunt pravi; nec aliqua pœna eis deest. Ergo dæmones possunt pœnitere.

3. Præterea. Facilius movetur aliquid in id quod est secundum naturam, quam in id quod est contra naturam; sicut aqua, quæ per violentiam calefacta est, etiam per seipsam ad naturalem proprietatem redit. Sed Angeli possunt mutari in peccatum, quod est contra communem naturam eorum. Ergo multo fortius possunt revocari in id quod est secundum naturam. Sed hoc facit pœnitentiæ. Ergo sunt susceptibiles pœnitentiæ.

4. Præterea. Idem iudicium est secundum Damascenum (3) de Angelis, & de animabus separatis. Sed in animabus separatis potest esse pœnitentiæ, ut quidam dicunt, sicut in animabus beatis, quæ sunt in patria. Ergo & in Angelis potest esse pœnitentiæ.

Sed contra. Per pœnitentiæ homo consequitur veniam de peccato commisso. Sed hoc est impossibile in Angelis. Ergo non sunt susceptibiles pœnitentiæ.

Præterea. Damascenus dicit (loc. cit.) quod *homo fungitur pœnitentiæ propter corporis*

infirmiæ. (4) Sed Angeli non sunt in corpore. Ergo in eis non potest esse pœnitentiæ.

Respondeo dicendum, quod pœnitentiæ in nobis dupliciter accipitur. Uno modo secundum quod est passio: sic autem nihil aliud est quam dolor, vel tristitia de malo commisso. Et quamvis, secundum quod est passio, non sit nisi in concupiscibili; tamen aliquis actus voluntatis similitudinarie pœnitentiæ dicitur, quo quis scilicet detestatur quod fecit; sicut etiam amor, & aliz passiones dicuntur in intellectivo appetitu. Alio modo accipitur, secundum quod est virtus: & hoc modo detestari malum commissum cum emendationis proposito, & intentione expiandi, vel Deum placandi de offensa commissa, est actus ejus. Detestatio autem mali competit alicui, secundum quod habet ordinem naturalem ad bonum. Et quia in nulla creatura talis ordo, vel inclinatio totaliter tollitur; ideo etiam in damnatis talis detestatio manet, & per consequens pœnitentiæ passio, vel simile, ut dicitur Sapientiz v. 3. *Intra se pœnitentiæ agentes &c.* Et hæc quidem pœnitentiæ, cum non sit habitus, sed passio, vel actus, nullo modo in beatis Angelis esse potest, in quibus peccata commissa non præcesserunt; sed in malis angelis est; cum sit eadem ratio de his, & de animabus damnatis: quia secundum Damascenum (loc. sup. cit.) *quod hominibus est mors, & hoc est Angelis casus*. (5) Sed peccatum Angeli est irremissibile. Et quia peccatum, ut remissibile est, vel expiabile, est propria materia ipsius virtutis, quæ pœnitentiæ dicitur; ideo cum materia non possit eis competere, non adest eis potentia exeundi in actum: & ideo nec habitus eis convenit. Et ideo Angeli susceptivi virtutis pœnitentiæ esse non possunt.

Ad

(1) Ex Augustino in 1. epist. Joan. tract. 9. colligi potest, & jam 3. part. quest. 85. art. 5. discussum est.

(2) Sive paulo allis verbis, *Pœnitentiæ pleni sunt pravi* (καβαλοι) & ita se habere valde miserum est; ut prope finem capituli quarti tum in græco-latinitum in antiquis patet, apud S. Thomam lect. 4.

(3) Quippe lib. 1. de fide orthodoxa cap. 11. & cap. 12. efformatum ad imaginem Dei hominem secundum animam & in Paradiso terrestri collocatum fuisse dicit velut alterum Angelum, &c.

(4) Vel sic plenius: *Inadoptivus pœnitentiæ* (sive susceptivus & incapax, ἀνεπίθετος) angelus est, quia incorporeus: Nam homo propter corporis infir-

mitatem, (vel imbecillitatem, ἀσθενεια) pœnitentiæ susceptivus est vel consequitur *τροπε μετανοίας* quod Faber Stapulensis minus ad verbum vertit propter substantiæ infirmitatem, cum sit græco σωματικόν non ουσιαστικόν. Tamen alludere ad illud potuerit Psal. 88. vers. 47. & 48. *Usquequo exardescet sicut ignis ira tua? Memorare quæ mea substantia (ἡ οὐρανοσ) hoc est quæ carum virium sit mensura, inquit ibi Theodoretus; nimirum propter carnem peccatis obnoxiam.*

(5) Sicut lib. 2. de fide orthodoxa cap. 4. prope finem habetur, ubi addit: *Post lapsum enim non est illis pœnitentiæ locus, ut nec hominibus post mortem.*

Ad primum ergo dicendum, quod ex timore in eis generatur aliquis poenitentiae motus, sed non quae sit virtus. (1)

Et similiter dicendum ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod quicquid in eis est naturale, totum est bonum, & ad bonum inclinans; sed liberum arbitrium est in eis in malo obstinatum. Et quia motus virtutis, & vitii non sequitur inclinationem naturae, sed magis motum liberi arbitrii; ideo non oportet quod quamvis naturaliter inclinentur ad bonum, motus virtutis in eis sit, vel esse possit.

Ad quartum dicendum, quod non est eadem ratio de Angelis sanctis, & de animabus sanctis: quia in animabus sanctis praecessit, vel praecedere potuit peccatum remissibile, non autem in Angelis: & ita quamvis sint similes quantum ad statum praesentem, non tamen quantum ad statum praeteritum, quem poenitentia respicit directe.

A P P E N D I X.

Hinc habes primo; quomodo per rationem *tertiae* conclusionis, tanquam in radice, interimas haeresim *Libertinorum* (Prat. *Libertini*) dicentium, quod diabolo misericordia Dei post iudicium praesto erit: item *Origenistarum* (Prat. *Origenista*) dicentium, diabolum, sive daemones aliquando fore salvandos. Ex articulo enim habes, quod diabolus est impoenitens, seu quod non potest esse subiectum virtutis poenitentiae. Ex praesenti igitur articulo, tanquam illum in materia ista expendens, dicas. Aut Deus impoenitentem salvabit, quod & suae iustitiae derogat nimium, & toti sacrae scripturae repugnat ponenti, in illam nitidissimam patriam nullum peccatorem ingressurum: aut numquam salvabitur diabolus. Primum, cum sit expresse blasphemum, non est dicendum: & maxime, quia non de quomodocunque existente in peccato agitur, sed de totaliter

secundum virtutem impoenitente. Unde, si sacrae litterae abhorrent, quod aliquis existens in peccato in illam immaculatam patriam ingrediatur, quanto magis hoc de impoenitente intelligi volunt? Adde, quod, si diabolus propter suam peccatum inde mox propulsatus est (ut tota scriptura testatur) quomodo vel leviter unquam cogitandum, quod ipse idem de peccato illo impoenitens in illam requiem introibit? Vide *art. 2. appen.* juramentum Dei circa huiusmodi materiam in *ly quibus juravi in ira mea, si, &c.* Restat itaque concludendum secundum illius divisionis membrum, quod sc. diabolus nunquam in aeternum salvabitur. Quod si *Origenista*, vel *Libertini* respondeant Divo Thomae, quod aliquando ipsi daemones poenitent de peccato suo; adverte, quod non possunt id sustinere: quoniam operatio alicujus rei dari non potest sine objecto: immo nec oppositum ab ullo sapiente fingi potest. Quod si res non poterit operari, mox profecto esse cessabit. Ecce ratio cum suo discursu tracta a Philosopho *lib. 1. de anima, tex. 11. 12.*

Modo ad rem: D. Thom. pro ratione conclusionis *tertiae* assignat; quod materia propria poenitentiae virtutis deest daemionibus: & ideo non adest. (inquit) *eis potentia exorandi in actum.* Ac si aperte dixisset. Deest objectum poenitentiae virtutis, idest peccatum remissibile in daemionibus, *1. par. qu. 64. art. 2;* & idcirco non possunt operari secundum hanc virtutem. Aut ergo aliquando totaliter otiosum dabitur in natura (quod est contra totam philosophiam) si poenitentia virtus in daemionibus aliquando ponatur, aut poenitentia virtus numquam in eis poterit esse (quod est verum in conclus. *tertiae* expressum.) *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, praemissam haeresim (*Libertinorum* enim illa tandem in sensu cum Origeniana convenit) fuisse merito in suo capite condemnatam a quinta synodo *Constantinop.* generali; *sess. 8. cap. 11. sic; Si quis non anathematizat* *Arri-*

(1) Nempe cum timor ille non sit nisi pure servilis & coactus, non spontaneus & in amorem ducens: qualis est ille timor quem ex impulsu Spiritus sancti nondum inhabitantis quidem sed moventis poenitentiarum intuitu concipit Concilium Tridentinum *Sess. 14. cap. 4.* docet, ut eo viam sibi ad iustitiam pareret poenitens, &c. Unde in supradictum locum Bedae: *Qui vel non credunt Deum vel creditum non timeant, profecto sunt daemionibus atrociores estimandi: Sed nec Deum credere, ut nec eum convereisicere, magnum est, si non & ejus amor separatur in corde:*

Qui non credit (vel qui non contremiscit) adhuc nec daemone imitatur: Qui jam credit sed odit Christum, habet confessionem in timore pane, non in amore corone: Nam & illi puniri timebant: Nimirum cum Legio quae hominem obsidebat supplicii voce proclamavit, Adjuro te: ne me torquas (Luc. 8. vers. 28.) Quod ipsum Beda ex Tract. 10. in Epist. 1. Joann. mutuatus est, ubi eadem fere Augustinus; etsi exemplum sumens ex Luc. 4. vers. 35. Quid nobis & tibi Jesu Nazarene? Venisti perdere nos?

Arrium, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Nestorium, Eutychen, & Origenem, cum impiis eorum scriptis, & omnes alios hereticos qui condemnati sunt, & anathematizati a sancta Dei catholica, & Apostolica Ecclesia, vel prædictis quatuor sanctis Conciliis: sed & eos, qui similia cum prædictis hereticis sapuerunt, aut sapere noscuntur, & usque ad finem permanserunt in propria impietate: talis anathema sit. Hæc ibi. Per hunc ergo canonem damnantur etiam *Libertini, Evagrius, & Didymus, Origeniste*: imo & quicumque quocumque tempore Origeni adhæserint, aut in posterum adhærebunt, & quod dico de Origene, dic tu etiam de aliis ibi nominatis. Per eundem quoque canonem damnantur quæcumque alio quocumque tempore ab eo hæreses consistat; ut, quod animæ fuerint ante corpora, quod una anima in plura corpora ingrediatur, quod inferni supplicii aliquando finis erit; quod corpora cum animabus non resurgent, sed nudæ animæ. Vide *rom. 1. Concilio in principio, de septem Conciliis œcumenicis.* Item, merito condemnata a, &c. ut *1. par. q. 64. appen.* tum per scripturas, tum per Concilia. Item ab Ecclesia catholica, respons. pro defunctis ibi: *In inferno nulla est redemptio.* Item a, &c. ut *pri. par. q. 62. ar. 8. appen.* Ibi enim ostenditur efficacissime; quod nec beatitudo, nec miseria aliquando deficient, contra *Stapulensem, & Origenem, & consequenter quatuor sequentes hæreses eius, quæ ad unam reducuntur, ibique sub unius nomine omnes profligantur.* Sunt vero istæ: Beatitudinem, & miseriam, non fore perpetuam: Beatitudinis, & miseriam quasdam futuras esse alternationes. Beatas animas in corpora mortalia iterum reversuras, in quibus patientur: & hinc rursus ad beatitudinem revocandas: Beatitudinis, & miseriam futurum circulum quendam. Item (ut major sit prædictorum confusio) ab iisdemmet hereticis, qui dicunt; diabolum substantiam esse malam, & malum principium. Licet enim hi *Manichei* hæretice loquantur, ut habes *1. par. q. 63. ar. 4. & q. 39. ar. 3. & q. 21. ar. 1. & q. 44. ar. 1. appen.* tamen contra Origenem, & Libert. faciunt: & ita vindicat se Deus per inimicos suos de inimicis suis, (ut olim in libris Judicum, & Regum gladio materiali sæpius fecit.) Si enim diabolus est primum principium malum, & substantia secundum se mala utique etiam secundum *Manichæos* numquam poterit penitere; & consequenter numquam salvari. Item a *Trinitatis,* qui

dicunt, quod diabolus numquam erit, nisi malus. Quamvis hoc, sc. quod numquam habuit, unde posset stare, idest quod ab instanti suæ creationis fuit malus, hæretice dicant ut *1. par. q. 63. ar. 5. appen.* ostenditur. Item a *Priscillianistis* dicentibus, diabolum non posse esse bonum. Quamvis hoc, quod sc. ipse sit ex natura sua malus, hæretice dixerint, ut *1. par. q. 63. ar. 4. appen.* monstratur. Valent hi, alias hæretici, ad revincendum prædictorum insanas hæreses licet pro veritatis catholicæ firmamento nec illa eorum dicta assumamus, nec eis vel tantillum indigeamus. *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta præmissorum Conciliorum, & scripturarum, inquantum penitentiam virtutem insinuant non posse esse in demonibus, & declares, & probes, & tuearis. *Quarto* vides quomodo: &c.

QUESTIO XVII.

De potestate clavium,

In tres articulos divisa.

Consequenter considerandum est de potestate ministrorum hujus sacramenti, quæ ad claves pertinet. Circa quod primo videntur de clavibus. Secundo de excommunicatione. Tertio de indulgentia: hæc enim duo sunt annexa potestati clavium. Circa primum consideranda sunt quatuor. Primo de entitate, & quidditate clavium, & usu earum. Secundo de effectu earum. Tertio de ministris clavium. Quarto de his in quibus potest exerceri usus clavium.

Circa primum queruntur tria.

Primo, utrum claves in Ecclesia esse debeant.

Secundo, utrum clavis sit potestas ligandi, atque solvendi &c.

Tertio, utrum sint duæ claves, vel tantum una.

ARTICULUS I.

Utrum claves in Ecclesia esse debeant.

D. Thom. IV. dist. xviii.

AD primum sic proceditur. Videtur quod claves in Ecclesia esse non debeant. Non enim requiruntur claves ad intrandum domum cujus ostium est apertum. Sed *Apolyp. iv. 1.* dicitur: *Vidi, & ecce in celo ostium*

ostium apertum : quod Christus est, qui de seipso dicit Joan. x. 7. *Ego sum ostium*. Ergo ad introitum cæli Ecclesia clavibus non indiget.

2. Præterea. Clavis est ad aperiendum, & claudendum. Sed hoc solius Christi est, qui *aperit*, & *nemo claudis, claudis, & nemo aperis*. Apoc. 111. 7. Ergo Ecclesia in ministris suis claves non habet.

3. Præterea. Cuicumque clauditur cælum, aperitur infernus, & e contrario. Ergo quicumque habet claves cæli, habet claves inferni. Sed Ecclesia non dicitur habere claves inferni. Ergo nec claves cæli habet.

Sed contra est quod dicitur Matth. xvj. 19. *Tibi dabo claves regni celorum* (1).

Præterea. Omnis dispensator debet habere claves eorum quæ dispensat. Sed ministri Ecclesie sunt dispensatores divinarum mysteriorum, ut patet I. Corinth. iv. Ergo debent habere claves.

Respondeo dicendum, quod in corporalibus dicitur clavis instrumentum, quæ ostium aperitur. Regni autem ostium nobis per peccatum clauditur & quantum ad maculam, & quantum ad reatum pœnæ. Et ideo potestas qua tale obstaculum removetur, dicitur clavis. Hæc autem potestas est in divina Trinitate per auctoritatem : & ideo dicitur a quibusdam, quod habet clavem auctoritatis. Sed in Christo homine fuit hæc potestas ad removendum prædictum obstaculum per meritum passionis, quæ etiam dicitur januam aperire ; & ideo dicitur habere secundum quosdam claves excellentiæ. Sed quia ex latere Christi dormientis in cruce sacramenta fluxerunt, quibus Ecclesia fabricatur ; ideo in sacramentis Ecclesie efficacia passionis manet. Et propter hoc etiam ministris Ecclesie, qui sunt dispensatores sacramentorum, potestas

aliqua ad prædictum obstaculum removendum est collata, non propria, sed virtute divina, & passionis Christi : & hæc potestas metaphorice clavis Ecclesie dicitur, quæ est clavis ministerii.

Ad primum ergo dicendum, quod ostium cæli, quantum est de se, semper est apertum ; sed alicui clausum dicitur propter impedimentum intrandi in cælum, quod in ipso est. Impedimentum autem totius humanæ naturæ ex peccato primi hominis consecutum, per passionem Christi amotum est : & ideo Joannes post passionem vidit in cælo ostium apertum. Sed adhuc quotidie alicui manet clausum propter peccatum originale, quod contraxit, vel actuale, quod commisit, & propter hoc indigemus sacramentis, & clavibus Ecclesie.

Ad secundum dicendum, quod hoc intelligitur de clausione qua limbum claudit, ne aliquis ultra in illum descendat ; & de apertione qua paradysum aperuit, remoto impedimento naturæ per suam passionem.

Ad tertium dicendum, quod clavis inferni, qua aperitur, & clauditur, est potestas gratiam conferendi, per quam homini aperitur infernus, ut de peccato educatur, quod est inferni porta ; & clauditur, ne ultra homo in peccatum labatur gratia sustentatus. Potestas autem gratiam conferendi solius Dei est : & ideo clavem inferni sibi soli retinuit. Sed clavis inferni est potestas etiam dimittendi reatum pœnæ temporalis, qui manet, per quem homo a regno prohibetur. Et ideo magis potest homini dari clavis regni quam clavis inferni : non enim idem sunt, ut ex dictis patet (hic sup.) Aliquis enim de inferno educitur per remissionem æternæ pœnæ, qui non statim in regnum introducitur propter reatum temporalis pœnæ, qui manet.

Vel

(1) Quales Apocal. 1. vers. 18. exprimuntur, ubi sic de se Christus inusitata forma se videodum exhibens : *Ego sum primus & novissimus : Fui mortuus, & ecce vivens in secula seculorum ; & habeo claves mortis & inferni* ; Hoc est ; tam in animæ quam in corporis mortem auctoritatem absolutam ac potestatem, ut Andreas Cretenensis tom. 1. recentioris Bibliothecæ Patrum interpretatur : Vel sicut Primasius eodem tomo ; *Claves mortis & inferni, id est, diaboli & totius corporis ejus, ipsum nomine mortis designans ; inferorum autem in quibus regnat : qui omnes divini iudicii non effugiunt potestatem, sicut clavem* : Et sub nomine Ambrosii Commentarius ad operum illius appendicem inter suppositicia rejectus, qui potius tribui debet Ambrosio Ansberto circa octin-

gentesimum Christi annum florenti sic plenius : *Qui alicujus domus clavem habet, quem vult intro-mittere & quem vult ab ingressu domus repellere Per clavem ergo potestas filii Dei intelligitur & Claver legitur mortis & inferni ipse possidet, quia quos vult a damnatione mortis perpetue misericorditer liberat, & quos vult in eodem damnationis periculo & mortis iusto iudicio remanere finis. Hoc nempe sensu & alio etiam ad 3. notato solus Deus infernæ claves habet : quamvis per potestatem subordinatam remittendi peccata & proinde gratiam aliquo modo conferendi eas communicari Ecclesie, ut Primasius loco indicato exposcit : Et sic etiam Beda super eundem locum Apocalypsis notat : Quod ad posteriorem tertii argumenti solutionem referri potest.*

Vel dicendum est, quod eadem est clavis inferni, & cœli: quia ex hoc ipso quod alicui aperitur unum, clauditur alterum: sed denominatur a digniori.

A P P E N D I X.

Ex art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse a Scripturis, claves esse in Ecclesia convenienter. Hoc autem fuit dictum, quando a Christo, qui omnia convenientissime facit, claves datas esse Petro, testificentur. Scimus enim, quod a Petro in totam Ecclesiam derivatum postea est sacerdotium, dicente *Siricio* Papa in ep. 4. ad Concilium *Telense*. *Per sanctum Apostolum Petrum, & Apostolus, & Episcopatus in Christo capis exordium*. De qua re etiam ad longum supra visum est *quest. 6. art. 2. & quest. 8. art. 2. & quest. 10. art. 3. append.* Scimus, inquam, hoc: & per consequens vere fatemur, quod, si datæ sunt Petro, datæ sunt & Ecclesiæ: non quia Petrus sit Ecclesia, sed quia est caput Ecclesiæ, ut testatur *Concilium Constantiense* damnans hæresim contrariam Joannis Huls *sess. 15*. De qua re etiam supra *quest. 6. art. 6. & quest. 8. art. 5. & 6.* item magis directe in *1. par. quest. 32. art. 4.* Porro de clavibus datis Petro loquuntur Scripturæ *Matth. 16. & Joan. 21.* ibi quidem in promissione, hic vero in exhibitione. Nam Christus Petro *Matth. 16.* ait: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & Jo. 21. Pisce oves meas*. Sicut enim *ly dabo*, cum sit futuri temporis, sonat promissionem: ita *ly pascere*, cum sit præsentis, exhibitionem: ac si aperte in *Matth.* diceret Christus Petro: *Ego faciam te pastorem ovium mearum; & in Joan. Ego te facio*. Ubi etiam, connectendo hunc ad primum locum, declaravit optime Christus, quid intellexerit per claves *Matth. 16.* dictas: quod videlicet *intendebat* (ut sacrosancti Concilii *Florentini* *sess. ult.* verbis utar) *plenam potestatem pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam; & quod per ly tibi, quod videlicet intendebat* (secundum idem Concilium) tum Petrum ipsum, tum quemlibet canonicè electum successorem ejus. Adeo, quod (eodem *Concilio* testante) ipsi quoque successori Romano Pontifici, tunc in Beato Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam plena potestas tradita fuit a Domino nostro Jesu Christo, quemadmodum etiam, inquit, in *gestis œcumenicorum Conciliorum*. *S. Th. Tom. XIII.*

*ciliorum, & in sacris canonibus continetur, & ut semel pro semper contra veritatis, præmissique Concilii, adversarios, licet ab Instituto parum digressi, Zelum domus Dei induentes respondeamus, diligenter notato; quod antedicta Concilii declaratio fuerat a ipsismet Græcis coram Imperatore suo, absentibus Latinis, post multam disputationem, & librorum Doctorum suorum revolutionem inter se invicem conclusa prius, quam hoc factum Latinis innotesceret, ac de unanimi consensu postmodum in litteris sanctæ unionis poneretur (ut in eadem *sess. ultima* parum ante has litteras patet) id, quod apertissime monstrat, quanta sit vis veritatis contra Græcos ipsos, sic acerrime antea hoc ipsum oppugnantes, in ore Græcorum. Quanta vero libertate, quantoque honore a Latinis donata sit Orientalis Ecclesia in eadem Synodo generali (quod & præcipue pro definita veritate fiat) testatum reliquit Reverendissimus D. *Bessarion* Græcus, Patriarcha *Constantinopolitanus* post dictum Concilium a Græcis ipsis ad propria reversus electus Episcopus Tusculanus, & S. R. E. Cardinalis Nicæmus, in epist. Magnifico, & clarissimo viro Alexio Lascari Philantropino scripta, cujus verba sunt hæc: „ Abierunt; igitur Latini, recessimus & nos: & cum omnes jam appulsemus Florentiam, decreta sunt dies, in quo incipiendum, atque continuandum erat Concilium. Et in termino adveniente, rursus accusare Latinos incœpimus: quemadmodum etiam in illa quæstione: An liceat addere quicquam, nos accusatorum, Latini vero, respondentium tenuerunt locum; & ita responderunt, ut nil nos ad illa replicare potuerimus. Ita etiam in ipso dogmate nos quidem tanquam accusantes proposuimus: illi vero responderunt. In omnibus enim ad libitum nostrum, & prout volebamus, ita facere nobis licebat. Et tamen non pudet aliquos dicere, vim nobis illatam fuisse. Quod nunquam fuit, teste veritate, quæ Deus est. *Hæc ibi: & post multa subdit*: Propter hæc omnia merito secuta est unio: & omnes absque quacunque violentia, sponte, & voluntarie, huic rei concesserunt. Qui vero concedere noluerunt (fuerunt autem duo, & non plures) cum omni libertate, sine aliqua oppressione, in suo arbitrio relictæ, cum honore, & caritate sumptibus Ecclesiæ Romanæ ad propria remearunt. Hæc ille Bessarion. Ecce testis oculatus: & mul.*

multis de causis, ut patet, omni exceptione major; & dicti sui Deum in testem, animo tranquillo, ac deliberato, absque omni coactione, invocans. Ad rem modo in ordine primam. In Ecclesia ergo, secundum Scripturas ex Concilio expositas, sunt claves, idest potestas universalis, ut supra. Universalis, inquam: quia ex contextu etiam Evangelii hoc patet. Præmiserat enim Christus Joan. 10. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & fiet unus ovile, & unus pastor.* Quasi aperte dixerit: postquam adduxero illas alias oves, ex quibus cum his præsentibus fiendum est unum ovile; tunc ego faciam unum pastorem, sive (quod idem est) a me fiet unus pastor. Non igitur antea, sed post adductionem illarum ovium, vult promissas claves, *Matth. 16.* actualiter dare Petro. Quæ sunt illæ aliæ oves, & quomodo adducendæ a Christo? Sunt Gentiles, & ab ipso adducendæ sunt per passionem suam. Quod utique per contextum Joannis significatum est. Nam *cap. 12.* quasi verba illa *cap. 10.* declaraturus subdit: „ Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ; & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Jesum videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ. Andreas rursus, & Philippus, dixerunt Jesu. Jesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur filius hominis. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsam solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. „ Hæc ibi. Colligitur ergo ad litteram: & quod illæ aliæ oves sunt gentiles, & quod adducendæ sunt per passionem Christi ad veram cognitionem ejus; quod est adducere ad ovile Christi. Ideo enim de mortificatione grani cadentis in terram respondit Dominus ad Discipulos quærentes pro Gentilibus, ut viderent eum; quo vel hinc agnoscat, Gentilium plenitudinem ad Christi veram cognitionem non esse adducendam, nisi per passionem ejus. Restabat ergo solum, postquam Christus passus est, pro complemento sententiæ illius prædictæ *cap. 10.* quod fiet unus pastor. Propterea ordinate procedens B. Joannes, narrata Christi morte *cap. 19.* institutionem unius pastoris inducit *cap. ult.* *Pasce, inquit, oves meas.* Ubi ex ordine textuum patet, quod per *ly oves* in-

telligit Christus non solum Judæos, sed etiam Gentiles, & cum totus mundus hac divisione exhauriretur (erant enim, quicumque reperiebantur in mundo, aut Judæi, aut Gentiles) sequitur quod per *ly oves* comprehendebantur omnes de quacunque natione existentes in mundo, qui tamen pertinerent ad Christum, ad quod innuendum additur *ly meas*. Quæcumque igitur personæ in universo mundo ad Christum pertinent ratione fidei in ipsum, omnes curæ Petri committuntur per *ly oves meas*. Ecce ergo, quod illa pastoralis potestas data Petro est universalis, & non particularis. Si enim esset particularis, vel dixisset, *pasce istas, vel illas oves meas, & non simpliciter ly oves meas*: vel saltem dixisset hoc, antequam adducerentur aliæ oves, quæ non erant de illo Judaico ovili. Poterat siquidem tunc forte intelligi solum particulariter, puta de solis Judæis, *ly oves meas*, quoniam, quamvis absolute locutio fieret, tamen ratione materiæ, quia scilicet aliæ oves non existentes de illo ovili nondum ad existere de illo ovili adductæ fuerant, poterat limitate intelligi, ita, quod intelligeretur locutio facta absolute, non simpliciter, sed absolute in genere Judæorum. Nunc vero, cum Petro non commiserit regimen suarum, nisi postquam alias non existentes de illo ovili adduxerat ad existere de illo ovili (ratione scilicet ejusdem fidei in Christum. Quo & modo dicitur *Galat. 3. in Christo Jesu non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque femina*) patet, quod per *ly oves meas* intelligit omnes absolute simpliciter. Alioquin de nullis prorsus secundum rem intelligeret: quoniam, cum omnes oves jam tunc essent de eodem ovili, eadem ratione, quæ eximere velles aliquas, immo unam solam, a cura hic Petro commissa, eximere posses & alias, immo & omnes. Ut quid etiam (ut antea tetigimus) omnes ad unum ovile adducendas, & omnes has unius Christi primi pastoris vocem audituras prædixit, antequam unum pastorem faceret: nisi ut, cum ab eo fieri unum pastorem per *ly pasce oves meas*, audieris, intelligas (velis, nolis) sermonem universalem absolute simpliciter esse de ovibus: ac per hoc Petrum Christi non qualemcumque, sed universalem vicarium in pascendis ovibus constituit? Ecce igitur, quam apte, quam accommode, quam apposite, ad contextum prædictum Evangelii dixit *Florentina Synodus*: quod Petro, & successoribus suis

his in eo data est a Christo Domino plena potestas pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam: & quod Petrus, & quilibet successor legitimus est verus Christi vicarius, totiusque Ecclesiae caput, omnium christianorum pater, ac doctor. Vide Veritates aureas super legem Moisaicam, *lib. Numer. concl. Secundo* habes: quomodo per rationem præmissa tum Scripturarum, tum Conciliorum dicta, pro quanto claves esse debere sentiunt in Ecclesia, & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 66

Utrum clavis sit potestas ligandi, & solvendi &c.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod clavis non sit potestas ligandi, & solvendi, qua ecclesiasticus iudex dignos recipere, indignos excludere debet a regno, ut ex littera (IV. dist. xviii.) habetur, & ex Glossa (ord. sup. illud; *Tibi dabo claves*) Hieronymi Matth. xvi. (1) Potestas enim spiritualis in sacramento collata est idem quod character. Sed clavis, & character non videntur idem esse: quia per characterem homo ad Deum comparatur; per claves autem ad subditos. Ergo clavis non est potestas.

2. Præterea. Iudex ecclesiasticus non dicitur, nisi ille qui habet jurisdictionem, quæ simul cum ordine non datur. Sed claves in ordinis susceptione conferuntur. Ergo non debuit de ecclesiastico iudice in definitione clavium mentio fieri.

3. Præterea, Ad id quod aliquis habet ex seipso, non indiget aliqua potestate activa, per quam reducatur ad actum. Sed eo ipso quo aliquis est dignus, ad regnum admittitur. Ergo non pertinet ad potestatem clavium dignos ad regnum admittere.

4. Præterea. Peccatores indigni sunt regno. Sed Ecclesia pro peccatoribus orat, ut

ad regnum perveniant. (2) Ergo non excludit indignos, sed magis admittit, quantum in se est.

5. Præterea. In omnibus ordinatis agentibus ultimus finis pertinet ad principale agens, non ad agens instrumentale. Sed principale agens ad salutem hominis est Deus. Ergo ad eum pertinet ad regnum admittere, quod est ultimus finis; & non ad habentem claves, qui est sicut instrumentum, vel minister.

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in II. de Anima (tex. 33.) *potentia per actus definiuntur.* (3) Unde cum clavis sit potentia quædam, oportet quod per actum, sive usum suum definiatur, & quod in actu objectum exprimat, a quo species recipit actus, & modus agendi, ex quo apparet potentia ordinata. Actus autem potestatis spiritualis non est ut cælum aperiat absolute, quia jam apertum est, ut dictum est (art. præ. ad 1.) sed ut quantum ad hunc aperiat: quod quidem ordinate fieri non potest, nisi ejus idoneitate, cui aperiendum est cælum, pensata. Et ideo in prædicta definitione clavis ponitur genus, scilicet, *potestas*; & subjectum potestatis, scilicet *iudex ecclesiasticus*; & actus, scilicet *excludere*, & *recipere*, secundum duos actus materialis clavis, qui sunt aperire, & claudere: cujus objectum tangitur in hoc quod dicit *a regno*; modus autem in hoc quod dicit *dignos*, & *indignos*: nam dignitas, & indignitas in illis in quos actus exercetur, pensatur.

Ad primum ergo dicendum, quod ad duo, quorum unum est causa alterius, una potestas ordinatur; sicut in igne calor ad calefaciendum, & dissolvendum. Et quia omnis gratia, & remissio in corpore mystico (4) ex capite suo provenit, ideo eadem potestas esse videtur per essentiam, qua facere potest, & qua potest solvere, & ligare, si jurisdictio adsit: nec differt nisi ratione, secundum quod ad diversos effectus com-

T 2 para-

(1) Sic S. Thomas forte citat in Sententiis, quia in Glossa manuscripta qua utebatur, verba ista post appendicem ex Hieronymo sumptam subnectuntur, sicut post Origenem in impressa; nec ullius auctoris alterius nomen indicant, sed Rabani plane sunt ex quo & ipse S. Thomas in Catena aurea sua refert.

(2) Nempe cum in oratione Dominica ex instituto Christi ait, *Aduenias regnum tuum*: Ubi sicut interpretatur Hieronymus, *vel pro totius mundi regno generaliter petis ut diabolus in mundo regnare*

desinat: vel ut in unguibus regnet Deus, & non regnet peccatum in morali hominum corpore.

(3) Colligitur ex textu 33. æquivalentem tantum non expresse: puta cum ait quod si oportet explicare quid sit *vegetativum*, *sensitivum*, *intellectivum*, prius explicandum est quid sit *intelligere*, quid *sensivo*, quid *vegetare*; quia priores potentias operationes & actus illarum sunt secundum rationem; idem autem est ac secundum diffinitivam quidditatem.

(4) Per quod intelligitur Ecclesia, ut eam passim

paratur; sicut etiam ignis dicitur secundum aliam rationem calefactivus, & liquefactivus. Et quia nihil est aliud character ordinis sacerdotalis quam potestas exercendi illud ad quod principaliter ordo sacerdotii ordinatur (sustinendo quod sit idem quod spiritualis potestas); ideo character, & potestas conficiendi, & potestas clavium est unum & idem per essentiam; sed differt ratione.

Ad secundum dicendum, quod omnis potestas spiritualis datur cum aliqua consecratione. Et ideo clavis cum ordine datur; sed executio clavis indiget materia debita, quæ est plebs subdita per jurisdictionem: & ideo antequam jurisdictionem habeat, habet claves, sed non habet actum clavium. Et quia clavis per actum definitur, ideo in definitione clavis ponitur aliquid ad jurisdictionem pertinens.

Ad tertium dicendum, quod aliquis potest esse dignus aliquo dupliciter: aut ita quod ipsum habendi jus habeat; & sic quilibet dignus jam habet cælum apertum: aut ita quod insit ei aliqua congruitas ad hoc quod ei datur; & sic dignos, quibus nondum totaliter apertum est cælum, potestas clavium recipit.

Ad quartum dicendum, quod sicut Deus non obdurat impartiendo malitiam, sed non conferendo gratiam; ita sacerdos dicitur excludere, non quod impedimentum ad intrandum ponat, sed quia impedimentum positum non amoveret: quia ipse amovere non potest, nisi prius Deus amoverit. Et ideo rogatur Deus ut ipse absolvat, ut sic sacerdotis absolutio locum habeat.

Ad quintum dicendum, quod actus sacerdotis non est immediate super regnum, sed super sacramenta, quibus homo ad regnum pervenit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim quorundam (ut ex Concilio Tridentino nunc adducendo colligitur) dicentium: claves ecclesie datas esse

tantum ad solvendum. Quapropter, secundum istos, non posset sacerdos, vel non amovere impedimentum, quod est quoddam ligare, ut in response ad quartam patet, vel satisfactionem necessario implendam imponere poenitenti, vel excommunicare, quæ omnia, & singula sunt falsa. Potest enim quodlibet illorum; ut patet ex definitione clavis, in qua quovis illorum modorum trium sumitur *ly ligandi*. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari a Concilio Trident. sess. 14. ca. 8. sic: *Claves sacerdotibus non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui patres & credunt, & docent. Nec propterea existimant, sacramentum poenitentie esse forum ire, vel poenarum*. Hæc ibi. Unde videtur quoque conjiciendum, dari motivum istorum negantium, claves datas fuisse ad ligandum; quia scilicet credebant, hoc falsissimum inde sequi, quod sacramentum poenitentie esset forum ire, atque poenarum. Item ab eod. ib. c. 15. *Si quis dixerit claves ecclesie esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra hæc clavium, & contra institutionem Christi & fidem esse, quod virtute clavium, sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat: anathema sit*. Hæc ibi. Item a Scripturis Jo. 20. *quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Super quibus verbis ad propositum clavium, seu potestatis sacerdotalis, dicit Concil. Trident. sess. 14. ca. 1. *Verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum patrum consensus semper intellexit*. Hæc ibi. Ubi nota *ly ad reconciliandos fideles*. Cum enim verbum hoc ponatur tamquam finis non tantum peccata remittendi, sed etiam retinendi, patet, per Concilium esse solum illud motivum supradictum, quo dicebant adversarii, sacramentum poenitentie, si claves ecclesie sint etiam ad

Apostolus appellat vel expresse vel implicite: Ad Ephes. 1. vers. 23. ubi dicitur *Christus caput super omniem Ecclesiam quæ est corpus ipsius*: Et iterum ad Coloss. 1. vers. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesie*; Ut & vers. 24. *Adimpleo quæ defunt passionum Christi pro corpore ejus quod est Ecclesia*: Ex hoc autem capite omnis gratia & remissio quæ in corpore mystico est, aliter & aliter dicitur provenire: Gratia

enim a capite provenit, ut a gratiam formaliter habente, per quam ipsum redditur Deo gratum, & causaliter eam continente, quam velut ejus causa meritoria vel efficiens in alios influat: Sed remissio causaliter ab illo tantum non formaliter provenire in corpus ejus potest propter auctoritatem remittendi quam confert, ac proinde gratiam aliquo modo conferendi sine qua remissio esse non potest, &c.

ad ligandum, esse forum iræ, & pœnarum. Nam hinc habetur ad litteram, quod Ecclesia, etiam quando ligat, intendit finaliter reconciliare fideles peccatores Deo. Adeo, quod, sive non remittendo peccata, sive imponendo pœnas, sive excommunicando (quamvis excommunicatio ad forum exteriorem pertineat) semper ad finem hunc reconciliationis tendit: nec in pœnis, ut pœnz sunt, deletur; nec in ligando, ut ligare est, finaliter quiescit, ut adversarii credidisse videntur. Cum igitur e fine ultimo quælibet res denominanda sit, in cuius signum mæchans, ut furetur, magis fur, quam mæchus, dicendus est, secundum *Philosophum*; & finis ultimus ligantis Ecclesie sit reconciliare fideles: non sequitur, quod forus, in quo ligantur quocumque dictorum trium modorum fideles, sit forus iræ, vel pœnarum: immo inde totum sequitur oppositum. Pia ergo semper est nostra mater Ecclesia, & adeo, ut etiam, dum ligat, pia sit, & non ligaret, nisi pia esset. Hæc enim felix alligatura est, de qua Eccles. 6. dicitur: *vincula illius, scilicet Ecclesie, sive Dei per Ecclesiam, alligatura salutis*. Item super iisdem Evangelii verbis ad propositum clavium inquit idem Concilium sess. ead. can. 3. *Si quis dixerit: verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento pœnitentie, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit: detorsit autem contra institutionem huius sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium: anathema sit*. Hæc ibi. Ex quo etiam apparet: quomodo adversarii illa verba de clavibus loquentia male interpretabantur; ut in sua perfidia liberius confisterent. Item ad propositum clavium per illa verba importatum Concil. Trident. sess. 14. ca. 5. quasi exponens ipsa dicit: *Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad celos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præfidos, & iudices; ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint: qui pro potestate clavium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient*. Hæc ibi. Item damnatam a Matt. 16. *quodcumque ligaveris super terram, eris ligatus & in caelis, & quodcumque solveris super terram, e-*

rit solutum & in caelis. Cave tamen hic, ne, postquam ex verbis tam apertis motus declinaveris totaliter errorem in principio appendicis notatum, incidas in Lutheranium; qui est (teste Ross:use a. 26. contra ipsum): quod verbum *solvendi, & ligandi* æqualem dicunt potestatem, idest, quod extenditur solvendi potestas dumtaxat ad ligata ab ipso Petro. Damnatur enim hæc phantasia pro errore ab eodem Evangelio, dum Petro dat claves ad solvendum mortalia crimina a fidelibus commissa. Apertissimum sane cuilibet vel parum discurrenti est, quod Petrus numquam ligavit istos, idest non fecit, quod hi committerent peccata: a quibus tamen illos absolvere potest. Ecce, quod solvenda longe plura sunt, quam a Petro ligata. Non ergo exponitur illud verbum Christi, quasi dixerit Petro: do tibi potestatem solvendi solum ea quæ tu ligaveris, puta per excommunicationem: sed sic exponitur: do tibi potestatem solvendi omnia, quæ reperis super terram esse ligata, etiam si a te ligata non fuerint. Aliud est enim non posse solvere, nisi ligata: aliud est, non posse solvere, nisi a seipso solvente ligata. Alioquin excommunicatos tantum posset solvere Petrus, quod, quamvis error Lutheri prædictus concederet, est contra veritatem a Concil. Trident. supra toties determinatam; quæ non excommunicatos solum, sed & aliis vinculis post baptismum irretitos, potestate clavium posse solvi declarat; atque per hoc errorem Lutheranium istum condemnat. Vide Rossensem contra Lutherum art. 25. 26. Tertio vides: quomodo per rationem præmissa Scripturarum, Patrumque dicta, pro quanto claves esse potestatem sentiunt ligandi, atque solvendi, & intelligas, & probes, & tuearis. Quarto vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 67

Utrum sint duæ claves, vel tantum una.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non sint duæ claves, sed tantum una. Ad unam enim seram non requiritur nisi una clavis. Sed sera, ad quam amoveadam ordinantur Ecclesie claves, est peccatum. Ergo contra unum peccatum (1) non indiget Ecclesia duabus clavibus.

2. Præ-

(1) Non unum numerice vel in individuo consideratum, quia sic impertinens videri posset illatio, fed unum in genere vel universaliter consideratum quod

omnia qualiscunque comprehendit: Sic enim una clavis etiam in genere, idest una potestas universalis recte infertur.

2. Præterea. Claves in collatione ordinis conferuntur. Sed scientia non est semper ex infusione, sed quandoque ex acquisitione, nec ab omnibus ordinatis habetur, & a quibusdam non ordinatis habetur. Ergo scientia non est clavis: & sic est una tantum clavis, scilicet potestas judicandi.

3. Præterea. Potestas quam habet sacerdos super corpus Christi mysticum, dependet ex potestate quam habet super corpus Christi verum. Sed potestas consociandi corpus Christi verum est una tantum. Ergo etiam potestas quæ respicit, corpus Christi mysticum, est una tantum. Sed hæc est clavis. Ergo &c.

4. Sed contra. Videtur quod sint plures quam duæ. (1) Quia sicut ad actum hominis requiritur scientia, & potentia, ita & voluntas. Sed scientia discernendi ponitur clavis, & similiter potentia judicandi. Ergo & voluntas absolvendi debet dici clavis.

5. Præterea. Tota Trinitas peccatum remittit. Sed sacerdos per claves est minister remissionis peccatorum. Ergo debet habere tres claves, ut Trinitati configuretur.

Respondeo dicendum, quod in omni actu qui requirit idoneitatem ex parte recipientis, duo sunt necessaria ei qui debet actum illum exercere, scilicet iudicium de idoneitate recipientis, & expletio actus. Et ideo etiam in actu iustitiæ, per quem redditur alicui hoc quo dignus est, oportet esse iudicium, quo discernatur, an iste sit dignus ad ipsam redditionem: & ad utrumque horum auctoritatis quædam, sive potestas exigitur: non enim dare possumus nisi quod in potestate nostra habemus: nec iudicium dici potest, nisi vim coactivam habeat, eo quod iudicium ad unum jam determinatur: quæ quidem determinatio in speculativis fit per virtutem primorum principiorum, quibus resisti non potest, & in rebus practicis per vim

imperativam in iudicante existentem, Et quia actus clavis requirit idoneitatem in eo in quem exercetur, quia recipis per clavam iudex ecclesiasticus dignos, & excludis indignos, ut ex dicta definitione patet (art. præc. arg. 1.) ideo indiget iudicio discretionis, quo idoneitatem iudicet ex ipsa receptionis actu: & ad utrumque horum potestas quædam, sive auctoritatis requiritur. Et secundum hoc distinguuntur duæ claves: quarum una pertinet ad iudicium de idoneitate eius qui absolvendus est; & alia ad ipsam absolutionem. Et hæc duæ claves non distinguuntur in essentia auctoritatis, quia utrumque ex officio sibi competit; sed ex comparatione ad actus, quorum unus alium præsupponit.

Ad primum ergo dicendum, quod ad unam seram aperiendam una clavis immediate ordinatur; sed non est inconveniens quod una ad actum alterius ordinetur. Et sic est in proposito. Secunda enim clavis, quæ dicitur potestas ligandi, & solvendi, est quæ immediate seram aperit peccati; sed clavis quæ dicitur scientia, ostendit cui aperienda sit sera illa.

Ad secundum dicendum, quod circa clavam scientiæ duplex est opinio. Quidam enim dixerunt, quod scientia, secundum quod est habitus acquisitus, vel infusus, dicitur hic clavis, & quod non est principalis clavis, sed in ordine ad aliam clavam dicitur clavis: & ideo quando est sine alia clavi, non dicitur clavis; sicut in viro litterato, qui non est sacerdos. Et licet hac clavi quandoque aliqui sacerdotes careant, quia neque habent scientiam acquisitam, neque infusam, quæ absolvere, & ligare possint; tamen quandoque industria naturali ad hoc utuntur, quæ secundum eos clavicula dicitur: & sic scientia quamvis cum ordine non tradatur, traditur tamen cum ordine, quod sit clavis id quod

(1) An dum tantum, Christus eas conferens non expressit, sed pluraliter & incerto numero *claves*: Non nisi duas tamen Theologi agnoscent passim & assignant, ut & non nisi duæ in symbolis Pontificiis designantur: Unde Rabanus in Matth. 16. ubi & eum refert in Catena aurea S. Thomas: *Claves regni caelorum* (inquit) *ipsam discretionem & potentiam nominat; potentiam qua liget & solvat: discretionem quam dignos vel indignos discernat*; Et ut Beda ibidem: *Tibi dabo claves regni caelorum, id est discernendi scientiam potentiamque qua dignos debetis in regnum recipere, & indignos ab eo excludere*. Quid si per duas claves duplex potestas indicetur? Una que

caelum aperiat solvendo dignos; & alia que claudat non solvendo ligando ut & ibi adjuncta insinuant, & Chrysostomus homil. 55. indicare videtur. Sed utraque ad unam propter consequentiam unius ex alia reduci potest: Non autem *discretio & potentia* similiter, quia diversos actus a se invicem separabiles & diversarum facultatum important? Unde melius duas claves per illos explicantur: Nec potestas ligandi & solvendi ad explicandas duas claves additur, quasi ad unam clavam pertineat ligare, ad aliam solvere sed ex præsupposita potestate regni caelorum aperiendi vel claudendi subditur modus quo & aliis aperiiri, & claudi quoque aliis possit.

quod prius non erat. Et hæc videtur opinio Magistri fuisse (1).

Sed hoc non videtur verbis Evangelii concordare, quæ claves Petro dandas promittunt (Matth. xvi.) & ita non solum una, sed duæ in ordine dantur.

Et propter hoc alia opinio est, quod scientia quæ est habitus, non est clavis, sed auctoritas actum scientiæ exercendi: quæ quandoque sine scientia est, quandoque autem scientia sine ipsa; sicut patet etiam in iudiciis secularibus: aliquis enim iudex secularis habet auctoritatem judicandi, qui non habet juris scientiam; & aliquis e contrario habet juris scientiam, qui non habet auctoritatem judicandi. Et quia actus iudicii, ad quem aliquis ex auctoritate suscepta obligatur, non autem ex scientiæ habitu, sine utroque bene fieri non potest; ideo auctoritas judicandi, quæ clavis est scientiæ, sine scientia non potest sine peccato accipi; sed scientia sine auctoritate sine peccato haberi potest.

Ad tertium dicendum, quod potestas conficiendi est ad unum tantum actum alterius generis; & ideo non connumeratur clavibus, nec multiplicatur, sicut potestas clavium, quæ est ad diversos actus, quamvis secundum potestatis, sive auctoritatis essentiam sit una, ut dictum est (in corp. art.)

Ad quartum dicendum, quod velle unicuique est liberum: & ideo ad volendum non exigitur auctoritas; & propter hoc voluntas non ponitur clavis.

Ad quintum dicendum, quod tota Trinitas eodem modo remittit peccata, sicut una persona: & ideo non oportet quod sacerdos, qui minister est Trinitatis, tres claves habeat; & præcipue cum voluntas, quæ Spiritui sancto appropriatur, clavem non requirat, ut dictum est (in solut. præc.)

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem intemas errorem *Lutheri* (ut refertur in *Bulla Leonis X. contra errores Lutheri*) dicentis; quod sacerdos non debet requirere a confitente, utrum sit contritus, nec ullo modo confitens debet sacerdoti respondere, se esse contritum. Item alium ejusdem dicentis: Si sacerdos non serio, sed joco absolvet, si tamen confessus credat se absolutum, verissime est absolutus. Item alium ejusdem (*Præc. Lutherani*) dicentis: absolutio censenda est efficax, non quia fit, a quocumque tandem fiat, erret, vel non erret, sed quia creditur. Hæc enim Lutherana phantasmata, ut consideranti patet, clavem unam, scientiæ videlicet, implicite negant. Nam, si in ministro Christi ponerent clavem scientiæ, dicerent utique, quod debet requirere a confitente de contritione, & quod confitens tenetur de hoc respondere veritatem, ut sacerdos possit scire, utrum absolvere debeat. Dicerent quoque, quod confitens non est vere absolutus, etiam quod credat se esse absolutum, si sacerdos joco absolvat: quoniam intentio, sine qua prudens non agit, deficit. Dicerent etiam, quod, si fiat error in substantialibus, puta, quod per crassam ignorantiam sacerdos absolvat indignos, absolutio non est efficax: & nota, quod Lutherus negat in tertio errore supra dicto etiam clavem ordinis per *ly a quocumque tandem fiat*. Ac si aperte dicat, Laicus, puer, mulier, possunt efficaciter absolvere. Contra igitur hos, similesque errores veritas præsentis articuli facit quos & validissime vincit. *Secundo* habes, quomodo per rationem ostendas, hos fuisse merito damnatos a Papa *Leone X.* ibi in *Bulla*, cujus damnationis particulam vide *q. 1. ar. 1. appen. & 3. par. q. 68. a. 9.* Item a Concilio *Trid.* *sess.*

(1) Sic enim ipse 4. Sent. dist. 19. num. 1. Superest (inquit) investigare quando & quibus dantur istæ claves: Dantur enim per Episcopi ministerium alicui in promotione sacerdotii: Cum enim recipit ordinem sacerdotalem, simul & has claves recipit: Sed non videtur quod omnes vel soli Sacerdotes has claves habeant; quia plerique ante sacram ordinationem scientiam discernendi habent, plures post consecrationem ea carent. Sane dici potest, quod alteram clavium istarum (id est scientiam discernendi) non habent omnes Sacerdotes: Unde dolendum est atque lugendum. Multi enim, licet indisciplinati ac scientia qua eminere debent exortes, sacerdotii gradum

recipere præsumunt, vita & scientia eo indigni quia nec ante sacerdotium nec post sacerdotium scientiam habent discernendi qui ligandi sint vel solvendi; ideoque illam clavem in consecratione non recipiunt, quia semper scientia carent: Qui vero ante sacerdotium scientiam discernendi præditi sunt, licet habeant discretionem, non tamen in eis est clavis, quia non valent ea claudere vel aperire; ideoque cum promoveretur talis in Sacerdotem, clavem discretionis recte dicitur accipere, quia & ante habita discretio augetur & fit in eo clavis ut ea jam valeat uti ad claudendum vel ad aperiendum.

14. c. 6. sic. „ Non debet pœnitens adeo si-
 „ bi de sua ipsius fide blandiri; ut etiam si
 „ nulla adfit illi contritio, aut sacerdoti ani-
 „ mus serio agendi; & verè absolvendi desit;
 „ patet tamen, se propter suam solam fidem
 „ vere, & coram Deo esse absolutum. Nec
 „ enim fides sine pœnitentia remissionem ul-
 „ lam peccatorum præstaret: nec is esset, ni-
 „ si salutis suæ negligentissimus, qui sacer-
 „ dotem joco se absolventem cognosceret: &
 „ non alium serio agentem sedulo requireret.
 „ Hæc ibi. Ubi Lutherum sacramentum confes-
 „ sionis quasi in ludibrio ponentem, & præjo-
 „ co habentem, vide assum dæmonii in illo,
 „ arcet a malitia. Item ibi can. 9. „ Si quis
 „ dixerit: absolutionem sacramentalem sacer-
 „ dotis non esse actum judicialem, sed nu-
 „ dum ministerium pronuntiandi, & decla-
 „ randi remissa esse peccata confitenti: aut
 „ confitentem esse absolutum, modo tantum
 „ credat se esse absolutum, etiam si sacerdos
 „ non serio, sed joco absolvat: aut dixerit,
 „ non requiri confessionem pœnitentis, ut
 „ sacerdos eum absolvere possit: anathema
 „ sit. „ Hæc ibi. Item ab eod. sessio. 7. ca-
 „ non. 11. de sacramentis. *Si quis dixerit in
 ministris, dum sacramenta faciunt, & con-
 ferunt, non requiri intentionem saltem facien-
 di, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Hæc
 ibi. Item ab eod. sess. 14. cap. 6. *Declarat
 sancta synodus, falsas esse, & a veritate
 Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, que
 ad alios quosvis homines, præter Episcopos,
 & sacerdotes, clavium ministerium perniciose
 extendunt.* Hæc ibi. Et can. 10. *si quis dixe-
 rit, &c. non solos sacerdotes esse ministros ab-
 solutionis, sed omnibus, & singulis Christi-
 fidelibus esse dictum. Quæcumque ligaveritis
 super terram, erunt ligata & in celo, & quæ-
 cumque solveritis super terram, erunt soluta &
 in celo, & quorum remisistis peccata, rem-
 mittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta
 sunt: quorum verborum virtute quilibet absol-
 vere possit peccata, publica quidem per corre-
 sionem duntaxat, si correptus acquieverit:
 secreta vero per spontaneam confessionem; ana-
 thema sit.* Hæc ibi. Item damn. 2. &c. ut
 qu. 5. art. 1. appen. Vide etiam qu. 8. art. 2.
 Item a Papa Innocen. IV. in Concilio gene-
 rali, cap. 21. *sit sacerdos discretus, & cau-
 tus, ut more periti medici superinfundat vin-
 num, & oleum vulneribus sauciati; diligenter
 inquirens & peccatoris, & peccati circumstan-
 tias, quibus prudenter intelligat, quale debeat
 ei præbere consilium, & cujusmodi remedium
 adhibere, diversis experimentis utendo ad sa-*

nandum ægrotum. Hæc ibi. Ubi patet, con-
 fessorium oportere habere scientiam inquisiti-
 vam de circumstantiis peccatoris, inter has
 est, an sit contritus, & peccati, inter has
 est saltem reductive, an peccatum sit refer-
 vatum, idest, utrum a tali peccato possit
 absolvere: contra errores Lutheri prædictos.
 Item a Matth. 15. *Si cæcus cæco ducatum
 præstat, ambo in fossam cadunt.* Effet vero,
 ut cuicumque sapienti patet, sacerdos cæcus
 in ducendo consentientem ad salutem, si care-
 ret, vel potestate absolvendi, vel scientia
 dignos absolutione ab indignis discernendi.
 Tertio habes: quomodo per rationem dicta
 præmissa, pro quanto duas insinuat esse
 claves Ecclesiæ, & intelligas, & probes, &
 defendas. Insinuant autem hoc, ubicumque
 in numero plurali nominantur *claves*, alioquin,
 si una tantum esset, semper in singulari nu-
 mero loquerentur. Quarto vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O XVIII.

De effectu clavium,

In quatuor articulos divisa.

DEinde considerandum est de effectu cla-
 vium.

Circa quod quærentur quatuor.

Primo, utrum potestas clavium se exten-
 dat ad remissionem culpæ.

Secundo, utrum sacerdos possit remittere
 peccatum quoad pœnam.

Tertio, utrum sacerdos per potestatem
 clavium ligare possit.

Quarto, utrum possit solvere, & ligare
 secundum proprium arbitrium.

A R T I C U L U S I. 68

*Utum potestas clavium se extendat ad re-
 missionem culpæ.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod
 potestas clavium se extendat ad remis-
 sionem culpæ. Dicitur enim discipulis Joan.
 xx. 27. *Quorum remisistis peccata, remittun-
 tur eis.* Sed hoc non dicitur quantum ad
 manifestationem tantum, ut Magister in lit-
 tera dicit (IV. dist. xviii.) Quia sic sa-
 cerdos novi Testamenti non haberet majorem
 potestatem quam sacerdos veteris Testamen-
 ti. Ergo exercet potestatem in culpæ remis-
 sionem.

2. Præterea. In pœnitentia datur gratia
 ad

ad remissionem peccati. Sed hujus sacramenti dispensator est sacerdos ex vi clavium. Ergo cum gratia non opponatur peccato ex parte poenae, sed ex parte culpae, videtur quod sacerdos ad remissionem culpae operetur ex vi clavium.

3. Præterea. Majorem virtutem recipit sacerdos ex sua consecratione quam aqua baptismi ex sua sanctificatione. Sed aqua baptismi hanc vim accipit, ut corpus sanguis, & cor abluat, secundum Augustinum (tract. lxxx. in Joan. a med.) Ergo multo fortius sacerdos in sui consecratione hanc potestatem accipit, ut oer a culpae macula abluere possit.

Sed contra. Supra Magister dixit (IV. dist. xviii. (1) quod Deus hanc potestatem non contulit ministro quod ad interiorem mundationem cooperaretur ei. Sed si peccata quoad culpam remitteret, cooperaretur ei in mundatione interiori. Ergo potestas clavium non extendit se ad culpae remissionem.

Præterea. Peccatum non remittitur nisi per Spiritum sanctum. Sed dare Spiritum sanctum non est alicujus hominis, ut in Lib. I. (dist. xiv.) Magister dixit. Ergo nec peccata remittere quoad culpam.

Respondeo dicendum, quod sacramenta secundum Hugonem (2) ex sanctificatione invisibilem gratiam continent. Sed hujusmodi sanctificatio quandoque ad necessitatem sacramenti requiritur tam in materia, quam in ministro, sicut patet in confirmatione: & tunc vis sacramentalis est in utroque conjunctum. Quandoque autem ex necessitate sacramenti non requiritur nisi sanctificatio materiz, sicut in baptismo, quia non habet ministrum determinatum quantum ad sui necessitatem: (3) & tunc tota vis sacramentalis consistit in materia. Quandoque vero de necessitate sacramenti requiritur consecratio,

Summ. S. Th. Tom. XIII.

vel sanctificatio ministri sine aliqua sanctificatione materiz: & tunc tota vis sacramentalis consistit in ministro, sicut est in poenitentia. Unde eodem modo se habet potestas clavium quae est in sacerdote, ad effectum sacramenti poenitentiae, sicut se habet virtus quae est in aqua baptismi, ad effectum baptismi. Baptismus autem, & sacramentum poenitentiae conveniunt quodammodo in effectu, quia utrumque contra culpam ordinatur directe; quod non ita est de aliis sacramentis: sed in hoc differunt, quia sacramentum poenitentiae, eo quod habet actus suscipientis quasi materiales (4) non potest dari nisi adultis, in quibus requiritur preparatio ad suscipiendum effectum sacramentorum; sed baptismus quandoque datur adultis, & quandoque pueris, & aliis carentibus usu rationis: & ideo per baptismum datur gratia, & remissio peccatorum pueris sine aliqua sui preparatione praecedente, non autem adultis, in quibus praerigitur preparatio removens fictionem. Quae quidem preparatio quandoque praecedit tempore, sufficiens ad gratiae susceptionem, antequam baptismus actu percipiatur, sed non ante votum baptismi post tempus propalatae veritatis (5): quandoque autem talis preparatio tempore non praecedit, sed est simul cum baptismi susceptione; & tunc per baptismi susceptionem gratia remissionis culpae confertur. Sed per poenitentiae sacramentum nunquam datur gratia, nisi preparatio adit, vel prius fuerit. Unde virtus clavium operatur ad culpae remissionem vel in voto existens, vel in actu se exercens, sicut & aqua baptismi. Sed sicut baptismus non agit sicut principale agens, sed sicut instrumentum, non quidem pertingens ad ipsam gratiae susceptionem causandam, etiam instrumentaliter, sed disponens ad gratiam, per

V

per

(1) Non utique dist. 5. ut ad marginem Sententiarum notabatur, cum ibi de baptismo potius dicat quod potestatem Christus ministro dedit ut in mundatione interiori operaretur cum Domino, sed in hac ipsa dist. 18. quam versamus ubi aliter de poenitentia loquitur.

(2) Scilicet Victorinum seu de S. Victore lib. 1. de Sacramentis part. 9. cap. 2. in definitione Sacramenti quae suo loco 3. part. quest. 62. art. 3. relata est.

(3) Quia potest etiam per quemcumque cum necessitas urget valide ac licite conferri, ut 3. part. qu. 67. art. 3. 4. 5. de laico, de muliere, de infideli, ex professo dictum est. Quae autem praestantur de

sanctificatione diversimode in sacramentis adhibenda ex qu. 66. art. 3. ad 5. & qu. 72. art. 3. & 11. colliguntur.

(4) Id est materialiter ad illud se habentes vel materiam ejus constituentes; Alioqui materiales non sunt omnes, cum contritio per se ac secundum se sit interior actus voluntatis.

(5) Seu post tempus Evangelii promulgati, vel propagatae religionis Christianae, quando Baptismus omnes obligare citra exceptionem ullam coepit: Ubi ad illud alluditur Joan. 1. vers. 17. Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Jesum Christum facta est; veritatem in lege nova manifestatam opponendo figuris tantum quae in veteri praecesserunt.

per quam fit remissio culpæ; ita est de potestate clavium. Unde solus Deus remittit per se culpam & in virtute ejus agit instrumentaliter baptismus, ut instrumentum inanimatum, & sacerdos ut instrumentum animatum, quod dicitur servus secundum Philof. (1) in VIII. Eth. (cap. xi. ad fi.) & ideo sacerdos agit ut minister. Et sic patet quod potestas clavium ordinatur aliquo modo ad remissionem culpæ, non sicut causas, sed sicut disponens ad eam. Unde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione, & absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si obicem non poneret. (2) Si enim clavis nullo modo ad culpæ remissionem ordinaretur, sed ad remissionem pœnæ tantum, ut quidam dicunt; non exigeretur votum suscipiendi effectum clavium ad culpæ remissionem, sicut non exigitur votum suscipiendi alia sacramenta quæ non ordinantur ad culpæ dimissionem, sed contra pœnam. Sed hoc facit videri, quod non ordinetur ad culpæ dimissionem, quia semper usus clavium ad hoc quod effectum habeat, requirit præparationem ex parte recipientis sacramentum. Et similiter videretur de baptismo, si nunquam daretur nisi adultis.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Magister dicit in littera (IV. dist. xviii.) sacerdotibus commissa est potestas remittendi peccata, non ut propria virtute remittant,

quia hoc Dei est, sed ut operationem Dei remittentis ostendant, tanquam ministri. Sed hoc contingit tribus modis. Uno modo ut ostendant eam non præsentem, sed promittant eam futuram, sine hoc quod aliquid operentur ad ipsam: & sic sacramenta veteris legis operationem Dei significabant: unde & sacerdos veteris legis offendeat tantum, & nihil operabatur. Alio modo ut significant præsentem, & nihil ad eam operentur; & sic quidam dicunt, quod sacramenta novæ legis significant collationem gratiæ, quam Deus in ipsa sacramentorum collatione dat, sine hoc quod in sacramentis sit aliqua virtus operans ad gratiam: & secundum hanc opinionem etiam potestas clavium esset tantum ostendens divinam operationem in culpæ remissione in ipsa sacramentali collatione factam. Tertio modo ut significant divinam operationem ad remissionem culpæ præsentem, & ad ipsam aliquid dispositive, & instrumentaliter operentur: & sic secundum aliam opinionem, quæ sustinetur communius, sacramenta novæ legis emundationem ostendunt divinitus factam. Et hoc modo etiam sacerdos novi Testamenti ostendit absolutos a culpa: quia proportionaliter oportet loqui de sacramentis, & de potestate ministrorum. Nec obstat quin claves Ecclesiæ ad remissionem culpæ disponant, quia culpa jam est remissa; sicut nec quod baptismus disponat, quantum in se est, in eo qui jam sanctificatus est.

Ad

(1) Ut cap. 13. græco-lat. videre est, vel in antiquis 11. & apud S. Thomam lect. 11. Similiterque Politicor. lib. 1. cap. 7.

(2) Hoc nimirum est quod jam supra ex Concilio Trid. Sess. 14. cap. 4. notavimus *contritionem imperfectam quæ attritio dicitur si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam Deo donum esse ac Spiritus sancti impulsam, non adhuc quidem inhabitantem, sed tantum moventis quo pœnitens adiutus viam sibi ad justitiam parat, & ad gratiam Dei in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*: Nec de contritione imperfecta quantum ad gradum solum id intelligi debet (ut Jansenius commentus est) sed quoad essentialiam quia non tantum gradus accidentales perfectionis illi desunt sicut cum puer homo imperfectus dicitur, sed & essentialis perfectio seu essentia ipsa, sicut cum homo imperfectus de embryone affirmatur: Nam quod ad imperfectam contritionem posteriori sensu dictam, hoc est quod nondum essentialiam contritionis attigerit, sed sit dispositio tantum imperfecta quæ ad illius adeptionem ordinatur, id pertinet, satis aperte patet ex adjunctis

Tum quia *per se ad justificationem perducere non possit sine Pœnitentiæ sacramento* dicitur, adeoque contritioni justificanti opponitur: At ejusmodi contritio non est essentialiter perfecta cum hæc justificare possit per ipsam: Tum quia *vel ex suspitionis peccati consideratione vel ex gubernæ veteri communitur concipi præmittitur*: At contritio essentialis vel essentialiter perfecta, ex alio motivo concipitur propter amorem Dei super omnia summe dilecti: Tum denique quia non dubitatur nec dubitari potest an contritio essentialis vel essentialiter perfecta hypocritam faciat, vel etiam an donum Dei non sit, & an Spiritum sanctum inhabitantem non supponat, cum ex amore Dei oriatur, vel sine charitate habituali non possit intelligi quæ per Spiritum sanctum infunditur cordibus, ut ad Romanos 5. videre est: Hoc ergo sensu S. Thomas intendit quod *si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam*, id est, contritus non fuisset, *in ipsa confessione & absolutione sacramentali gratiam consequeretur si obicem non poneret*: Quem tunc dumtaxat ponit quando supernaturaliter attritus non est, vel perfectus contritionis propositum excludit.

Ad secundum dicendum , quod neque sacramentum pœnitentiæ , neque sacramentum baptismi , operando pertingit directe ad gratiam , nec ad culpæ remissionem , sed dispositivè .

Unde etiam patet responsio ad tertium ,

Aliæ rationes ostendunt , quod ad remissionem culpæ directe clavium potestas non operetur : quod concedendum est .

A P P E N D I X .

FX art. habes primo : quomodo per rationem interimas heresim *Armenorum* (*Prat. Armeni*) dicentium : sacramentum nullum conferre gratiam , nec posse , quantumlibet ad ejus susceptionem animam suam quis præparet . Per hanc enim locutionem universalem cointelligitur , *Armenos* ipsos negare , potestatem clavium se extendere ad remissionem culpæ (ut patet) ; quoniam , si nullum sacramentum gratiam confert. Ergo nec sacramentum confessionis , & , si gratia non confert , culpam non remittit , quandoquidem sola gratia peccata remittuntur . Item heresim *Novatianorum* dicentium , sacerdotes non habere potestatem dandi remissionem peccatorum lapsis post baptismum . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , hanc merito fuisse damnatam a Concil. *Trident.* sess. 7. can. 2. sic . *Si quis dixerit : ea ipsa nova legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre , nisi quia ceremonia sunt alia , & alii ritus externi : anathema sit .* Hæc ibi . Quæ autem differentia sit inter veteris legis , atque novæ sacramenta , monstrat , & consequenter per hoc heresim antedictam condemnat , *Papa Eugenius IV.* in Decr. *Armenis* dato , sacro approbante Conc. *Flor.* sic . *Novæ legis septem sunt sacramenta , scilicet . &c. Pœnitentia . &c. Quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis . Illa enim non causant gratiam , sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant . Hæc vero nostra & continent gratiam , & ipsam digne suscipientibus conferunt .* Hæc ibi . Ubi ex comparationis natura ly *conferunt* , idem videtur valere , quod *causant* . Nam prius in comparationem adducens antiqua sacramenta dixit ly *non causabant* . Ergo , ex opposito loquendo , sacramenta nova gratiam causant : id , quod Concilium expressit per hoc vocabulum *conferunt* . Ex hoc , aliisque citandis , confirmata , quæ dicta sunt in responsione ad primum . Item , damnatam a Concil. *Trident.* sess. ead. can. 6. *Si quis dixerit , sacramenta*

novæ legis non continere gratiam , quam significant , aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre , quasi signa tantum externa sine accepta per fidem gratia , vel iustitia , &c. Anathema sit . Hæc ibi . Et can. 8. *Si quis dixerit , per ipsa nova legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam : sed solum fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere : Anathema sit .* Hæc ibi . Item ab eod. sess. 6. cap. 6. Non enim absque causa per totum illud capitulum declarat modum præparationis ad gratiam justificantem per baptismum , & a simili per alia sacramenta , consequendam : maxime autem , quia in principio capituli septimi dicit . *Hanc dispositionem , seu præparationem , justificatio ipsa consequitur , quæ non est sola peccatorum remissio , sed & sanctificatio , & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ , & donorum . Hujus justificationis cause sunt , &c. efficiens vero misericors Deus , &c. instrumentalis item sacramentum baptismi , &c.* Hæc ibi . Ubi vides contra heresim illam , & præparationem nostram ad gratiæ consecutionem non esse frustra , & sacramenta esse causam instrumentalem justificationis , idest remissionis culparum , & adeptionis gratiæ , atque donorum . Nam , quod de sacramento baptismi in hac materia dixit ; de aliis sacramentis , ut quæ in ratione sacramenti præfite similia sint , cointelligendum est . Capitulum illud *secutum* , quoniam & pulcherrimum , & optimum est , & hic propter prolixitatem vitandam dimissum , vide ibi . Item damn. 2 , &c. ut q. 17. art. 2. appen. Item a , &c. ut q. 10. art. 1. appen. Vide *Roffensem* contra assertiones *Lutheri* art. 1. Item damn. 2 *Leone X.* in bulla contra err. *Lutheri* , cujus damnationis particulam vide qu. 1. art. 1. appen. & 3. part. q. 68. a. 9. Nam & *Lutherus* ait : quod sacramenta non dant gratiam . Item damn. 2 , &c. ut q. 10. art. 5. & 1. part. q. 48. art. 4. appen. Ubi contra *Novatianorum* prædictum errorem agitur . Vide etiam contra hunc aliquantulum Conc. *Trid.* in 3. part. q. 68. art. 6. appen. Tertio habes : quomodo per rationem supradicta Patrum , pro quanto potestatem clavium ad remissionem culpæ indicant valere , & intelligas , & probes , & tuearis . Quarto vides : quomodo &c.

ARTICULUS II. 69

*Utrum sacerdos possit remittere peccatum
quoad pœnam.*

AD secundum sic proceditur. Videtur quod sacerdos non possit remittere peccatum quoad pœnam. Peccato enim debetur pœna æterna, & temporalis. Sed adhuc post absolutionem sacerdotis manet pœnitens obligatus ad pœnam temporalem in purgatorio; vel in hoc mundo faciendam. Ergo non dimittit aliquo modo pœnam.

2. Præterea. Sacerdos non potest præjudicare iustitiæ divinæ. Sed ex divina iustitia taxata est pœnitentibus pœna, quam debent subire. Ergo sacerdos non potest de ea aliquid remittere.

3. Præterea. Ille qui parvum peccatum commisit, non est minus susceptivus effectus clavium, quam ille qui commisit majus peccatum. Sed si aliquid de pœna per officium sacerdotis de majori peccato dimittitur, possibile est esse adeo parvum peccatum, cui non debeat plus de pœna quam illud quod de majori peccato dimissum est. Ergo poterit totam pœnam illius peccati parvi dimittere: quod falsum est.

4. Præterea. Totâ pœna temporalis peccato debita est unius rationis. Si ergo per primam absolutionem dimittatur aliquid de pœna, etiam per secundam ab eodem peccato absolutionem poterit aliquid dimitti; & sic tantum poterit multiplicari absolutio, quod vi clavium tota pœna tollatur; cum secunda absolutio non sit minoris efficaciz quam prima: & sic peccatum remanebit omnino impunitum: quod est inconveniens.

Sed contra. Clavis est potestas ligandi, & solvendi. Sed potest sacerdos injungere pœnam temporalem. Ergo & potest absolvere a pœna.

Præterea. Sacerdos non potest dimittere peccatum quantum ad culpam, ut in littera dicitur (IV. dist. xviii.) nec quantum ad pœnam æternam pari ratione. Si ergo non potest remittere quantum ad pœnam tempora-

lem, nullo modo remittere poterit: quod est omnino contrarium dictis Evangelii.

Respondeo dicendum, quod idem iudicium est de effectu quem potestas clavium exercita actualiter complet in eo in quo contritio tempore præcessit, & de effectu baptismi, qui jam habenti gratiam datur. Aliquis enim per fidem, & contritionem præcedentem baptismum, gratiam remissionis peccatorum quantum ad culpam consecutus est; sed quando actualiter postea baptismum suscipit, gratia augetur, & a reatu pœnæ totaliter absolvitur; eo quod fit particeps passionis Christi: & similiter illi qui per contritionem consecutus est remissionem peccatorum quantum ad culpam, & per consequens quantum ad reatum pœnæ æternæ, quæ simul cum culpa dimittitur, ex vi clavium ex passione Christi efficaciam habentium, augetur gratia, & remittitur temporalis pœna, cujus reatus adhuc remanserat post culpæ remissionem; non tamen tota, sicut in baptismo, sed pars ejus: quia in baptismo regeneratur homo configuratur passioni Christi, totaliter efficaciam passionis Christi, quæ sufficit (1) ad omnem pœnam delendam, in se suscipiens, ut nihil de prioris peccati actualis pœna remaneat: quia non debet alicui imputari ad pœnam nisi quod ipse fecit. In baptismo autem homo novam vitam accipiens, sit per gratiam baptismalem novus homo: & ideo nullus reatus pœnæ in eo remanet pro præcedenti peccato: Sed in pœnitentia non mutatur homo in aliam vitam: quia non est regeneratio, sed sanatio quædam. Et ideo ex vi clavium, quæ operantur in sacramento pœnitentiæ, non tota pœna remittitur; sed aliquid de pœna temporali, cujus reatus post absolutionem a pœna æterna remanere potuit: nec solum de pœna illa quam hic pœnitens habet in confitendo, ut quidam dicunt: quia sic confessio, & sacramentalis absolutio non essent nisi in onus, quod non competit sacramentis novæ legis: sed etiam de illa pœna quæ in purgatorio debetur, aliquid remittitur, ut minus in purgatorio puniatur absolutus ante satisfactionem decedens, quam si ante abso-

lutio-

(1) Ut offensum est ex professo 3. part. qu. 49. art. 3. ubi homines a pœna peccati per passionem Christi dicuntur esse liberati quatenus fuit sufficiens, imo superabundans quoque satisfactio pro peccatis totius generis humani, &c. Quod autem præmittitur & pœnam totam in baptismo dimitti, quia homo re-

generatus per baptismum configuratur passioni, & in susceptione actuali baptismi adaugeri gratiam baptismi qui jam contritus ad baptismum accessit, ex eadem 3. part. quæst. 69. art. 2. (non sicut prius ad marginem 3.) quoad priorem appendicem, & art. 4. ad 2. quoad posteriorem colligitur.

lutionem decederet.

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdos non remittit totam pœnam temporalem, sed partem: & ideo adhuc manet obligatus ad pœnam satisfactoriam.

Ad secundum dicendum, quod passio Christi sufficienter satisfacit pro peccatis totius mundi: & ideo sine præjudicio divinæ justitiæ aliquid de pœna peccatori debita remitti potest, secundum quod effectus passionis ad ipsum per sacramenta Ecclesiæ pertingit.

Ad tertium dicendum, quod pro quolibet peccato oportet aliquam pœnam satisfactoriam remanere, per quam medicina contra peccatum præstetur. (1) Et ideo quamvis virtute absolutionis dimittatur aliqua quantitas pœnæ debitæ pro aliquo magno peccato, non oportet quod tanta quantitas pœnæ dimittatur respectu cujuslibet peccati, quia secundum hoc aliquid peccatum remaneret omnino sine pœna; sed virtute clavium de pœnis singulorum peccatorum proportionaliter dimittitur.

Ad quartum dicendum, quod quidam dicunt, quod in prima absolutione tantum dimittitur vi clavium, quantum dimitti potest; sed tamen valet iterata confessio, tum propter instructionem, tum propter majorem certitudinem, tum propter intercessionem sacerdotis, vel confessoris, tum propter verendiciæ meritum.

Sed hoc non videtur verum: quia etsi esset ratio confessionem iterandi, non tamen esset ratio iterandi absolutionem, præcipue in eo qui non habet aliquam causam dubitationis de præcedenti absolutione: ita enim poterit dubitare post secundam absolutionem, sicut post primam; sicut videmus, quod sacramentum extremæ unctionis non iteratur super eandem morbum, eo quod totum quod per sacramentum fieri potuit, semel factum est. Et præterea in secunda confessione non requiretur quod haberet claves ille cui fit confessio, si nihil ibi vis clavium operaretur. Et ideo dicunt alii, etiam in secunda absolutione aliquid vi clavium dimitti de pœ-

na: quia in secunda absolutione gratiæ confertur augmentum: & quanto major gratia recipitur, minus de impuritate præcedentis peccati manet; & ideo minor pœna purgans debetur. Unde etiam in prima absolutione alicui plus, & minus dimittitur vi clavium de pœna, secundum quod plus se, vel minus ad gratiam disponit: & potest esse tanta dispositio, quod etiam ex vi contritionis tota pœna tollatur, ut prædictum est (quæst. v. art. 2.) Unde etiam non est inconveniens, si per frequentem confessionem etiam tota pœna tollatur, ut peccatum omnino remaneat impunitum, pro quo pœna Christi satisfacit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem confringas errorem *Lusberi*, ut ex *Roffense* contra ipsum a. 5. colligitur, dicentis, quod pœnas temporales pro peccatis debitas ecclesia non potest auferre per claves. Item errorem quorundam, ut ex *Concil. Trident.* adducendo nunc, edocemur, dicentium, fictionem esse, quod, remota pœna æterna virtute clavium, pœna temporalis exolvenda plerumque remaneat. Item, quomodo hæresim *Novatianorum*: quæ *art. 1. appen.* recitatur. Vide ibi: & applica huc, pro quantum de remissione peccatorum, quoad pœnam, negatum suum possent etiam intelligere. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem prædictum merito condemnari a *Concilio Trident.* sess. 4. c. 7. sic. *Neque vero ulla via in ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a domino pœnam securior, quam ut hæc pœnitentia opera homines cum vero animi dolore frequentent.* Hæc ibi. Et can. 12. *Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, Anathema sit.* Hæc ibi. Ex quo loco confirmatur doctrinam nunc data in not. post respon. ad quartum. Item *damn.*

(1) Quippe, ut *Concilium Tridentinum* loquitur sess. 14. cap. 8. *Clementiam divinam decet ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes velut injurii & consumeliosi Spiritui-sancto in graviora labamur, thesaurizantes nobis iram in die ira: Proculdubio enim magnopere a peccato revocant & quasi freno quodam coercent hæ satisfactorie pœna, causioresque ac vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt*

Medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus contrariis virtutum actionibus tollunt; ut jam indicatum est supra: Præter quam quod Sess. 6. cap. 14. facienda satisfactio post absolutionem sacerdotalem remanere dicitur, quia non tota pœna temporalis per ipsam remittitur sicut æterna: proindeque adversus novam praxim absolutio satisfactionem præcedit ut hic.

damn. ab eo. can. 15. *Si quis dixerit, &c. fictionem esse, quod, virtute clavium sublata pena aeterna, pena temporalis plerumque exolvenda remaneat, Anathema sit.* Hæc ibi. Item sess. 6. can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori penitentis culpam remitti, & reatum aeterna pena debere dixerit, ita ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exolvere vel in hoc saeculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna caelorum astitisse patere possit, Anathema sit.* Hæc ibi. Item: quomodo per rationem ostendas hæc. *Novatianorum*, pro quanto de remissione peccatorum, quoad poenam, negant, damnari merito, a, &c. ut questione, &c. vide ar. 1. append. circa fin. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse dictum a Concilio Trident. sessio. 14. cap. secundo, non esse eundem effectum baptismi, & clavium confessionis in hæc verba. *Alius est præterea baptismi, & alius poenitentia fructus. per baptismum enim Christum induentes nova prorsus in illo efficiuntur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes, ad quam tamen vocitatem, & integritatem per sacramentum poenitentia sine magnis nostris fletibus, & laboribus, divina id exigente justitia, parvenire nequaquam possumus, ut merito poenitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit.* Hæc ibi. Quibus etiam verbis damnari errores prædictos cuilibet recte consideranti, atque intelligenti patere potest. *Quarto* habes: quomodo per rationem supra dicta Patrum, pro quanto claves ad minuendam poenam temporalem remanentem valere insinuant, & intelligas, & probes, & tuearis. *Quinto* vides: quomodo &c.

Utrum sacerdos per potestatem clavium possit ligare.

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod sacerdos per potestatem clavium ligare non possit. Virrus (1) enim sacramentalis ordinatur contra peccatum, ut medicina. Sed ligare non est medicina peccati, sed magis aggravatio morbi, ut videtur. Ergo sacerdos per vim clavium, quæ est vis sacramentalis, non potest ligare.

2. Præterea. Sicut absolvere, vel aperire est amovere obstaculum; ita ligare est obstaculum ponere. Sed obstaculum regni peccatum est, quod nobis ex alio imponi non potest, quia non nisi voluntate peccatur. Ergo sacerdos ligare non potest.

3. Præterea. Claves ex passione Christi efficaciam habent. Sed ligare non est effectus passionis. Ergo ex clavium potestate non potest sacerdos ligare.

Sed contra est quod dicitur Matth. xvi. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in calis.*

Præterea. Potestates rationales sunt ad opposita. Sed potestas clavium est potestas rationalis, cum habeat discretionem adjunctam. Ergo habet se ad opposita. Ergo si potest solvere, potest & ligare.

Respondendo dicendum, quod operatio sacerdotis in usu clavium est conformis Dei operationi, cujus minister est. Deus autem habet operationem & in culpam, & in poenam: sed in culpam ad solvendum quidem directe, ad ligandum autem indirecte, in quantum obdurare dicitur, dum gratiam non largitur; (1) sed in poenam habet operationem directe quantum ad utrumque, quia & poenæ parcit, (2) & poenam infligit. Similiter

(1) Sive vis vel potestas: planius quam antea, Virrutes enim sacramentales ordinantur. Porro quod ordinantur ad medelam, & præcipue Poenitentia, jam superius ostensum est; ac ulterius ex Gregorio quantum ad institutum præfens ostendi potest sic dicente in 1. Reg. lib. 6. cap. 15. *Vindicta* (id est satisfactio) quasi medicina necessaria est, ut apostolus reatus quod conversione compungitur, confitendo purgetur, afflictionisque medicina sanetur: cum Saulis fucam, falsam, & simulatam poenitentiam exigit in illa verba *Peccavi, sed honora me coram senioribus.*

(2) Sicut 1. 2. qu. 79. art. 3. plenius ex professo

dictum est.

(3) Sic passim legunt Exemplaria Supplementi; ut sit *parcere poenæ* idem quod nolle poenam infligere; sicut Proverb. 13. vers. 14. *Qui parcat virga, odit filium suum*: id est qui non excipit illum virgis: Exemplaria tamen libri 4. Sententiarum *parcat poenam*: id est indulget illam vel remittit, sicut *Æneidos* 10. *Argenti multa salenta Nasus parcat suis*, id est remittit, ut a solvendo sint immunes: Quin & *parcere vitam* dixit Gellius lib. 7. c. 19. pro *indulgere*, licet alio sensu. In Manuscripto tamen *poenæ parcat*, &c.

licet ergo & sacerdos, etsi in absolvendo ex vi clavium habeat aliquam operationem ordinatam ad culpæ dimissionem modo jam prædicto (art. 1. hu. quæst.) non tamen ligando aliquam operationem habet in culpam; nisi ligare dicatur, in quantum non absolvit, sed ligatos ostendit; sed in pœnam habet potestatem & ligandi, & solvendi. Solvit enim a pœna quam dimittit; sed ligat quantum ad pœnam quæ remanet. Sed ad hanc ligare dupliciter dicitur: uno modo considerando ipsam quantitatem pœnæ in communi; & sic non ligat; nisi in quantum non solvit, sed ligatum ostendit: alio modo considerando pœnam hanc vel illam determinate; & sic ligat ad pœnam, imponendo eam.

Ad primum ergo dicendum, quod illud residuum pœnæ ad quod obligat, est medicina purgans peccati impuritatem.

Ad secundum dicendum, quod obstaculum regni non solum est peccatum, sed etiam pœna; quam qualiter sacerdos imponat, dictum est (in corp.)

Ad tertium dicendum, quod etiam passio Christi obligat nos ad pœnam aliquam, per quam ei conformemur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito positam esse a scripturis, & per consequens a Conc. omnibus de hac re tractantibus, quandam alligaturam, quæ dicitur esse salutis: & consequenter non omnem alligaturam esse malam, seu fugiendam, immo quandam a catholicis amplectendam. A scripturis quidem, Eccles. 6. „Vincula illius alligatura salutis. Et sup. „in jice pedem tuum in compedes illius, & in „torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, & porta illam: & ne accedieris in vinculis ejus. In novissimis enim „invenies requiem in ea, & converteretur tibi in oblectationem, & erunt tibi compedes „pedes in protectionem fortitudinis, & bases virtutis: & torques illius in stolam „gloriz. „Hæc ibi. Ubi loquitur de sapientia. Item a Scripturis, Matth. 16. *Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cælis.* Et 18. *Quodcumque alligaveritis super terram, &c.* & Jo. 20. *Quodcumque retinueritis, retenta sunt.* Nullatenus vero dubium est, quod, quæcumque fecit Christus, pro nostra salute fecit. A Concilio vero Trident. sess. 14. cap. 1. & 5. & 8.

Item can. 3. & 15. De his locis Concilii vide supra qu. 17. art. 2. append. ubi literaliter adducuntur. Quod etiam hujusmodi ligaturæ sint salubres, dixit idem Concilium eadem sessione, cap. 8. sic: „Divinam clementiam decet; ne ita nobis absque ulla „satisfactione peccata remittantur: ne, occasione accepta, peccata leviora putantes, „velut injurii, & contumeliosi Spiritui sancto, in graviora labamur, thesaurizantes „nobis iram in die iræ. „Hæc ibi. Diximus autem supra, quod pœna, ad quam ligat sacerdos, est satisfactio. Item idem Concilium mox infra: „Proculdubio magnopere „a peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent, hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum penitententes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum „actionibus tollunt. „Hæc ibi. Nonne igitur multum tibi videntur *alligaturæ salutis?* Item Concil. infra: „Accedit ad hæc: quod, „dum satisfaciendo patimur pro peccatis, „Christo Jêsu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes effimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod, si committimus, & conglorificabimur. „Hæc ibi. Ex quibus omnibus patet, quantum salutis nostræ insidientur Epicurei Novatores, dum satisfactiones hujusmodi, Ecclesiæque sanctæ ligamina etiam alia, quæ leges vocantur, ad instar serpentis, Genes. 30. totis viribus dissiadent: & contra, quantum nostræ salutis saveant, qui ligaturas hujuscemodi nobis persuadent. *Secundo* habes: quomodo per rationem dicta Evangeliorum, atque similia, pro quanto potestatem ligandi in sacerdote virtute clavium ponunt, in sensu recto & intelligas, & probes, & tuearis. *Tertio* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S IV. 78

Utrum sacerdos possit ligare & solvere secundum proprium arbitrium.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod sacerdos possit ligare, & solvere secundum proprium arbitrium. Hieronymus enim dicit (hab. c. lxxxvi. de pœnit. dist. 1. & implic. Basil. epist. can. ad Amphilocho. can. 11. & in Conc. Metensi an. Cht. 859. cap. 2. (1)

x. (1) *Mensuram temporis in agenda penitentia ideo non satis aperte præfigunt canonos pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant, qualiter unumquodque sit emendandum; sed magis arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuum.* Ergo videtur quod ipse secundum suam arbitrium possit ligare, & solvere.

2. Præterea, Dominus *laudavit villicum iniquitatis, quod prudenter fecisset*, quia debitoribus domini sui remisisset largiter. (Luc. xvi.) Sed Deus est magis pronus ad miserendum quam aliquis dominus temporalis. Ergo videtur quod laudabilior sit sacerdos, quanto plus de pœna remisit.

3. Præterea. Omnis actio Christi nostra est instructio. Sed ipse quibusdam peccantibus nullam pœnam imposuit, sed solum emendationem vitæ; ut patet de adultera, Joan. viii. Ergo videtur quod secundum arbitrium suum possit etiam sacerdos, qui est vicarius Christi, dimittere totam pœnam, vel partem.

Sed contra. Gregorius VII. dicit: (in Conc. Rom. V. an. Chr. 1078. can. v. & hab. cap. vi. de pœnit. dist. ii.) *Falsam penitentiam dicimus qua non secundum auctoritatem sanctorum Patrum pro qualitate criminis imponitur.* Ergo videtur quod non omnino sit in arbitrio sacerdotis.

Præterea. Ad actum clavium requiritur discretio. Sed si esset omnino in voluntate sacerdotis dimittere, & imponere de pœna quantum vellet, non esset ibi necessaria discretio, quia nunquam ibi indiscretio posset accidere. Ergo non est omnino in arbitrio sacerdotis.

Respondeo dicendum, quod sacerdos operatur in usu clavium sicut instrumentum, & minister Dei. Nullum autem instrumentum habet efficaciam actum, nisi secundum quod movetur a principali agente. Et ideo dicit Dionysius in fine ecclæs. Hierar. quod *sacer-*

dotibus utendum est virtutibus hierarchicis, quomodo Divinitas eos moveris. In cuius signum Matth. xvi. ante potestatem clavium Petro traditam fit mentio de revelatione Divinitatis ei facta; & Ioan. xx. præmittitur potestati remissionis Apostolis datæ Spiritus sancti donum, quo *filiis Dei aguntur.* (Rom. 1211.) Unde si quis præter illum motum divinum uti sua potestate præsumeret, non consequeretur effectum, ut Dionysius dicit (ibid.) & præter hoc a divino ordine averteretur; & sic culpam incurreret. Et quia pœnæ satisfactoriæ intelligendæ, medicinæ sunt (2), sicut medicinæ in arte determinatæ non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundum arbitrium medici non propriam voluntatem sequentis, sed scientiam medicinæ, ita pœnæ satisfactoriæ in canonibus determinatæ non competunt omnibus; sed variandæ sunt secundum arbitrium sacerdotis divino instinctu regulatum. Sicut ergo medicus aliquando prudenter non dat medicinam inefficacem quæ ad morbi curationem sufficit, ne propter debilitatem naturæ majus periculum oriatur; ita sacerdos divino instinctu motus non semper totam pœnam quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ desperet, & a penitentia totaliter recedat.

Ad primum ergo dicendum, quod arbitrium illud debet esse divino instinctu regulatum.

Ad secundum dicendum, quod etiam de hoc laudatur villicus, quod prudenter fecit. Et ideo in remissione pœnæ debet discretio adhibenda est.

Ad tertium dicendum, quod Christus habuit potestatem excellentiæ in sacramentis; unde ipse ex auctoritate pœnam totam, vel partem poterat dimittere, sicut volebat (3). Non est ergo simile de his qui operantur tantum ut ministri.

AP.

(1) Quamvis in Hieronymo non occurrere appendix notat: Velut ex dictis Hieron. collectum refert Ivo parte 15. c. 49. Sed simile aliquid Basilius Amphilocho scribit in epist. 1. cap. 2. cum de abortum procurante sic ait: *Que de industria factum corrupti, pœnas occisionis luas: Oportet autem non usque ad obitum confessionem prorogare vel extendere, sed mansuram decemannorum admittere, ac desinare non tempore sed modo penitentia medicinam:* Et epist. 3. versus finem post variorum peccatorum penitentiam explicatam idem concludit quod *non tempus penitentia attendi oportet sed modus:* Et in Capitularibus

lib. 7. cap. 12. *Satisfactio penitentia non est tam temporis longitudine quam cordis compunctione pensanda:* Et in Enchiridio Augustini cap. 65. quod etiam refertur ubi sup. *In actiois penitentia, ubi tale crimen commissum est ut is qui commissio a Christi corpore separatur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris.*

(2) Sicut pœnas vocari Philosophus lib. 2. Ethicor. cap. 1. græco-latino, vel cap. 3. in antiquis & apud S. Thomam lect. 3. notat. Et hinc specialiter penitentia medicina peccati.

(3) Nec vero dubitandum de adultera historia cujus

APPENDIX.

EX artic. habes primo, quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum a Concilio Cabitanensi II. cap. 25. sic: „Poenitentiam agere juxta antiquam canonem constitutionem in plerisque locis ab usu recessit, & neque excommunicandi, neque reconciliandi, antiqui moris ordo servatur; ideoque a Domino Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publice peccat, publica mulsetur poenitentia, & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur, & reconcilietur „ . *Hæc ibi: Item a decretis de poenitentia, & remissione, cap. Quæsitum, sic:* „ Si ex incuria ipsorum mortui inveniantur in canis, & illud fuerit occultatum, eis poenitentia pro arbitrio poenitentiarum imponatur „ . *Hæc ibi Papa Calæstinus III. Item ibidem cap. immediate seq.* „ Poenitentia non tam secundum quantitatem excessus, quam poenitentis contritionem, per discreti sacerdotis arbitrium est moderanda, pensata qualitate personarum super fornicatione, adulterio, perjurio, homicidio, & aliis criminibus, consideratis circumstantiis omnibus, &c. prout saluti eorum viderit expedire „ . *Hæc ibi ex Papa Innocentio III. Item a Concilio Vormatiensi, can. 7. sic.* „ Poenitentibus secundum differentiam peccatorum sacerdotis arbitrio poenitentiam „ . *Summ. S. T. b. Tom. XIII.*

„ penitentia decernatur . Debet itaque sacerdos in poenitentia danda singularum causas singularim considerare : originem quoque, modumque culpæ, & affectus, gemitusque delinquentium diligenter examinare, manifesteque cognoscere, temporam etiam, & personarum, locorum quoque, ætatum qualitates inspicere ; ut etiam pro consideratione locorum, ætatum, vel temporum, seu pro qualitate delictorum, atque gemitum uniuscujusque delinquentis, a sacris regulis oculos non deflectat „ . *Hæc ibi . Item a Concilio sexto generali Constantinopolitano, can. 102. sic :* „ Oportet, qui facultatem ligandi, atque solvendi a Deo receperunt, peccati qualitatem speculantur, & peccatoris promptitudinem ad reversionem : ut sic medicamentum admoveant ægritudini aptum ; ne, si de peccato sine discrimine statuant, aberrent a salute ægotantis . Non enim simplex est peccati morbus ; verum varius, & multiformis . Igitar, qui spiritualem medendi artem proficitur, oportet attente rimari, qualiter affectus sit, qui peccavit : an ad salutem inclinet, an contra moribus, quibus familiariter assuevit, adversus se ægritudinem provocet, inspicere, & quid ille secum delibere ad redeundum ad meliorem frugem : an obtinere magistro, an mentis ulcus per æmota pharmaca crescat ; & sic misericordiam æqua lance impartiri : summa enim

ius occasione hoc respondetur, quin & vera sit & pars Evangelii agnoscenda ; quantumvis Caietanus Erasmi vestigiis inhaerens dicat *advertendum quod non est omnino authentica, quoniam non constat ipsam esse partem Evangelii* ; quod & ex Hieronymo putat se probare quia lib. 2. Dialogi contra Pelagianos dicit quod *in Evangelio secundum Joannem in multis & grecis & latinis codicibus invenitur de adultera muliere qua accusata est apud Dominum* : ex quo infert quod *dicendo, in multis, monstrat non esse authenticam hanc historiam sicut relique partes Evangelii* : Atqui ei potius advertendum fuerat quod interim ex illa Hieronymus, contra Pelagianos argumentatur, & inutile ac frustraneum est argumentum nisi putaret authenticam : Item quod August. in Joan. in Tract. 33. eam partem & eleganter & copiose commentatur : Quod Ambrosius epist. 51. quam ad Studium quendam scripsit, inter authentica & canonica testimonia eam citat ; ac epist. 52. quam ad eundem inscribitur, prolire illam usquet : Quod Ammonius Alexandrinus a Hieronymo commendatus eam in harmonia Evangeliorum sive Menestero suo (id est quadriuno) recenset tom. 7. novæ Bibliothecæ Pa-

trum ; cap. 12. versus finem : Quod & Athanasius in Synopsi Scripturæ (id est collectione summaria) eam expresse commemorat ; ut lib. 4. videre est : Quod Chrysostrmus ipse, licet eam non commentetur nec insinuet suo loco, ex ea tamen mutuatur exemplum homil. 60. in Joannem . Hæc ergo advertere debuit Caietanus ne historiam quasi non authenticam abdicaret quam tot insignes viri pro authentica usurparunt : & quæ in Rituali nostro Prædicatorum ad annum 1154. scripto, ac apud nos hic Parisiis assertate habetur . Quod in quibusdam porro exemplaribus desit, vel defecerit olim, quid interest ? Ut enim ait Augustinus lib. 21. de adulterinis conjugis cap. 6. *nonnulli metuentes impunitatem peccandi dari mulieribus suis, illud apud de adultera indulgentia Dominus fecit, abstulerunt de codicibus suis, &c.* Hinc apud Græcos passim deest, licet Athanasius & Ammonius eam habeant sicut supra ; sed non Cyrillus quoque ut Catharinus Cajetanum vellicans notat ; quia Iodocum Chæstorem incaute sumpsit pro Cyrillo qui nihil tale habet in Editionibus Græcis non ita pridem restituitis .

ratio præfecto pastoralis curæ esse debet, errantem ovem reducere, & vulneratam ab angue curare, & nec per præcipitiâ desperationis detrudere, nec habenas laxare ad vitæ dissolutionem, sed omnimodo scire, qua pharmacis austerioribus, qua mollioribus, & levioribus morbo contrahere; & ne ulcus cicatricem obducatur, obnitatur, fructus pœnitentiæ examinans, & sapienter dispensans, & hominem ad claritatem illam supernam vocatum prudenter gubernans. Utraque igitur scire oportet, & quæ sunt rigoris, & quæ commiserationis. *Hæc ex illo. Ecce quanta discretio in sacerdote pro servando canonum sensu, non superficie, requiritur. Item a Concil. Trident. sess. 24. cap. 8. de reform.* Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet, ut, quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire. Hæc ibi. *Ecce canonum pœnitentialium observantia, tanquam medicinæ in arte determinatæ (ut verbis textus utar) in usum revocata, epicheja tamen illa, quam in corollario diximus, adjuncta comite. Item partim a, &c. ut qu. 8. art. 7. & qu. 12. art. 2. & qu. 3. art. 3. append. Secundo habes: quomodo per rationem præmissorum patrum dicta, pro quanto sacerdotem nolunt juxta arbitrium voluntarium absque instinctu divino, vel in communi per canones, vel in particulari per specialem veram prudentiam, subministrato, ligare, aut solvere, & intelligas, & probes, & tuearis. Tertio vides: quomodo, &c.*

QUESTIO XIX.

De ministris clavium,

In sex articulos divisio.

DEinde considerandum est de ministris clavium, & usû earum.

Circa quod quaruntur sex.

Primo, utrum sacerdos legalis claves habuerit.

Secundo, utrum Christus claves habuerit. Tertio, utrum soli sacerdotes claves habeant.

Quarto, utrum sancti homines non sacerdotes claves, vel usum earum habeant.

Quinto, utrum mali sacerdotes usum clavium habeant efficacem.

Sexto, utrum schismatici, hæretici, excommunicati, suspensi, & degradati usum clavium habeant.

ARTICULUS I. 72

Utrum sacerdos legalis claves habuerit.

AD primum sic proceditur. Videtur quod sacerdos legalis claves habuerit. Clavis enim est sequela ordinis. Sed ipsi habuerunt ordinem, ex quo sacerdotes dicebantur. Ergo etiam habuerunt claves sacerdotes legales.

2. Præterea. Sicut Magister dicit (IV. dist. xviii.) claves sunt duæ, scilicet scientia discernendi, & potentia judicandi. Sed ad utrumque sacerdotes legales habebant auctoritatem. Ergo habebant claves.

3. Præterea. Sacerdotes legales habebant aliquam potestatem super reliquum populum: non temporalem, quia sic potestas regia non fuisset distincta a sacerdotali: ergo spiritualem; & hæc est clavis. Ergo habebant clavem.

Sed contra. Claves ordinantur ad aperendum regnum cælorum: quod aperiri non potuit ante Christi passionem. Ergo sacerdos legalis claves non habuit.

Præterea. Sacramenta veteris legis gratiam non conferebant. Sed aditus regni cælestis aperiri non potuit nisi per gratiam. Ergo per illa sacramenta non poterat aperiri: & sic etiam sacerdos, qui minister eorum erat, claves regni cælestis non habebat.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod in veteri lege erant claves regni apud sacerdotes, quia eis erat commissum imponere pœnam pro delictis, ut dicitur Levit. v. quod ad claves pertinere videtur; sed fuerunt tunc incompletæ, nunc autem per Christum in sacerdotibus novæ legis perfectæ sunt.

Sed hoc videtur esse contra intentionem Apostoli in epistola ad Heb. cap. ix. Ibi enim sacerdotium Christi præferit sacerdotio legali, per hoc quod *Christus assisit Pontifex sum-*

futurae bonorum, () introducens per proprium sanguinem in tabernaculum non manufactum, in quod introducebat sacerdotium veteris legis per sanguinem vitcorum & taurorum.* Unde patet quod sacerdotii illius potestas non se extendebat ad caelestia; sed ad figuras caelestium. Et ideo secundum alios dicendum est, quod non habebat claves; sed in eis clavium figura praecessit.

Ad primum ergo dicendum, quod claves regni caelestis consequuntur ad sacerdotium, quo homo in caelestia introducitur; non autem tale erat sacerdotium Leviticum; & ideo claves caeli non habuerunt, sed claves terreni tabernaculi.

Ad secundum dicendum, quod sacerdotes veteris legis habebant auctoritatem discernendi, & iudicandi, sed non ut admitteretur homo iudicatus ab eis in caelestia; sed in figuras caelestium.

Ad tertium dicendum, quod non habebant spiritualem potestatem: quia (***) per sacramenta legalia non a culpis, sed ab irregularitatibus purgabant homines, ut ad mansuetum tabernaculum aditus purgatis per eos pareret.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas merito a scripturis, & a conciliis fuisse insinuatam, sacerdotem legalem non habuisse claves. A scripturis quidem insinuatam id fuit Galat. 3. *si data esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset iustitia*, adjuncto illo capituli 2. *si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Sublime, tu. Sed gratis, id est sine causa, Christus mortuus non est. Ergo ex lege non erat iustitia, sive, quod in idem redit, lex non poterat vivificare. Secundum Apostolum igitur non poterant legalia sacramenta ex vi sua delere peccata, quod est spiritualiter vivificare, seu iustificare, & consequenter sacerdos legalis non habebat claves regni, quibus per sacramenta peccatoribus adhibita a sacerdote delerentur ipsorum peccata. Idem ergo tandem est dicere, lex antiqua vivificare non potuit, seu per legem antiquam non potuit esse iustitia: & dicere, sacerdos legalis non potuit regni caelorum habere claves. Plus er-

go dixit Apostolus, quam quaerebamus. Ab eo siquidem audire quaerebamus, quod sacerdos legalis non habuit claves, & eum audivimus dicentem, quod non potuit habere claves, alioquin, si eas potuisset habere Christus gratis mortuus esset. Item Hebr. 9. *Quae parabola est temporis instantis, juxta quam munera, & hostiae offeruntur, quae non possunt juxta conscientiam perfectam facere ferventem solummodo in cibis, in potibus, & in variis baptismatibus, & iustitiis carnis; usque ad tempus correctionis impositis.* Ecce, quod sacerdos legalis non mundabat conscientiam: sed tantum iustitias carnis, id est, munditias exteriore operabatur, usque ad tempus correctionis impositas: & consequenter, quod non habebat claves, sed figuras clavium. Nam ideo dicit Apostolus, quod illae iustitiae carnis erant impositae usque ad tempus correctionis, id est, figurabant fienda tempora novi testamenti, in quo omnia in melius corrigenda erant. Item ibi *sanguis vitcorum, & taurorum, & cinis visula aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.* Ecce, quod emundabant tantum exterius legalia secundum Apostolum. Item c. 8. „ Si illud prius culpa vacasset, non „ utique secundi locus requiretatur. Vituperans „ enim eos, dicit: Ecce dies veniunt, dicit dominus, & consummabo super domum Israel, „ & super domum Juda testamentum novum, „ non secundum testamentum, quod feci patribus eorum, &c. Hoc autem est testamentum, quod disponam domui Israel dando „ leges meas in mentem eorum, & in corda eorum superscribam eas, „ &c. Ecce, quod secundum Apostolum legalis observantia non vacabat culpa, id est culpam interioris conscientiae ex vi sua non auferebat: & quod testamentum novum, ad differentiam testamenti veteris dati patribus eorum interiorius operatur, utpote superscriptum in mentes, & in corda fidelium. Item ibi 7. *Reprobatio quidem fit praecedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.* Vide, quod inutile dicitur mandatum legale non absolute, ad multa enim valebat; cum esset a Deo, qui docet nos utilia, sed comparative ad interioriorem emundationem, quae novo testamento reservabatur. Hinc etiam mandatum illud vocatur carnale, in eodem cap. dicente: *alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus est.* Item

X 2 a Con-

(*) Ita edis. passim. Melius vosus exemplum an. 1486. ad tabernaculum caeleste introducens per pro-

prium sanguinem, non in manifestum &c. (***) Al. per sacramentalia.

a Concil. *Trick* sess. 6. cap. 1. „ omnes homines usque adeo servi erant peccati, sub potestate Diaboli, ac mortis, ut non modo gentes, per viam naturæ, sed ne Judæi quidem per ipsam etiam litteram legis Moysi inde liberari, aut surgere possent; tametsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum, & inclinatum „. Hæc ibi. Ecce, quod legalia vi propria non tollebant culpam, & consequenter, quod sacerdos legalis non habebat claves. Item ab eodem ibidem can. 1. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, qua vel per humana natura vivet; vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Jesum Christum gratia, posse justificari coram Deo: Anathema sit.* Hæc ibi: Ubi insinuat idem, quod prius, ad quod juvat notare *ly. justificari coram Deo*, quod sc. non sine causa additum est *ly coram Deo*. Item ab eodem sess. 7. can. 2. „ Si quis dixerit, „ novæ legis sacramenta a sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremoniz sunt aliæ, & alii ritus externi; Anathema sit. *Et can. 8.* „ Si quis dixerit: „ per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem promissionis ad gratiam consequendam sufficere: Anathema sit „. Hæc ibi: Ubi annotari videtur differentia inter legalia sacramenta, & nova, ex eo, quod legalia ex opere operato, idest ex vi ipsorum sacramentorum operatorum, idest in opere positorem, non conferbant gratiam, sed ex opere operantis, idest per fidem devotam ipsius operantis respectu promissionis divinæ habitam, sacramentis adhibitis, gratia infundebatur a Deo: & sacramenta nova ex ipso opere operato, idest vi sua, ipsam conferunt. Ex quo de sacerdote legali dic, ut supra ex Apostolo. Item a Concil. *Florentin.* sive ab *Eugenio IV.* eodem Concilio approbante, in Decreto Armenis dato, sic. Novæ legis „ sacramenta multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causant gratiam: sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Hæc „ vero nostra & continent gratiam, & „ ipsam digne suscipientibus conferunt „. Hæc ibi. Unde idem, quod prius, dic de sacerdote legali. *Secundo* habes: quomodo per rationem dicta præmissa tum scripturarum, tum patrum, pro quanto sacerdotem legalem insinuant non habuisse claves, & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* videtur: quomodo &c.

ARTICULUS II. 73

Utrum Christus clavem habuerit.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Christus non habuerit clavem. Clavis enim characterem ordinis consequitur. Sed Christus non habuit characterem. Ergo non habuit clavem.

2. Præterea. Christus habuit in sacramentis potestatem excellentiæ, ut effectum sacramenti sine sacramentalibus posset conferre. Sed clavis est quoddam sacramentale. Ergo non indigebat clavi; & sic frustra eam habuisset.

Sed contra est quod dicitur Apoc. III. 7. *Hæc dicit qui habet clavem David &c.*

Respondeo dicendum, quod virtus aliquid agendi est in instrumento, & in per se agente, non eodem modo, sed in per se agente est perfectius. Potestas autem clavium, quam nos habemus, & aliorum sacramentorum virtus est instrumentalis, sed in Christo est ut in per se agente ad salutem nostram; per auctoritatem quidem, in quantum est Deus; sed per meritum, in quantum est homo. Clavis autem de ratione sua exprimit potestatem aperiendi, & claudendi, sive aliquis aperiat, quasi principale agens, sive quasi minister. Et ideo in Christo oportet ponere clavem; sed altiori modo quam sit in ejus ministris: & ideo dicitur, quod habeat clavem excellentiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod character de sua ratione dicit aliquid ab alio derivatum: & ideo potestas clavium, quæ in nobis a Christo derivata est, sequitur characterem, quo Christo conformamur; sed in Christo non sequitur characterem, sed principalem formam.

Ad secundum dicendum, quod clavis illa quam Christus habuit, non erat sacramentalis, sed sacramentalis clavis principium.

APPENDIX.

EX artic. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a Scripturis, Christum habere clavem. Ut Apocalyp. 3. *Hæc dicit sanctus, & verus, qui habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Quasi exponat, quid sit illa clavis habita a sancto, & vero antonomastice; idest a Christo, dicit, *qui aperit, &c.* idest, qui rectum judicium

cium infallibile habet in aperiendo, & claudendo. Et hoc est ad differentiam habentium clavem ministerialem, qui quandoque aperiunt, vel claudunt secundum propriam voluntatem, & non secundum instinctum Spiritus sancti, contra determinata in *quest. 18. art. 4.* Item Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5. *Utrum sciat, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico, &c.* Ecce quod Christus habet clavem, qua dimittuntur peccata, quæ non est clavis ministerialis, sed principalis. Si enim esset ministerialis, non posset per illam facere effectum sacramenti sine sacramento: cum tamen absque sacramento poenitentia peccata tunc remittat. Item ad idem facit, quod habetur Luc. 7. de Christo, qui dicit Magdalene ploranti: *remissurus tibi peccata tua.* Remisit enim peccata sine sacramento poenitentia, quod non est clavis ministerialis, sed principalis, quamvis non sine poenitentia virtute. Poenituit enim Magdalenam suorum malefactorum, sine qua dispensatio non ei remississet: in *capit. signum* Christus dixit: *dimissa sunt ei peccata multa; quoniam dilexit multum;* ostendens, quod dilectio Dei fuit radix poenitendi de malefactis. Item a Joan. 8. idem insinuatum est, cum de Adultera, cui Christus simili modo peccata condonavit, locutus est. Item ab Evangelistis idem insinuatum est, quando de remissione negationis commissæ a Petro mentionem fecerunt, in cuius tamen remissione sacramentum poenitentia non adduxerunt. Hinc apparet, quam deridendi sint hæretici illi, atque ignorantia coarguendi, qui ex eo, quod videtur Christum dimittere peccata sine sacramento poenitentia, dicunt, quod sacramentum hoc non est necessarium ad remissionem peccati. Dixissent saltem non esse necessarium ad remissionem peccati siendam

a Christo immediate: & bene dixissent. Cum vero a Christo ad ministros faciant transitum, contententes, quod sine sacramento isto possunt sacerdotes ministri Christi remittere peccata, vel quod Christus non instituerit confessionem peccatorum necessariam, ad hoc, ut per ministros suos peccata hominibus condonaret, ignorantia maxima laborant, & tanta, quanta differentia est inter caput, & membra, seu inter habentem clavem excellentia, & habentem clavem ministerialem. Scripturæ siquidem adductæ non solum intendunt ostendere, quod Christus habet clavem, sed, quod illam habet per excellentiam. Hinc apparet, quod, sicut impossibile est, alium præter Christum habere clavem excellentia; ita impossibile est, alium præter Christum posse remittere peccata absque sacramento poenitentia. Idem ergo erit tandem dicere, quod confessio peccatorum non est necessaria pro illorum remissione, & dicere, eatis immediate ad Christum, ut remittat vobis peccata, & negare simul totum ordinem institutum a Christo pro remissione per suos ministros habenda, quod est plus, quam blasphemiam, ut *qu. 6.* in multis locis text. & elucid. *Secunda* habes: quomodo per rationem supradicta Scripturarum, pro quanto Christum affirmant habere clavem, & intelligas, & probes, & tucaris. *Tertio* vides: quomodo, &c.

ARTICULUS III. 74

Utrum soli sacerdotes claves habeant.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non soli sacerdotes claves habeant. Sicut enim Isidorus (Lib. VII. Etym. cap. XII. in fi. & Lib. II. de ecclesiast. offic. cap. XIV.) quod *ostiarum inter bonos, & malos habent iudicium, dignos recipiunt, indignos rejiciunt.* (1) Sed

(1) Sicut refert Magister lib. 4. Sent. dist. 24. §. 3. seu lit. C. sed Isidorus ipse paulo aliter libro 7. etymologiarum vel originum cap. 12. ut & lib. 2. de ecclesiasticis officiis cap. 4. & in decretis distinct. 21. cap. *Cleros prope finem fideles recipiunt & respiciunt infideles;* quin & distinct. 25. cap. *Periculis ad officium Ostiarum pertinere dicitur ut fideles recipias, excommunicatos & infideles eiciat,* ac ex eisdem Isidori ad Leudifredum episcopo a refertur apud Bibliothecam quandam Dominicanorum asservata, sicut titulus habet. Quod autem quaedam capitula excommunicationem inferre possint; ut hic argum. 3. subiungitur, intelligendum: *Sede vacante* ut cap. *Ad*

abolendam Extra de hæreticis ex Lucio 3. videre est, quamvis dicantur ibi tantum eo casu hæreticos denunciare posse a Papa ipso excommunicatione innodandos, cum Sede vacat: sed unum ex alio sequitur factis clare, cum jus Episcopo. um illis manifeste concedat: ut & 6. Decretalium tit. de majoritate & obedientia cap. *Episcopali* Bonifacius octavus ex professo declarat *posse Capitulum Episcopali Sede vacante ab excommunicationis sententia (sive juris sive hominis fuerit) absolutionis beneficium impertiri, nisi ei fuerit a Sede apostolica specialiter interdicta potestas.*

Sed hæc est definitio clavium, ut ex dictis patet (quæst. xvii. art. 2.) Ergo non solum sacerdotes, sed etiam ostiarii claves habent.

2. Præterea. Claves sacerdotibus dantur, dum per unctionem potestatem divinitus accipiunt. Sed Reges etiam potestatem in populum fidelem divinitus habent, & unctione sanctificantur. Ergo non solum sacerdotes habent claves.

3. Præterea. Sacerdotium est ordo uni singulari personæ conveniens, Sed clavem aliquando videtur habere tota una congregatio: quia quædam Capitula excommunicationem inferre possunt, quod ad potestatem clavium pertinet. Ergo non solum sacerdotes clavem habent.

4. Præterea. Mulier non est sacerdotalis ordinis susceptiva, quia ei in Ecclesiis docere non competit, secundum Apostolum I. Cor. xiv. Sed aliquæ mulieres videntur habere clavem, sicut Abbatissæ, quæ habent spiritualem potestatem in subditas. Ergo non solum sacerdotes claves habent.

Sed contra est quod Ambrosius dicit (Lib. I. de poenit. cap. 11. a princ.) *Hæc jus, scilicet ligandi, & solvendi, solis sacerdotibus est concessum.*

Præterea. Per potestatem clavium efficitur aliquis medius inter populum & Deum. Sed hoc tantum sacerdotibus competit, qui *constituuntur in his quæ sunt ad Deum, ut offerant dona, & sacrificia pro peccatis*, ut dicitur Hebr. v. 1. Ergo solum sacerdotes claves habent.

Respondeo dicendum, quod clavus est duplex. Una quæ se extendit ad ipsum cælum

immediate, removendo impedimenta introitus in cælum per remissionem peccati: & hæc vocatur clavus ordinis: & hæc soli sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinantur populo in his quæ directe sunt ad Deum. Alia clavus est quæ non directe se extendit ad ipsum cælum, sed mediante militante Ecclesia, per quam aliquis ad cælum vadit, dum per eam aliquis excluditur, vel admittitur ad consortium Ecclesie militantis, per excommunicationem, & absolutionem: & hæc vocatur clavus jurisdictionis in foro casarum: & ideo hæc etiam non sacerdotes habere possunt; sicut archidiaconi, & electi, & alii qui excommunicare possunt. Sed non proprie dicitur clavus cæli, sed quædam dispositio ad ipsum.

Ad primum ergo dicendum, quod ostiarii habent clavem custodiendi ea quæ in templo materiali continentur; & habent iudicium a tali templo excludendi, & non quidem sua auctoritate iudicantes, qui sunt digni, vel indigni, sed iudicium sacerdotum exequentes, ut sic quodammodo executiones potestatis sacerdotalis videantur.

Ad secundum dicendum, quod Reges non habent aliquam potestatem in spiritualibus: sed ideo clavem regni cælestis non accipiunt, sed solum in temporalibus, quæ etiam non nisi a Deo esse potest, ut patet Rom. xiiii. Nec per unctionem in aliquo sacro ordine consecrantur; sed excellentia potestatis ipsorum a Christo descendere significatur, ut & ipsi sub Christo in populo christiano regnent.

Ad tertium dicendum, quod sicut in politicis (1) quandoque iudex habet potestatem,

(1) Supple *administrationibus* vel aliquid simile: Pro quo vel imperitus vel oscitans aliquis libros Politicorum somniavit significari: ac proinde in textu addendum finxit; sicut dicitur in *Politicis*, ut in Editione Colonienfi videre est, & ad marginem duplicato somnio, ut in Editione quoque Duacensi, lib. 2. c. 4. ubi per divinandum quidem tale aliquid indicatur: cum ex *Ethicorum* 8. juxta citationem hic subijunctam cap. 12. græco-lat. vel cap. 10. in antiquis & apud sanctum Thomam lect. 10. desumptum sit: Sicut & ex eodem loco sequens appendix quodammodo colligi potest, sed expressus lib. 2. *Politicorum* cap. 9. quod fiat *correptio urbanitatis* (id est urbani seu civilis ac politici regiminis) quando ad mulierem dominium pervenit. Quamvis in viros quoque tum politica tum ecclesiastica quodammodo iurisdictio mulieribus conceditur: Sicut Debora olim iudicium 4. vers. 4. *populum iudicabat*, & sicut nunc apud nos Regina Regentes sunt ut saltem per ministros iurisditionem exercent qualem Rex ipse præ-

sens exerceret: Vel sicut Extra de maiestate & obedientia cap. *Dilecta*, Honorius 8. Abbatissæ cuidam Bubrigenfi concedit vel concessum supponit ut *Clericos sue jurisdictioni subiectos propter inobedientias eorum officio beneficioque suspendat*, ac proinde suspensionem illam non observantes ad eam observandam per ecclesiasticam censuram ab Abbate ibidem deputato ferendam compelli vult. Et rursus Extra de excessibus Prelatorum cap. *Dilecta*, idem Honorius 3. Canonice Iotrensibus vetat proprium usum sine sigillo præter voluntatem Abbatissæ ipsius Iotrensis quæ *illorum caput est & patrona*, ut eam ibi vocat. Sed & postliminio tandem in Ordine Fontebra'densi ad obsequium S. Ioannis erga beatissimam Deiparam Virginem imitandum subijciuntur Abbatissæ Fontebra'densi veluti Ordinis Generali Religiosæ omnes & obedientiam ei præstandam profitentur; sicut approbatum est ab Ecclesia, & supremi Senatus iudicio, cum resistere ab obedientia illa vellent, non ita p'tidem confirmatum.

tem; sicut est in regno; quandoque autem multi in diversis officiis constituti etiam ex æquo, ut patet in VIII. Ethic. (cap. x. & xi.) ita etiam spiritualis jurisdictionis potest haberi ab uno solo, sicut ab Episcopo, & a pluribus simul, sicut a Capitulo: & sic habent clavem jurisdictionis, non tamen clavem ordinis simul omnes.

Ad quartum dicendum, quod mulier, secundum Apostolum (I. ad Timoth. 11. & ad Tit. 11.) est in statu subjectionis. Et ideo non potest habere aliquam spirituales jurisdictionem: quia etiam secundum Philosophum in VIII. Ethicor. (cap. x. a. roed.) corruptio est urbanitas, quando ad mulierem dominium pervenit. Unde mulier non habet neque clavem ordinis, neque clavem jurisdictionis. Sed committitur mulieri aliquis usus clavium, sicut habere correctionem in subditas mulieres, propter periculum quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim Lutheri (Prat. Luther.) dicentis, absolvi potest, ubi non est sacerdos, æque quilibet christianus, etiam si mulier, aut puer sit. Et nota, quod per *ly æque* intendit, quod æqualem potestatem cum Papa tunc habet mulier, & puer: quoniam tenet Lutherus, quod in sacramento poenitentiae, & remissione culpæ, non plus facit Papa, quam Episcopus, aut infimus sacerdos, ut patet in Bulla Papæ Leonis X. contra errores Lutheri. Sed de hoc, scilicet de majori posse Papæ super hos ratione reservationis casuum, alias supra dictum est, etiam per Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. Item, illam Paluperum de Lugduno (ut refert Cardinalis Turrocremata de Ecclesia lib. 4. cap. 35.) dicentium, se esse successores Apostolorum, & Apostolicam auctoritatem ligandi atque solvendi habere. Item hæresim eorumdem (Direct. Inquis. 2. par. quest. 14.) dicentium, quod omnis vir, & omnis mulier, de eorum secta est vere sacerdos. Item hæresim aliam Lutheri (Prat. Lutherani; Bohemi; Judo. prapofui) dicentis: Christianos omnes esse sacerdotes, & æqualem habere potestatem, nulla status, aut sexus differentia facta. Item hæresim novorum Manicheorum (Direct. Inquis. 2. par. quest. 13.) dicentium, nec Papam, nec aliam de Romana Ecclesia habere potesta-

tem absolvendi aliquem a peccatis. Item hæresim quorundam, ut refert Cardinalis Turrocremata de Ecclesia lib. 4. cap. 37. dicentium, quod omnis jurisdictionis auctoritas est omnino in ministris Ecclesie Romanæ evacuata: & in solis ipsis manet, sicut spiritualis vitæ sanctitas. Item similem hæresim Begardorum (Direct. Inquis. 2. par. quest. 8.) dicentium, quod Ecclesie sacerdotes, alique ministri, sic sunt jurisdictionis, & ordinis auctoritate deserti, ut nec sententiam ferre, nec sacramenta conficere, nec subiectum populum instruere valeant, vel docere; sed sunt privati omni Ecclesiastica potestate, nisi sint de eorum Begardorum secta, apud quos solum, ajunt, sicut spiritualis vitæ sanctitas, sic ecclesiastica auctoritas perseverat. Vigilantissime autem advertas tu, ne sacerdotis nomine intelligas id, quod dogmatizat Lutherus (referente Alphons. Castr. adv. her. Ord.) dicens, quod sacerdos est tantum, qui Evangelium prædicat; ceteri vero æquivoce, ut homo pius. Revera enim sacerdos est, qui habet characterem ordinis sacerdotalem, ut in præsentia art. dicitur; per cujus rationes confutantur errores omnes prædicti; sive prædicet Evangelium, sive non. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, prædictas hæreses merito damnari a, &c. ut quest. 8. art. 1. & 2. & 4. append. Item a, &c. ut quest. 6. art. 2. & quest. 8. art. 2: & quest. 10. art. 3. append. Item a Concilio Trident. sess. 14. ca. 6. sic: Circa ministrum hujus sacramenti poenitentia declarat: sancta Synodus, falsus esse, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, que ad aliosvis homines præter episcopos, & sacerdotes, clavium ministerium perniciose entendunt, putantes verba illa Domini: Quicumque alligaveritis super terram, &c. & Quicumque solveritis, &c. & Quorum retinueritis, &c. ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscuo contra institutionem hujus sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per corroborationem, si corruptus acquivierit; secreta vero per spontaneam confessionem cuique factam. Hæc ibi. Quid autem intelligat per sacerdotes (contra Lutherum supra) declarat cap. 1. sic: Dominus sacramentum poenitentia instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos, dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c. Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fide-

les post baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, uniuersorum paupum consensus semper intellexit. Hæc ibi. Ubi vides, quod per sacerdotes intelliguntur Apostoli, & eorum legitimi successores, idest legitime iuxta ecclesie apostolicæ instituta ordinati in sacerdotium: ut *sess. 23. cap. 14. de reform. & can. 4. 6. & 7. patet.* Item *damnat. sess. 14. can. 10. Si quis dixerit: non solos sacerdotes esse ministros absolutionis; sed omnibus, & singulis Christianis esse dictum: Quæcumque alligaueritis, &c. & Quæcumque solueritis, &c. & Quorum remiseritis peccata, &c. & Quorum retinueritis, &c. Anathema sit.* Hæc ibi. Item *sess. 7. can. 10. de sacram. Si quis dixerit: Christianos omnes in verbo, & omnibus sacramentis administrandis habere potestatem. Anathema sit.* Hæc ibi. Ergo anathema est attribuens potestatem laicis administrandi absolutionem, sicut & potestatem in aliis sacramentis, excepto baptismo in casu necessitatis. Item *sess. 23. cap. 4. Quoniam in sacramento Ordinis character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest: merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, & semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant.* Hæc ibi. Ergo (contra Luth.) patet, quod sacerdos non constituitur, in esse sacerdotis per prædicare Evangelium, neque non est sacerdos per non prædicare, sed per esse, vel non esse rite ordinatum. Item *infra. Concil. idem: Quod si quis omnes Christianos promiscue novi testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spiritali præditos asseret, nihil aliud facere uideatur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est, ut castrorum acies ordinata, confundere; perinde ac si contra B. Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophete, omnes Evangeliste, omnes Pastores, omnes sint Doctores.* Hæc ibi. Vide Rosenstem contra assertiones Lutheri *art. 13.* Item *damn. a Papa Leone X. in Bulla contra errores Lutheri, cuius damnationis particulam vide *quæst. 1. art. 1. app. & 3. par. quæst. 68. art. 9.* Item Manicheorum prædicatorum Secta damnata est per sanctam Romanam Ecclesiam in *Decr. 24. quæst. 3. cap. Quidam.* Item *Pauperes de Lugduno, qui & Waldenses, & Inzabbarati* vocantur, damnantur a *Papa Gregorio IX. extr. de hæret. cap. Excommunicamus 2.* Ibi enim dicitur: *Excommunicamus, & anathematizamus omnes here-**

sicos, Catharos, Pabruenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Tossipinos, Analdistas, Spronistas, &c. Item damnantur *Beardi* a *Papa Joanne XXIII. in extr. Sancta Romana, atque universalis Ecclesia, sic: Nonnulli* „ *prophanæ multitudinis viri, qui vulgariter* „ *Fraticelli, seu fratres de paupere vita,* „ *ac Bizochi, sive Beguini, vel aliis nomi-* „ *nibus nuncupantur, &c. de fratrum no-* „ *strorum consilio auctoritate Apostolica nul-* „ *lius fuisse, & esse decernimus firmitatis,* „ *& quatenus de facto processerunt, de consi-* „ *lio, & auctoritate præmissis revocamus,* „ *omnino, & perpetuo prohibitioni subijci-* „ *mus, & ab Ecclesia Dei penitus abole-* „ *mus. Hæc ibi. Qui etiam Pontifex in ex-* „ *travaganti, Gloriosam Ecclesiam, cum spe-* „ *ciali errore prædictum recensuit, mox* „ *subjungit hæc: In qua re Donatistarum* „ *sequuntur errorem, qui olim facti schis-* „ *mate, ab unitate Ecclesie recedentes, ita* „ *in sua secta Dei gratiam dixerunt esse re-* „ *strictam, ut nullus eam recipere esset ido-* „ *neus, qui non foret ipsorum scelere ma-* „ *culatus. Hæc ibi. Item damnatum, inquan-* „ *tum imperis Ecclesiam Romanam, a Nicæ-* „ *lao I. in epistola ad Michaelem Imperatorem* „ *de potestate, ac dignitate Apostolica Sedis,* „ *sic inter alia differente: Privilegia istius* „ *Sedis, vel Ecclesie Romanæ perpetua sunt,* „ *divinitus radicata, atque plantata sunt,* „ *impingi possunt, transferri non possunt,* „ *trahi possunt, evelli non possunt. Quæ* „ *ante Imperium vestrum fuerunt, & per-* „ *manent (Deo gratias) hætenus illibata,* „ *manebuntque post vos, & quousque chris-* „ *tianum nomen prædicatum fuerit, illa* „ *subsistere non cessabunt immutata. Hæc* „ *ibi. Item a Leone Papa IX. in epist. ad-* „ *vers. præsumpt. Michael. & Leon. Archie-* „ *piscop. Romana Ecclesie fides per Petrum* „ *super petram ædificata, nec hætenus de-* „ *fecit, nec deficiet in sæcula, Christo ejus* „ *Domino regante pro ea, ut testatur sub* „ *ipsa passione sua: Ego rogavi pro te,* „ *Petre, ut non deficiat fides tua, & tu* „ *aliquando conversus confirma fratres tuos.* „ *Quo dicto demonstravit, fidem fratrum* „ *vario defectu periclitandam: sed inconcep-* „ *ta, & indiciente fide Petri, velat firmæ* „ *anchoræ subsidio, figendam, & in funda-* „ *mento universalis Ecclesie confirmandam.* „ *Quod nemo negat, nisi, qui hæc ipsa* „ *verba veritatis impugnat: quia sicut can-* „ *dine totum regitur ostium, ita Petro, &* „ *successoribus ejus totius Ecclesie deponitur* „ *emo-*

Insolumentum. Et, sicut cardo immobilis permanens ducit, & reducit ostium: sic Petrus, & sui successores liberum de omni ecclesia habent iudicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum: quia summa sedes a nemine iudicatur. Unde clerici eius Cardinales dicuntur, cardini utriusque illi, quo cetera moventur, vicini adhærentes. *Hæc ibi cap. 32. Qui & supra cap. 7. dixerat.* Erit ergo quicumque tantæ dementiæ: qui orationem Christi, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuum putare? Nonne a sede principis Apostolorum, Romana videlicet Ecclesia, tam per eundem Petrum, quam per successores suos reprobata, & convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hætenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata? *Hæc ibi. Et epistol. ad Petrum Episc. Antioch.* Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hætenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius, usque in sæculum sæculi: sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit. *Hæc ibi.* De indefectibilitate fidei, etiam tempore Antichristi, vide *Compend. Alberti Magni lib. 7. cap. 7. schol.* Plures adductæ sunt Patrum auctoritates, ut, multis hæresibus præadductis, secundum quod diversæ diversis respondent, partes applices (quod & semper ubique facere debes, quando multis erroribus multæ veritates succedunt) absque alia communione. *Tertio* habes: quomodo per rationem supradicta Patrum, pro quanto solos sacerdotes habere claves ordinis, eosque (licet non solos) accedentes superiorum auctoritate jurisdictionis etiam, dicunt, & intelligas, & probes, & tuearis. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 75

Utrum sancti homines non sacerdotes claves habeant.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod etiam sancti homines non sacerdotes usum clavium habeant. Absolutio enim, & ligatio, quæ sit per claves, efficaciam habet ex merito passionis Christi. Sed illi maxime passioni Christi conformantur qui per patientiam, & alias virtutes Christum passum sequuntur. Ergo videtur quod etiam si non

Summ. S. Thom. Thom. XIII.

habeant sacerdotalem ordinem, possint ligare, & solvere.

2. Præterea. Hebr. vii. 7. dicitur: *Sine ulla contradictione quod minus est a meliore benedicitur. Sed in spiritualibus, secundum Augustinum (Lib. VI. de Trinit. cap. viii.) hoc est majus esse quod est melius esse.* Ergo meliores, qui scilicet plus de caritate habent, possunt alios benedicere absolvendo: & sic idem quod prius.

Sed contra. *Cujus est potentia, ejus est actio.* secundum Philosophum (Lib. de form. & vigil. cap. 1. parum a princ.) Sed clavis, quæ est potestas spiritualis, est tantum sacerdotum. Ergo & usus ejus non nisi sacerdotibus convenire potest.

Respondeo dicendum, quod agens per se, & agens instrumentale in hoc differunt, quod agens instrumentale non inducit in effectum similitudinem suam, sed similitudinem principalis agentis, principale autem agens inducit similitudinem suam. Et ideo ex hoc aliquid constituitur principale agens quod habet aliquam formam, quam in alterum transfundere potest; non autem ex hoc constituitur agens instrumentale, sed ex hoc quod est applicatum a principali agente ad effectum aliquem inducendum. Cum ergo in actu clavium principale agens sit Christus, ut Deus per auctoritatem, & ut homo per meritum, ex ipsa plenitudine divinæ bonitatis in eo, & ex perfectione gratiæ consequitur quod possit in actum clavium. Sed homo alius non potest in actum clavium sicut per se agens: quia nec ipse alteri gratiam, qua remittuntur peccata, dare potest, nec sufficienter mereri: & ideo non est nisi sicut agens instrumentale. Unde & ille qui effectum clavium consequitur, non assimilatur utenti clavibus, sed Christo. Et ideo quantumcumque aliquis habeat de gratia, non potest pertingere ad effectum clavium, nisi applicetur ad hoc ut minister per ordinis susceptionem.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut inter instrumentum & effectum non exigitur similitudo secundum convenientiam in forma, sed secundum proportionem instrumenti ad effectum; ita etiam nec inter instrumentum & principale agens: & talis similitudo est in sanctis hominibus ad Christum passum; & talis similitudo eis usum clavium non confert.

Ad secundum dicendum, quod quamvis purus homo non possit alteri ex condigno mereri gratiam, tamen unusquisque potest

Y

test cooperari ad salutem alterius. Et ideo duplex est benedictio. Una quæ est ab ipso homine puro, sicut merente per proprium actum; & talis potest fieri a quolibet sancto, in quo Christus habitat per gratiam; & hæc requirit majoritatem bonitatis ad minus, in quantum hujusmodi. Alia est benedictio qua homo benedicit, ut benedictionem, quæ est ex merito Christi, instrumentaliter alicui applicans: & quantum ad hanc requiritur majoritas ordinis, & non virtutis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses quorundam, ut refert Cardinalis Turrecremata, de *Eccles. lib. 2. cap. 71.* dicentium, quod clavium potestatem habent omnes homines boni. Item *Pauperum de Lugduno*, ut habet Summa fratris *Tconesi* in Bibliotheca Vaticana Romæ manuscripta, dicentium, quod absolvere potest, & penitentiam injungere quilibet laicus bonus, & sciens. Item eorundem, Directi. Inquist. 2. par. qu. 14. dicentium, quod quilibet laicus, sive sit vir, sive mulier, dum tamen sit de secta ipsorum, potest vere consecrare, & conficere corpus Christi. Ex hoc enim sequitur patenter, quod poterant, secundum eos, ligare, & solvere, quoniam posse super corpus Christi mysticum dependet ex potestate, quæ habetur super corpus Christi verum, ut supra qu. 17. art. 3. ad 3. Item eorundem, & clarius, Directo. ibi, dicentium, quod ipsi *Waldenses* quantumcumque sint illiterati, nec ab Episcopis Romanæ Ecclesiæ ad sacrum aliquem ordinem promoti, tam viri, quam mulieres, habet potestatem a Deo solo, sicut Apostoli habuerunt, audiendi confessiones in foro penitentiali virorum, & mulierum, & penitentias injungendi etiam salutares. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictas hæreses merito damnari a, &c. ut art. 3. ad longum in elucid. Item a constitutionibus Apostolicis lib. 2. cap. 31. auctore Papa *Clemente I.* & martyre, sic. „ Laicus „ omnis sine sacerdote perficiens aliquid frustra facit, & ut Ozias-Rex, cum non esset sacerdos, & sacerdotum facta administrasset, in lepram incidit propter iniquitatem, sic omnis laicus non effugiet supplicium, si honorem sibi sacerdotum arrogaverit, non imitatus Christum, qui non ipse se glorificavit, ut fieret sacerdos, sed „ expectavit, ut a patre audiret: Tu es sa-

„ cerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Quod si sine patre Christus ipse „ se non glorificat, quomodo fieri potest, ut „ homo ipse se in sacerdotium projiciat, „ non accepta dignitate, & ea faciat, quæ „ solis licita sunt sacerdotibus? Nonne Chozitz, quamquam de Tribu Levi erant, incendio consumpti sunt, cum in Moysen, & in Aaron insultassent: & de iis, quæ ad se non spectabant, pugnassent? Et Dathan, & Abiron vivi in infernum descenderunt, & virga, cum germinasset, multorum insaniam compressit, & a Deo Pontificem institutum indicavit. *Hæc ibi, est „ primo tom. Concilior. Item a Synodo 8. generalis, actione 7. sic.* Vobis laicis, tam „ qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, nullo modo licet de ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hæc enim investigare, & querere, Patriarcham, Pontificum, & sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui sanctificandi, qui solvendi, & ligandi potestatem habent; qui ecclesiasticas, & cœlestes adepti sunt claves: non nostram, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus: Quantæcumque enim religionis, & sapientiæ laicus existat, vel, etiam si universa virtute interius polleat, donec laicus est, ovis vocari non desinet, &c. Oportet, nos ergo cum timore, & fide sincera hos audire, & facies eorum vereri, cum sint ministri omnipotentis, & nihil amplius, quam ea, quæ nostri ordinis sunt, requirere. Nunc autem, ut videmus, adeo multos malitia in insaniam accendit; ut obliviscentes proprii ordinis, & quod pedes sint, minime cogitantes, legem ponere velint oculis, &c. Moneo, & exhortor omnes, qui tales sunt, ut judicare iudices desinentes, attendant sibi, & secundum divinam voluntatem conversari contendant. Nam non quietet supernum iudicium, sed contra diffidentem divinus furor stillabit, & justam ultionem opere cunctis ostendet. „ Hæc idem Imperator *Basilus*, cujus verba sancta Synodus approbavit dicens. *Omnibus placent, quæ lecta sunt, omnes iisdem ipsis concordamus, omnes libenter subscribimus.* Hæc ille. Ecce, quod laici, quantumcumque boni, & scientes, non habent claves; sed sunt oves, & inter oves pedibus assimilantur; attestante hoc etiam, & inter illos quoad hoc se con-

ARTICULUS V. 76

Utrum mali sacerdotes usum clavium habeant.

numerante Imperatore Basilio, adeo veritas prevalet. Item a Beato Petro Apostolo, ut habetur in epist. 1. Clementis Papæ I. ad Jacobum fratrem Domini sic. „ Similis est status omnis Ecclesie magnæ navi quæ per undosum pelagus viros portat ad unam potentis regni urbem properare cupientes, &c. Proræ officium Episcopus impleat, presbyteri nautarum, diaconi dispensatorum locum teneant, epibatis autem totius fraternitatis multitudo similis sit, &c. Sed ante omnia cum quiete, & silentio epibataz, idest laici, in suis unusquisque resideant locis. Ne forte per inquietudinem, si passim vagari cœperint, vel ab officio suo nautas impediunt, vel, &c. Presbyteri, velut nautæ, aptent singula ad instructionem navis diligenter, & instruant, quæ in suo tempore requirenda sunt. *Hæc ibi. Ubi vides, presbyteros a laicis sub exemplo navigantium valde secerni. Item a Synodo Simmachii Papæ: Laicis, quamvis religiosi, nulla de Ecclesiasticis dignitatibus aliquid disponendi legitur attributa facultas. Hæc ibi. Et recitantur decemfozta, qu. 7. Laicis. Item a Concilio Bracharenſi 1. can. 31. Ingredi sacrarium ad communicandum non liceat laicis, sed tantum clericis, & can. 38. Ex laico ad gradum sacerdotii ante nemo veniat, nisi anno integro prius in lectorum officio, vel diaconatus disciplinam ecclesiasticam discat, & sic per singulos gradus eruditus ad sacerdotium veniat. Hæc ibi. Unde patet a fortiori, quod laici etiam digne communicaturi non sunt sacerdotes, immo neque clerici, & quod multis gradibus a sacerdotio distant. Tertio habes: quomodo per rationem supradicta, pro quanto laicos, bonos etiam, non habere claves decernunt, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.*

AD quintam sic proceditur. Videtur quod mali sacerdotes usum clavium non habeant. Joan. enim xx. ubi usus clavium Apostolis traditur, Spiritus sancti donum præmittitur. (1) Sed mali non habent Spiritum sanctum. Ergo non habent usum clavium.

2. Præterea. Nullus sapiens Rex dispensationem sui thesauri suo inimico committit. Sed usus clavium in dispensatione consistit thesauri celestis Regis, qui est ipsa sapientia. Ergo mali, qui per peccatum sunt ejus hostes, non habent usum clavium.

3. Præterea. Augustinus dicit (2) quod sacramentum gratia dat etiam Deus per malos, ipsam vero gratiam non nisi per seipsum, vel per Sanctos suos: & ideo remissionem peccatorum per seipsum facit, vel per ipsius columbæ membra. Sed remissio peccatorum est usus clavium. Ergo peccatores, qui non sunt columbæ membra, usum clavium non habent.

4. Præterea. Intercessio mali sacerdotis non habet aliquam efficaciam ad reconciliandum: quia, secundum Gregorium (in Pastoralis par. 1. cap. xi. a princip.) cum is qui displices, ad interpellandum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. (3) Sed usus clavium fit per quamdam intercessionem, ut patet in forma absolutionis. Ergo pravi sacerdotes non habent efficacem clavium usum.

Sed contra. Nullus potest scire de alio an sit in statu salutis. Si ergo nullus posset uti clavibus in absolvendo, nisi existens in statu salutis, nullus sciret se esse absolutum: quod est valde inconveniens.

Præterea. Iniquitas ministri non potest auferre liberalitatem domini. Sed sacerdos est solum minister. Ergo non potest sua malitia donum a Deo transmissum per eum nobis auferre. (4)

Respondeo dicendum, quod sicut participatio

Y 2

(1) Puta cum Christus Apostolis insufflans dicit vers. 22. Accipite Spiritum sanctum: Quorum remissis peccata, remittuntur eis, &c.

(2) Ut lib. 5. de baptismo contra Donatistas cap. 21. sub finem videre est; indeque in Decretis dist. 4. de consecr. cap. Quomodo §. Quapropter; non ut quaedam exemplaria notant lib. 3. contra Cresconium

cap. 20. & 21.

(3) Postquam præmisit lib. de cura Pastoralis, parte 1. cap. 10. prope finem. Qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo accipit qui se familiaritatem ejus gratia nascit.

(4) Hinc Augustinus in Joan. tract. 5. de baptismo specialiter loquens: Talis est (inquit) qualis

patio formæ, quæ est inducenda in effectum, non facit instrumentum; ita nec subtractio talis formæ tollit usum instrumenti. Et ideo cum homo sit tantum instrumentaliter agens in usu clavium, quantumcunque sit gratia per peccatum privatus, per quam gratiam fit remissio peccatorum, nullo tamen modo privatur usu clavium.

Ad primum ergo dicendum, quod donum Spiritus sancti exigitur ad usum clavium, non ut sine quo fieri non possit; sed quia sine eo incongrue fit ex parte utentis; quamvis subiciens se clavibus effectum clavium consequatur.

Ad secundum dicendum, quod Rex terrenus in thesauro suo defraudari, & decipi potest: & ideo dispensationem ejus hosti non committit. Sed Rex cælestis defraudari non potest: quia totum ad ipsius honorem cedit, etiam quod aliqui clavibus male utantur, quia novit ex malis elicere bona, & per malos etiam multa bona facere. (1) Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod Augustinus loquitur de remissione peccatorum, secundum quod sancti homines cooperantur ad ipsam, non ex vi clavium sed ex merito congrui. Et ideo dicit, quod etiam per malos sacramenta ministrat: & inter alia sacramenta etiam absolutio, quæ est usus clavium, computari debet: sed per membra columbæ, id est per sanctos homines, facit remissionem peccatorum, inquantum eorum intercessionibus peccata remittit.

Vel potest dici, quod membra columbæ nominat omnes ab Ecclesia non præcisos: (2) qui enim ab eis sacramenta recipiunt, gratiam consequuntur, non autem qui recipiunt ab illis qui sunt ab Ecclesia præcisi, quia ex hoc ipso peccant, excepto baptismo, quem in casu necessitatis licet etiam ab ex-

communicato recipere.

Ad quartum dicendum, quod intercessio, quam sacerdos malus ex propria persona facit, non habet efficaciam; sed illa quam facit ut minister Ecclesiæ, habet efficaciam ex merito Christi. Utroque tamen modo debet intercessio sacerdotis populo subiecto prodesse.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Valdensium* (Prat. *Pauperes de Lugduno*, & Card. Turcrem. de *Ecclesia lib. 1. c. 100.*) dicentium, quod sacerdotibus illis tantum concessa est potestas ligandi, atque solvendi, qui vita, & doctrina pollent; sicut Apostoli. Et eorundem, ac *Bagardorum* (Direct. inq. 2. par. qu. 14. 16. 18.) dicentium, sacerdotes rite, & legitime secundum formam Ecclesiæ ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere, vel conferre ecclesiastica sacramenta. Et eorundem (ut in Summa Fratris Yconeti in *Bibliotheca Vaticana Roma manuscripta*) dicentium, absolvere, & ligare non potest sacerdos peccator, cum sit ipse ligatus. Nota tu, quod in hac hæresi sumitur *ly ligatus* pro esse in mortali tantum; non ut in appen. seq. art. Et Joannis *Hufs* (ut refertur in *Concilio Constantiensi* loco citando infra) dicentis, quod sacerdotes quomodolibet criminose viventes sacerdotii quollunt dignitatem: & sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis ecclesiæ, de clavibus, & de censuris. Item hæresim *Donatistarum* (Prat. *Donatiste*) dicentium: sacerdotum malorum, aut impiorum sacramenta nulla esse. Secundo habes, quomodo per rationem ostendas, prædictam merito damnari a Papa Leone IX. in epist. adves,

si ille in cujus potestate datur, non qualis ille per eum ministerium datur. Quid tibi facio minister malus ubi bonus est Dominus? Sicut ministri justi si volunt: Si autem noluerint, securum me facit magister meus, &c. Idemque de aliis etiam Sacramentis pro singulorum conditione dici potest, ac de presententia nominatim sicut hic.

(1) Ut in Enchiridio cap. 11. quantum ad primum videre est; nempe quod bona elicere novit ex malis: Quoad secundum autem lib. 2. contra Parmenianum c. 11. & innumeris aliis locis; nempe quod multa bona per malos operetur.

(2) Quamvis revera plus aliquid intelligere juxta statum primæ solutionis videatur; Sic enim expres-

sus lib. 3. contra eosdem Donatistas cap. 17. *Nam quid ad eandem columbam (inquit) pertinent omnes avari? Nam ut opinor, raptores non columba, sed accipitres dici possunt: Quomodo ergo baptizabant qui fundos infidelis fraudibus rapiabant, si sola illa columba; id est, illa unitas que nisi in bonis intelligi non potest simplex & casta & perfecta, baptizant? An forte per orationes Sanctorum spiritualium qui sunt in Ecclesia, tanquam per columba creberrimum gemisum, magnum geritur Sacramentum & occulta dispensatio misericordia Dei ut eorum etiam peccata solvantur qui non per columbam sed per accipitrem baptizantur, si ad illud Sacramentum eum pace Catholica unitatis accedunt, &c.*

adver. præsumpt. Michael. & Leon. archiep.
c. 34. „ Cur hoc? nisi quia quicumque sa-
„ cerdotes, etsi dispares sunt merito, pares
„ tamen sunt officio? Nec potest denegari
„ pro merito, quod debetur officio. Alio-
„ quin non staret sacerdotium, si majus, aut
„ minus fieret secundum humanorum varieta-
„ tem meritorum essentque pene tot sacer-
„ dotia, quot homines. *Hæc ibi. Item a Con-*
cilio. Trid. sess. 7. can. 12. Si quis dixerit,
„ ministrum in peccato mortali existentem,
„ modo omnia essentialia, quæ ad sacramen-
„ tum conficiendum, aut conferendum perti-
„ nent, servaverit, non conficere, aut con-
„ ferre sacramentum, anathema sit. *Item ab*
eodem, sess. 14. cap. 6. Docet quoque, et-
„ tiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur,
„ per virtutem Spiritus Sancti in
„ ordinatione collatam, tanquam Christi
„ ministros functionem remittendi peccata
„ exercere, eosque prave sentire, qui in malis
„ sacerdotibus hanc potestatem non esse
„ contendunt. „ *Hæc ibi. Ex quo etiam*
(quia scilicet virtute Spiritus Sancti, & ut
ministri Christi, operantur) & multis aliis
locis passim sessionis ejusdem contunditur impi-
ssima hæresis Sectariorum (Prat. Sectarii)
dicentium, sacerdotes membra Satanz esse.
Contra hoc est etiam articuli littera ex Au-
gustino, ubi in ad *tertium*, sacerdotes etiam
anali, vocantur membra columbarum. Item ab
eodem, sess. ead. ca. 20. „ Si quis dixerit,
„ sacerdotes, qui in mortali peccato sunt,
„ potestatem ligandi, & solvendi non habere:
„ anathema sit. *Hæc ibi. Item a Ni-*
colao Papa ad consulta Bulgarorum, sic:
„ Non potest aliquis, quantumcunque pol-
„ lutus sit, sacramenta divina polluere, quæ
„ purgatoria cunctarum contagionum exi-
„ stunt: quæcumque enim sacerdos sit, quæ
„ sancta sunt, coinquinari non possunt. Id-
„ circo ab eo, quousque judicio Episcoporum
„ reprobetur, communicatio percipienda
„ est: quoniam mali bona administrando se
„ tantummodo lædunt. Fax accensa sibi qui-
„ dem detrimentum præstat, aliis vero lu-
„ men in tenebris administrat: &, unde a-
„ liis commodum exhibet, inde sibi dispen-
„ dium præbet. Sumite ergo ab omni sacer-
„ dote intrepidi Christi mytheria, quia om-
„ nia in fide Christi purgantur. „ *Hæc ibi;*
& recitantur 15. q. 8. 8. cap. fin. Item a
damnantibus *Waldenses*, de quorum damnatione
habes supra *art. 4. append. sub nomine*
Pauperes de Lugduno. Item a damnantibus
Begardos, de quorum damnatione habes ibid.

Item a Concilio *Constantiensi* sess. 15. ubi hæ-
resis ipsius Joannis Hufs reposita octavo loco
damnatur simul cum aliis viginovem: quin
& damnatur ipsemet Joannos similibus ver-
bis: „ Hæc sancta Synodus præfatos arti-
culos examinari fecit, & sæpius recenseri,
quibus examinatis, fuit repertum, plures
ex ipsis esse notorie hæreticos, & a sanctis
Patribus reprobatos, alios non catholicos,
sed erroneos, alios scandalosos, & blasphemos,
quosdam piarum aurium offensivos,
nonnullos eorum temerarios, & seditiosos;
idcirco hoc sacrum Concilium Constantien-
se eundem Joannem Huff pertinacem, &
incorrigibilem, & hæreses, ac errores per
eum publice defensatos, & publicatos no-
lentem abjurare, ab ordine sacerdotali, &
aliis ordinibus, quibus existit insignitus,
deponendum, & degradandum fore decla-
rat: & attento, quod Ecclesia Dei non
habet ultra, quid agere valeat, judicio sæ-
culari relinquere, & ipsam curiæ sæculari
relinquendum fore decernit. „ *Hæc sen-*
tentialiter ibi. Item a, &c. ut infra qu. 26.
art. 4. app. Tertio habes: quomodo per rationem
supra dicta Patrum, pro quanto malos sacerdotes
statuant usum clavium non amittere, & intelligas,
& probes, & tuearis. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 77

Unum schismatici, heretici, excommunicati, suspensi, & degradati usum clavium habeant.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod schismatici, hæretici, excommunicati, suspensi, & degradati usum clavium habeant. Sicut enim potestas clavium dependet ab ordine, ita & potestas conficiendi. Sed non possunt amittere usum potestatis conficiendi: quia si conficiunt, confectum est, quamvis peccent conficientes. Ergo etiam non possunt amittere usum clavium.

2. Præterea. Omnis potestas spiritualis activa in eo qui habet usum liberi arbitrii, exit in actum, quando vult. Sed potestas clavium adhuc remanet in prædictis: quia cum non detur nisi in ordine, oporteret reordinari eos, quando ad Ecclesiam redeunt. Ergo cum sit potentia activa, possunt in actum ejus exire, cum voluerint.

3. Præterea. Spiritualis gratia magis impeditur per culpam quam per penam. Sed excommunicatio, & suspensio, & degradatio sunt

sunt pœnæ quædam. Cum ergo propter culpam non amittat aliquis usus clavium, videtur quod nec propter ista.

Sed contra. Augustinus dicit (1) quod *Ecclesie caritas peccata dimittit*. Caritas autem est quæ facit Ecclesie unionem. Cum ergo prædicti sint ab Ecclesie unione divisi, videtur quod usum clavium non habeant in remittendis peccatis.

Præterea. Nullus absolvitur a peccato secundum hoc quod peccat. Sed aliquis a prædictis absolutionem peccatorum petens peccat, contra præceptum Ecclesie faciens. Ergo per eos a peccato absolvi non potest: & sic idem quod prius.

Respondeo dicendum, quod in omnibus prædictis manet clavium potestas quantum ad essentiam; sed usus impeditur ex defectu materiz. Cum enim usus clavium in utente prælationem requirat respectu ejus in quem utitur, ut supra dictum est (quæst. xvii. art. 2. ad 2.) propria materia, in qua exercetur usus clavium, est homo subditus. Et quia per ordinationem Ecclesie unus subditur alteri, ideo etiam per Ecclesie prælatos potest subtrahi alicui ille qui erat ei subditus. Unde cum Ecclesia hæreticos, & schismaticos, & alios hujusmodi prius subtrahendo subditos vel simpliciter, vel quantum ad aliquid, (2) quantum ad hoc quod privati sunt, non possunt usum clavium habere.

Ad primum ergo dicendum, quod materia sacramenti Eucharistie, in quam suam potestatem exercet sacerdos, non est homo, sed panis triticeus, & in baptismo homo simpliciter. Unde sicut si subtraheretur hæretico panis triticeus, conficere non posset; ita nec si subtrahatur prælato prælatio, (3) absolvere poterit; potest tamen baptizare, & conficere, quamvis ad sui damnationem.

Ad secundum dicendum, quod propositio habet veritatem, quando non deest materia; sicut est in proposito.

Ad tertium dicendum, quod ex ipsa culpa

non subtrahitur materia, sicut per aliquam pœnam: unde pœna non impedit per contrarietatem ad effectum inducendam, sed ratione prædicta (in corp. (4))

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito infirmatum fuisse Conciliis, quod excommunicati, &c. non amittunt claves, sed usum. Ut a Concilio Trident. sess. 7. cano. 9. *Si quis dixerit, in ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile: anathema sit.* Hæc ibi. Item a Concil. Florent. seu ab Eugenio IV. sacro illo approbante Concilio, in decreto Armenis dato, sic. *Ordo characterem, idest spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimi in anima indelebile.* Hæc ibi. Item a Conc. Trident. sess. 25. cap. 3. de reform. *Excommunicatus vero quicumque ad sacramenta, & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur.* Hæc ibi. Et, quia loquitur de excommunicatione majori, intelligit, quod non recipiatur ad sacramenta, nec etiam active, hoc est quod amittat usum clavium, secundum quod & magis apparebit per subsequentes canones. Item ab Alexandro II. qui scribit Valeriano Episcopo, & martyri sic. *Audvimus, quod hereticus Ravennas dicitur Archiepiscopus visus sit se excommunicare: verum, quia excommunicatus se excommunicare non potuit, Apostolica auctoritate se, suosque absolvendo, mandamus ejusdem nunquam curare.* Hæc ibi. Nec te moveat ly absolvendo, quasi quod absolvat eum, quem non ligatum pronunciavit: quoniam hic manifeste sumitur ly absolvendo pro non ligatus ostendendo (ut etiam glossa ibi dicit.) Item ab eodem ibi. *Si ex corde suo novam hæresim confinxerit, ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare poterit: quia nec potest deicere quemquam jam prostratus veris, scilicet catholicis, falsis, idest*

(1) Vel plenius tract. 121. ad illa verba Ioan. 20. *Quorum remisistis versus finem Tractatus: Ecclesie charitas quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris (ut ad Rom. 5. vers. 5. dicitur) participum suorum peccata dimittit; eorum autem qui non sunt ejus participes, recipiet: Ideo postquam dicit: Accipite Spiritum sanctum, continuo de peccatorum remissione ac eorum retentione subjicit.*

(2) Simpliciter utique quantum ad hæreticos & schismaticos qui subditis privantur absolute; sed quantum ad aliquos propter suspensos qui privantur ad tempus.

(3) Sic ad plenam seriem & ad sensus integritatem supplendum est; vel si subtrahatur homo subditus; non sicut prius diminutive, si subtrahatur Prælato, non addendo prælationem vel subditum.

(4) Quia scilicet per ordinationem Ecclesie unus alteri subicitur; & propterea per eandem etiam unus alteri subtrahitur, quando in penam judicat faciendum. Non ergo pœna ut sic & secundum se qualis culpe debetur impedire hunc usum potest, sed pœna talis quæ in foro exteriori per Ecclesiam infligitur, vel excommunicantem vel suspendentem, &c.

„ idest per sententiam damnatis . Ligandi
 „ namque , vel solvendi veris , non falsis sa-
 „ cerdotibus a Domino tradita est potestas .
 „ Apostolis enim dicturus . Quorum remis-
 „ ritis peccata , &c. permisit : Accipite Spi-
 „ ritum sanctum , ut evidenter cunctis osten-
 „ deret , eum , qui Spiritum sanctum non
 „ habet , peccata non posse tenere , vel re-
 „ mittere . Porro Spiritum sanctum nemo
 „ habet , nisi intra ecclesiam : quia & ipsam
 „ unitatem per gratiam facit . Unde non nisi
 „ congregatis in unum dictum est , Accipite
 „ Spiritum sanctum , nec nisi super congrega-
 „ tos in unum die Pentecostes descendit .
 „ Spiritus sanctus : sicut autem extra eccle-
 „ siam non accipitur , ita extra eam nihil
 „ operatur , &c. Et iterum : Ubi duo , vel
 „ tres congregati fuerint in nomine meo ,
 „ ibi ego sum in medio eorum , nimirum
 „ cunctis ostendens se non habitare in cordi-
 „ bus eorum ; qui superbiz singularitatem
 „ secuti , a corporis Christi compage se metri-
 „ plos abruptant , &c. Cum ergo peccata
 „ dimittere , vel tenere , excommunicare ,
 „ vel reconciliare , opus sit Spiritus sancti
 „ & virtus Christi , apparet , quod hi , qui
 „ extra ecclesiam sunt , nec ligare possunt
 „ nec solvere . „ Hæc ibi . Ex quo patet
 „ schismaticis , hæreticisque clavium usu care-
 „ re . Notabis pro supra , & infra , quod esse
 „ prostratum , vel remotum , vel dejectum non
 „ sumitur hic pro esse in peccato mortali tan-
 „ tum , sed etiam , secundum quod materia
 „ exigit , ita , quod dicatur . Non potest deji-
 „ cere jam prostratus , jam dejectus , jam re-
 „ motus , scilicet per excommunicationem , vel
 „ hæresim , vel schisma , vel degradationem .
 „ Item ab eodem ibidem . „ Petro pro omni-
 „ bus , & præ omnibus claves regni cælo-
 „ rum se daturum promisit dicens : Tibi da-
 „ bo claves regni cælorum . Quicumque ergo
 „ ab unitate Ecclesie , quæ per Petrum in-
 „ telligitur , fuerit alienus , consecrare non
 „ valet , excommunicationis , vel reconcilia-
 „ tionis potestatem non habet . „ Hæc ibi .
 „ & recitantur 24. q. 1. Item a Leone Papa
 „ sic . Nihil erit ligatum , vel solutum , nisi quod
 „ B. Petrus , aut ligaveris , aut solveris . Hæc
 „ ibi : & eadem quæst. recitantur . Ubi ly Pe-
 „ trus sumitur pro auctoritate Petri : a quo vi-
 „ delicet in omnes sacerdotes catholicos (ut
 „ alias notatum est) derivatur . Item a Ni-
 „ colao Papa ad clerum Constantinopolita-
 „ num . Aperte Sedis nostræ sanxiti auctori-
 „ tas , nullum , sive episcopum , sive cle-
 „ ricum , sive professionem aliqua Christiana-

„ nam , qui a Nestorio , vel ejus similibus ,
 „ ex quo talia prædicare cœperunt , vel com-
 „ munionem , vel loco suo dejecti sunt , vel
 „ ejectum , vel excommunicatum videri : quia
 „ neminem remove potuerant , qui fuerant
 „ olim remoti , nec deicere quemquam jam
 „ ante prostrati . „ Hæc ibi : & ead. quæ-
 „ stione recitantur . Item ab eodem in ead. quæ-
 „ stione . „ Miramur , quomodo excommunicati-
 „ ti ad judicandum recepti sunt , &c. aliud
 „ est potestas officii , aliud executio . Ple-
 „ rumque officii potestas vel accipitur in sa-
 „ cerdotali unctione , vel accepta sine sui
 „ executionis retinetur : veluti a suspensis
 „ quibus administratio interdicitur , potestas
 „ non auferens . „ Hæc ibi . Ubi cum excom-
 „ municati , hæretici , & schismatici sint sus-
 „ pensis , patet , quod secundum Papam care-
 „ rent executione ligandi , & solvendi . Ex
 „ quibus manifestum est , quomodo damnandi sint
 „ illi hæretici , qui (ut in Director. Inquis.
 „ 2. p. 9. 10.) impudenter mentiti sunt , di-
 „ centes : quod Apostoli , omnes Angeli , &
 „ beati sint schismatici , & quod schismaticum
 „ esse perfectius est , quam esse catholicum .
 „ Consequenter ergo vides , quam iustissime
 „ Gregorius Papa XI. illos articulos , ut verò
 „ hæreticales , publice condemnavit , eosque com-
 „ buri mandavit , & sic factum est (ut ibi in
 „ Directo.) damnata enim jam olim fuerant
 „ prædictæ infernales hæreses ab Apostolo 1. cor. 1.
 „ obsecro vos per nomen Domini nostri Je-
 „ su Christi : ut idipsum dicatis omnes , &
 „ non sint in vobis schismata , & ibi . 12.
 „ Deus temperavit corpus ei , cui deerat , a-
 „ bundantiorem tribuendo honorem ; ut non
 „ sit schisma in corpore . „ Quasi dicat , si
 „ Deus abhorret schisma in corpore nostro na-
 „ turali : utique & multo magis abhorrebit ih-
 „ lud in corpore suo mystico . Item a militibus
 „ etiam de veste Christi Ecclesiam significante,
 „ dicentibus Joan. 19. Non scindamus eam . I-
 „ tem a Psal. 67. Deus , qui habitare facit , ni-
 „ mius moris in domo . Item a Christo Jo. 13.
 „ In hoc cognoscitis omnes , quod discipuli mei
 „ estis , si dilectionem habueritis adinvicem . Item
 „ ab eod. 17. „ Non pro eis rogo tantum , sed
 „ & pro eis , qui credituri sunt per verbum
 „ eorum in me , ut omnes unum sint , sicut
 „ tu pater in me , & ego in te , &c. in no-
 „ bis unum sint , &c. ut sint unum , sicut
 „ & nos unum sumus , &c. sint consumma-
 „ ti in unum . „ Vides , quantum & quoties
 „ Christus abhorret schisma , a suisque in-
 „ tensissima oratione arceat . Item a Deo Num.
 „ 16. quando videlicet Dathan , & Abiron schi-
 „ sma

una in populo commoventes, terra eos deglutiente, vivos in infernum detruxit. De qua iustissima, & horrendissima ad schismaticorum omnium exemplum, & emendationem, poena mentionem quoque facit *Pf. 105. & Eccles. 45.* & nota: quod etiam illorum complices poenam eandem sustinuerunt. *Secundo* habes, quomodo praemissa Patrum dicta, pro quanto haereticos, schismaticos, & excommunicatos, usu clavium carere dicunt, & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

QUESTIO XX.

De his in quas usus clavium exerceri potest,

In tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de his in quas usus clavium exerceri potest.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo, utrum sacerdos possit in quemlibet hominem uti clave, quam habet.

Secundo, utrum sacerdos possit semper suum subditum absolvere.

Tertio, utrum aliquis possit uti clavibus in suam superiorem.

ARTICULUS I. 78

Utrum sacerdos possit uti clave quam habet, in quemlibet hominem.

AD primam sic proceditur. Videtur quod sacerdos possit uti clave quam habet, in quemlibet hominem. Potestas enim clavium in sacerdotes descendit ex illa divina auctoritate, qua dixit: (1) *Accipite Spiritum sanctum: quorum remisseritis peccata, remittentur eis.* Sed illud indeterminate dictum est. Ergo potest ea uti in quoslibet.

2. Praeterea. Clavis corporalis quae aperit unam seram, aperit omnes alias ejusdem modi. Sed omne peccatum cujuscumque ho-

minis est ejusdem rationis obstaculum respectu introitus caeli. Ergo si potest unum hominem sacerdos per clavem quam habet, absolvere, poterit & quoscumque alios.

3. Praeterea. Sacerdotium novi Testamenti est perfectius quam veteris. Sed sacerdos veteris Testamenti poterat uti sua potestate quam habebat discernendi inter lepram & lepram, indifferenter in omnes. Ergo multo fortius sacerdos evangelicus potest uti potestate sua in omnes.

Sed contra est quod dicitur *xvi. quest. 1. (2) Nulli sacerdos licet parochianum alterius absolvere, aut ligare.* Ergo non qualibet potest quemlibet absolvere.

Praeterea. Judicium spirituale debet esse ordinatum quam temporale. Sed in iudicio temporali non potest quilibet iudex quemlibet judicare. Ergo cum usus clavium sit iudicium quoddam, non potest sacerdos quilibet sua clavi in quemlibet uti.

Respondeo dicendum, quod ea quae circa singularia operari oportet, non eodem modo omnibus competant. Unde sicut praeter generalia medicinae praecipua oportet adhiberi medicos, quibus praecipua universalis medicinae singulari infirmitatibus, secundum quod debent, aptentur; ita in quolibet principatu, praeter illum qui universalis praecipua legis tradit, oportet esse aliquos qui ea singulari, secundum quod debent, adaptent. Et propter hoc etiam in caelesti hierarchia sub Potestatibus, quae indistincte praesunt, ponuntur Principatus, qui singulari provinciis distribuuntur, & sub his Angeli, qui singulari hominibus in custodiam deputantur, ut patet ex his quae dicta sunt in *II. Lib. (dist. x. quest. 1. art. 1. & 2. & I. P. quest. cxiii. art. 1. & 2.)* Unde & ita debet esse in praetatione Ecclesiae militantis, ut apud aliquem esset praetatio indistincte in omnes, & sub hoc essent alii, qui super diversos potestatem distinctam acciperent. Et quia usus clavium requirit aliquam praetationis potestatem, per quam

(1) Sicut sup. Ioan. 20. vers. 22. quod Apost. his quidem nominatim a Christo dictum ad eorum etiam successores vel Sacerdotes pertinere declarat Concilium Trid. Sess. 14. cap. 1. & a sanctis Patribus unanimi consensu semper intellectum fuisse addit; ut & cap. 6. ad alios quam Episcopos & Sacerdotes perniciose a quibusdam extendi notat.

(2) Non in Canone quidem vel in textu Decreti, sed in Gratiani. additamento ad Canonem vel caput *Adiicimus* quod ex Leone Papa praenotatur, & apud

illum epist. 63. sic habetur sub finem: *Es hoc specialiter statuentes, ut praeter Domini Sacerdotes nullus audeat predicare (sive Monachus ille sit, sive laicus) qui cujuslibet scientiae nomine gloriatur: Cuius occasione addit Gratianus. Quod vero penitentiam dare prohibensur, inde est quia nulli Sacerdotum licet alterius Parochianum ligare vel solvere: Sed vetus Editio Decreti manuscripta originalem ipsum textum eum Gratiani additamenti confunde-*

A P P E N D I X.

quam ille in quem usus clavium communicatur, efficitur materia propria illius actus; ideo ille qui habet indistinctam potestatem super omnes, (1) potest uti clavibus in omnes; illi autem qui sub eo distinctas potestates acceperunt, non in quoslibet uti possunt clavibus, sed in eos tantum qui eis in sortem venerunt: nisi in necessitatis articulo, ubi nemini sacramenta sunt deneganda.

Ad primum ergo dicendum, quod ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis, & potestas jurisdictionis. Prima quidem potestas æqualiter est in omnibus sacerdotibus, non autem secunda. Et ideo ubi Dominus Joan. xx. dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate quæ consequitur ordinem: unde & sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro singulariter dedit potestatem dimittendi peccata Matth. xvi. ut intelligatur, quod ipse præ aliis habet potestatem jurisdictionis. Potestas autem ordinis, quantum est de se, se extendit ad omnes absolvendos. Et ideo indeterminate Dominus dicit. (2) *Quorum remisistis peccata, intelligens tamen, quod usus illius potestatis esse deberet, præsupposita potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem.*

Ad secundum dicendum, quod clavis materialis non potest aperire nisi seram propriam: nec aliqua virtus activa potest agere nisi in propriam materiam. Materia autem propria potestatis ordinis efficitur aliquis per jurisdictionem. Et ideo non potest aliquis clave uti in eam in quem jurisdictionis non datur.

Ad tertium dicendum, quod populus Israel unus populus erat, & unum tantummodo templum habebat. Unde non oportebat sacerdotum jurisdictiones distingui, sicut nunc in Ecclesia, in qua congregantur diversi populi, & nationes.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis, quod absolvere potest in sacramento poenitentiae infimus sacerdos æque, ut Episcopus, & Papa. Item *Hussitarum* dicentium, quod sacerdotem potiorum non facit dignitas, sed vitæ meritum. Vide pro hujus confutatione etiam *quest. 19. art. 5.* Item *Actii* dicentis, sacerdotes omnes pares esse; inter quosvis sacerdotes nullum discrimen esse, etiam inter episcopos. Item *Pseudoapostolorum* ut refert Cardinalis Turrecrem. *de Ecclesia lib. 4. cap. 37.* dicentium, quod nullas Papa Romanæ Ecclesiæ absolvere aliquem potest a peccatis: nisi esset ita sanctus, sicut fuit Beatus Petrus Apostolus in vivendo in omnimoda paupertate, & sine proprio, & in humilitate: non faciendo bella, nec aliquem persequendo, sed permittendo, quemlibet vivere in sua libertate. Vide etiam pro hujus confutatione *quest. 19. art. 5.* Item *Marsilii* cuiusdam, ut refert idem Cardin. *de Eccl. lib. 2. cap. 53.* dicentis: quod Papa non habet aliquam plenitudinem potestatis, absque determinatione, idest concessione Imperatoris. Vide pro hujus confutatione etiam *quest. 17. art. 1. & quest. 19. art. 5. & quest. 6. art. 3. & 6.* Item *Joannis Hussi*, ut in Concilio *Constantiensi* infra, dicentis: Romanum Pontificem reliquis Episcopis parem esse. Vide etiam pro hujus refutatione, ubi supra. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, prædictos merito damnari a Concilio Trident. *sess. 14. cap. 7.* Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviore suo potuerunt

Z

„ pe-

Summ. S. Tb. Tom. XIII.

(1) Vel Papa per se, vel quilibet alius generalem ab eo facultatem seu delegationem habens: Quamvis de Papa hic proprie intelligatur, qui non in omnes tantum sacramenta recipientes vel per poenitentiam absolvendos universalem habet potestatem, sed & in omnes illos quorum est sacramenta conferre vel poenitentes absolvere.

(2) Quoad personas quibus peccata remittuntur vel remittenda supponuntur: Et si determinate quoad

personas quibus potestas illa remittendi confertur, nempe quantum ad Apostolos nominatim, & consequenter Apostolorum successores, ut supra. Sequens porro appendix vel secundum ipsius Petri ordinationem Ecclesiastica ministeria distribuentis in singulos ac disponens, vel secundum ordinationem Christi privilegium illud Petro & potestatem illam conferentis.

peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin Episcopis omnibus hoc idem in sua cuiusque diocesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate: præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politica, sed etiam coram Deo vim habere. *Hæc ibi. Nota ly Pontifices maximi; & ly suprema potestate; & ly in ecclesia universa, & ly pro illis, Episcopis, in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate: & ibidem canon. 11. Si quis dixerit: Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quo minus sacerdos a reservatis vere absolvat: anathema sit. Hæc ibi. Item ab Eugenio Papa, sic. Placuit communi nostro Concilio, ut nullus monachorum præsumat pœnitentiam dare. Hæc ibi; & recitatur 16. quæst. 1. placuit. Ubi dicitur glos. quod loquitur de monachis non habentibus populum. A simili dic, de non habentibus etiam privilegium ad hoc, vel mandatum: & de sacerdotibus alii hujusmodi. Item a Callisto Papa sic. Placuit, ut nulli sacerdotum liceat, quemlibet commissum alteri sacerdoti recipere ad pœnitentiam sine consensu ejus, cui se prius commisit. Hæc ibi. 9. quæst. 2. Item a, &c. ut quæst. 8. art. 4. elucid. Item a Concil. Trid. Distincto populo in proprias, certasque parochias, unicuique suum perpetuum, peculiarem, que Episcopi parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & a quo solo licite sacramenta suscipiant. Hæc in sess. 24. c. 13. de reform. Nota ly a quo solo licite sacramenta suscipiant. Item ab eod. sess. 14. c. 9. de reform. Jure optimo distinctæ fuerunt dioceses, & parochiæ, ac unicuique proprii attributi pastores, & inferiorum Ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant: ut ordo ecclesiarum, sicut non confundatur. *Hæc ibi. Item a Decreto 13. q. 1. Ecclesias singulas singulis**

presbyteris dedimus, parochias, & cœmeteria eis divisimus: & unicuique jus proprium habere statuimus: ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos, aut jus invadat. Sit unuquisque terminis suis contentus. Hæc ibi. Nota ly ita videlicet, ut, &c. Contra illos errores, qui de Papa supra loquuntur, vide etiam q. 17. art. 1. appen. Conc. Florent. & illa sufficiant: notando (ut multa unico verbo discas) vigilantèr ibi ly quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacri canonibus continetur. Item a Concilio Constantiensi sess. 5. Vide q. 29. art. 5. app. damnationem Joannis Husi. Item q. 1. art. 1. app. vide damnationem contra Lutberum in Bulla Leonis. Tertio habes: quomodo per rationem præmissa dicta Patrum, pro quanto insinuant, non omnem habentem claves posse illis uti in quemlibet hominem, & intelligas, & probes, & tuearis. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 79

Utrum sacerdos possit semper suum subditum absolvere.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod sacerdos non possit semper suum subditum absolvere. Sicut enim Augustinus dicit (alius Auctor Lib. de vera & falsa pœnit. cap. xx.) in littera (IV. dist. xix.) nullus officio sacerdotis uti debet, nisi immunis ab illis sit quæ in aliis judicat. (1) Sed quandoque contingit quod sacerdos est particeps criminis quod subditus suus commisit, sicut cum mulierem subditam cognovit. Ergo videtur quod non semper possit in suos subditos potestate clavium uti.

2. Præterea. Per potestatem clavium homo ab omnibus defectibus curatur. Sed quandoque alicui peccato annexus est irregularitatis defectus, vel excommunicationis sententia, a qua simplex sacerdos absolvere non potest. Ergo videtur quod non possit uti clavium potestate in illos qui talibus irretiti sunt.

3. Præterea. Sacerdotii nostri iudicium, & potestas per iudicium veteris sacerdotii figuratur. Sed minoribus iudicibus secundum legem non omnia competebat discutere, sed ad

(1) Sive sic lit. E, Sacerdos cui omnis offertur peccator & ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus quæ in alio iudicare est promptus; ut & iisdem verbis in Decretis dist. 6. de

pœnitentia cap. Qui vult, § Sacerdos & in ipso etiam originali textu lib. de vera & falsa pœnitentia cap. 20. inter opera Augustini adulterina tom. 4.

ad superiores recurrerant, ut dicitur Exodi xxiv. 14. *Si quid natum fuerit questionis inter vos, (*) referetis ad eos.* (1) Ergo videtur quod nec sacerdos de gravioribus peccatis possit subditum suum absolvere, sed debeat ad superiorem remittere.

Sed contra. Cuicumque committitur principale, committitur & accessorium. Sed sacerdotibus committitur quod subditis suis Eucharistiam dispensent, ad quam ordinatur absolutio a peccatis quibuscumque. (2) Ergo sacerdos ab omnibus peccatis potest subditum suum absolvere, quantum est de clavium potestate.

Præterea. Gratia omne peccatum tollit, quantumcunque sit parva. Sed sacerdos sacramenta dispensat, quibus gratia datur. Ergo, quantum est de potestate clavium, de omnibus peccatis absolvere potest.

Respondeo dicendum, quod potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda. Sed quia ad usum hujusmodi potestatis requiritur jurisdictio, quæ a majoribus in inferiores descendit; ideo potest superior aliqua sibi reservare, in quibus iudicium inferiori non committat: alias (3) de quolibet potest simplex sacerdos absolvere, habens jurisditionem. Sunt autem quinque casus in quibus oportet quod simplex sacerdos pœnitentem ad superiorem remittat. Primus est quando est solemnis pœnitentia imponenda, quia ejus minister proprius est

Episcopus. Secundus est de excommunicatis, quando inferior sacerdos non potest absolvere, utpote quando est a superiore excommunicatus. Tertius quando invenit irregularitatem contractam, pro cujus dispensatione debet ad superiorem remittere. Quartus de incendiariis. Quintus quando est consuetudo in aliquo Episcopatu quod enormia crimina ad terrorem reserventur Episcopo; quia consuetudo dat, vel aufert in talibus potestatem.

Ad primum ergo dicendum, quod in tali casu nec sacerdos debet audire confessionem mulieris cum qua peccavit, de illo peccato, sed debet ad alium mittere; nec illa debet ei confiteri, sed debet petere licentiam ad alium eundi, vel ad superiorem recurrere, si ille licentiam denegaret, tum propter periculum, tum quia est minor verecundia. Si tamen abolveret, absoluta esset. (**). Quod enim Augustinus dicit, quod non debeat esse in eodem crimine, intelligendum est secundum congruitatem, non secundum necessitatem sacramenti.

Ad secundum dicendum, quod pœnitentia ab omnibus defectibus culpæ liberat, non autem ab omnibus defectibus pœnæ: quia adhuc post peractam pœnitentiam de homicidio aliquis remanet irregularis. Unde sacerdos potest de crimine absolvere, & pro pœna amovenda debet ad superiorem remittere; nisi in excommunicatione, quia absolutio ab ipsa debet præcedere absolutionem a peccato:

Z 2 quia

(*) *Vulgata omittit inter vos.*

(1) Sic Moyses in montem ascensus præscribit verf. 14. ubi Aaron & Mur insinuat, ad quos hæc quæstiones referantur.

(2) Capitalibus tamen aut lethalibus tantum, quoad necessitatem absolutam; ut suo loco ex professo dictum est, dum de Eucharistia sacramento 3. parte ageretur; & Concilium Trid. sess. 22. cap. 7. insinuat; cum nullum qui mortalis peccati sit conficius ad sacram Eucharistiam accedere vult nisi confessionem sacramentalem præmiserit.

(3) Ut videre est in Decretis causa 17. quæst. 4. cap. *Si quis* ex Concilio Lateranensi sub Innocentio 2. ubi sic decernitur: *Si quis suadente diabolo sacrilegii hujus reatum incurrit quod in Clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subjaceat; & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat: Præter caput Conquesti: Extra de sententia excommunicationis ex Clemente 3. ubi tale aliquid indicatur; & caput *Esti Domini* quod ex Paulo 2. in Extravagantibus communibus, tit. de pœnitentiis, & remissionibus desumptum est; ut & caput *Quicumque*, 61. Decretalium tit. de sententia excommunicationis ex Gregorio 10. in Concilio Lugdunensi. Tandemque inde ac ex aliis ejusmodi decre-*

tis & statutis colligit Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 7. quod magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est ut atrociora quadam & graviora crimina non a quibusvis sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolventur: Tum subjungit: Unde merito Pontificis maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesiam universam tradita causas aliquas criminum graves potuerunt suo peculiari iudicio reservare: Neque dubitandum est quin hoc idem etiam Episcopis omnibus in sua cuique Diocesi (in edificationem tamen, non in destructionem) liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos sacerdotes inferiores auctoritate; præsertim quoad illa quibus excommunicatio annexa est &c. Alludendo ad illud Apostoli 2. ad Corinth. 13. verf. 10. ut non præsumatur durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi ad edificationem non in destructionem &c.

(**) *Vide Constitutiones duas Benedicti XIV. alteram an. 1741. cujus initium Sacramentum pœnitentiæ, alteram vero an. 1745. que incipit Apostolici muneris, quibus nova disciplina, eaque sanctissima, circa absolutionem hujusmodi stabilitur; atque invalidam istam, nedum illicitam modo esse decernitur; præterquam in mortis articulo, deficiente tunc alio opportuno Sacerdote.*

quia quamdiu aliquis est excommunicatus, non potest recipere aliquod Ecclesie sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit quantum ad hæc in quibus sibi superiores potestatem jurisdictionis reservant.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errorem cuiusdam (ut refert Joseph Angles ord. Min. lib. *flora theologicarum quæst. de confess.*) dicentis, quod poenitens est absolvendus sacramentaliter ab inferiori sacerdote, etiam a reservatis; hac lege, ut postea coram superiore compareat, non, ut eum absolvat; sed ut cognoscat vulgum pecoris sui. Item errores multos, qui prænantur *art. 1. & q. 8. art. 1. & 2. & 4. & q. 19. art. 3.* Item Joannis de Polliaco dicentis (ut refert Cardin. Turrecrem. de *Ecclesia lib. 2. cap. 65.*) quod Parochiani non possunt reduci in Deum per poenitentiam, nisi mediantibus parochialibus sacerdotibus. Per hoc enim videtur iste Joannes insinuare: quod sacerdotes parochiales possunt semper, immo etiam & ab omnibus absolvere suos subditos, & quod nulla reservatio casuum illis in hoc obstare possit. Contra quod immediate præsens pugnat articulus. Item ejusdem Joannis (*Direct. Inquis. 2. par. qu. 8.*) dicentis: quod Papa non potest dare licentiam generalem audiendi confessiones aliquibus, quin ipsi teneantur confiteri iterum eadem peccata Parochialibus sacerdotibus. Immo nec Papa (ut inquit ipse Joannes: referente eodem Cardinale, ubi supra) nec Episcopus, possunt audire confessiones Parochianorum, ita, ut teneantur iterum eadem peccata confiteri sacerdotibus parochialibus. Ex his enim apparere potest, quod ipse Joannes insinuat, ut supra; & pro tanto huc adducitur. Nam, Papa etiam, vel Episcopo absolventibus, ipsum debere ad Parochialem sacerdotem recurrere, monstrat, quod Parochialis habebat auctoritatem ex se (ex quo scilicet est institutus Curatus) absolvendi quoscunque suos subditos, & a quibuscunque; nulla obstante reservatione casuum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito prædictos errores fuisse damnatos funditus a Concil. *Trid. sess. 14. c. 7. & can. 11.* ubi declarat reservationem casuum rationabiliter a Pontificibus, & Papa posse fieri ita, ut inferior ab iis reservatis nequeat absolvere, & anathematizatur contrarium. Vi-

de *art. 1. append.* verba Concilii, & rationem ab eodem Concilio adductam, *sup. q. 19. art. 6. in notis. post probationem primæ conclusionis.* Item a maximis Pontificibus facto suo juridico, & quidem toties, quoties: quando videlicet sibi de aliquibus absolutio-nem reservant. Ut *17. q. 4. si quis suadente.* item de *sent. exc. c. conquestus.* Item *ead. tit. in 6. quicumque.* Item de *pœnis. in Clem. cupientes.* Item multoties alibi; & quotidie in bullis urgentibus causis rationabilibus ad hoc. Item a Papa Joanne XXII. specialiter damnari merito errores prædictos, & alios Joannis de Polliaco in extravagan. *Vas electionis*, in hæc verba. „ Auctoritate Apostolica „ omnes articulos, & quemlibet eorum, tan- „ quam falsos, & erroneos, & a doctrina „ sacra devios, condemnamus, & probamus „ de fratrum nostrorum consilio doctrinam „ contrariam veram, & contrarium esse ca- „ tholicum asserentes, scilicet quod illi, qui „ habentibus licentiam generalem audiendi „ confessiones consentitur, non magis tenean- „ tur eadem peccata confiteri iterum, quam „ si ea alias confessi fuissent eorum proprio „ sacerdoti juxta Concil. generale. Optan- „ tesque veritatis vias notas esse fidelibus „ cunctis, & prædictis erroribus præcludere „ aditum, ne subintrent errores, fel. recor. „ Alex. IV. & Clem. IV. Romanorum Pon- „ tificum prædecessorum nostrorum vestigiis „ insistendo, universis, & singulis districtius „ inhibemus, ne quisquam præmissos articu- „ los (ut præmittitur) damnatos, & re- „ probatos, & contenta in eis, vel aliquo „ ipsorum, utpote a catholicis mentibus re- „ spuenda, tenere audeat, seu defensare quo- „ modolibet, vel docere. „ Hæc ibi. Ubi nota ly *consentia in eis, vel aliquo ipsorum*, quia, licet non omnes errores hic in app. præ-narrati verbaliter sint in illa extravagan-ti: tamen omnes in iis, qui ibi narrantur, sal-tem, quoad sensum continentur. Item a Papa Callisto III. ejusdem Joannis damnati sunt errores Romæ anno 1446. per Bullam incipien. *Inter cætera*: & hæc habetur inter privilegia ord. Præd. (ut notatur in *Direct. Inquis. 2. par. ubi ponitur extravag. Vas electionis.*) Item a, &c. ut supra, *q. 8. art. 5. app.* quem etiam locum juvare potes per annotata hic. Item a, &c. ut *art. 1. & q. 8. & qu. 19. av.* in principio hujus append. notatis: *Tertio* habes: quomodo per rationem præmissa Patrum dicta, pro quanto sacerdotem insinuant non posse semper subditum suum absolvere, & intelligas, & probes, & defen-

defendas. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 80

Utrum aliquis uti possit clavibus in suam superiorem.

AD tertium sic proceditur. Viderur quod aliquis non possit uti clavibus in suam superiorem. Actus enim sacramentalis quilibet requirit propriam materiam. Sed propria materia usus clavium est persona subjecta, ut dictum est (quest. præc. art. 6.) Ergo in eo qui non est subditus, non potest clavibus sacerdos uti.

2. Præterea. Ecclesia militans imitatur triumphantem. Sed in cælesti Ecclesia inferior Angelus nunquam purgat, aut illuminat, aut perficit superiorem. Ergo nec aliquis inferior sacerdos potest uti actione hierarchica, quæ est per absolutionem, in superiorem.

3. Præterea. Judicium pœnitentiæ debet esse ordinatius quam judicium exterioris fori. Sed in exteriori foro inferior non potest excommunicare, aut absolvere superiorem. Ergo videtur quod nec in foro pœnitentia.

Sed contra. Superior Prælatus etiam circumdatus est infirmitate, & contingit ipsum peccare, Sed remedium contra peccatum est potestas clavium. Ergo cum ipse non possit in seipsum clave uti, quia non potest esse simul iudex, & reus, videtur quod possit inferior in ipsum clavis potestate uti.

Præterea. Absolutio, quæ fit per virtutem clavium, ordinatur ad perceptionem Eucharistiæ. Sed inferior potest superiori Eucharistiæ dispensare, si petat. Ergo & clavium potestate in ipsum uti, si se ei subjecerit.

Respondeo dicendum, quod potestas clavium, quantum est de se, extendit se ad omnes, ut dictum est (art. præc.) Sed quod in aliquem sacerdos non possit potestate clavium uti, contingit ex hoc quod ejus pote-

tas est ad aliquos specialiter limitata. Unde ille qui limitavit, potest extendere in quem voluerit: & propter hoc etiam potestatem ei dare potest in seipsum; quamvis ipse in seipsum (1) uti clavium potestate non possit, quia potestas clavium requirit pro materia aliquem subjectum, (2) & ita alium: sibi ipsi enim aliquis subjectus esse non potest.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis Episcopus, quem simplex sacerdos absolvit, sit superior eo simpliciter; est tamen inferior eo, in quantum ei se ut peccatorem subiicit.

Ad secundum dicendum, quod in Angelis non potest accidere aliquis defectus, ratione cujus inferioribus suis superiores subdantur, sicut accidit in hominibus. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod iudicium exterius est secundum homines; sed iudicium confessionis est quoad Deum, apud quem aliquis redditur minor ex hoc quod peccat, non autem apud homines prælationes (3). Et ideo in exteriori iudicio sicut nullus in seipsum sententiam dare potest excommunicationis, ita nec alteri committere ut se excommunicet. Sed in foro conscientie potest alteri committere suam absolutionem, quæ ipse uti non possit.

Vel dicendum, quod absolutio in foro confessionis est principaliter potestatis clavium, & ex consequenti respicit jurisdictionem; sed excommunicatio respicit totaliter jurisdictionem. Quantum autem ad potestatem ordinis omnes sunt æquales, non autem quantum ad jurisdictionem. Et ideo non est simile.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas errorem Joannis Wicleff (testante Conc. Constansiensis loco citando infra) seditiose dicentis; quod populares, & subditi homines possunt ad suum arbitrium domi-

(1) Scilicet in seipsum qui potestatem dedit.

(2) Sive aliquem qui vel ex ipsa sui conditione simpliciter, vel secundum quid ex accidenti casu elavem habenti sit subjectus: Ex quo sequitur manifeste quod sit alius vel distinctus ab eo cui subjectus esse supponitur.

(3) Tum civiles & seculares, tum ecclesiasticas & sacras: Neutra enim potestas per mortale peccatum amittitur, & contrarium ab Ecclesia damnatum est. Puta in Concilio Constansiensis Sess. ubi ex articulis 45. Joannis Wicleff. qui decernuntur vel no-

torie heretici vel erronei vel scandalosi & blasphemii, vel piarum aurium offensivi, vel temerarii & seditiosi, quartus enumeratur iste, *Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat*: Octavus iste: *Si Papa sit prescius & malus & per consequens membrum diaboli non habet potestatem super fideles nisi a Casare*. Quintus decimus iste: *Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali*.

dominos delinquentes corrigere. Item, quod parochiani possunt propter peccata suorum prælatorum auferre ab eis decimas ad suum libitum. Item: quod domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesia, possessionis habitualiter delinquentibus. In his enim omnibus virtualiter insinuat ab isto *Wicleff*, quod subditus in suum superiorem potest imperiose (& pro tanto hic errores illius adducuntur) contra quod articulus præfens militat, & quidem a fortiori. Si enim (juxta articulum) subditus non potest in superiorem etiam delinquentem, nisi præhabita jurisdictione ab eo: multo minus sine jurisdictione in ipsum superiorem poterit. Rursus. Si subditus superiorem delinquentem non potest malis, idest peccatis, spoliare pro suo arbitrio: multo minus (& hoc cæcutientes viderent) subditi superiores delinquentes bonis eorum spoliare poterunt ab arbitrium suum. Modo non tantum populares, sed etiam domini temporales sacerdotibus inferiores sunt: ut supra 1. q. 19. art. 4. app. per verba Imperatoris Basilii a Synodo confirmata habitum fuit. Item habes: quomodo per rationem ad verum passis infringere ejusdem *Wicleff* errorem (teste eod. Conc.) improbe dicentis: quod nullus est dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali: *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas a fortiori (ut supra nunc, arguendo) prædictos errores merito damnari ab eod. Concil. *Constant.* sess. 8. ubi enarratis 45. erroribus ipsius *Wicleff*, inter quos numer. 15. 16. 17. 18. prædicti collocantur, similis damnatio subsequitur summarie. „ Hos sancta Synodus præfatos articulos 45. examinari fecit, & sæpius recenseri, quibus examinatis, fuit repertum, alios, & plures ex ipsis fuisse, & esse notorie hæreticos, & a sanctis Patribus reprobatos; alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, & blasphemos; quosdam piarum auriarum offensivos, non nullos eorum temerarios, & seditiosos. Propterea Concilium pronunciat hæreticum Joannem Uvicleff, ac memoriam ejusdem condemnat, & mandat exhumari ossa ipsius, & cremari. *Hæc sententialiter ibi.* „ *Item a Deo Hierem.* 27. Nunc dedi ego omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis servi mei. Insuper & bestias agri dedi ei, ut serviant illi: & servient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus; donec veniat tempus terræ

„ ejus, & ipsius, & servient ei gentes multæ, & Reges magni. Gens autem, & regnum, quod non servierit Nabuchodonosor Regi Babylonis, & quæcumque non curverit collum suum sub jugo Regis Babylonis, in gladio, & in fame, & in peste, visitabo super gentem illam, ait Dominus: donec consumam eos in manu ejus. „ *Hæc ibi.* Ecce; quod idolatra est Rex non æquivoce, sed univoce: cum auctoritatem habeat super gentes; immo & tantam, ut dicat Deus, se vehementer castigaturum eos: qui sub jugo Regis Babylonis non curvaverint collum. Quod si pro Rege idolatra tantopere zelat Deus: quid faciet pro Dominis Christianis, etiam si pessimi essent? Sufficiat ergo, quod Reges, quantumvis mali sint veraciter Reges apud Deum: etiam quod apud *Uvicleff*, in damnationem ejus, non sint. *Item a Jo. 6. Nonne duodecim vos elegi; & unus ex vobis diabolus est?* En Judas peccator maximus adhuc est Apostolus, miracula cum aliis facit, &c. ut Evangelium sæpe contra *Uvicleff* narrat. *Item a Papa Innoc. III. de elec. & electi potest. c. innotuit.* Ibi enim pro regula dat: quod *par non habet imperium in parem*, ubi gl. dicit, *nisi se ei subiciat: ut ff. de jurisd. omn. ju. est receptum, & 2. q. 7. nos si incompetenter.* In hoc enim c. *nos si incompetenter*, *Papa Leo IV. Ludovico Augusto ex humilitatis dispensatione se subicit: vestro*, inquit, *admissorum nostrorum cuncta volumus emendare judicio, si incompetenter aliquid egimus.* Ergo multo magis in foro pœnitentiæ potest se subicere voluntariè inferiori superiori quicumque alius, ut habet conclusio. *Item a Papa Nicolao Uvicleff damnatur dist. 21. Inferior.* „ Non potest judicio inferior potiorum ligare: unde Popheta ait. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui fecit in ea? „ Aut exaltabitur serra contra eum, qui trahit eam? His itaque e divina scriptura commemoratis, Sole clarius exhibuimus (*Gl. idest probavimus*) non posse quemquam, qui minoris auctoritatis est, eum, qui majoris potestatis est, judiciis suis adjicere, aut propriis definitionibus subiugare. *Hæc ibi.* *Item ab eodem ibid. c. Deniq.* Illi, qui ante nos fuerunt, providam in ecclesiis consuetudinem tradiderunt (hodie quoque in Romana Ecclesia, quæ magistra est omnium Ecclesiarum, imprætermisse servatur) ita ut nullus sacerdos, majore suo non innuente sacerdote, cuiuslibet rei benedictionem dare nitatur: sed

„ anter-

» anterior stans ad pronuntiandam aliquam
 » lectionem, benedictionem quidem postulat,
 » sed ei quilibet inferior non audet benedi-
 » cere. Cur hoc? Nunquid benedicere pec-
 » catum est? Absit. Sed per hoc innuitur,
 » quantæ censuræ fræno inferiores quique a
 » suis præpositis iudicandis coercendi sint:
 » si hi nec etiam benedicendi jus ullum pe-
 » nitus obtineant. Hæc ibi: & a fortiori
 » quidem contra *Vuicless*, & pro art. præsentis
 » discurre tu. Item &c. ut *g. 19. art. 5.* &
 » alibi, in tex. & eluc. *Tertio* habes: quomo-
 » do per rationem prædicta Patrum, pro quan-
 » to a fortiori, vel alio modo insinuant, in-
 » feriolem non posse in superiolem, nisi supe-
 » rior ei voluntarie se subiciat, & intelligas,
 » & probes, & defendas. *Quarto* vides: quo-
 » modo ex iis, &c.

ARTICULUS I. 81

*Utrum competens sit hæc definitio excommuni-
 cationis: Excommunicatio est
 separatio a communione
 Ecclesiæ &c.*

*S. Tho. IV. dist. XVIII. quæst. II. art. 1.
 quæst. I. & seq.*

AD primum sic proceditur. Videtur
 quod incompetens sit hæc definitio ex-
 communicationis a quibusdam (1) posita:
*Excommunicatio est separatio a communione Ec-
 clesiæ quoad fructum, & suffragia generalia.*
 Suffragia enim Ecclesiæ valent eis pro qui-
 bus fiunt. Sed Ecclesia orat pro eis qui ex-
 tra Ecclesiam sunt, sicut pro hæreticis, &
 paganis. Ergo etiam pro excommunicatis,
 qui extra Ecclesiam sunt: & sic eis suffra-
 gia Ecclesiæ valent.

2. Præterea. Nullus amittit suffragia Ec-
 clesiæ nisi per culpam. Sed excommunicatio
 non est culpa, sed poena. Ergo per excom-
 municationem non separatur aliquis a suffra-
 giis Ecclesiæ communibus.

3. Præterea. Fructus Ecclesiæ non videtur
 esse aliquid quam suffragia: non enim potest
 intelligi de fructu bonorum temporalium,
 quia hæc excommunicatis non auferuntur.
 Ergo inconvenienter utrumque ponitur.

4. Præterea. Excommunicatio minor quæ-
 dam excommunicatio est. Sed per eam ho-
 mo non perdit suffragia Ecclesiæ. Ergo defi-
 nitio non est conveniens.

Respondeo dicendum, quod ille qui per
 baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo ad-
 scribitur, scilicet ad cætum fidelium, & ad
 participationem sacramentorum: & hoc se-
 cundum præsupponit primum: quia in sacra-
 mentis participandis etiam (*) fideles communi-
 cant. Et ideo aliquis potest extra Ecclesiam
 fieri per excommunicationem dupliciter. Uno
 modo ita quod separetur tantum a partici-
 patione sacramentorum: & hæc est excom-
 muni-

QUÆSTIO XXI.

*De excommunicationis definitione, congruitate,
 & causa,*

In quatuor articulos divisa.

Consequenter videndum est de excommu-
 nicatione. De qua primo considerandum
 est de definitione excommunicationis, & con-
 gruitate, & causa. Secundo de eo qui pot-
 est excommunicare, & excommunicari. Terto
 de participatione cum excommunicatis. Quarto
 de absolutione ab excommunicatione.

Circa primum quærentur quatuor.

Primo, utrum convenienter excommunica-
 tio definiatur.

Secundo, utrum Ecclesia debeat aliquem
 excommunicare.

Tertio, utrum aliquis pro aliquo tempo-
 rali damno sit excommunicandus.

Quarto, utrum excommunicatio injuste la-
 ta aliquem effectum habeat.

(1) Jurisperitis nempe, sicut Albertus Magnus 4.
 Sentent. dist. 18. art. 16. notat; sed speciatim non
 occurrit aliquis qui sic eam præcise definiat: Colligi
 autem potest ex iis quæ in Jure ad excommunica-
 tionem significandam dici solent: Ut in Decretis
 causa 11. quæst. 3. cap. *Dicitur merito* quod merito
 facinorum suorum ab Ecclesia pulsus ad ullius com-
 munionem suscipiendi non sunt; cap. *Omnis*, quod
 qui excommunicatur, *Sathana* traditur, quia extra

*Ecclesiam diabolus est sicut in Ecclesia Christus; ac
 per hoc quasi diabolo traditur qui ab Ecclesiastica
 communione removeretur: Cap. Nemo* quod Ecclesiastica
 communione sine causa privari nemo debet: Cap.
Nullus quod nec levibus causis a communione sus-
 pendi &c. Quæ autem infra subiungetur, est Offen-
 sis tit. de Sent. excommun. §. *quid*, &c.

(*) Vel potius soli fideles.

municatio minor. Alio modo ita quod excludatur ab utroque: & sic est excommunicatio major, quæ hic definitur (1). Non autem potest esse tertium, scilicet quod excludatur a communione fidelium, & non a participatione sacramentorum, ratione jam dicta: quia scilicet fideles in sacramentis communicant. Sed communicatio fidelium est duplex: quædam in spiritualibus, sicut sunt mutuz orationes, & conventus ad sacra percipienda; quædam in corporalibus actibus legitimis: quæ quidem communicationes his versibus continentur:

Si pro delictis anathema (2) quis efficiatur,

Os, orare, vale, communico, mensa negatur.

Os, scilicet ne osculum detur: *Orare*, ne cum excommunicatis oremus: *Vale*, ne saluentur: *Communico*, ne scilicet in sacramentis cum ipsis aliquis communicet: *Mensa negatur*, ne aliquis cum eis in mensa comedat. Præmissa ergo definitio importat separationem a sacramentis; in hoc quod dicit, *quoad fructum*; & a communione fidelium quantum ad spiritualia, in hoc quod dicit, *& suffragia Ecclesie communia*.

Alia autem definitio invenitur, quæ datur secundum separationem ab utrisque actibus, quæ talis est: *Excommunicatio est a qualibet licita communione fidelium separatio*.

Ad primum ergo dicendum, quod pro in-

fidelibus oratur, sed ipsi orationis fructum non percipiunt, nisi ad fidem convertantur. Similiter & pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesie fiunt; & tamen fructum non percipiunt, quamdiu in excommunicatione manent; sed oratur, ut detur eis spiritus poenitentis, ut ab excommunicatione solvantur.

Ad secundum dicendum, quod suffragia alicujus valent alicui secundum quod ei continentur. Potest autem actio unius alteri continuari dupliciter. Uno modo ex vi caritatis, quæ omnes fideles connectit, ut sint unum in Deo, sicut dicitur in Psal. cxviii, 63. *Particeps ego sum omnium timentium te* (3). Et hanc continuationem excommunicatio non intercipit: quia juxta quis excommunicari non potest nisi pro culpa mortali, per quam quis a caritate jam divisus est, etiam si non excommunicetur. Injusta autem excommunicatio caritatem alicui auferre non potest; cum sit de maximis bonis, quæ non possunt alicui invito auferri. Alio modo per intentionem suffragia facientis, quæ in alium fertur, pro quo fiunt: & hanc continuationem excommunicatio intercipit: quia Ecclesia per excommunicationis sententiam separat excommunicatis ab universitate fidelium, pro quibus suffragia facit. Unde suffragia Ecclesie eis non profunt, quæ pro tota Ecclesia fiunt; nec ex persona Ecclesie ora-

(1) Quippe cum excommunicatio minor ab Ecclesie quidem sacramentis, non tamen simul a fidelium qualicunque communione per seipsum separet, vel Ecclesie suffragiis excommunicatum privet.

(2) Licit in ista voce vel propter metri necessitatem, cum aliter non posset coherere, vel propter quantitatis inconsiderantiam seu potius consulam significationis notionem, non satis cautus verificator; cum *anathema* longum ex græco ἀνάθημα *donarium* sit, inde dictum quod sepositum a prophano sive communi usu in honorem deorum velut sacramentum quiddam suspendebatur intra templum (ex Eth. 4.) *anathema* breve, ut hic deberet usurpari ex græco ἀνάθεμα, sit execrandum quiddam & a sacris usibus propter abominationem separatam, ut in Scriptura passim.

(3) Ad ipsum caput, id est ad Christum pertinere proprie verba ista notat ibidem Augustinus; quia nec nos efficeremur participes divinitatis ejus (inquit) nisi mortalitatis nostræ ipse particeps factus esset. Nec alieno sensu Ambrosius: *Habet & Christus particeps* (inquit) *sive consortes suos: Habet particeps carnis quia carnem suscepit: Habet baptismi, quia baptizatus est pro nobis: Habet consortes justitia; quia ipse justitia est, & nobis de suo de-*

dis sui habere consortium: habet consortes veritatis quia ipse veritas est, & nos tenere voluit veritatem: Habet consortes immaculata visa, quia ipse immaculatus est; & quicumque in novitate vite ambulaverit, particeps Christi est: Et paulo infra: Sicut membrum particeps esse dicimus totius corporis, sic conjunctus omnibus timentibus Deum particeps corporis Christi est quod est Ecclesia. Theodoretus autem simpliciter explicans ac ex versione Symmachi notans pro particeps conjunctum dici (συνυμνηστος) (ut & ex versione Syri *amicum* (φίλων) *Familiares* (inquit) & *socios habui eos qui tuum timorem magni faciebant & vivere secundum legem decreverant: Plenius porro Cassiodorus: Respice* (inquit) *quemadmodum virusem Ecclesiastica unitatis ostendit ut omnium fidelium dicat se esse participem, non unius Ecclesie sed qua in totius mundi capacitate diffusa est: Respice quam humiliter participem se dicit timentium Deum, cum legatur in Apostolo (ad Hebr. 3. vers. 14.) Particeps Christi effecti sumus. Et quis dixit, Omnium timentium te, ne illos debuisset advertere qui Domini judicia servili timore formidans addidit, & custodientium mandata tua, qui devotissimi comprobantur timore castissimo & amore reverendo.*

oratio pro eis inter membra Ecclesie fieri potest; quamvis aliqua persona privata possit ad eorum conversionem aliquod suffragium per intentionem dirigere.

Ad tertium dicendum, quod fructus spiritualis Ecclesie non solum est ex suffragiis, sed etiam ex perceptione sacramentorum, & ex convictu fidelium.

Ad quartum dicendum, quod minor excommunicatio non habet perfectam rationem excommunicationis, sed aliquid ipsius participat: & ideo non oportet quod totaliter ei excommunicationis definitio conveniat, sed solum quoad aliquid.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem infringas errorem Lutheri, ut naratur in Bulla Leonis X. dicentis, quod excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesie orationibus. Item Joannis Wicleff dicentis, excommunicationem a Papa, aut a quocunque praelato infligam, non esse timendam. Item ejusdem, ut in Concil. Constantiensi sess. 8. dicentis, excommunicationem a Papa, vel a praelato alio infligam, esse censuram Antichristi. Item Lutheri (Prat. Lutherani) dicentis, excommunicationem non solum non esse timendam, sed cum gaudio suscipiendam, & procurandam. Item ejusdem, ut in Bulla Leonis predicti, dicentis; quod christiani sunt docendi plus diligere excommunicationem, quam timere. Si enim praesens articulus S. Doct. probatione validissima concludit, quod excommunicatio tot mala secum fert: nonne diametro monstrat, illam esse plusquam timendam? Secundo habes: quomodo per rationem ostendas; praedictos errores merito damnari a, &c. ut qu. 10. art. 3. de Concil. Constantiensi contra Wicleff. Item a, &c. ut qu. 1. ar. 1. append. & 3. par. qu. 68. ar. 9. de Bulla Leonis contra Lutherum. Item ab Anzhero Papa, & martyre, in epistola ad Episcopos provinciae Beticae, & Toletanae sic: *Veteri quidem in lege habetur, quod, quisumque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur a populo, aut gladio ceruice subiecta contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens spirituali animadversione truncatur: & ejectus ab ecclesia rabido demonum ore discerpitur.* Hæc ibi, Ubi vides, quam timenda sit excommunicatio: tantum abest, ut diligenda sit, vel procuranda. Item Summ. S. Tb. Tom. XIII.

ab Urbano Papa, & mart. in ep. de communi vita, & oblatione fidelium: *Hec, fratres, valde cavenda sunt, & timenda, &c. ne poenam, & mortem Anania, & Saphira incurrant, &, quod pejus est, anathema Maranatha fiant; etsi non corpore, ut Ananias, & Saphira ceciderint, anima tamen, que potior est corpore, mortua, & alienata a consortio fidelium cadant, & in profundum barathri labantur.* Hæc ibi. Ubi patet, excommunicationem multo magis morte corporali timendam, & ipsius excommunicationis effectus horrendus. Quam vero injustissime Romano Pontifici titulum Antichristi inurant, patet ex damnatione ipsorum a tot Scripturis infratangendis, & experientis, tum antiquis, tum novis praedictorum Pontificum adferendis. Antichristus enim (secundum Scripturas, 2. Theff. 2. Daniel. 9. Matt. 24. Mar. 13. 1. Machab. 1. & secundum August. lib. de Antichristi ortu) erit a fide discessio, homo peccati, filius perditionis, abominatio desolationis, elatio super omne, quod dicitur Deus, ostentans seipsum Deum, veniens secundum operationem Satanae in omni virtute, signis, & prodigiis mendacibus, Messiam se esse pronuncians, Christum vero seduxisse orbem. Judeos ad Hierosolymam convocans, ut Judaica gens in illum credat, vridao se resurrexisse fingens; ac tandem in nubes elatus, a Michaeli Archangelo in tartara profundissima precipitatus. Hæc sunt ex Scripturis, ut superius, desumpta, quibus aperte & condemnantur omnes, qui de Pontifice Romano, tanquam de Antichristo sentiunt, & Romanus ipse Pontifex Antichristo contrarius, experientia accedente, luce clarius comprobatur. Quomodo enim discessio est, ut a Christo homines discedere faciat: si, ut ejus Vicarius, ad Christi ovile oves reducit? Aut quomodo homo peccati, ut alios ad peccandum inducat, si tot legibus, ac poenis homines a peccatis deterret? Aut quomodo filius perditionis; ut sacramenta, & Christi praecepta perdat: si nihil magis in suis Decretis, legitimisque Conciliis, quam sacramentorum Christi susceptionem, ipsiusque mandatorum observantiam inculcat? Quæ vero abominatio desolationis stans in loco sancto, aut in loco, ubi non oportet? Quænam elatio est contra omne, quod dicitur Deus? In quonam templo sedet ostentans, se esse Deum? Quando passi sunt, inquit Augustinus, se Dei instar, adorari Romani Pontifices? Quis horum indicare conatus est e Scripturis, se esse Messiam? Quando dixerunt: Christum seduxisse orbem? Quando Judaica gens in illos credi-

*credidit? Quando convocarunt Judæos Hierosolymam? Quando denique e triduo resurrexisse se, mentiti sunt? Aut quando in nubes elati, ab Archangelo Michaeli mox in barathrum profundissimum præcipitati fuerunt? Cæterum ad majorem veritatis hujus ostensionem, quot Pontifices in illa Romana Sede martyrio claruerunt? Quot doctrina singulari, vitæque unice christiana, in illa suprema sede nituerunt? Quot insignibus miraculis probitatis suæ a Christo Domino testimonium acceperunt? Nescit autem Divina justitia patrocinium dare criminibus; sed Deus ubique verax, & omnis homo (quales sunt præmissi) mendax. De hoc vide, si horum nãzias intimius cognoscere vis, 1. par. quest. 32. art. 4. in elucid. ubi optime satisfiet, ultra prædicta, Item supra quest. 74. art. 3. append. de Ecclesia Romana, & quest. 20. art. 1. in corollis. post ad primum, & quest. 17. art. 1. pend. Item contra Lutherum vide Rosenfem art. 23. 24. Quod si addideris ap. & art. 25. ubi de primata summi Pontificis disputat, plenius impium os verorum Antichristorum Romanum Pontificem falso Antichristum vocantium obstrues. Cæterum, si præ veritatis clara manifestatione confusi refugiendo dicant, se loqui de Antichristo. non illo magno, de quo præmissa Scripturarum auctoritates intelliguntur, sed de minori Antichristo, idest illius majoris figurativo, cujusmodi sunt omnes hæretici, qui & Antichristi a 1. Joan. cap. 2. vocantur, manifeste decipiuntur, & impudentissimo mendacio errant, aliosque mittere eonantur in errorem. Adeo enim Papa non est talis Antichristus, ut non possit non esse, ut Papa, contrarius Antichristis omnibus: ut clare tibi, & cuique prudenti, ac bene Scripturam sacram intelligenti patebit; si videris infra citata. Videlicet, Veritates autem super legem veterem, *Levit. 11. concl. 8. in ly Pro Ecclesia S. Dei, & Compend. Alber. Magn. lib. 7. cap. 9. schol.* Ex quorum lectione cognosces: quantum cæcitate hæretici in prædicta calumnia pro veritate venditare velint. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse a Gregorio nono de sensent. excommunicat. cap. Si quem sub hac; & a Concilio apud Palatium Vernis habito, ca. 9. excommunicationem majorem a perceptione sacramentorum, & a communione fidelium separare, ut seq. art. 4. adducentur ad litteram auctoritates horum. Quarto habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto excommunicationem insinuant a com-*

munione fidelium, & sacramentorum perceptione seingere, & intelligas, & probes, & defendas. Quinto vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 82

Utrum Ecclesia debeat aliquem excommunicare.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Ecclesia nullam debeat excommunicare. Quia excommunicatio maledictio quædam est. Sed Rom. xii. prohibemur maledicere. Ergo Ecclesia excommunicare non debet.

2. Præterea. Ecclesia militans debet imitari triumphantem. Sed ut in epist. Judæ legitur, cum Michael Archangelus cum diabolo altercatur de Moyse corpore; non est ausus iudicium inferre blasphemie; sed dixit: Imperet sibi Dominus. Ergo nec Ecclesia militans debet alicui iudicium maledictionis, vel excommunicationis inferre.

3. Præterea. Nullus est in manu hostis tradendus, nisi omnino desperatus. Sed per excommunicationem traditur aliquis in manu Satanæ, ut patet I. Corinth. v. Cum ergo de nemine sit desperandum in ista vita, Ecclesia nullam debet excommunicare.

Sed contra est quod Apostolus I. Cor. v. mandat quemdam excommunicari, sive tradi Satanæ.

Præterea, Matth. xviii. 17. dicitur de illo qui Ecclesiam audire contemnit: *Sic tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Sed Ethnici sunt extra Ecclesiam. Ergo & illi qui Ecclesiam audire contemunt, per excommunicationem extra Ecclesiam sunt ponendi.

Respondeo dicendum, quod iudicium Ecclesiæ conforme debet esse iudicio Dei. Deus autem peccatores multipliciter punit: uno modo flagellis castigando, ut ad bonum eos trahat; alio modo hominem sibi relinquendo, ut auxiliis subtractis, quibus a malo præpediebatur, suam infirmitatem cognoscat, & humilis ad Deum redeat, a quo superbus discesserat. Et quantum ad utrumque Ecclesia in excommunicationis sententiâ divinum iudicium imitatur. In quantum enim aliquem a communione fidelium separat, ut erubescat, imitatur divinum iudicium, quo per flagella castigat; in quantum autem a suffragiis, & aliis spiritualibus separat, imitatur divinum iudicium, quo hominem sibi relinquit, ut per humilitatem seipsum cognoscens ad Deum redeat.

Ad

Ad primum ergo dicendum, quod maledictio potest esse dupliciter. Uno modo ita quod in malo quod irrogat, vel dicit, per intentionem sistat: & sic maledictio omnibus modis est prohibita. Alio modo ita quod malum quod quis maledicendo imprecatur, ad bonum illius ordinet qui maledicatur: & sic maledictio quandoque est licita, & salutifera; sicut etiam medicus aliquod nocumentum infert infirmo, ut sectionem, per quam ab infirmitate liberetur.

Ad secundum dicendum, quod diabolus incorrigibilis est: & ideo non est susceptibilis alicujus boni per excommunicationis pœnam.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc ipso quod aliquis suffragiis Ecclesiæ privatur, triplex incommodum incurrit, per tria quæ quæ ex suffragiis Ecclesiæ consequitur. Valent enim ad augmentum gratiæ eis qui eam habent, vel ad merendum eis qui non habent: & quantum ad hoc Magister Sententiarum dicit (1) IV. dist. xviii.) quod *gratia Dei per excommunicationem subtrahitur*. Valent etiam ad custodiam virtutis: & quantum ad hoc dicit, quod *proseclio subtrahitur*, non quod omnino a Dei providentia excludatur excommunicatus, sed ab illa protectione qua filios Ecclesiæ specialiori modo custodit. Valent etiam ad defensionem ab hoste: & quantum ad hoc dicit, quod *diabolo major potestas faciendi in ipsum datur & spiritaliter, & corporaliter*. Unde in primitiva Ecclesiâ, quando oportebat per signa homines ad fidem invitare, sicut Spiritus sancti donum visibili signo manifestabatur, ita & excommunicatio corporali veratione a diabolo innotescerat. Nec est inconveniens, si ille qui non est desperatus, hosti detur; quia non datur quasi damnandus, sed quasi corrigendus; cum in potestate Ecclesiæ sit ex ejus manu ipsum,

cum voluerit, eripere.

APPENDIX.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem interimas errores *Joan. Wicleff* dicentis, quod nullus Prælatas debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat cum esse excommunicatum a Deo. Item addentis, quod, si Prælatas excommunicat eum, quem nescit esse excommunicatum a Deo, est ex hoc ipse hæreticus. Item *Joannis Huss.* subscribentis *Joanni Wicleff.* sic: condemnatio quadraginta quinque articulorum *Joannis Wicleff* per Doctores facta est irrationabilis, iniqua, & male facta. Item *Albanensium* dicentium, quod Ecclesiâ non potest excommunicare, & quod non debet malos persequi. Contra hos enim omnes articulus iste sancti Doctoris pugnat, dum pro excommunicando aliquo, adducit solummodo imitationem Ecclesiæ respectu divini iudicii: non autem revelationem specialem de hoc sibi factam, quod iste sit excommunicatus a Deo, & concludit, quod debet Ecclesiâ excommunicare. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores illos merito damnari a Deo, Exo. 22. *maleficos non patieris vivere*. Item ab eodem humanato *Matth. 18. Si autem ecclesiam non audieris, sit sibi, sicut Ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligatæ & in cælo.* Ecce, quod Christus dat auctoritatem excommunicandi, immo per ly *sit sibi sicut Ethnicus*, mandat; ut tanquam excommunicatus vitetur, qui ecclesiæ noluerit obedire: nullam omnino faciens mentionem de speciali revelatione facta divinitus, quod iste sit excommunicatus a Deo, vel quod Prælati ecclesiarum, qui sub persona Apostolorum continen-

A a 2

tinen-

(1) Nempe distinct. 18. lit. G. five §. 7. prope finem: Et colligitur ex Decretis ut sup. causa 11. quest. 3. cap. Audi quod etiam Hieronymo tribuatur, est Origenis tamen quem reddidit latine Hieronymus ut in librum Judicum, homil. 2. videre est: Sic enim ibi: Audi Apostolum dicentem (inquit) de eo qui peccaverat: Tradidi hujusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis ut spiritus salvus fiat: Vides ergo quia non solum per Apostolos suos tradidit Deus delinquentes in manus inimicorum, sed & per eos qui Ecclesiæ præsident, & potestatem habent non solum solvendi sed etiam ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis cum pro delictis suis a Christi corpore separantur. Et (ut mihi videtur) dupliciter etiam nunc traduntur homines de Ecclesiâ in

potestatem Sathani (Dorica dialecto pro diaboli) uno modo quo superius diximus, cum delictum ejus manifestum sit Ecclesiæ & per Sacerdotes de Ecclesiâ pellitur, ut noceat ab omnibus ardeat, & converso convenias id quod sequitur spiritus ejus salvus fiat: Alio autem modo quia traditur Sathani (sive ut supra diabolo) cum peccatum ejus manifestum non sit hominibus; Deus autem qui videt in occulto, perspicit ejus mentem; animam vitii & passionibus servientem, istam talem ipse Dominus tradit Sathani: Quomodo cum tradit Sathani? Discodit a mente ejus & avertit se & refugit a cogitationibus ejus malis, & desideriiis indignis, & relinquat domum cordis ejus vacuam, &c.

finentur, debeant prius scire specialiter, hunc esse excommunicatum a Deo, antequam eundem ipsi excommunicent. Contumacia igitur, secundum Christum, sufficit ad hoc, quod aliquis excommunicetur, quam contumaciam vocavit ipse non audire, id est non obedire Ecclesiæ. Quæcunque igitur jura contumaciam solum adducunt pro ferenda excommunicatione, per hoc damnant errores utriusque Joannis antedicti; & Christo in sententia præmissa subscribunt. Item damn. a Concil. Meldensi. *Nemo Episcoporum quemlibet sine certa, & manifesta causa peccati communionem privet ecclesiastica: quia anathema æternæ mortis est damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illis, qui aliter non potuerunt corrigi.* Hæc ibi, & recitantur 11. quæstio 3. Ecce, quod Concil. nullam prorsus facit mentionem de speciali revelatione; quod iste sit excommunicatus a Deo, antequam ab Ecclesia excommunicetur. Item a Concil. Alvern. sic. *Nullus sacerdotum quemquam recta fidei hominem pro parvis, & levis causis a communionem suspendat: præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri ab Ecclesia iusserunt committentes.* Hæc in 11. quæst. 3. Ubi solummodo excluditur veniale peccatum, ne scilicet quis pro eo excommunicetur. Nota ly *præter eas culpas, pro quibus antiqui, &c.* quod videlicet ibi a Concilio non dicitur, quod expectetur revelatio specialis de excommunicatione hujus a Deo, antequam excommunicetur ab Ecclesia. Item a Concil. Triburiensi sic. „ Certum est, pro his tribus criminibus, aliquem excommunicari debere: cum ad Synodum canonicè vocatus venire contemnit; aut, si postquam illuc venerit, sacerdotalibus respuit obedire præceptis, aut si ante finitam causæ suæ examinationem a Synodo abire præsumit. „ Hæc ibi, & recitantur 11. quæst. 3. Item a, &c. ut quæst. 20. artic. 3. de Concil. Constantiensi contra Vicleff, & quæst. 1. artic. 1. appen. Item a, &c. ut quæst. 2. artic. 2. & quæst. 19. artic. 5. appen. de Concil. Constantiensi contra Huss. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse 1. Cor. 5. „ Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens, eum, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis, & meo spiritu cum virtute Domini, tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis: ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi, Item

„ merito dictum. 11. quæst. 2. Omnis Christianus, dilectissimi, qui a sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? Quia scilicet extra Ecclesiam diabolus est: sicut in Ecclesia Christus. Ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communionem removeretur. Unde illos, quos tunc Apostolus Satanæ esse traditos prædicat, excommunicatos a se esse demonstrat. „ Hæc ibi. Ubi per ly *quasi* non intelligitur, quod per excommunicationem quis revera non tradatur diabolo: sed, quod non traditur ei finaliter damnandus, ut intendit diabolus, sed corrigendus, quod non intendit diabolus. Vide resp. ad 3. Item a Papa Joanne VII. sic. *Engelstrudem nuntium Bosonis noveris, &c. anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, recidit, crebro percussam esse.* Hæc in 3. quæst. 4. Item a Concil. Trident. sessio. 23. cap. 1. de reform. „ Quod si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint; liberum esse vult sacrosancta Synodus ordinariis, per censuras ecclesiasticas, aliaque juris remedia, compellere. Hæc ibi. Item ab eod. sess. 25. cap. 3. de reform. 2. Quod sic, &c. sitque erga judicem contumacia: tunc eos etiam anathematis muerone, arbitrio suo, præter alias pœnas, ferire poterit. Hæc ibi: & infra. „ Licebit judici hoc spiritali gladio in delinquentes uti: si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum, id postulet. „ Hæc ibi. Ex supradictis quoque damnantur errores in principio narrati; quoniam de illa speciali prævia scientia, pro excommunicando aliquo, nulla ibi mentio fit; cum tamen casus licitos excommunicandi intendant canones exprimere, & exprimant. Quarto habes: quomodo per rationem præmissa Patrum, ac scripturarum dicta, pro quanto Ecclesiam decernunt, excommunicare aliquem debere, & intelligas, & probes, & defendas. Quinto vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 83

Utrum aliquis pro aliquo temporali damno debeat excommunicari.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod nullus pro aliquo temporali damno debeat excommunicari. Quia pœna non debet excedere culpam. Sed pœna excommunicationis est privatio alicujus boni spiritualis, quod

quod omnibus bonis temporalibus præminet. Ergo pro temporalibus nullus est excommunicandus -

2. Præterea. Nulli malum pro malo reddere debemus, secundum Apostoli præceptum (Rom. xii.) Sed hoc esset malum pro malo reddere, si pro tali danno quis excommunicaretur. Ergo nullo modo hoc debet fieri.

Sed contra est quod Petrus Ananiam, & Saphiram pro defraudatione pretii agri sententia mortis damnavit (Act. v.) Ergo & Ecclesie licet pro temporalibus damnis excommunicare.

Respondeo dicendum, quod per excommunicationem iudex ecclesiasticus excommunicatos excludit a regno quodammodo. Unde cum non debeat a regno excludere nisi indignos, ut ex definitione clavis patet (quæst. xvii. art. 2.) nec aliquis reddatur indignus, nisi per peccatum mortale caritatem amiserit, quæ est via ducens ad regnum; ideo nullus excommunicari debet nisi pro peccato mortali. Et quia in damnificando aliquem corporaliter, vel in rebus temporalibus, aliquis mortaliter peccat, & contra caritatem facit; ideo pro damno temporali illato Ecclesia aliquem excommunicare potest. Sed quia excommunicatio est gravissima poenarum, poenæ autem medicinae sunt, secundum Philosophum in II. Ethic. (cap. iii. a princ.) sapientis autem medici est a levioribus incipere medicinis, & minus periculosis; ideo excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi contumax fuerit, vel non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem iudicii sine licentia recedendo, vel determinationi non parendo. Tunc enim, postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur; & excommunicari debet a iudice jam non habente quid contra ipsum faciat amplius.

Ad primum ergo dicendum, quod culpæ quantitas non mensuratur ex nocimento quod quis faciat, sed ex voluntate qua quis facit, contra caritatem agens. Et ideo quamvis poena excommunicationis excedat nocumentum, non tamen excedit quantitatem culpæ. (1)

Ad secundum dicendum, quod cum aliquis per poenam aliquam corrigitur, non

redditur ei malum, sed bonum: quia poenæ medicinae sunt, ut dictum est (in corp. art.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem radicatus evellas errorem *Joan. Huss*, ut refert Concil. *Constantiense*, ubi infra, dicentis, quod per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, ad sui exaltationem clericus laicalem populum sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, viam præparat Antichristo. Cum enim, non nisi pro mortali pertinacia vestito, etiam postquam non habuerit ecclesia, quid amplius faciat pro salvando ipso pertinaci, excommunicatio fieri non debeat, ut monstrat articulus, patet jam ex hoc, quod per censuram hanc clericus laicos non suppeditat, sed adjuvat: avaritiam non multiplicat, sed restringit, malitiam non protegit, sed pro suo posse arcet: viam non parat Antichristo, sed Christo. Quod si forte excommunicandi potestate aliquis, quod nescio, abutatur, ea minus circumspicte in ædificationem fidelium exercendo: jam non de excommunicatione, sed de excommunicationis abusu, fit sermo: ac propterea a simili non de censuris ecclesiasticis sed de abusu censurarum: ideoque a formali locutione circa ipsas ad materialem transitur. Quod si ad materialem se transisse, quamvis non parvus error in philosophia etiam id reputetur, dicat *Joannes Huss*, ut articuli præsentis aciem subterfugiat, *incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim*. Intolerabilem enim ex hoc errorem suum esse manifestat coram universo mundo; & hoc in terminis suis. Non enim dicit: quod aliquis clericus, vel aliquis de clero, sed quod clericus, per censuras, & cæt. Quis modo vel mediocriter sciens ignorat, quod inter tot clericos aliqui sint circa usum excommunicationis bene se habentes: & consequenter, quod censurarum abusum omnibus indifferenter clericis attribuere, est non tantum erroneum, sed etiam nimis temerarium? Secundo igitur habes: quomodo per rationem ostendas, errorem prædictum, sive formaliter, sive materialiter sumatur, merito damnari a *Concil. Constantensi sessio. 15.* cujus sententiam damna-

(1) Huc refertur aliquo modo potest quod in Decretis causa 6. qu. 1. c. *Quisquis*, ex *Arcadio & Honorio* ad legem *Juliam majestatis leg. 5.* notatur,

quod eadem severitate voluntatem sceleris eius effectum puniri iura voluerunt.

minatoriam contra Huff vide *quest. 19. artic. 5. appen.* Item a, &c. ut *art. 2. appen. Speciatim Mart. 18.* Non enim Christus potestatem censurarum ibi dedisset Ecclesie, ut patet, si hanc de se esse in destructionem. & non in ædificationem salutis, aut ab omni clero semper abutendam fore scivisset. *Tertio* quomodo per rationem ostendas, merito fuisse a Concilio Tridentino sancitum, quod non nisi magna circumspectione debeat quis excommunicationis gladio uti; & hoc *sess. 25. c. 3. de reform. 2. sic.* „ Quamvis „ excommunicationis gladius nervus sit eccle- „ siasticæ disciplinæ, & ad continendos in of- „ ficio populos valde salutaris: sobrie tamen „ magnaque circumspectione exercendus est, „ cum experientia doceat; si temere, aut „ levibus ex causis incutiat, magis con- „ temni, quam formidari; & perniciem pot- „ tius parere, quam salutem. Quapropter ex- „ communicationes illas, quæ monitionibus „ præmissis, ad finem revelationis, ut ajunt, „ aut de perditis, seu subtractis rebus ferri „ solent, a nemine prorsus, præterquam ab „ Episcopo, decernantur, & tunc non al- „ ias, quam ex re non vulgari, causaque „ diligenter, ac magna maturitate per Epi- „ scopum examinata, quæ ejus animum mo- „ veat: nec ad eas concedendas cujusvis sæ- „ cularis etiam Magistratus auctoritate ad- „ ducatur, sed totum hoc in ejus arbitrio, & „ conscientia sit positum: quando ipse pro re, „ loco, persona, aut tempore eas decernendas „ esse judicaverit in causis vero judicialibus „ mandatur omnibus iudicibus ecclesiasticis, cu- „ juscunque dignitatis existant, ut, quandocun- „ que executio realis, vel personalis in quali- „ ber parte iudicii propria auctoritate ab ipsis „ fieri poterit, abstineant se tam in proce- „ dendo, quam in definiendo a censuris ec- „ clesiasticis, sed liceat eis, si expedire vi- „ debitur, in causis civilibus ad forum ec- „ clesiasticum quomodolibet pertinentibus „ contra quoscunque, etiam laicos, per „ multas pecuniarias, quæ locis piis ibi „ existentibus, eo ipso, quod exactæ fuerint, „ assignentur, seu per captionem pignorum, „ personarumque distractionem, per suos pro- „ prios, aut alienos executores faciendam, „ sive etiam per privationem beneficiorum, „ aliaque juris remedia, procedere, & cau- „ sas definire. „. Hæc ibi. Item, merito „ fuisse dictum a conciliis multis, &c. *art. 2. appen.* Item, merito fuisse insinuat, quod „ medicinæ sunt a Papa Innoc. IV. in Conc. „ Lugdunensi. *Cum medicinalis sit excommunica-*

tio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, caute provideat iudex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat, se prosequi, quod corrigentis fuerit, & medentis, &c. & hæc eadem in suspensionis & interdicti sententiis volumus observari. Hæc ibi, & recitatur de sententia excommunic. in 6. Per hoc ergo etiam a simili colligitur, quod suspensionis, & interdicti pœnæ sunt medicinales. Item a Conc. Arelatensi 2. cap. 30. *Secundum instituta seniorum, si a communione sacerdotali fuerit auctoritate suspensus episcopus, hunc non solum a clericorum, sed etiam a totius populi colloquio, atque convivio placuit excludi: donec respiciens ad sanitatem redire festinet.* Hæc ibi. Ex prædictis confunditur etiam Huff, ut bene consideranti, & applicanti patet. Non enim tantum laicalis populus censuris ecclesiasticis, sed & Episcopus, quando opus est, corripitur, quod utique est signum evidenter ejus errores destruens. Item a Concilio Carthaginensi primo, cap. 3. *Persuasio interdum prudentes solet arcere a peccatis: dum imprudentes debet metus hujuscemodi infringere, si sanum consilium respuunt, & salutare mandatum. Si ergo laici sunt: post monitionem, si contempserint, a communione separentur.* Hæc ibi. Propter *ly debes*, facit multum ad confirmationem articuli secundi: item *ly arcere a peccatis*, monstrat, quod sunt medicinæ, quantum est de se, & de intentione ecclesie excommunicantis, vel alias censuras inferentis, licet ex defectu excommunicatorum, vel aliter censorum quandoque mors sequatur horribilior. Sed tamen, etiam tunc, medicinæ sunt: quia in salutem aliorum videntium, utilique timore inde concussorum, proficiunt. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto aliquem sic, vel sic pro damno temporali dicunt posse excommunicari, & intelligas, & probes, & defendas. *Quinto* vides, quomodo &c.

A R T I C U L U S I V. 84

Utrum excommunicatio injuste lata aliquem effectum habeat.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod excommunicatio injuste lata nullo modo effectum habeat. Quia per excommunicationem protectio, & gratia Dei subtrahitur: quæ non potest injuste subtrahi. Ergo excommunicatio injuste lata non habet effectum.

2. Præ-

2. Præterea. Hieronymus dicit (1) quod est de supercilio Phariseorum, astimare esse ligatum, vel solutum, qui ligatur, vel solvitur injuste. Sed eorum supercilium erat superbum, & erroneum. Ergo excommunicatio injusta nullum habet effectum.

Sed contra. Secundum Gregorium (hom. xxvi. in Evang. cir. med.) sententia Pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est. Non autem esset timenda, nisi aliquid noceret etiam injusta. Ergo &c.

Respondeo dicendum, quod excommunicatio potest dici injusta dupliciter. Uno modo ex parte excommunicantis; sicut cum ex odio, vel ex ira aliquis excommunicat: Et tunc excommunicatio nihilominus habet effectum suum, quamvis ille qui excommunicat, peccet: quia iste juste patitur, quamvis ille injuste faciat. Alio modo ex parte ipsius excommunicationis, vel quia causa excommunicationis est indebita, vel quia fertur sententia, juris ordine prætermisso: & tunc si sit talis error ex parte sententiæ, qui sententiam nullam esse faciat, non habet effectum; quia non est excommunicatio; si autem talis error non annullat sententiam, habet effectum suum; & debet excommunicatus humiliter obedire (& erit ei ad meritum) & vel absolutionem petere ab excommunicante, vel ad superiorem judicem recurrere. Si autem contemneret, eo ipso mortaliter peccaret. Contingit autem quandoque quod sit debita causa ex parte excommunicantis, quæ non est debita ex parte excommunicati; sicut cum aliquis pro falso crimine in judicio probato excommunicatur: & tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnus.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis homo gratiam Dei injuste amittere non possit; potest tamen amittere illa injuste quæ ex parte nostra sunt, quæ ad gratiam Dei disponunt; sicut patet si subtrahatur alicui doctrinæ verbum, quod ei debetur. Et hoc modo excommunicatio gratiam Dei subtrahere dicitur, ut ex prædictis patet (art. 2. hu. quest. ad 3.)

Ad secundum dicendum, quod Hieronymus loquitur quantum ad culpam, & non quantum ad penas, quæ possunt etiam injuste infligi a rectoribus Ecclesiarum. (2)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas errores Jo: Hussi (ut refert Concilium Constantiense) infra dicentis, quod sacerdos vivens secundum legem Christi, & habens notitiam Scripturæ, & affectum ad ædificandum populum, debet prædicare, non obstante prætenfa excommunicatione. Item ejusdem dicentis, quod quilibet prædicantis officium de mandato accipit, quæ ad sacerdotium accedit; & illud mandatum debet exequi, non obstante excommunicatione. Item Joannis Wicleff pejus dicentis, quod illi, qui dimittunt prædicare, sive audire verbum Dei, propter excommunicationem hominum; sunt excommunicati, & (secundum Præs.) addentis, quod in die judicii habebuntur Antichristi, & proditores. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, errores hos merito damnari a Concilio Constantiensi. sess. 8. contra Wicleff, & 15. contra Hussi, cujus sententiam damnatoriam lege supra qu. 20. ar. 3. de Wicleff, & quest. 19.

19.

(1) Super illud Matth. 16. Tibi dabo claves regni cælorum: Et quodcumque solveris &c. Ubi paulo aliis verbis istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Phariseorum assumunt supercilio ut vel damnent innocentes vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum sed reorum vita queratur, &c. Sequens autem appendix Gregorii, refertur ut hic in Decretis cap. Sententia, Causa. 11. qu. 3. Sed aliter in Gregorii textu homil. 26. super Evangelia circa medium: Sub magno moderamine Pastores Ecclesie vel solvere studeant vel ligare: Sed utrum juste an injuste obliget Pastor, Pastoris ratione sententia grægi timenda est; ne is qui subest & cum injuste forsitan ligatur ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscretus timeat vel ligare: Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injuste, nec Pastoris sui judi-

cium temere reprehendas; ne est: injuste ligatus est, ex ipsa sumide reprehensionis superbia culpa qua non erat fiat.

(2) Non quod sic possint ut licite infligant cum injuste infligunt, quæ hoc moraliter posse intelligantur, sed quia contingere potest ut sic infligant, quod est eos physice posse, quantumcumque non possint moraliter. Nec tamen ut dicantur illud facere non injuste alia certitudo quam præsumptiva requiritur qua justum putent ut sic faciant, quia sufficientem causam sibi subesse arbitrantur: Unde inter assertiones Joannis Wicleff in Concilio Constantiensi sess. 8. sicut supra damnatas undecima est, Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare nisi prius scias esse excommunicatum a Deo; & qui sic excommunicat, est hereticus: Et 30. impudenter adhuc: Excommunicatio Papa vel cujus curie Prælatus non est timenda, quia est consueva Antichristi.

19. a. 5. de Huss, *append.* Item a Concilio *Latetan.* sub *Leone X.* sess. 11. ubi Leo post alia multa subdit: „ Sacro approbante Concilio statuimus, & ordinamus, ut nullus, tam clericus secularis, quam cujuscunque etiam mendicantium ordinis regularis, aut quivis alius, ad quem facultas prædicandi, tam de jure, quem de consuetudine, vel privilegio, aut alias pertinet, ad hujusmodi officium exercendum admittatur, nisi per superiorem suum diligenter examinatus, ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplo ad illud opus idoneus reperiatur. Et hic quocumque postea prædicaturus accesserit, de hujusmodi examine, & idoneitate sua per litteras, seu alias sui examinatoris, approbatorisque Episcopis, & aliis locorum ordinariis fidem legitime faciat, &c. Si qui autem contra præmissorum aliquid committere, quicquam ausi fuerint, excommunicationis sententiam incurraant, a qua non nisi a Romano Pontifice absolvantur, & ut horum exemplo alii attendere similia minime audeant, eis prædicationis officium interdictum esse perpetuo decernimus, non obstantibus quibuscunque privilegiis, „ &c. Hæc ibi. Leo autem Decimus post Concilium Constantiense, quod damnavit ipsos Wicleff, & Huss & consequenter per hoc, quod excommunicationem de novo profert, ut supra, demonstrat, quod loquitur contra errores, qui ab Wicleff, & Huss prodierunt, & eos damnat. Item a Concil. *Trident.* sess. 25. cap. 3. de reforma. 2. *Si obdurato animo censuris annexas in illis per annum inforduerit: etiam contra eum, tanquam de hæresi suspectum procedi possit.* Hæc ibi. Item a, &c. ut supra *ar. 1. appen.* ubi ostenditur, quam timenda sit excommunicatio. Adde, quod tales excommunicati, etiam de suspitione hæresis per Concil. *Trident.* notantur modo jam dicto: & consequenter perpende hinc, quanti terroris sit excommunicari, vel etiam excommunicationi non obedire. Item a Concilio *Triburiensi* cap. 3. sic: „ Idcirco non potentiam ostendentes, sed justitiam exhibentes præcipimus, & auctoritate nostra injungimus omnibus regni nostri Comitibus, postquam ab Episcopis anathemate excommunicationis percussuntur, & tamen ad pœnitendum non inclinantur, ut ab ipsis comprehendantur: ut, qui divinum judicium non verentur, humana sententia feriantur. „ Hæc ibi. Item a Papa *Eugenio Secundo* ex Concilio *Rhemensi*; sic,

„ Qui excommunicato, donec ab eo, qui eum excommunicaverat, vel ab alio auctoritate Sedis Apostolicæ solvatur, scilicet, ter communicare præsumperit, excommunicationis sententia ipsum teneri censetur. „ Hæc ibi. Auditores ergo prædicatoris excommunicari notorie, antequam absolvatur, videntur excommunicati per Eugenium, Item a Concilio apud Palatium Vernis cap. 9. sic: *Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare minime poterit, Regis judicio exilio condemnatur.* Hæc ibi; ubi in contextu est locutio de excommunicatione. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas; merito dictum fuisse a Papa *Gregorio II.* *quæst. 3. Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.* Hæc ibi. Ubi insinuatur, quod excommunicatio injusta quandoque habet suum effectum, qui effectus multum timendus. De quo effectum in *art. 1.* & in *Concil.* apud Palatium Vernis cap. 9. „ *Ut sciatis, qualis sit modus istius excommunicationis, in ecclesiam non debet intrare, nec cum ullo christiano cibum, vel potum sumere, nec ejus munera accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se jungere, nec salutare, antequam ab Episcopo suo fuerit conciliatus.* Hæc ibi. *De quo etiam effectum loquitur est Gregorius nonus de sentent. excommunicati. Si quem, &c.* „ a iudice excommunicari contingat, dicendum est, eum, non tantum minori, quæ a perceptione sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione, quæ a communionem fidelium separat, esse ligatum. „ Hæc ibi. *Quarto* habes: quomodo per rationem præmissa dicta Patrum, pro quanto excommunicationem injustam dicunt esse timendam, vel effectum suum habere, vel non contemnendam, sed humiliter observandam, & intelligendam, & probam, & tætaris. *Quinto* vide: quomodo &c.

QUESTIO XXII.

De his qui possunt excommunicare, & excommunicari,

In sex articulos divisa.

DEinde considerandum est de his qui possunt excommunicare, & excommunicari. Circa quod quærentur sex.

Primo, utrum quilibet sacerdos possit excommunicare.

Secundo, utrum non sacerdos excommunicare possit.

Tertio

Tertio, utrum excommunicatus, vel suspensus possit alium excommunicare.

Quarto, utrum aliquis seipsum, vel æqualem, vel superiorem possit excommunicare,

Quinto, utrum aliqua universitas excommunicari possit.

Sexto, utrum semel excommunicatus excommunicari possit ulterius.

ARTICULUS I. 85

Utrum quilibet sacerdos possit excommunicare.

AD primum sic proceditur. Videtur quod quilibet sacerdos possit excommunicare. Excommunicatio enim est actus clavium. Sed quilibet sacerdos habet claves. Ergo quilibet sacerdos potest excommunicare.

2. Præterea. Maius est absolvere, & ligare in foro pœnitentiæ quam in foro iudicii. Sed quilibet sacerdos potest sibi subditos in foro pœnitentiæ absolvere, & ligare. Ergo etiam potest sibi subditos quilibet sacerdos excommunicare.

Sed contra. Ea in quibus imminet periculum, sunt majoribus reservanda. Sed pœna excommunicationis est valde periculosa,

Sum.S.Th.Tom.XIII.

nisi cum moderamine fiat. Ergo non debet cuilibet sacerdoti committi.

Respondco dicendum, quod in foro conscientie causa agitur inter hominem & Deum (1); in foro autem exterioris iudicii causa agitur hominis ad hominem. Et ideo absolutio, vel ligatio quæ unum hominem obligat quoad Deum tantum, pertinet ad forum pœnitentiæ, sed illa quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicii pertinet. Et quia homo per excommunicationem a communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exteriorius pertinet. Et ideo illi soli possunt excommunicare qui habent jurisdictionem in foro iudicali. Et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, & majores prælati secundum communioem opinionem possunt excommunicare; sed presbyteri parochiales non nisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus; sicut in furto, & rapina, & huiusmodi, in quibus est eis a jure concessum quod excommunicare possint. (2) Ahi autem dixerunt, quod etiam sacerdotes parochiales possunt excommunicare. Sed prædicta opinio est rationabilior,

Ad primum ergo dicendum, quod ex-

Bb

com-

(1) Quia licet etiam confessio ad absolutionem impetrandam homini fiat, & ab homine absolutio detur, non tamen audit confessionem aut absolvit ut homo sed ut Deus quasi personam Dei representans; ut superius notatum est cum de confessione ageretur.

(2) Sic intelligi potest quod Eugenius Papa extra de officio iudicis ordinarii cap. Si sacerdos decernit quod si Sacerdos scias pro certo aliquem esse reum alicujus criminis, vel si confessus fueris & emendare nolueris, nisi iudiciario ordine quis probare potueris, non debet cum arguere nominatim sed indeterminate sicut dixit Christus, unus vestrum me traditurus est, sed si ille cui damnatum illatum est peccatis iustitiam; potest excommunicare auctorem damni, &c. & ca. Cum ab Ecclesiis in eadem tit. Alexander 3. Episcopo Florantino rescribit: Cum ab Ecclesiis Prelatis Ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur, rata debet & firma consistere, & usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari: Quapropter mandamus quatenus si quando Plebanus Sancti Pancratii in Clericos vel laicos parochianos suos excommunicationis sententiam rationabiliter euleris ipsam satis inviolabiliter observari, & eam sine congrua satisfactione & absque ejusdem Plebani conscientia non relaxes, Idem absque consilio & inconfulto illo &c. Ut & cap. Nemo, in Decretis Causa 2. qu. 1. ex libro Constitutionum: Nemo Episcopus, nemo Presbyter excommunicat aliquem aequam causa probetur propter

quam Ecclesiastici Canones hoc fieri jubent. Nec Archidiaconos porro aut Legatos de quibus mox agitur, sine concessione speciali hoc posse indicatur de officio Archidiaconi cap. Archidiacono, ex Alexandro 3. ac de officio Legati cap. Quod translationem ex Innocentio 3. & Excommunicatis ex Gregorio 3. Cæterum quovis jure inferiores Episcopis excommunicare supponatur, id solemniter tamen soli Episcopi præstare possunt iuxta ritum notatum in Decretis Causa 11. qu. 3. cap. Detenti, ex Zacharia Papa, ut Ostiensis & Raymundus in Summa sua notant respective, ubi & huius posterioris Commentator dicitur dominicales excommunicationes quæ a Parochis fiunt eatenus valere tantum ait quatenus illis non contradicit Episcopus & sic interpretative permittit. Alioqui proprie ad solum Episcopum pertinet hæc potestas: Uade Causa 16. quæst. 2. cap. Visse excommunicatio numero Episcopi dicitur, ut & cap. Corripiantur Causa 24. ex Augustino lib. de correptione & gratia cap. 25. Episcopale iudicium. Quia porro electi Episcopi ea libere possunt exercere quæ ad jurisdictionem pertinent, sicut est excommunicatio, ut cap. Transmissum Extra de electione Celestinus 3. dicit, potest autem eligi non Sacerdos in Episcopum, licet Episcopale officium (quod est ordinis) sine alicuius ministerio non valeat adimpleri, ut Innocentius 3. cap. Ex literis Extra de excessibus Prælatorum loquitur, patet quod excommunicare interdum possit etiam non sacerdos.

communicatio non est actus clavis directe, sed magis respectu exterioris iudicii. Sed sententia excommunicationis, quamvis in interiori iudicio promulgetur, quia tamen aliqua modo pertinet ad aditum regni, secundum quod Ecclesia militans est via ad triumphantem; ideo etiam talis iurisdictio, per quam homo excommunicare potest, clavis potest dici. Et secundum hoc a quibusdam distinguitur, quod est clavis ordinis, quam omnes sacerdotes habent; & clavis iurisditionis in foro judiciali, quam habent soli iudices exterioris fori. Utramque tamen Deus Petro contulit Matth. xvi. & ab ipsa in alios descendit, qui utramvis habent.

Ad secundum dicendum, quod sacerdotes parochiales habent quidem iurisditionem in subditos suos quantum ad forum conscientie, sed non quantum ad forum iudiciale: quia non possunt conveniri coram eis in causis contentiosis. Et ideo excommunicare non possunt, sed absolvere possunt in foro poenitentiali. Et quamvis forum poenitentiali sit dignius; tamen in foro judiciali maior solemnitas requiritur, quia in eo oportet quod non solum Deo, sed etiam homini satisfiat.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem disicias errorem *Antidiaphoristarum* dicentium: quod episcopi nullam habent iurisditionem. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illum merito damnari a Conc. *Antiocheno*, sic „. Si quis „ presbyter, vel diaconus, vel quilibet clericus deserta ecclesia sua ad aliam transeundum esse crediderit, & ibi paulatim teneat, quo migraverit, perpetua manere, ulterius ministrare non debet, praesertim si ab episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quod si post evocationem sui Episcopi non obedierit, sed inobediens perseveraverit, omnimodo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere, decernimus. Si vero propter hanc culpam depositum alius Episcopus susceperit, & ipse a communi Synodo poenam merebitur increpationis, tanquam ecclesiastica jura dissolvens „. Hæc ibi, & recitantur 7. q. 1. Nota ly *jura ecclesiastica*, Ergo Episcopus habet iurisditionem, secundum Conc. & unusquisque distinctam a iurisditione alterius. Facit & hoc Conc. pro q. 21. a. 2. cum ecclesiam

excommunicare debere aliquem dicat. Item a Leone Papa ad *Anastasio* Thessalonicensem episcopum sic „. Si quis Episcopus, suæ civitatis mediocritate despecta, administrationem celebrioris loci ambierit, & ad majorem se plebem quacunque ratione transfulerit: a cathedra quidem pellatur aliena, sed & carebit propria, ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis contentus quisque sit, nec supra mensuras juris sui affectet augeri „. Hæc ibi, & recitantur 7. q. 1. Nota ly *mensuras juris sui*: ex quo dicto infer, ut supra. Item a *Callisto* Papa I. ep. 2. ad omnes Galliarum Episcopos, sic „. Nemo alterius terminos usurpet, nec alterius parochianum iudicare, aut excommunicare præsumat, quia talis iudicatio, vel ordinatio, aut excommunicatio, vel damnatio, nec rata erit, nec vires ullas habebit, quoniam nullus alterius iudicis, nisi sui, sententia tenebitur, aut damnabitur, &c. Sed hoc observet, quod ab Apostolis, ac patribus & prædecessoribus nostris est statutum, & a nobis confirmatum, idest si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam, sine consilio, ac voluntate communitatis provincialium Episcoporum extra aliquod agere tentaverit, gradus sui periculo subiacet, &c. Nullus ad possessionem accedat (quæ ad eum non pertinet, & alterius Episcopi est parochia) super eujusquam dispositione: nisi vocatus ab eo, cujus juris esse dignoscitur: aut quicumque ibi disponat, vel ordinet, aut iudicet „. Hæc ibi. Nota ly *iudicis*, & ly *juris*; quoniam his verbis ad litteram iurisdictio Episcopis assignata, & quidem ab Apostolis ipsis &c. (ut ibi) decernitur. Item a Papa *Martino V.* in Conc. *Constantiensi* sess. 43. de exemptionibus. *Attendentes*, quod, &c. nonnullas ecclesias, monasteria, capitula, conventus, beneficia, &c. a iurisditionibus ordinariarum, &c. nullatenus exempta de novo a dictorum ordinariarum iurisditionibus exemptum, &c. subiciebantur ordinariæ iurisditioni, &c. Sacra approbante concilio, revocamus: ecclesias, monasteria, & alia loca prædicta in pristinam ordinariarum iurisditionem reducimus. Hæc ibi. Item a Conc. *Trid.* sess. 6. c. 5. de refor. Item ab eod. sess. 14. c. 7. de pan. & c. 2. de refor. Item ab eodem sess. 25. c. 6. de refor. 2. & c. 17. ibid.

Tertia

A P P E N D I X.

Tertio habes; quomodo per rationem ostendas, merito dici, *extra de off. jud. ord.* quasi per totum, quod Episcopi possunt excommunicare. Quod etiam facit ad *q. 21. art. 2.* ubi statuitur per Concilia hoc idem, sc. quod excommunicare possunt. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto episcopos jurisdictionem habere, & posse excommunicare, & sine jurisdictione excommunicationem non valere insinuant, & intelligas, & declares, & defendas. *Quinto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 86

Utrum non sacerdotes excommunicare possint.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod non sacerdotes excommunicare non possint. Quia excommunicatio est actus clavium, ut in IV. Sententiarum (dist. xviii.) dicitur. Sed non sacerdotes non habent claves. Ergo excommunicare non possunt.

2. Præterea. Plus requiritur ad excommunicationem quam ad absolutionem in foro pœnitentiæ. Sed non sacerdos in foro pœnitentiæ absolvere non potest. Ergo nec excommunicationem inferre.

Sed contra est quod Archidiaconi, Legati, & Electi excommunicant: qui quandoque non sunt sacerdotes. Ergo non solum sacerdotes excommunicare possunt.

Respondeo dicendum, quod sacramenta, in quibus gratia confertur, dispensare ad solos sacerdotes pertinet: & ideo ipsi soli possunt absolvere, & ligare in foro pœnitentiæ. Sed excommunicatio non directe respicit gratiam, sed ex consequenti, in quantum homo suffragiis Ecclesiæ privatur, quæ ad gratiam disponunt, vel in gratia conservant. Et ideo etiam non sacerdotes, dummodo jurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare,

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis non habeant clavem ordinis, habent tamen clavem jurisdictionis.

Ad secundum dicendum, quod ista duo se habent sicut excedentia, & excessa: & ideo alicui competit unum cui non competit aliud.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte *Matth. 18.* insinuatum fuisse, quod etiam non sacerdotes possunt excommunicare, maxime si addideris *Matth. 26.* Insinuatum autem est hoc per *ly Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in celo.* Nam hic secundum planum contextum, *sic tibi sicut ethnicus,* loquitur de excommunicandi potestate, & loquitur ad non sacerdotes. Discipuli enim nondum sacerdotes erant, sed postmodum facti sunt, *Matth. 26.* in ultima cœna. Per hoc igitur, quod excommunicandi potestatem tradit discipulis multo ante ultimam cœnam, manifestat, quod non sacerdotibus potest convenire excommunicandi potestas. Et vide differentiam. Quando eis datus est clavem fori pœnitentiæ, expectat, quod sint sacerdotes, & illis postea ipsam dat, dicens *Joan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c.* Hoc autem fit ad denotandum, quod potestas dimittendi peccata non potest, neque etiam ex commissione, convenire laico quantumcunque sancto. Quod facit *pro quest. 8. art. 1. & 2. & question. 19. artic. 3. & 4.* Item habes: quomodo per rationem ostendere possis, merito esse dictum in Decretis distinction. 5. perlectis. *Solicitude quoque parochiarum, & ordinatio, & jurgia ad ejusdem archidiaconi pertinent curam.* Hæc ibi. Unde argumentum trahitur, secundum *glossam*, quod Archidiaconi, licet non sint sacerdotes, possunt suspendere, & excommunicare, nisi consuetudo sit in contrarium, tanquam habentes potestatem, ordinariam. Nemini autem dubium est: quod & his, & quod plus est, laicis potest excommunicandi facultas convenire ex commissione Summi Pontificis, ut argumentum est illud *Alexand. II. Præter hoc, &c. Ubi enim principia harum auctoritatum, &c. Scribit prædecessor noster Gregorius Rodulpho, & Bérulpho ducibus, &c. Quantum potestis, tales a sanctis ministeriis, ubi oportuerit, prohibeatis, &c.* Hæc ibi, & recitantur *dist. 32.* Ex commissione, dixi, summi Pontificis, quia alias jure suo non potest laicus excommunicare, ut dicitur a Synodo quadam recitata a Papa *Symmacho*, *dist. 96. Bene quidem, &c. Sancta Synodus dignetur edicere, si licuerit laico homini anathema in ordinem ecclesiasticum dictare, &c. Sancta Synodus dixit: Non licuit.* Hæc ibi: *Secundo* habes:

habes: quomodo per rationem dicta Evangelica, &c. pro quanto etiam non sacerdotes excommunicare posse insinuant, & intelligas, & probes, & tuearis. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 87

Utrum excommunicatus, vel suspensus possit alium excommunicare.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod excommunicatus, vel suspensus possit alium excommunicare. Ille enim qui est excommunicatus, vel suspensus, neque ordinem, neque jurisdictionem amittit: quia neque reordinatur, cum absolvitur, neque cura iterum ei committitur. Sed excommunicatio non requirit nisi ordinem, vel jurisdictionem. Ergo etiam excommunicatus, vel suspensus excommunicare potest.

2. Præterea. Majas est conficere corpus Christi quam excommunicare. Sed tales conficere possunt. Ergo & excommunicare.

Sed contra. Ligatus corporaliter non potest alium ligare. Sed vinculum spirituale est fortius quam corporale. Ergo excommunicatus non potest alium excommunicare; cum excommunicatio sit vinculum spirituale.

Respondeo dicendum, quod usus jurisdictionis est in comparatione ad alium hominem. Est ideo cum omnis excommunicatus a communione fidelium separetur, quilibet excommunicatus usu jurisdictionis privatur. Et quia excommunicatio est jurisdictionis, ideo excommunicatus excommunicare non potest: & eadem ratio est de suspensio a jurisdictione. Si enim sit suspensus ab ordine tantum, tunc non potest ea quæ sunt ordinis, sed potest ea quæ sunt jurisdictionis; & e contra si sit suspensus a jurisdictione, & non ab ordine, non potest ea quæ sunt jurisdictionis, sed potest ea quæ sunt ordinis;

si autem ab utroque, tunc neutrum potest. (*).

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis excommunicatus, vel suspensus non amittat jurisdictionem, amittit tamen jurisdictionis usum.

Ad secundum dicendum, quod conficere consequitur potestatem characteris, qui indelebilis est: & ideo homo ex quo characterem ordinis habet, semper potest conficere, licet non semper ei liceat. Secus autem est de excommunicatione; quæ jurisdictionem sequitur, quæ auferrî potest, & ligari.

APPENDIX.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum Marth. 18. *Si Ecclesiam non audieris, sit tibi, sicut ethnicus. Quæcumque alligaveritis super terram, &c.* Hic enim insinuat, quod excommunicatus non potest excommunicare. Auctoritas enim excommunicandi, ut patet ibi, datur Ecclesæ: unde inquit: *si Ecclesiam non audieris*. Quasi dicat, qui excommunicatus est alium, debet esse de Ecclesia. Cum igitur excommunicatus sit extra Ecclesiam, sequitur ab oppositis, esse de mente Evangelii, quod excommunicatus non potest excommunicare. Item habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuat, esse supra, *quest. 19. art. 6. vel qu. 20. ar. 3. append.* per Decreta Patrum, quod excommunicatus non potest excommunicare. Vide ibi ex *24. qu. 1.* citata ad litteram. *cap. Audivimus, cap. Aperte, cap. Miramur.* His nunc ex eadem *qu. 1.* addas *cap. Ait Cælestinus.* Quamvis enim de hæreticis loquatur secundum planissimum sensum, tamen adducta ibi ratio itidem verificatur de excommunicatis, idipsumque concludit. Introducebat nanque, quod quidam hæ-

(*) *Nicolaus hæc addit in sextu.* Hinc Cælestinus Papa scribens ad Episcopos Orientales (ut in Decret. caus. xxiv. quest. 1. cap. Hæc refert Nicolaus I.) hæc decernit. „ Si quis ab Episcopo Nestorio excommunicatus est, vel exutus clerici aut Antistitis dignitate, hunc in nostra communione dure manifestum est, nec judicamus eum remotum: quia non poterat quemquam eius removere sententia qui se iam præbuerat ipse removendum. „ Et cap. *Miramur* Nicolaus prædictus paulo infra: „ *Miramur* quomodo excommunicati, ad iudicandum recepti sint, cum secundum apostolicos canones in

„ communione sola sine commendatitiis litteris recipi prohibeantur. Absurdum enim est ut cui non licet etiam cum minimis iuxta sacras regulas communicare, liceat penes vos etiam de maioribus iudicare. „ Ut & cap. *Audivimus* ibidem Adrianus II. Valeriano Episcopo & postea Martyri scribens: „ *Audivimus* (inquit) quod Henricus dictus Ravensannas Archiepiscopus visus sit te excommunicare. „ Verum quia excommunicatus excommunicare te non potuit, apostolica auctoritate te tuosque ab solvendo mandamus exinde nunquam curare &c. „

hæreticus jam ab Ecclesia per excommunicationem remotus excommunicavit quendam alium: & respondet ipse Papa, quod talis ab eo excommunicatus non est excommunicatus. *Nec judicamus*, inquit, *cum esse remotum, quia non poterat quemquam ejus removere sententia, qui jam se præbuerat ipse removendum.* Hæc ille ibi. Ecce, quod Papa in hoc, quod ab Ecclesia remotus est, fundat vim rationis suæ: & in hoc excommunicatus, licet non est hæreticus, convenit cum hæretico, quandoquidem ab Ecclesia remotus est. Simili modo alia ibi, ut supra, citata expendas, & intelligas. Immo, excommunicatio tunc est nulla, quando fertur ab excommunicato secundum *glos. Sexti Decretalium, titul. de sentent. excommunicat. capis. Præsenti*, ubi multa in suum favorem citat ipsa glossa. *Secundo* habes: quomodo per rationem suprascripta Scripturatum, & Patrum, pro quanto excommunicatum innuunt excommunicare non posse, & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides quomodo &c.

ARTICULUS IV. 88

Utrum aliquis possit seipsum, vel æqualem, vel superiorem excommunicare.

S. Thom. IV. dist. XVIII. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. & seq.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod aliquis possit seipsum, vel æqualem, vel superiorem excommunicare. Quia Angelus Dei major erat Paulo. *Matth. xi. 11. Qui minor est in regno caelorum, major est illo, quo nemo inter natos mulierum major.* Sed Paulus excommunicavit Angelum de caelo, ut patet *Galat. 1. (1)* Ergo homo potest superiorem excommunicare.

2. Præterea. Sacerdos aliquando excommunicat in generali pro furto, vel pro aliquo hujusmodi. Sed potest contingere quod ipsemet fecit, vel superior, aut æqualis. Ergo aliquis potest se, vel æqualem, vel superiorem excommunicare.

3. Præterea. Aliquis potest superiorem absolvere in foro pœnitentia, vel æqualem, sicut cum Episcopi suis subditis consentitur, & cum unus sacerdos alteri venialia confitetur. Ergo videtur, quod etiam excommunicare aliquis superiorem, vel æqualem possit.

Sed contra. Excommunicatio est actus jurisdictionis. Sed aliquis non habet in se jurisdictionem, quia in eadem causa non potest quis esse iudex, & reus, nec iterum in superiorem, vel æqualem. Ergo non potest aliquis superiorem, vel æqualem, aut se excommunicare.

Respondet dicendum, quod cum per jurisdictionem aliquis constituatur in gradu superioritatis respectu ejus in quem habet jurisdictionem, quia iudex est ejus; ideo nullus habet in seipsum, vel in superiorem, vel æqualem jurisdictionem: & per consequens nullus potest seipsum excommunicare, vel superiorem, aut æqualem.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus loquitur sub hypothese, id est si poneretur Angelus peccare: (2) sic enim non esset Apostolo superior, sed inferior. Nec est inconveniens quod in conditionalibus, quarum antecedentia impossibilia sunt, & consequentia impossibilia sint.

Ad secundum dicendum, quod in tali casu nullus excommunicatur, quia par in parem non habet imperium.

Ad tertium dicendum, quod absolutio, & ligatio in foro confessionis est quoad Deum tantum, apud quem aliquis alio superior redditur inferior per peccatum; sed excommunicatio est in iudicio

(1) Ubi vers. 8. ait: *Licet nos aut Angelus de caelo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*, Quod ad bonos Angelos referendum indicat Hieronymus, ut & Theodoretus ibi, sed expressius Chrysostomus qui & proinde notat non simpliciter Angelum sed Angelum de caelo dici, ut supernus intelligatur: Quin Cyprianus quoque lib. 2. epist. 3. cum ait quod aliter quam Christus docere is Angelus non potest &c. Commentarius tamen Ambrosii nomine ascititio insignitus de diabolo Angelum Dei se fingente interpretatur; ac de utroque (bono & malo) S. Thomas.

(2) Vel sicut Hieronymus loquitur ubi supra,

potest hyperbolice dictum accipi, non quod aut Apostolus aut Angelus aliter potuerint predicare quam semel dixerant; sed etiam si hoc possit fieri, ut & Apostoli & Angeli mutarentur, tamen non esset ab eo quod semel acceptum fuerat, recedendum. Addit ibidem quoque quod eleganter Tertullianus vir doctissimus adversus Apellem & ejus Philumenem quam Angelus quidam diabolici spiritus impleverat, hunc esse scribit Angelum cui multo antequam Apellos nesciretur, Spiritus sancti varietate sit anathema per Apostolorum prophetatum. Philumenem tamen id est dilectam (φίλιμη) Severo non Apelli tribuit Augustinus lib. de hæresibus hæc. 23. & 24.

cio exteriori, in quo aliquis non amittit superioritatem ex hoc ipso quod peccat. Unde non est similis ratio de utroque foro. Et tamen etiam in foro confessionis aliquis non potest seipsum absolvere, nec superiorum, aut æqualem de mortali, nisi ex commissione sibi facta. De venialibus autem potest: quia venialia ex quibuslibet sacramentis gratiam conferentibus remittuntur: unde remissio venialium sequitur potestatem ordinis.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam fuisse a Papa Innocentio III. quod non potest quis excommunicare semetipsum, æqualem, vel superiorem. Hoc autem insinuavit tunc radicaliter, quando dixit Archiep. Cantuariensis scribens, & habetur de elect. & elect. potest. cap. Innotuit: „Quamvis canon Lateranensis Concilii ab Alexandro editus non legitime genitos adeo persequatur, quod electionem talium innuat nullam esse: nobis tamen per eum adempta non fuit dispensandi facultas, cum ea non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari potestate, immo eadem potestate functuris: cum non habeat imperium par in parem. „Hæc ibi. Unde li- quido patet, quod Concilium unum generale per censuras a se latas non intendit ligare, neque ligat Concilium generale posterius; ut dicit S. Th. determinans, quod in symbolo fidei licite explicatum fuit *ly Fidoque*, etiam stante censura Concilii prioris, quod nihil adderetur symbolo. Vide 1. par. qu. 36. art. 2. ad 2. conjungendo huic 2. 2. qu. 1. ar. 10. ad 2. Item a Nicolao Papa Michaeli Imperatori scribente: „Nunc autem divina inspiratione, non nos pigebit, nec nobis impossibile erit, ostendere, si tamen audire velitis, non posse quemquam rite ab his, qui inferioris dignitatis, vel ordinis sunt, judicialibus submitti definitionibus, *Hæc ibi*; & recitantur dist. 21. „Item in ead. ab eod. „Submittitur Ignatius minorum, inferiorum, & subjectorum

ART. IV. & V.

„deliberationibus; e contra sacris canonibus præcipientibus, & exemplis sanctorum Patrum: semper ubi est maior auctoritas, eundem esse, ut in omnibus controversiis, ad potioris sedis judicia dirigantur: quod non solum a catholicis, verum etiam ab ipsis constat observandum esse hæreticis. „*Hæc ibi*. Item ab eod. in ead. tit. dist. „In tantum hanc præsumptionem sancti Patres apud Chalcedonem detestati sunt, ut Dioscorum Alexandrinum Antislitem inter cætera potissimum idcirco sine ulla restitutione damnaverint, quia ponens in cælum os suum, lingua ejus transeunte super terram, excommunicationem in sanctum Leonem Papam dictavit. *Hæc ibi*. „Item a Concilio Martini Papæ: Presbyter, præsentem Episcopo, non signet infantes, nisi ab Episcopo fuerit illi præceptum. „*Hæc ibi*: & recitantur dist. 95. Unde patet a fortiori, quod inferior excommunicare non potest superiorem. Secundo habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto nullum dicunt posse excommunicare seipsum, æqualem, aut superiorem, & intelligas, & declares, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 89

Utium in aliquam universitatem sententia excommunicationis ferri possit.

AD quintum sic proceditur, videtur quod in aliquam universitatem sententia excommunicationis ferri possit. Contingit enim quod aliqua universitas sibi in malitia colligatur. Sed pro malitia in qua aliquis contumax extiterit, debet excommunicatio ferri. Ergo potest in aliquam universitatem ferri excommunicatio.

2. Præterea. Illud quod est gravissimum in excommunicatione, est separatio a sacramentis Ecclesiæ. Sed aliquando tota civitas interdicitur a divinis: Ergo & excommunicari universitas aliqua potest.

Sed contra est Glossa Augustini Matth. XIII. quæ dicit, quod *princeps*, & *multitudo non est excommunicanda* (1).

Re-

(1) Sic præcise refertur sub eodem nomine Augustini tum in veteri Glossa manuscripta sed interlineari, tum in moderna vel impressa collateraliter, super illud, *Vis imus & colligimus ea* (scilicet *Zizania*) Plenius autem in Decretis cap. *Si habes* causa 24.

quæst. 3. ex epist. 75. quæ Auxilio Episcopo ad eum reprehendum inscribitur quod *spectabilem quendam vicum* (sicut appellat) Clavicianum nuncupatum cum tota familia & domo sua juveniliter excommunicare præsumpsit: *Si habes* (inquit) *de hac*

Respondet dicendum, quod excommunicari non debet aliquis nisi pro peccato mortali. Peccatum autem in actu consistit: actus autem non est communitatis, sed singularium personarum ut frequenter. Et ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas. Et si quandoque etiam actus sit alicujus totius multitudinis, ut quando multi navem trahunt, quam nullus per se trahere posset; tamen non est probabile quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes. Et quia *non est Dei, qui judicet omnem terram, ut condemnet justum cum impio*, ut dicitur Genes. XVIII. ideo Ecclesia, quæ Dei iudicium imitari debet, satis provide statuit ut communitas non excommunicetur, ne cum lolliis, & zizaniis simul eradicetur & triticum (1).

Ad primum ergo pater solutio ex dictis, nempe quod credibile non est communitatem totam in malitia colligari.

Ad secundum dicendum, quod suspensio non tanta pœna est, quanta excommunicatio: quia suspensi non fraudantur Ecclesiæ suffragiis, sicut excommunicati. Unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur; sicut & totum Regnum ponitur sub interdictione pro peccato Regis. Et ideo non est simile de excommunicatione, & suspensione.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a scripturis, quod universitas excommunicari non potest. Hoc autem insinuatam est Matth. 18. *Si peccaveris in te frater tuus, &c. si tibi, sicut ethnico, &c. Quæcunque alligaveritis super terram, &c.* Vides enim hic,

quod, quando datur potestas excommunicandi, datur autem per *ly quæcunque alligaveritis, &c.* præmittitur sermo de singulari persona per *ly frater tuus*, & non de communitate tota. Ac si dicatur per hoc, quod excommunicari potest persona, non autem tota communitas. Item *Matth. 10. insinuatam est idem per ly in viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Hic enim interdiciuntur duæ totæ communitates, sc. Samaritani, & gentes: quæ tamen, juxta superius dicta *Matth. 18. excommunicandæ non erant.* Item ab *Innoc. IV. in Concil. Lugdunensi sic. Romana ecclesia, &c.* In universitatem, vel collegium, proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum vitare, quod ex inde sequi posset, cum nonnunquam contingeret, innoxios hujusmodi sententia irretiri, sed in illos dumtaxat de collegio, vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgatur. *Hæc ibi, & recitantur, de sent. excomm. in 6. Item a Bonifacio VIII. sic.* Quamquam pedagiorum exactiones, &c. Qui vero contrafecerint, si personæ fuerint singulares, excommunicationis, si autem collegium, vel universitas castri, civitatis, seu loci alterius cujuscunque, ipsa civitas, castrum, vel locus interdicti sententias ipso facto incurrant. *Hæc ibi, & recitantur de censibus in 6. Item a Papa Jo. 22. sic.* Si fratrum, & coepiscoporum, &c. Alioquin in omnes, & singulos Patriarchas, Prælatos, & superiores, & inferiores, Reges &c. nisi infra duorum mensium spatium a die datæ præsentium numeranda penitus resipuerint, vel se licentia sedis Apostolicæ super hoc ostenderit communicatos, excommunicationis in singulares personas, &

in

hæc te sententiam certis rationibus vel Scripturarum testimoniis exploratam, nos quoque docere digneris quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius; aut pro mariti, uxor; aut pro domini, servus; aut quisquam etiam in domo nondum natus, si eodem tempore quo universa domus est anathemate obligata nascatur, no ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri: Et inferius: Audi si forte aliquos magni nominis Sacerdotes cum deo sua quemquam anathematizasse peccantium. Sed forte si essent interrogati, reperirentur idonei reddere inde rationem: Ego autem, quoniam si quis a me querat utrum recte fiat, quid ei respondeam non invenio, nunquam hoc facere ausus sum de quorundam facinoribus unanimiter adversus Ecclesiam perpetratis, nisi gravissima commoveret (vel ex originali

textu, cum de quorundam facinoribus immaniter ad) versus Ecclesiam perpetratis gravissima commoveret. Sed si tibi quod juste fiat Dominus revelavit, nequaquam juvenilem aetatem suam & honoris Ecclesiastici rudimenta contemno. En senex a juvene coepiscopo paratus sum discere quomodo vel Deo vel hominibus justam possumus reddere rationem si animas innocentes pro scelere alieno ex quo non trahunt sicut ex Adam originale peccatum, spirituali supplicio puniamus &c. Eadem porro de Principe ac de multitudine illi subdita quæ de domino familiæ ac domo eius ratio esse debet.

(1) Ut ex Bernardo in Tractatu de præcepto & dispensatione iam superius notatum est.

„ in terras, & loca ipsorum, & quaslibet
 „ communitates, universitates, villas interdi-
 „ cti sententias de fratribus nostrorum consi-
 „ lio publice promulgamus. *Hec ibi, & recitan-
 „ tur in extravagan. Jo. 22. Ne sede vacan-
 „ aliq. innov. Item a Papa Bonifacio VIII.* „ Si
 „ ad Episcopum, & capitulum communiter
 „ pertineat collatio præbendarum, mortuo
 „ Episcopo, vel a beneficiorum collatione
 „ suspensio, poterit capitulum vacantes con-
 „ ferre præbendas, &c. Idem poterit Epi-
 „ scopus, si capitulum ab ipsa collatione su-
 „ spendi contingat, vel singulariter omnes de
 „ capitulo majoris excommunicationis vincu-
 „ lo innodari. „ Hæc ille, & recitantur,
 „ ne sede vacan. aliq. innov. in 6. Ecce, quod
 „ secundum omnes hos Pontifices Maximos,
 „ universitas excommunicari non debet. *Secun-
 „ do* habes: quomodo per rationem supradicta
 „ patrum, & scripturarum, pro quanto in uni-
 „ versitatem excommunicationem ferri non de-
 „ bere insinuant, & intelligas, & defendas.
 „ *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 90

*Utrum ille qui semel est excommunicatus, ex-
 „ communicari possit ulterius.*

AD sextum sic proceditur. Videtur quod
 ille qui semel est excommunicatus, ul-
 terius excommunicari non possit. Nam I.
 Cor. v. 12. dicit Apostolus *Quid enim mihi
 de his qui foris sunt, iudicare?* Sed excom-
 municati jam sunt extra Ecclesiam. Ergo
 super eos Ecclesia iudicium non habet, ut
 possit eos iterum excommunicare.

2. Præterea. Excommunicatio est separa-
 tio quædam a divinis, & a communione fi-
 delium. Sed postquam est aliquis privatus
 aliquo, non potest iterum illo privari. Er-
 go unus excommunicatus non potest iterum
 excommunicari.

Sed contra. Excommunicatio quædam pœ-
 na est, & medicinale remedium. Sed pœnæ
 omnes, & medicinæ iterantur, cum cæusa

exigit. Ergo & excommunicatio iterari pos-
 test.

Respondeo dicendum, quod ille qui ex-
 communicatus est una excommunicatione,
 potest iterum excommunicari vel per eju-
 dem excommunicationis iterationem ad ma-
 jorem sui confusionem, ut sic a peccato
 resiliat, vel propter alias causas: & tunc
 sunt principales excommunicationes, quor-
 um causæ pro quibus aliquis excommunicatur.

Ad primum ergo dicendum, quod Apo-
 stolus loquitur de paganis, & aliis infideli-
 bus, qui non habent characterem, per quem
 annumerati sint populo Dei. Sed quia cha-
 racter baptismalis, quo quis populo Dei an-
 numeratur, est indelebilis ideo semper reman-
 et baptizatus aliquo modo de Ecclesia (1):
 & sic Ecclesia semper de ipso iudicare potest.

Ad secundum dicendum, quod privatio,
 quamvis non recipiat *magis & minus* secun-
 dum se; recipit tamen *magis & minus* se-
 cundum causam suam: & secundum hoc ex-
 communicatio potest iterari: & magis est
 elongatus a suffragiis Ecclesiæ qui pluries
 est excommunicatus quam qui semel tantum.

APPENDIX.

EX art. habes *primo*: quomodo per ratio-
 nem ostendas, merito fuisse insinuatam
 a Conciliis, & summis Pontificibus; quod ex-
 communicatus potest iterum excommunicari,
 sive ex eodem facto, sive ex diversis. Id au-
 tem insinuatam fuit a Papa Gregorio Nono
 in Concilio generali *Lugdunenfi*, sic. *Absol-
 „ tionis beneficium ab excommunicationis senten-
 „ tia, &c. Eos, qui absolutionem huiusmodi vi-
 „ vel metu extorsissent, excommunicationis senten-
 „ tiæ decernimus subiacere.* Hæc ibi, & recitan-
 tur de his, quæ vi, & met. cau. fin. in 6.
 Si vis videre hunc canonem totaliter ad lit-
 teram: vide supra q. 21. a. 4. not. post con-
 clusionem 4. Ecce, quod excommunicatus
 jam, quia quærit absolutionem inferendo
 vim, vel metum, iterum excommunicandus
 deceratur a Papa, sacro approbante Conci-
 lio

(1) Quippe cum excommunicatus quidem ab Ec-
 clesia quoad societatem tantum sed non quantum ad
 fidem separatur: Gentilis autem omni modo, quia
 nec fidem habet quæ christianæ communionis radix
 est & origo. Quod ei tamen communicare vetitum
 non sit; patet ex Chryostomo in 11. caput ad Hebr.
 h. mil. 25. imo ex Apostolo ipso cujus auctoritate id
 confirmat: *Ad mensam Paganorum si volueris ire*

(inquit) *sine ulla prohibitione permittimus: Ad
 mensam autem sceleratorum fidelium omnino probi-
 bemus:* Hinc enim Apostolus 1. ad Corinth. 5. *Si
 quis nominatur inter vos frater ebriosus fuerit &c.
 cum ejusmodi nec cibum sumere.* Sed cap. 10. *Si
 quis vos vocat infidelium & vultis ire, omne quod
 apponitur, manducate: Ut in Decretis quoque cau-
 sa 11. quest. 3. cap. Ad mensam videre est.*

no. Item ab *Alexandro Tertio* in Concil. *Lateranensi*. „ Ita quorundam, &c. tales igitur ab ecclesiastica communione præcisos, & excommunicationi subjectos rerum suarum per Principes Catholicos, & consules civitatum multari, & capientium fieri ferre vos censemus. Præcipimus etiam, ut per ecclesias maritimarum urbium crebra, & solemnis in eos excommunicatio proferatur. *Hæc ibi*; & recitantur de *Judeis*, &c. *Nota ly*, crebra, & solemnis excommunicatio in eos proferatur. Item a *Papa Adriano Secundo* (ut refertur in *Synodo S. Constantinop. act. 7.*) „ *Photium*, qui, licet a prædecessore nostro, & a nobis pro criminibus ante patris damnatus jure, & anathematizatus sit, nunc tamen, quia recentioribus excessibus priores iniquitates transcendit, & ponens in cælum os suum adversus veneranda Sedis Apostolicæ privilegia nova temeritate prorupit, cui resistere minime formidavit, Apostolicæ auctoritatis censura iterato damnatus, & anathematis nexibus innodatus. *Hæc ille*, cujus sententia subscripserunt alii *Episcopi*. Item a *Papa Clemente Quinto* in Concilio *Viennensi*. „ Gravi nos, &c. Necnon excommunicatos publice, & interdictos, qui in ipsis Ecclesiis nominatim a celebrantibus, ut exeant, moniti, remanere præsumpserint, excommunicationis sententia (a qua per Sedem dumtaxat Apostolicam possint absolvi) sacro approbante Concilio innodamus. *Hæc ibi*, & recitantur de sensent. excommun. *Clement.* Item a *Joanne septimo Papa*. „ Engeltrudam nomine veris anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, recidit, crebro percussam esse. „ *Hæc ille*; & recitantur 3. 4. *Nota ly crebro*. Faciant etiam aliqua sic dicta pro qu. 24. art. 3. Unde mirandum non est, immo tanquam regula tenendum, quod pro diversis motivis adducuntur iidem canones in diversis locis articulorum: nam ad plura loca secundum diversas consideratio-

nes valent. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto seinel excommunicatum sentiunt posse denuo excommunicari, & intelligas, & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O XXIII.

De participatione cum excommunicatis,

In tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de participatione cum excommunicatis.

Circa quod quarantur tria.

Primo, utrum liceat excommunicato participare in pure corporalibus.

Secundo, utrum participans excommunicato sit excommunicatus.

Tertio, utrum participare excommunicato in casibus non concessis semper sit peccatum mortale.

A R T I C U L U S I. 91

Utrum excommunicato liceat communicare in pure corporalibus.

AD primum sic proceditur. Videtur quod liceat excommunicato communicare in pure corporalibus. Excommunicatio enim est actus clavium. Sed potestas clavium se extendit ad spiritualia tantum. Ergo per excommunicationem non prohibetur quin unus alii in corporalibus communicare possit.

2. Præterea. Quod est institutum pro caritate, contra caritatem non militat. (Vide quæst. xi. art. 1. arg. 1.) Sed ex præcepto caritatis tenemur inimicis subvenire; quod sine aliqua communicatione fieri non potest. Ergo licet alicui excommunicato in corporalibus communicare.

Sed contra est quod dicitur I. Corinth. v. 11. Cum ejusmodi nec cibum sumere. (1)

Cc Re-

(1) Nempe si is qui frater nominatur, est fornicator aut hæreticus aut idolis serviens aut maledictus aut ebriosus aut rapax: ut habetur expresse vers. 11. Ubi non hoc ita intelligendum esse notat ex August. S. Thomas quod aliquis extraordinario iudicio debeat ab aliorum communione separari, quia frequenter sic seipsum separans iudicio privato suo posset errare, sed hoc potius fieri debet secundum ordinem Ecclesiæ quando aliquis a communione repellitur sponte confessus vel convictus: Et ideo signanter dicitur addit,

Si is qui nominatur, ut eam nominationem intelligamus quæ fit per sententiam Ecclesiæ ordinari iudicario contra aliquem prolatam: Quod idem est ac per excommunicationem &c. Sic autem Augustinus lib. 3. contra Epistolam Parmeniani cap. 2. Cum quisque fratrum (id est Christianorum injus in Ecclesia societate constitutorum) in aliquo tali peccato fuerit deprehensus ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est &c. Et inferius: Tunc autem hoc sine laetæ patris & unitatis fieri potest cum

Respondeo dicendum, quod duplex est excommunicatio. Una est minor, quæ separat tantum a participatione sacramentorum, sed non a communione fidelium. Et ideo tali excommunicato licet communicare; sed non licet ei sacramenta conferre. Alia est major excommunicatio: & hæc separat hominem a sacramentis Ecclesiæ, & a communione fidelium. Et ideo tali excommunicatione excommunicato communicare non licet. Sed quia Ecclesiæ excommunicationem ad medellam, & non ad interitum inducit, ideo excipiuntur ab hac generalitate quædam, in quibus communicare licet, scilicet in his quæ pertinent ad salutem: quia de talibus hominibus licite potest cum excommunicato loqui; potest etiam & alia verba interferere, ut facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur. Excipiuntur etiam quædam personæ, ad quos specialiter pertinet provisio excommunicati; scilicet uxor, filius, servus, rusticus, & serviens. Sed hoc intelligendum est de filiis non emancipatis: alias tenerentur vitare patrem. De aliis autem intelligitur, quod licet excommunicato communicare, si ante excommunicationem se ei subdiderant, non autem si post. Quidam autem intelligunt e converso, scilicet quod superiores possunt licite communicare inferioribus. Alii vero contrarium dicunt. Sed ad minus in his communicare eis debent in quibus sunt eis obligati: quia sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum, ita superiores ad providentiam inferiorum. Sunt etiam quidam casus excepti, sicut quando ignoratur excommunicatio; & quando aliqui sunt peregrini, & viatores in terra excommunicatorum, qui licite possunt ab eis emere, vel etiam accipere elemosynam. Et similiter si aliquis videat excommunicatum in necessitate: quia tunc ex præcepto caritatis tenetur ei providere. Et ista hoc versu continentur.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Ut utile referatur ad verba salutis, *lex* ad

matrimonium, *humile* ad subiectionem; cætera patent. (✱) Nempe *res ignorata*, & *necesse*. Hinc in Decretis causa xi. q. 111. Gregorius VII. ut cap. *Quoniam* ex Concilio Romæ habito videre est: „ Quoniam (inquit) multos peccatis nostris exigentibus „ pro causa excommunicationis perire quotidie ceruimus, partim ignorantia, partim „ nimia simplicitate, partim timore, partim „ etiam necessitate, devicti misericordia, „ sententiam anathematis ad tempus, prout „ possumus, opportune temperamus. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis „ vinculo subtrahimus uxores, liberos (idest „ filios) servos, ancillas, seu mancipia, nec „ non rusticos servientes, & omnes alios „ qui non adeo curiales sunt ut eorum consilio scelera perpetrentur, & eos qui „ gonerant excommunicatis communicant. Quicumque autem orator, sive peregrinus, „ aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non „ habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis, non in sustentationem „ sibi, sed humanitatis causa dare aliquid „ voluerit, non prohibemus. Per oratorem porro supra subintelligi potest ille qui „ piam peregrinationem suscipiens ad quemvis locum sanctum, vel speciali devotione deputatum, orationis causa venit; quamvis apud Ivonem part. xiv. cap. xliii. habeatur *orator*, non *orator*; quasi subintelligat eum qui ob necessitatem quamdam ad excolendam terram in alienas oras vel regiones pergit. Innocentius item III. ad Doctores Bononienses Decretorum Extra de sententia excommunicationis cap. *Inter alia* sic explicat prædictam Gregorii canonem quoad servos, ut si jam servi erant ante prolatam sententiam excommunicationis in dominos, ad idem obsequium postmodum teneantur; sin minus, addicere se illorum obsequio ac servituti non debeant, quamdiu excommunicatio perseverat. Quod sic explicare se dicit

*sum congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena est: Et rursum infamis: Ad hoc enim est quod Apostolus ait, si quis frater nominatur: In eo quippe quod ait, nominatur, hoc intelligi voluit parum esse ut sit quisque talis nisi etiam nominatur, id est famosus appareat; ut possit omnibus dignissima videri que in eum fuerit anathematis prolata sententia: Quamvis videtur construendum, qui nominatur frater (*à dévot d'auant d'auant*) ut sit sensus quod videatur tantum nomine*

tenus frater seu Christianus, cum vere talis propter vitia quæ dicta sunt haberi non debeat: Nec minus tamen debet excommunicatus præsupponi ut modo supra dicto vitetur; sicut & in eadem epistolam Theodoretus præsupponit cum ei ad altare communicari non vult.

(✱) Reliqua addidit textui Nicolaus usque. *Ad primum* exclus. In D. Thomæ Exempl. non reperiuntur.

cit propter quosdam varie super ea re discer-
prantes, ut unde jus procedit, inde interpre-
tatio quoque procedat &c. Et cap. Si vere,
(est autem ad uniuersos cruce signatos)
cautum in iure, ait, ut si quisquam per ter-
ram quorumlibet excommunicatorum transferit,
necessaria emere, ac recipere possit ab iisdem:
& quod si pater familias excommunicatione fue-
rit innodatus, a participatione illius familia
excusetur.

Ad primum ergo dicendum est, quod cor-
poralia ad spiritualia ordinantur. Et ideo
potestas quæ se extendit ad spiritualia, et-
iam ad corporalia se extendere potest; si-
cut ars quæ est de fine, imperat de his quæ
sunt ad finem.

Ad secundum dicendum, quod in illo ca-
tu in quo aliquis ex præcepto caritatis com-
municare tenetur, non prohibetur, ut ex
dictis patet (in cor. art.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per ratio-
nem elidas errorem Joannis Wicleff, ut
refertur qu. 21. art. 1. append. dicentis: ex-
communicationem non esse timendam. Cui
concordat Lutherus, ut ibi. Vides enim hic;
quantis incommodis excommunicatio afficiat
excommunicatum; ut non tantummodo il-
lum, sed etiam alios sibi participes ve-
hementer damnificet. Et ratione hac addu-
citur nunc prædictus error. Unde colligitur,
quod dicere, excommunicationem non esse,
& maxime quidem, timendam, stultissimum
est. Secundo habes: quomodo per rationem
ostendas, errorem, pro quanto latenter in-
nuir, quod communicantes excommunicato
non damnificantur, merito damnari a Papa
Urbano sic. Quibus Episcopi non communicant,
non communicetis, & quos eiecerint, non re-
cipiatis. Valde enim est timenda sententia Episco-
pi, licet iniuste liget. Hæc ibi. 11. q. 3.
Facit hoc dictum Urbani magnopere pro qu.
21. art. 4. Excommunicationem enim inju-
stam ligare, est ipsam habere aliquem effe-
ctum. Item a Synodo 8. Si quis frater aut
palam, aut absconse cum excommunicato fuerit
locutus, aut iunctus communionem, statim cum
eo excommunicationis contrahit pœnam. Hæc
ibi. 11. qu. 3. Intellige de excommunicatione
minori ly excommunicationis contrahit pœnam:
quamvis etiam excommunicationem majorem
contrahat in aliquibus casibus cum excom-
municato participans, infra art. 2. Item a
Concilio Carthaginensi 4. Qui communicave-

rit, vel oraverit cum excommunicato, si lai-
cus est, excommunicetur: si clericus, depona-
tur. Hæc ibi. 11. q. 3. Item a Callisto Pa-
pa epist. 2. ad omnes Galliarum episcopos.
Excommunicatos quosque a sacerdotibus
nullus recipiat ante utriusque partis exa-
minationem justam, nec cum eis in oratio-
ne, aut cibo, vel potu, aut osculo com-
municet, nec ave eis dicat: quia, qui-
cunque in his, vel aliis prohibitis, ex-
communicatis communicaverit, juxta Apo-
stolorum institutionem & ipsi simili ex-
communicationi subjacebunt. Ab his ergo
clerici, & laici, se abstineant, qui eadem
pati noluerint. Hæc ibi. Item a Beato Petro
Apostolo in ordinatione Clementis. Si inimi-
cus est iste Clemens alicui pro actibus suis,
vos nolite expectare, ut ipse vobis dicat,
cum illo nolite amici esse: sed prudenter
observare debetis, & voluntati ejus absque
commotione obsecundare, & avertere
vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum,
sed nec loqui his, quibus ipse non loquitur:
ut unusquisque, qui in culpa est,
dum cupit omnium vestrum amicitias re-
parare, festinet citius reconciliari ei, qui
omnibus præest, & per hoc redeat ad sa-
lutem, cum obedire cœperit monitis præ-
sidentis. Si vero quis amicus fuerit his,
quibus ipse amicus non est, & locutus fue-
rit his, quibus ipse non loquitur: unus
est & ipse ex illis, qui exterminare volunt
Ecclesiam Dei, & cum corpore vobiscum
esse videatur, mente, & animo contra
vos est. Hæc ibi: & recitantur in epi-
stola prima Clementis primi Papæ ad Jaco-
bum fratrem Domini. Adeo igitur excom-
municatio timenda est, & hoc contra Wi-
cleff, propterea hic adductum, ut etiam aliis
ab excommunicato valde timenda sit. Item
a Fabiano Papa epistola prima sic: Apostoli
statuerunt dicentes, cum excommunicatis non est
communicandum. Et, si quis cum excommuni-
catis, avertendo regulas, scienter psallat in do-
mo, aut simul locutus fuerit, aut oraverit, il-
le communionem privetur. Hæc ibi. Item a ca-
none undecimo Apostolorum. Si quis cum
excommunicato, saltem in domo, locutus fue-
rit, iste communionem privetur. Hæc ibi. Item
a Concilio Arelatenfi, et supra qu. 21. art. 3.
appen. Tertio habes: quomodo per rationem
prædicta Patrum, pro quanto communicatio-
nem in pure corporalibus cum excommuni-
cato non licere dicunt, & intelligas, & pro-
bes, & defendas Quarto vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 92

Utrum participans excommunicato sit excommunicatus.

AD secundam sic proceditur. Videtur quod participans excommunicato non sit excommunicatus. Plus enim separatus est ab Ecclesia Gentilis quam excommunicatus. Sed ille qui participat Gentili, aut Judæo, non est excommunicatus. Ergo nec ille, qui participat excommunicato Christiano.

2. Præterea. Si ille qui participat alicui excommunicato, est excommunicatus, eadem ratione qui participat participanti, erit excommunicatus; & sic in infinitum procedetur: quod videtur absurdum. Ergo non est excommunicatus qui excommunicato participat.

Sed contra est quod excommunicatus est positus extra communionem. Ergo qui ei communicat, a communionem Ecclesie recedit: & sic videtur quod sit excommunicatus.

Respondeo dicendum, quod excommunicatio potest in aliquem ferri dupliciter: aut ita quod ipse sit excommunicatus cum omnibus ei participantibus; & tunc non est dubium quod quicumque participat ei, est excommunicatus majori excommunicatione; aut est excommunicatus simpliciter; & tunc aut participat aliquis ei in crimine, ei præbendo consilium, auxilium, aut favorem; & sic iterum est excommunicatus majori excommunicatione: aut participat in aliis, sicut in verbo, vel in osculo, vel in mensa: & sic est excommunicatus minori excommunicatione.

(*) Hinc in Decretis causa xi. quæst. ii. cap. *Sicut Apostoli* ex Fabiano Papa, & ex can. xi. Apostolorum: „ Si quis cum excommunicatis, averfando regulas, scienter (saltem in domo) simul locutus fuerit, aut oraverit, ille communionem privetur. Et ex Calixto Papa epist. 2. „ Excommunicatos quoscunque nullus recipiat, neque cum eis in oratione, cibo, aut potu, aut oscu-

lo communicet, nec eis Ave dicat: quia quicumque in his vel in aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverit, juxta institutionem Apostolorum ipse simili excommunicationi subiacebit. Et mox ex Isidoro in Regula cap. xviii. „ Cum excommunicato neque orare neque loqui (nisi quæ ad eandem excommunicationem pertinent) neque vesci liceat. (1) Si quis enim cum eo aut palam, aut absconfe locutus fuerit, statim cum eo communem excommunicationis contrahet poenam. Ut & ex Concilio Carthaginensi IV. cap. lxxiii. „ Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato, si laicus est, excommunicetur; si clericus, deponatur. Sed enucleatius infra cap. *Sanctis* ex Urbano III. ad Episcopum Constantiensem „ Sanctis canonibus cautum est ut qui excommunicatis communicaverit, excommunicetur; eo tamen moderamine ut quicumque ignorantia, seu timore, seu necessitate cujuscunque maximi negotii eorum se convictu contaminaverit, cum minoris penitentiae medicina societatis nostræ participationem sortiatur; eos vero qui aut spontanee, aut negligenter inciderint, sub ea volumus disciplinæ coercitione suscipi, ut ceteris merus incutiatur &c. „

Ad primum ergo dicendum, quod Ecclesia non ita intendit corrigere infideles, sicut fideles, quorum cura sibi incumbit: & ideo non ita ardet a communionem infidelium, sicut a communionem fidelium illos quos excommunicat, super quos habet aliquam potestatem (2).

Ad secundum dicendum, quod excommunicato minori excommunicatione licet communicare: & sic excommunicatio non transit in tertiam personam.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem rejicias errorem Joannis Wicleff, & Lutheri (ut refertur q. 21. art. 1. append.) dicentium, excommunicationem non esse timen-

(*) Sequentia quoque textui addidit Nicolajus; ut supra notavimus.

(1) Posteriorem istam partem in Isidoro non extare Appendix notat, sed ex Magistro quodam in-nominato Monachorum citari e Smaragdo in expli-catione Regule S. Benedicti cap. 16. Citat & Ivo separatim utramque partem; nempe primam ex di-ctis Isidori cap. 95. & secundam cap. 96. unde su-

pra, sed ad marginem ex Regula Magistri cap. 23. annotatur.

(2) Quamvis etiam Extra de Judæis & Sacramen-tis Alexander 3. ex Concilio Lateranensi vetans ne christianam mancipia in domibus suis habere permit-tantur, subiungit: Excommunicatus autem qui cum eis præsumpserit habitare.

meridiam (Item *Lutheri* ejusdem addentis esse procurandam, & non privare hominem communibus spiritualibus ecclesie orationibus. In tantum enim timenda est & per articulum hunc, ut etiam participantem cum excommunicato propter damnum sibi inde sequens valde timenda sit. Unde & spiritualibus ecclesie orationibus communibus non tantum privat excommunicatum, sed etiam participantem cum eo, utpote eum, qui ex tali participatione excommunicationem saltem minorem incurrat. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, errores illos (pro quanto participantem cum excommunicato ab omni damno excommunicationis immunem faciunt) damnari merito a Papa *Innoc. III.* *A nobis ex parte tua fuit quaesitum, utrum is, qui excommunicato in locutione, vel oratione scienter communicat, excommunicatum ipsum a sua possit accusatione repellere, &c. Respondemus, quod ipse ab accusatione illius poterit removeri, cum primus a communione fidelium sit exclusus, secundus vero tantum a sacramentorum participatione sit remotus.* Hæc ille de exceptionibus. Nota ly *primus*, & ly *secundus*. Primus enim ille excommunicatus erat majore, & volebat secundum accusare: & secundus erat ex locutione, vel oratione habita cum primo excommunicatus in ipore, & contendebat repellere primum a sui accusatione. Item ab eod. *Innoc. Nuper a nobis, &c. In secunda questione credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicato communicat scienter, in crimine communicet criminoso si consilium impendendo, auxilium, vel favorem, aut alias in oratione, vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cum talis communicet crimini, & participet criminoso, ac per hoc videatur ratione damnati criminis delinquere in eum, qui damnavit, ab eo, vel ejus superiore merito delicti tunc erit absolutio requirenda, cum facientem, & consentientem pari pena constringas, &c. In secundo vero casu a sup. Episcopo, vel a proprio sacerdote, poterit absolutionis beneficium obtinere. Quamvis enim & tunc non iudicis, sed juris sententia excommunicato communicans sit ligatus, quia tamen conditor canonis absolutionem ejus sibi specialiter non retinuit, eo ipso videtur concessisse facultatem aliis relaxandi.* Hæc ille de sent. excom. Vide, quam differentiam faciat inter excommunicatum ob participationem in crimine criminoso, idest propter quod lata fuerat excommunicatio, & inter excommunicatum ob participationem in aliis. Faciunt ista Papæ

Innoc. etiam ad qu. 24. art. 2. si bene applicentur. Item a *Gregor. IX.* scribente *Astoriensi* Episcopo. *Si concubina publica clericorum ecclesiastica censura districtione notantur, eisdem concubinarios non est dubium majoris excommunicationis sententia involvi, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine.* Hæc ille de sent. excom. Item ab *Innoc. IV.* in Concil. *Lugdun.* *Statuimus, ut nullus iudicum participet cum excommunicato ab eo in locutione, & aliis, quibus ligatus participans excommunicatione minori, &c. salvis constitutionibus legitime promulgatis contra illos, qui in crimine presumunt participare damnato.* Hæc ille de sent. excom. in 6. Item a Concil. *Antiocheno* cap. 2. „ Non „ liceat communicare excommunicatis, ne „ que cum his per domos ingredi, cum eis „ orare, qui ecclesie non participant in oratione: nec in alteram ecclesiam recipi, „ qui ab alia excommunicantur. Quod si „ quis Episcoporum, vel presbyterorum, vel „ diaconorum, vel etiam, qui in canone „ detidentur, excommunicato communicare „ deprehensus fuerit, & hunc oportet com- „ munionem privari, tanquam ecclesie regu- „ las confundentem. *Hæc ibi.* Item a *Synodo 5. Constantinopolitana* confess. 7. „ Pla- „ cuit universo Concilio; ut, qui excom- „ municatus fuerit pro suo neglectu, sive „ Episcopus, sive quilibet clericus, & tem- „ pore excommunicationis suæ ante audien- „ tiam communicare presumpserit, ipse in „ se damnationis iudicetur protulisse senten- „ tiam. *Hæc ibi.* Item a Concil. *Antistodorense* can. 39. „ Si quis presbyter, aut qui- „ libet de clero, aut de populo excommu- „ nicatum, absque voluntate ipsius, qui „ eum excommunicavit, sciens repererit, „ aut cum illo panem manducaverit, vel „ colloquium habere decreverit, simili sen- „ tentiæ subiacebit. „ Hæc ibi. Item, a „ &c. ut supra art. 1. append. Tertio habes: quomodo per rationem Patrum antedicta, pro quanto participantem excommunicato insinuant esse excommunicatum, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo, &c.

ARTICULUS III. 93

Utrum participare cum excommunicato in casibus non concessis semper sit peccatum mortale.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod participare cum excommunicato in casibus

sibus non concessis semper sit peccatum mortale. Quia Decretalis quædam (1) cap. *Sacris* de his quæ vi, metuque &c.) respondet, quod *propter metum mortis non debet aliquis excommunicato communicare: quia aliquis debet prius subire mortem quam mortaliter peccet*. Sed hæc ratio nulla esset, nisi participare cum excommunicato semper esset peccatum mortale. Ergo &c.

1. Præterea. Facere contra præceptum Ecclesie est peccatum mortale. Sed Ecclesia præcipit quod excommunicato nullus communicet. Ergo participare cum excommunicato est peccatum mortale.

3. Præterea. Nullus arcetur a perceptione Eucharistie pro peccato veniali (2) Sed ille qui participat excommunicato in casibus non concessis, arcetur a perceptione Eucharistie, quia incurrit minorem excommunicationem. Ergo participans excommunicato in casibus non concessis peccat mortaliter.

4. Præterea. Nullus debet excommunicari majori excommunicatione, nisi pro peccato mortali (3). Sed aliquis secundum iura (cap. *III. IV. XVI. & seq. XI. quæst. III.*) potest excommunicari majori excommunicatione propter hoc quod excommunicato participat. Ergo participare excommunicato est peccatum mortale.

Sed contra. A peccato mortali nullus potest absolvi, nisi super eum habeat jurisdictionem. Sed quilibet sacerdos potest absolvi a participatione cum excommunicatis. Ergo non est peccatum mortale.

Præterea. Pro mensura peccati debet esse

pœnæ modus. (Deut. *xvii. (4)* Sed pro participatione cum excommunicatis secundum communem consuetudinem non ponitur pœna debita mortali peccato, sed magis debita veniali. Ergo non est peccatum mortale.

Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, quod quodocunque aliquis participat excommunicato verbo, vel quocunque dictorum modorum (art. præc.) secundum quos ei communicare non licet, peccat mortaliter; nisi in casibus a jure concessis (cap. *Quoniam xi. quæst. III.*) Sed quia hoc videtur valde grave, quod homo pro uno verbo levi, quo excommunicatum alloquitur, mortaliter peccet, & multis excommunicantes laqueum damnationis iniicerent, quod in eos retorqueretur; ideo aliis probabilis videtur quod non semper peccet mortaliter, sed solum quando in crimine illi participat, vel in divinis, vel in contemptum Ecclesie.

Ad primum ergo dicendum, quod Decretalis illa loquitur de participatione in divinis.

Vel dicendum est, quod similis ratio est de peccato mortali, & de veniali, quantum ad hoc; quia sicut peccatum mortale non potest bene fieri, ita nec veniale: & ideo sicut homo debet prius sustinere mortem quam peccet mortaliter; ita etiam quam peccet venialiter, illo modo debiti quo debet venialia vitare. (5)

Ad secundum dicendum, quod præceptum Ecclesie directe respicit spiritualia, & ex consequenti legitimos actus: & ideo qui communicat ei in divinis, facit contra præcep-

(1) Nempe Innocentii 3. Extra de his quæ vi motusve causa sunt, cap. *Sacris*, ubi paulo aliter plenius ait: *Licet motus assensus culpam, quia semen non eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurvere, qui per metum inductus excommunicatis communicat, eum excommunicationis labe credimus inquinari.*

(2) Ex lege saltem vel obligatione ad sacramenti necessitatem pertinente, quia cum gratiam non tollat, nihil habet per se repugnans cum proprio Eucharistie fructu vel cum effectu principali; quamvis ex decencia quadam & ex congruitate contingere aliter possit; præter aliam causam in hujus argumenti solutione indicandam.

(3) Ut ex Meldensi Concilio c. 56. in Decretis referitur Causa II. quæst. 3. cap. *Nemo*, ubi dicitur. *Nemo Episcoporum quomlibet sine causa & manifesta peccati causa communionem prius ecclesiastica: Sub anathemate autem sine conscientia Archiepiscopi aus Coepiscoporum nullum presumat ponere, nisi unde ca-*

*monias decet auctoritas: quia anathema est æterna mortis damnatio & non nisi pro mortali debet crimine imponi & illi qui aliter non potuerit corrigi. Possit autem aliquem excommunicari excommunicatione majori, quia excommunicato participat, patet ex Nicolao Papa ubi supra cap. præcipue: ut & ex Concilio Toletano 1. cap. *Si quis*, præter illa quæ superius notavimus.*

(4) Ubi nempe dicitur vers. 3. *Pro mensura peccati eris & plagarum modus*: licet alia speciali occasione de flagellandis reis, quæ sensu tamen magis universali analogice sumi potest.

(5) Nimirum non sub pœna damnationis vel cum periculo salutis. Addi potest alia solutio ex quolibet II. quæst. 7. art. 2. ad 3. quod *illa Decretalis intelligitur de iis qui directe communicant excommunicatis*, hoc est qui directe aliquid in eorum favorem præstant. Quid si addamus quoque quod respondet Sylvester, eam intelligi de communicatione in quibusdam quæ secundum se peccata sunt, & nullo metu

captum, & mortaliter peccat; qui autem participat ei in aliis, facit præter præceptum, & peccat venialiter.

Ad tertium dicendum, quod aliquis etiam sine aliqua culpa quandoque ab Eucharistia arceretur; sicut patet in suspensis, vel interdictis: quia tales poenæ quandoque alicui pro culpa alterius, quæ in eis puniuntur, inferuntur.

Ad quartum dicendum, quod quamvis participare excommunicato sit peccatum veniale; tamen participare ei pertinaciter est peccatum mortale. Et propter hoc potest aliquis excommunicari secundum iura.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem deturbes errorem *Waldensium*, & post *Johannis Wicleff*, demum *Lusberi* (ut ait Reverend. Dominicus Soto de just. & jure, lib. 1. qu. 7. art. 3.) dicentium, quod neque in Pontifice maximo, neque in tota Ecclesia ulla est potestas condendi leges morum. Item quorundam dicentium, quod leges ecclesiasticæ non ligant in foro conscientie. Ex primo dicto, crediderim ego, quod *Wicleff* parturivit istum alium errorem (hic ei tribuitur a Concilio *Constantiensi* sessione 8.) videlicet, quod decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt a fide Christi, & sunt stulti, qui student eis. Secundo habes: Quomodo per rationem offendas, hos errores merito fuisse damnatos a *Leone X.* in Bulla errores *Lusberi*: quam damnationem vide q. 1. art. 1. append. & 3. part. q. 68. art. 9. Item a Concil. *Constantiensi* sess. 8. cujus damnationem contra *Wicleff*. vide q. 20. art. 3. app. Item ab *Anacleto* Papa III. post Petrum, qui fuit natione Græcus, & a B. Petro presbyter factus, in epist. 3. Si qua vero causa difficiliore inter vos orta fuerint, ad hujus sanctæ Sedis apicem eas, quasi ad caput, referre, ut Apostolico terminentur judicio, quia sic dominum velle ab eoque ita constitutum esse, antedictis testimoniis declaratur. Hæc vero Apostolica Sedes (ut prædictum est) omnium ecclesiarum caput a Domino, & non ab alio constituta est. Et sicut cardine ostium regitur; sic hujus sanctæ Sedis auctoritate o-

mnes ecclesie, Domino disponente, reguntur. Hæc ibi. Ecce, quod Romanus Pontifex habet auctoritatem & a Domino quidem, condendi canones, & plusquam omnes alii. Item a *Marcello* Papa, & martyre in epist. 1. ad Episcopos Antiochenæ provincie. Rogamus vos, fratres, ut non aliud doceatis, neque sentiasis, quam quod a Beato Petro Apostolo, & a reliquis Apostolis, & Patribus accepistis, &c. Ipse enim caput est totius Ecclesie, cui ait Dominus, Tu es Petrus. & super hanc petram, &c. Ejus sedes primitus apud vos fuit, que postea (jubente Domino) Romanam translata est, &c. Si vestra Antiochena; qua olim prima erat, Romana cesset Sedi, nulla est, qua ejus non sit subjecta ditioni, ad quam omnes quasi ad caput juxta Apostolorum, eorumque successorum sanctiones, Episcopi, quibus necesse fuerit, suffugere, eamque appellare debent, ut inde accipiant tuitionem, & liberationem, unde acceperunt informationem, atque consecrationem, &c. Episcoporum judicium, & summam censuram negotia, sive cuncta dubia Apostolica Sedis auctoritate sunt agenda, & finienda. Et omnia conprovincialia negotia hujus sanctæ universalis, & Apostolicæ Ecclesie sunt retractanda judicio: si hujus Ecclesie Pontifex præceperit. Hæc ibi. & recitantur partim 24. q. 1. rog. & partim 2. q. 6. ad Romanam Ecclesiam. Ecce, quanta est auctoritas Pontificis Romani, & sanctionum, idest decretorum, seu canonum ejus, contra *Wicleff* & socios. Item a *Nicolao* I. Papa Si Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ita ut, quod vere Sedes Apostolica probavit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hæcenus inefficax habeatur, quanto potius ea, que ipsa pro catholica fide, pro sanis dogmatibus, pro variis, & multis variis ecclesiæ necessitatibus & fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni honore debent præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet necessitatibus vel opportunitatibus [discretionem, vel dispensationem magistræ] reverenter assumi &c. Hæc ille scribens Archiepiscopis, & Episcopis per Galliam constitutis, & recitatur dist. 19. cap. Item ab eodem scribente ad clerum Constantinopolitanum. Si decreta Romanorum
Pon-

metu mortis fieri debent, nec fieri sine mortali culpa possunt, quicunque metu præterdatur: Vel quod respondet Soto 4. Sent. dist. 22. intelligi de communicatione in iis quæ in contemptum Religionis exiguntur, ut si ad illudendum sacrificio Missæ compel-

latur Sacerdos coram excommunicato celebrare; quia tunc mori potius debet, cum ad fidei confessionem id pertineat, & per consequens nullo metu omitti possit &c.

Pontificum non habetis, de neglectu, atque injuria estis redarguendi. Si vero habetis, & non observatis, de temeritate estis corripendi, & increpandi. Hæc ibi: & recitantur d. 20. c. fi. Ecce, quantum robur obtineant Romanorum Pontificum decreta, Canones, atque leges. Item a Conc. *Læteranensi* sub *Leone X.* sess. 15. sive a *Leone ipso* ibi facto eodem approbante Conc., Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, nedum ex sacræ scripturæ testimonio, dictis sanctorum Patrum, ac Romanorum Pontificum, sacræque Canonum decretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione manifeste constat, quorum aliqua referre placuit; reliqua vero (utpote notoria) silentio prætere. In *Alexandrina* enim Synodo legimus, *Nicœnam Synodum* statuisse: non debere absque *Romani Pontificis Auctoritate*. Concilia celebrari. Neq. nos latet, *Leonem primum Pontificem*. *Ephesinam Synodum* secundam ad *Chalcedonensem* transtulisse. *Martinum Papam V.* Præsidentibus suis in Concilio *Senensi* potestatem transferendi Concilium (nulla consensus ipsius Concilii mentione habita) dedisse: *Ephesinam* quoque primam Synodum *Cœlestino*. *Chalcedonensem* *Leoni I.* sextam *Agathonis*, septimam *Hadriano*, octavam *Nicolao Romano Pontificibus* maximam reverentiam exhibuisse, eorundemque Pontificum institutionibus, & mandatis in sacris Conciliis per eos editis, & factis reverenter, & humiliter obtemperasse, &c. Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres pro eorum, quæ in suis Conciliis gesta fuerunt, corroboratione, a Romanis Pontificibus subscriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere, prout ex *Nicœna*, *Ephesina*, *Chalcedonensi*, sexta *Constantinopolitana*, septima eadem *Nicœna*, *Romana* sub *Symmacho*, Synodis habitis, earumque gestis manifeste colligitur. Hæc ibi. Ecce, quantum Concilia venerentur Canones, leges, sive decreta Romanorum Pontificum in moribus dirigendis, & ad deo, ut illorum Pontificum decreta ipsa propriis legibus anteponant, quamvis *Wicleff*. hoc ipsum intelligere noluerit, ut bene ageret. Ex illo dicto *Leonis*, scilicet tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem,

verus insinuat sensus Concilii *Constantiensis* in session. 4. 5. definitis, quod Concilium generale habet immediate potestatem a Christo, cui quilibet, etiam dignitatis *Papalis*, obedire tenetur. Ex illo, inquam, dicto *Leonis* habetur, quod sensus veras definitionis ipsius est solum pro casu tali, scilicet Schismatis, in quo tunc reperiabatur, *Constantiense Concilium* loqui, & intelligi velle, non autem absolute. Licet enim nullum generale Concilium legitimum destruat aliud: nam Deus, Conciliis ipsis semper assistens, non est Deus dissensionis, sed pacis; unum tamen ipsorum, scil. posterius, solet declarare aliud, scil. prius: quando clariori noticia prioris opus est, l. q. 50. art. 1. appen. & q. 39. art. 2. ad secundam. Facit ad eundem verum sensum, quem diximus, Concilii *Constantiensis Eugenius IV.* Papa in libello suo apud *Florentiam* promulgato, qui incipit *Moses servus Dei*. Ibi siquidem dicit, quod Concilium *Basileense* in sensum malignum, & a sana doctrina penitus alienum pertraxit Concilium *Constantiense* in hoc, quod ipsum *Basileense* definiat; Concilia generalia habere immediate potestatem a Christo, & esse supra Papam; quam definitionem prædictus *Eugenius* damnat, & reprobat ad sensum *Basileensem*. Nec immerito quidem sic loquitur *Eugenius*, juxta, de regulis juris, in lib. 6. regula 88. *Cœcum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.* Nam Concilium *Basileense* verba decreti *Constantiensis* amplectens contra voluntatem ejusdem *Constantiensis* eadem verba, non sine gravissimo Ecclesiæ scandalo, factis etiam ipsis retorquebat. Illa enim quæ *Constantiense* respectu solum *Papæ* incerti, & determinaverat, & intelligi voluerat, *Basileense* contra omne jus traherat in diversum, idest, ad standum etiam respectu *Papæ* indubitati: qualis erat *Eugenius* ipse. Valet multum ad omnia præmissa *Pii II.* *Papæ* Bulla retractationum omnium scriptorum per eum adhuc in minoribus agentem pro Concilio *Basileensi*, & contra *Eugenium IV.* summum Pontificem. Vide illam totam in tomis Conciliorum autem *Læteranensi* novissimum positam, quoniam dignissima est, & scitu necessaria continet. Vide infra q. 17. alias 40. art. 6. in text. & *elucid.* Firmissime igitur ex his tenendum est, quod *Papa* indubitatus, idest, non per schisma, sed canonicè electus, est caput Vicarium Christi super totam Ecclesiam catholicam, & immediate habens plenitudinem potestatis

testatis ab ipso Christo. Item damnantur errores prædicti in principio appendicis a quinta Synodo Constantinopolitana, confess. 1. *Suscipimus eusem, & amplectimur epistolas Præsulum Romane Sedis Apostolicæ, tam aliorum, quam Leonis sanctæ memoria de vestra fide scriptas, & de quatuor sanctis Conciliis, & cæt. Necessarium est consensu de tribus capitulis, unde quibusdam quæstio nata est. Et ideo petimus, præsidente nobis vestra beatitudine, finem quæstioni imponi Deo placitum, &c.* Hæc ibi. Ecce, quod Romanus Pontifex, hic erat *Vigilius* Papa, cui tunc scribebant, præfident Conciliis, decretisque suis, finem Deo placitum quæstionibus exortis imponit. Item a quinta Synodo Constantinopolitana, actione prima. „ Dominus Ecclesiæ suæ donavit illud scutum „ semper inexpugnabile adversus hæreses, excitando spiritum Agapeti Romani Pontificis, „ &c. neque semel suscipere voluit Anthimum furentem contra divinos canones „ &c. sed injuriam sacrorum, ac divinorum Canonum vindicans, „ &c. Imperatore nostro catholicam fidem, & divinorum Canonum auctoritatem adjuvante „. Hæc ibi. Ubi vides, quod non semel Concilium canones Pontificios vocat sacros, atque divinos, quos *Wicleff* cum suis ita concludat. Item a Concilio *Toletano III.* decretorum suorum cap. 3. „ Nunc, pace Ecclesiæ Christi „ misericordia reparata, omne, quod præcoram Canonum auctoritas prohibet, sit resurgente disciplina inhibendum, & agatur „ omne, quod præcepit fieri. Permaneant „ in suo vigore Conciliorum omnium constitutiones, simul & sanctorum Præsulum Romanorum Epistolæ. Nullus deinceps „ ad promerendos honores ecclesiasticos contra Canonum statuta aspiret indignus. Nihil ex hoc fiat, quod sancti Patres spiritus Dei pleni sanxerunt, debere non fieri. „ Et qui præsumperint severitate priorum „ Canonum dstringantur „. Hæc ibi. Ubi vides de mente Concilii esse quod Præsulum Romanorum epistolæ, & canones a spiritu Dei proficiantur. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse insinuatum a summis Pontificibus *Gregorio VIII.* & *Innocentio III.* quod participans cum excommunicato simpliciter non incurrit peccatum mortale: dummodo non in contemptum pertinaciter, ac in divinis fiat. Vide supra *arr. Summ. S. Tb. Tom. XIII.*

1. *not. post probas. conclus. prima & ar. 2. append. ly nuper a nobis, &c. & bene applica: specialiter ponderando differentiam participantium cum excommunicatis positam ab Innocentio. Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto insinuant, quod participare cum excommunicato in casibus non concessis, non semper est peccatum mortale, & intelligas, & probes, & defendas. *Quinto* vides, quomodo, &c.

Q U Æ S T I O XXIV.

De absolutione ab excommunicatione,

In tres articulos divisa.

D Eince considerandum est de absolutione ab excommunicatione.

Circa quod tria quærentur.

Primo, utrum quilibet sacerdos possit subditum suum ab excommunicatione absolvere.

Secundo, utrum aliquis possit invitus ab excommunicatione absolvi.

Tertio, utrum aliquis possit absolvi ab una excommunicatione, & non ab alia.

A R T I C U L U S L 93

Utrum quilibet sacerdos possit subditum suum ab excommunicatione absolvere.

S. Thom. in IV. dist. xviii. quæst. 2. art. 5. quæst. 1. & seq.

A D primum sic proceditur. Videtur quod quilibet sacerdos subditum suum possit ab excommunicatione absolvere. Majus enim est vinculum peccati quam excommunicationis. Sed quilibet sacerdos potest suum subditum a peccato absolvere: Ergo multo fortius ab excommunicatione.

2. Præterea. Remota causa, removetur effectus. Sed excommunicationis causa est peccatum mortale. Ergo cum possit quilibet sacerdos a peccato illo mortali absolvere, poterit ab excommunicatione similiter.

Sed contra. Eiusdem potestatis est excommunicare, & excommunicatum absolvere, Sed sacerdotes inferiores non possunt suos subditos excommunicare (1). Ergo nec absolvere.

D d Re-

(1) Ut superius quæst. 2. art. 1. ex professo dictum & ex variis Decret. probatum est: Indeque

novo Episcopi cap. Vrsu Causa 16. quæst. 2. ex Restripto Ioannis Papæ prope finem excommunicatio dici-

Respondeo dicendum, quod a minori excommunicatione quilibet potest absolvere qui potest a peccato participationis absolvere. Si autem sit major, aut est lata a iudice; & sic ille qui tulit, vel ejus superior potest absolvere: vel est lata a jure: & tunc Episcopus; vel etiam sacerdos potest absolvere, exceptis sex casibus, quos sibi juris conditor, scilicet Papa, reservavit. Primus est; quando aliquis injicit manus in clericum, vel in religiosum. Secundus est de illo qui frangit Ecclesiam, & est denunciatus. Tertius est de illo qui incendit Ecclesiam, & denunciatus est. Quartus est de illo qui in divinis communicat scienter excommunicatis nominaliter a Papa. Quintus de illo qui falsificat litteras Sedis apostolicæ. Sextus de illo qui excommunicatis in crimine communicat: non enim debet absolvi nisi ab eo qui excommunicavit, etiam si non sit ejus subditus: nisi propter difficultatem accedendi ad ipsum absolveretur ab Episcopo, vel a sacerdote proprio, præstita juratoria cautione, quod parebit mandato illius iudicis, qui sententiam tulit.

A primo autem casu octo excipiuntur. Primus est in articulo mortis, in quo a quolibet excommunicatione potest quis a quolibet sacerdote absolvi. Secundus, si sit ostiarius alicujus potentis, & non ex odio, vel proposito percussit. Tertius, si percussus sit mulier. Quartus, si sit servus; & dominus læderetur de ejus absentia, qui non est in culpa. Quintus, si Regularis Regularem percutiat; nisi sit enormis excessus. Sextus, si sit pauper. Septimus, si sit impubes, vel senex, vel valetudinarius. Octavus, si habeat inimicitias capitales.

Sunt etiam alii septem casus, in quibus percussus Clericum excommunicationem non incurrit. Primo, si causa disciplinæ, ut magister, vel prælatus, percusserit. Secundo, si

joceat levitate. Tertio, si invenerit eum turpiter agentem cum uxore, vel matre, vel sorore, vel filia. Quarto, si statim vim vi repellat. Quinto, si ignoret eum esse clericum. Sexto, si inveniat eum in apostasia, post trinam admonitionem. Septimo, si transferat se clericus ad actum penitus contrarium, ut si fiat miles, vel ad bigamiam transeat.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis vinculum peccati sit majus simpliciter quam excommunicationis; tamen quoad aliquid vinculum excommunicationis est majus, inquantum non solum obligat quoad Deum, sed etiam in facie Ecclesiæ. Et ideo in absolvendo ab excommunicatione requiritur jurisdictio in exteriori foro, non autem in absoluteione a peccato: nec exigitur cautio iuramenti, sicut exigitur in absoluteione ab excommunicatione: per juramentum enim controversiæ quæ sunt inter homines, terminantur, secundum Apostolum (Heb. vi. (1)

Ad secundum dicendum, quod cum excommunicatus non sit particeps sacramentorum Ecclesiæ, sacerdos non potest absolvere excommunicatum a culpa, nisi sit prius absolutus ab excommunicatione.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per D. Thomam excludas errorem postiferum *Lutheri* (ut refert *Leo X.*) dicentis; quod Romanus Pontifex Petri successor non est Christi vicarius super omnes totius mundi ecclesiæ ab ipso Christo in B. Petro institutus. Item cujusdam *Marfilii*, & *Joannis de Laudano* (ut refert Cardin. Turrecrém. de *Eclesi. lib. 3. cap. 37.*) dicentium, Papa. Archiepiscopus, Episcopus, ac simplex sacerdos sunt omnes æqualis auctoritatis, ac ju-
rif-

dicitur; & cap. *Corripiantur* *Causa 24. quest. 3.* ex Augustini sensu *episcopale iudicium*: Inferiores tamen Sacerdotes intelliguntur qui sunt subordinati Episcopo & jurisdictioni eius directe subsumunt in proposito: Nam aliqui Prior qui dignitate inferior est Episcopo, potest in canobio sive monasterio suo sententiam excommunicationis valide promulgare; ut colligitur ex cap. *Cum in Ecclesia* Extra de maiestate & obedientia, ubi aliquam a Priore S. Victoris latam Innocentius 3. approbat & confirmat: Nimirum quia quasi episcopalem auctoritatem habet Prior quoad monachos quibus præest. Huc spectat quod *Causa 11. qu. 3. cap. Debent* ex Concilio Rothomagensi vel

Zacharia Papa dicuntur Sacerdotes numero duodecim Episcopum debere circumferre quando excommunicatus; ut & quando excommunicatum absolvis, cap. *Cum aliquis* ibidem paulo infra: Et cap. *Si Petrus* *Causa 24. qu. 1.* ex Ambrosio super Luc. 22. *Ille condemnat qui & absolvis* &c. Et cap. *Monachi* Extra de sentent. excommunicationis, ubi Monachi & Canonici Regulares absolvi posse ab Abbate significantur; ut & cap. *Canonice* ibidem.

(1) Paulo aliis verbis id experimentem vers. 16. Nempe sic: *Omnis controversia hominum finis ad confirmationem est iuramentum.*

jurisdictionis ex institutione Christi : sed, quod unus plus habeat alio, est ex concessione Imperatoris : & , sicut concessit, ita revocare potest. Item ejusdem *Marsilii* (ut idem Cardinalis refert de *Eccles. lib. 2. cap. 47.*) dicentis, quod Papa non habet jurisdictionem coactivam super fideles, nisi in quantum concedit Imperator. Item *Jacobi Prapofiti* (*Prat. Jacob. Prapof.*) dicentis : Petrus Galilæus solo jure humano factus est primus. & supremus inter reliquos Apostolos : & idem censendum est de quolibet Petri successore. Ergo, secundum istum, jure divino Papa non est super alios Episcopos. Item *Joannis Westphali* dicentis, quod Papa sit super omnes : & unus Episcopus super alium, non a Christo sed humana electione institutum est. Item *Joannis Wicleff* dicentis, quod post *Urbanum VI.* non est aliquis recipiendus in Papam : sed vivendum est more Græcorum legibus propriis. Item *Ruthenorum* dicentium, Papam verum non fuisse D. Petrum, & Romanæ sedis Antistitem, nec ejus successorem. Item *Erasmi* (ut refert *Jacob. Lap. Sionica* post suum itinerarium) dicentis : Monarchia Romani Pontificis post Hieronymi sæculum exorta est : & , quod ætate D. Hieronymi non erat solitum quemquam arcere a communione (quod, novo verbo, vocant excommunicare) nisi qui ad eam pertinuisset ecclesiam : & , quod Romanus Pontifex apud veteres, non appellabatur summus, sed Romanus. Ex omnibus his *Erasmi* verbis satis probatur (ait idem *Jacob.*) ipsum credere, Romanum Pontificem tunc non habuisse jus excommunicandi, nisi diocesis Romanæ homines. Item *Pseudoapostolorum* dicentium, quod potestas, quam Christus Romano Pontifici, & cuicumque successori in Petro conferat, jam inanis reddita est, & omnino periit ob Pontificum Romanorum malitiam. Item *Marsilii* dicentis, quod Papa post Christi ascensionem non mansit ipsius Vicarius generalis. Item *Aetii. & Waldensium* (ut refert *Alphonf. Cast. adv. heres.*) dicentium. Episcopum non esse simplici sacerdoti superiorem. Item *Pseudoapostolorum* dicentium, quod Papa aliquem absolvere non potest, nisi ea præditus sit sanctitate, qua polluit B. Petrus. Item *Lutheri* blasphemiam hæreticalem dicentis : Pontificum nomen inane prorsus esse, quia re ipsa nihil aliud est, quam regnum diaboli, & potentia robusti venatoris Nemroth. Item ejusdem dicentis, Papam super alios Pontifices mera tyrannide fuisse exaltatum. Contra hos omnes singulos,

ac similes, dirigitur præfens articulus sancti Doctoris. Nam articulus præsupponit, Papam esse super Episcopos, hosque super simplices sacerdotes : ac ideo absolutionem excommunicationis eis pro diversitate tribuit, id, quod prædicti errores omnes directe, vel indirecte, destruere moliantur. *Secundo* habes : quomodo per D. Thomam ostendas, hos merito damnari a *Mart. 20.* Ibi enim Dominus filiis Zebedæi querentibus principatum præ Petro apud seipsum, cum essent Priores aliis, ut patet ex admissione ipsorum tantum cum Petro ad fuscitationem filiz Archisynagogi, *Mar. 5.* & ad transfigurationem, 9. & ad orationem in horto, 14. significantibus hoc, secundum Chrysof. ut in *Cæna aurea D. Thom. super Mart. per ly sedere ad dexteram tuam, & ad sinistram in regno tuo*, respondit quod sedere sic, non erat suum dare, nisi quibus paratum erat a Patre suo. Nam per hoc responsum intentioni prædictæ querentium connexum patet; quod principatus a Christo datus Petro, fuerat olim ab æterno paratus a Patre cœlesti, idest, fuerat jam ab æterno prædestinatum, & fixum a Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, quod talis principatus postmodum a Deo humanato daretur Petro, & in sua persona omnibus successoribus Petri. Propterea ad significandum etiam successores in plurali dicitur *ly quibus paratum*, &c. Ex hoc igitur loco bene secundum Chrysofostomum confiderato, monstratur optime, & quod primatus Petri non est quid de repente natum, sed ab æterno a summa Trinitate præordinatum, & quod damnabilis valde est hæresis dicens, quod non est de jure divino talis primatus. Concilium autem *Florentinum* sess. ult. sic : De „ finimus. sanctam Apostolicam Sedem, & „ Romanum Pontificem in universum orbem „ tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi vicarium, totiusque Ecclesie caput, & omnium christianorum patrem, ac doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in sacris canonibus continetur. Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus cœterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus, secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius vero Alexandrinus, „ Dd 2 „ quar-

„ quartus autem Antiochenus, quintus Hierosolimitanus, salvis videlicet privilegiis
 „ omnibus, & juribus eorum. *Hæc ibi in litteris sanctæ unionis Græcorum, & Latinorum. Item a Pio II. in Bulla retractationum omnium pro Eugenio IV. contra Synodum Basileensem. Inter quæ Tertius claruit Eugenius ex monasterio sancti Anastasii ad summum sacerdotium evocatum ad quem Divus Bernardus Monachorum pater non minus doctrinæ fulgore, quam vitæ sanctimonia illustris: Indagamus, inquit, adhuc diligentius, quid sis; quam geras videlicet personam, pro tempore in Ecclesia Dei, Tu es Sacerdos magnus, tu summus Pontifex, tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, Tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moysen, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unitate Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt & alii quidam cæli janitores, & gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius utrumque præ illis nomen hæreditasti. Habent illi assignatos sibi greges, singuli singulos: tibi universi crediti uni sumus. Nec modo ovium, sed & pastorum, tu unus omnium pastor. Hæc Bernardus ad Eugenium III. scribit, cui supremam & omnimodam in Ecclesia potestatem concedit. Quod ille de Tertio, testatur Eugenio, hoc nos de Quarto, & omnibus aliis Romanis Pontificibus profitemur, quia dignitatis est auctoritas. Liqueat igitur, unum in Ecclesia caput esse, & unum Principem. *Hæc ibi. Nota ly dignitatis est auctoritas. Non enim dicit bonitatis, vel qualitatis, vita, aut scientiæ, est auctoritas. Vide quæst. 17. art. 1. app. & bene nota. Item a Bonifacio VIII. in extr. de major. & obed. Unam sanctam Ecclesiam catholicam, & ipsam Apostolicam, urgente fide, credere cogimur & tenere, &c. extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, &c. una nempe fuit diluvii tempore Arca Noe, unam Ecclesiam præfigurans, unum (Noe videlicet) gubernatorem habuit, & rectorem: extra quam omnia subsistentia super terram legimus fuisse deleta. Hanc autem veneramur, & unicam, dicente Domino in Propheta. Erue a framea Deus animam meam & de manu canis unicam meam. Pro anima enim, idest pro seipso capite, simul**

„ oravit, & corpore: quod corpus unicam
 „ scilicet Ecclesiam, nominavit, propter sponsu
 „ fidei, sacramentorum, & charitatis
 „ Ecclesiæ unitatem, &c. Igitur Ecclesiæ
 „ unius, & unicæ, unum corpus, unum caput,
 „ non duo capita quasi monstrum,
 „ Christus videlicet, & Christi Vicarius
 „ Petrus, Petrique successor: dicente Domino
 „ ipse Petro: Pasce oves meas.
 „ Meas, inquit, & generaliter, non singulariter,
 „ has, vel illas: per quod commissis se sibi
 „ intelligitur universas. Sive ergo Græci, sive alii,
 „ se dicant Petro, ejusque successoribus non esse
 „ commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi
 „ non esse, dicente Domino in Joanne: Unum ovile,
 „ & unicum esse Pastorem. Hæc ibi. Ubi nota ly
 „ urgente fide: non autem concedente Cæsare. „ Et nota ly
 „ sive ergo Græci, &c. quod si jungas præcedentibus,
 „ videlicet, quod extra Ecclesiam illam unam non est
 „ salus, nec remissio peccatorum; videbis, quod taliter
 „ dicentes fatentur de necessitate per hoc summi dictum,
 „ se non esse in statu salutis. Nota ly dicente Domino.
 „ Pasce: &c. & ly unum ovile, &c. quæ etiam notanda
 „ sunt supra in Concilio Florentino, & Pio II. quoniam
 „ ex his moventur ad monarchiam Petri, & successorum
 „ consistendam, ut ibi legentibus patere potest,
 „ & videbis, primatum Petri non esse novum,
 „ nec jure humano inventum, nec regnum diaboli,
 „ ut portæ infernales, cum patre suo, mentiuntur:
 „ sed ipsum esse antiquum D. Hiero. jure divino, utpote
 „ a Christo, institutum; ac ideo ipsius Christi regnum
 „ non existens de hoc mundo, Joan. 18. Item a,
 „ &c. ut supra quæst. 20. art. 1. & 3. app. ubi
 „ damnatur *Uvickess*, & de primatu Petri tractatur.
 „ Vide etiam de fide, seu de Romana Ecclesia, quæst. 19.
 „ art. 3. append. Item ab *Anacleto* Græco Tertio Papa
 „ post Petrum, epist. 3. & habetur dist. 22. *Sacro sancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis sed ab ipso Domino nostro primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum Christiani populi gregem assecuta est: sicut ipse Petro Apostolo dixit; Tu es Petrus, &c. Hæc ibi. Et a Nicolao ibidem cap. Omnes, sive. Ubi etiam videbis, quod qui tale privilegium
 „ Ecclesiæ Romanæ auferre conatur, dicendus est hæreticus. Idem ergo insinuat dicendum de volentibus ipsi Ecclesiæ auferre alia privilegia data a Christo: puta, quod fides ejus nunquam fit defectura, *Matth. 18. Luc. 22. Ergo Monarchia ista Pa-**

pe fuit ante Hieronymum, nec ab Imperatore, nec a Synodis aliquibus, nec ab humano jure dependet: sed Imperator, Synodi, & omne jus humanum sub papali potestate est. Item a Callisto dist. 12. cap. Non decet, &c. Nulli dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum. Hæc ibi. Item a Gelasio 9. q. 3. ; Cuncta per mundum, &c. Apostolica sedes, sine ulla Synodo præcedente exolvendi, quos Synodus iniqua damnaverat; & damnandi, nulla existente Synodo, æquum oportuit habere facultatem, & hæc nimirum pro suo principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce & tenuit semper, & tenebit. Hæc ibi. Vide 17. quæst. 4. cap. Nemini; ubi Nicolaus concorditer loquitur. Item a Vigilio. Nulli vel tenuiter scienti, vel pleniter sapienti, dubium est, quod Ecclesia Romana fundamentum, & forma sit Ecclesiarum, a qua omnes Ecclesias principium sumpsisse nemo recte crediturum ignorat: quoniam, licet omnium Apostolorum par esset electio: Beato tamen Petro concessum est, ut cæteris præmieret, unde & Cephas vocatur, quia caput. & primus est omnium Apostolorum, Hæc ille Papa, & martyr, in epist. ad Eleuther. 7. c. Item a Leone X. damnantur errores Lutheri, ut patet supra quæst. 1. art. 1. append. cui addas & particulam Bulle universalis hanc. Insuper quia errores præfati, & plures alii continentur in libellis, seu scriptis cujusdam Martini Lutheri, dictos libellos, & omnia dicti Martini scripta, seu prædicationes in latino, vel quocunque alio idiomate repæriantur, in quibus dicti errores, seu eorum aliqui, continentur, similiter damnamus, reprobamus, atque omnia rejicimus, & pro omnino damnatis, reprobatis, ac reiectis (ut præfertur) haberi volumus. Mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis prædictis ex ipso incurrendis, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianidelibus superius nominatis, ne hujusmodi scripta, libellos, prædicationes, seu schedulas, vel in eis contenta capitula, erro-

res, aut articulos supradictos continentia, legere, asserere, prædicare, & laudare, imprimere, publicare, sive defendere, per se, vel alium, seu alios directe, vel indirecte, tacite, vel expresse, publice, vel occulte, aut in domibus suis, sive aliis publicis, vel privatis locis tenere quoquo modo præsumant: quinimo illa statim post harum publicationem, ubicunque fuerint, per ordiarios, & alios supradictos diligenter quæsitâ, publice, & solemniter in præsentia cleri, & populi, sub omnibus, & singulis pœnis supradictis, comburant. Hæc ibi. Vide supra qu. 19. art. 5. not. 1. & 2. post ad 1. quod malitia non tollit potestatem a prælatis; est Christi sententia. Vide & 1. par. qu. 32. art. 4. Item supra in addition. quæst. 8. art. 6. Et, quoniam de Imperatoribus facta est mentio: ideo, quid de Papa senserint maximi, catholicique Imperatores, vide & infra quæst. 26. art. 3. app. Nota, quod hæretici illa Marfilii, & Joannis de Janduno damnator in Extravag. Joannis XXI. Papæ, quæ incipit: Licet iuxta doctrinam, ut refert idem Cardinalis, ubi supra. Tertio habet: quomodo per D. Thomam ostendat, Pontifices summo merito excommunicationes sibi quasdam reservasse, ut patet de sent. excomm. tam in Extrav. quam in 6. & in Clem. atque Extrav. quo suo facto etiam damnant supradictos, ac similes errores contra Petri monarchiam, qu. 19. art. 3. & 4. & 5. & qu. 20. art. 2. Quarto vides; quomodo &c.

ARTICULUS II. 65

Utrum aliquis possit absolvi invitus (1)

AD secundum sic proceditur. Videtur quod nullus possit absolvi invitus. Spiritualia enim non conferuntur alicui invito. Sed absolutio ab excommunicatione est beneficium spirituale. Ergo non potest præstari invito.

2. Præterea. Excommunicationis causa est contumacia (2). Sed quando aliquis non vult absolvi, excommunicationem contem-

nens,

(1) Supple ab excommunicatione iuxta materiam subiectam, cum de absolutione a culpa dubitari non possit.

(2) Immediata saltem & proxima: Remota enim causa & media est peccatum mortale; sed non per

se sufficit ad ferendam excommunicationem nisi contumaciter in peccato aliquis perseveret, nec resilire ab illo velit; ut in Decretis Causa 17. quæst. 4. cap. Si quis deinceps de Presbyteri vel Clerici cuiusque percussore decernit Alex. 2. Canonica penitentia as-

nens, tunc est maxime contumax. Ergo non potest absolvi.

Sed contra. Excommunicatio contra voluntatem alicui potest inferri. Sed quæ contra voluntatem eveniunt, etiam contra voluntatem amoveri possunt, sicut patet de bonis fortunæ. Ergo excommunicatio potest tolli ab aliquo invito.

Respondeo dicendum, quod malum culpæ, & pœnæ in hoc differunt quod culpæ principium est in nobis, quia omne peccatum voluntarium est; pœnæ autem principium quandoque extra nos est, non enim requiritur ad pœnam quod sit voluntaria; immo magis est de ratione pœnæ quod sit contra voluntatem. Et ideo sicut peccata non committuntur nisi voluntate, ita non remittuntur alicui invito. Sed excommunicatio sicut in aliquem invitum ferri potest, ita etiam invitum ab ea absolvi poterit.

Ad primum ergo dicendum, quod propositio habet veritatem de illis bonis spiritualibus quæ in voluntate nostra consistunt; sicut sunt virtutes, quæ non possunt a nolentibus perdi: scientia enim, quamvis sit spirituale bonum, tamen potest a nolente per infirmitatem amitti. Et ideo ratio non est ad propositum.

Ad secundum dicendum, quod etiam manente contumacia, potest aliquis discrete excommunicationem iuste latam remittere si videat salutem illius expedire, in cuius medicinam excommunicatio lata est.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam fuisse a jure Canonico, quod invitum absolvi potest. Hoc autem insinuatam est Extrav. de regul. jur. *Omnis res per quasunque causas nascitur, per easdem dissolvitur* Hæc ibi. Cum ergo excommunicatio contra voluntatem excommunicati, inquantum scilicet invitum excommunicatur, & per voluntatem excommunicantis nascatur: innuere videtur illa regu-

la juris, quod excommunicatio potest etiam dissolvi per voluntatem excommunicatoris contra voluntatem excommunicati, & hoc est, invitum posse absolvi ab excommunicatione: tantoque magis hoc inde videtur, quia inter casus a glossa ibi notatos, in quibus præmissa regula fallit, non annumeratur absolutio excommunicationis, ut patet insipienti. Unde nota, quod, si inveneris vel Doctores, vel aliqua jura innuere contrarium intellige sic, quod scilicet non debet taliter absolutio fieri, nisi hoc esse expediens iudicetur; ut & in responsione ad secundum tangitur. Secundo habes: quomodo per rationem præmissam regulam juris, pro quanto invitum posse ab excommunicatione solvi, insinuat, & declares, & defendas. Tertio videas quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 96

Utrum aliquis possit absolvi ab una excommunicatione, nisi absolvatur ab omnibus.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod aliquis non possit absolvi ab una excommunicatione, nisi absolvatur ab omnibus. Effectus enim debet proportionari suæ causæ. Sed causa excommunicationis est peccatum (1) Cum ergo aliquis non possit absolvi ab uno peccato, nisi absolvatur ab omnibus, nec in excommunicatione hoc esse poterit.

2. Præterea. Excommunicationis absolutio in Ecclesia fit. Sed ille qui una excommunicatione est irretitus, extra Ecclesiam est. Ergo quamdiu una manet, ab alia absolvi non potest.

Sed contra. Excommunicatio quedam pœna est. Sed ab una pœna aliquis liberatur, alia remanente. Ergo ab una excommunicatione, alia remanente, aliquis absolvi potest.

Respondeo dicendum, quod excommunicationes non habent connexionem in aliquo: & ideo possibile est quod aliquis ab una absolvatur, & in altera remaneat.

Sed circa hoc sciendum est, quod aliquis quan-

que depositioni subiacet: Si consumax fueris, excommunicatur: Hinc excommunicationi monitio præmitti trina debet, ut rursum in Decretis Causa 3. quæst. 1. cap. Deus omnipotens, vel in illius appendice five additamento Gratiani & cap. Indigne Causa 12. quæst. 1. videre est, & expressius Extra de sententia excommunicationis cap. Sacra ubi compentens admonitio intelligitur trina, five una pro trina distinctis intervallis, ex Concilio Lugdunensi sub

Gregorio 10. cap. Constitutionem &c.

(1) Non qualecunque sed mortale; nec per se ac proxime sed mediate tantum ac remote; si excommunicatio sit ab homine; quia intercedere contumaciam necesse est quasi proximam causam, ut ex prædictis patet: Quamvis ad excommunicationem a jure solum peccatum sufficiat; sicut etiam absolvere ab illa potest quicumque potest a peccato, nisi aliqua exceptio in ipso jure specialiter exprimat.

quandoque est excommunicatus pluribus excommuniarionibus ab uno iudice : & tunc quando absolvitur ab una, intelligitur ab omnibus absolvi; nisi contrarium exprimat; vel nisi cum quis absolutionem impetrat de una tantum causa (1) excommunicationis, (*) cum tamen pluribus excommunicatus sit. Quandoque autem est excommunicatus pluribus excommunicationibus a diversis iudicibus: & tunc absolutus ab una excommunicatione, non propter hoc est absolutus ab altera; nisi omnes alii ad petitionem ejus absolutionem ipsius confirmaverint; vel nisi omnes demandent uni absolutionem.

Ad primum ergo dicendum, quod omnia peccata habent connexionem in aversione voluntatis a Deo, cum qua non potest esse peccatorum remissio: & ideo unum peccatum sine altero remitti non potest. Sed excommunicationes non habent aliquam talem connexionem. Nec iterum absolutio ab excommunicatione impeditur propter voluntatis contrarietatem, ut dictum est (in corp. & ar. præc.) Et ideo ratio non sequitur.

Ad secundum dicendum, quod sicut pluribus de causis erat aliquis extra Ecclesiam; ita possibile est quod ista separatio removeatur quantum ad unam causam, & maneat quantum ad alteram.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse a summo Pontifice, quod excommunicatus pluribus potest absolvi ab una altera remanente. Hoc autem insinuatum est ab Innocentio III. de sent. excomm. cum pro causa, &c. Cum

„ Archidiaconus in sacentorem in communi
 „ dormitorio manus iniecit temere violentas,
 „ & cum traxisset verberando per claustrum,
 „ tu frater Archiepiscopo eum ob violentam
 „ manuum injectionem, & violationem
 „ immunitatis Ecclesie fecisti excommunicatum
 „ publice nunciari, &c. mandamus, quatenus,
 „ si vobis confiterit, dictum Archidiaconum
 „ ob duplicem causam excommunicatum fuisse,
 „ & expressisse tantum alteram in litteris,
 „ quas super absolutione sua impetravit,
 „ ipsum tanquam excommunicatum satisfacere
 „ ecclesie sue pro altera monitione premissa,
 „ cogaris. Hæc ibi. Nota ly pro altera: quoniam per hoc innuere videtur,
 „ quod ipse excommunicatus sit quantum ad unam
 „ excommunicationem, seu excommunicationis causam,
 „ absolutus, & remaneat quantum ad alteram
 „ innotatus. Item ab eodem Innocentio ibid. c. officii,
 „ &c. „ Quævisisti, utrum is, qui propter plures
 „ excessus a pluribus Prælatibus excommunicationis
 „ est vinculo innodatus, & uni Prælatorum
 „ de uno tantum satisfacere vult excessu, ab eo
 „ sit absolvens, de quo satisfacere vult eidem,
 „ & cum de alio non satisfacere alii, absolutus valeat nunciari,
 „ &c. Super hoc articulo respondemus, quod
 „ supprimenti veritatem absolutio surrepta non
 „ prodest, & veritatem intelligens absolutionem
 „ hujusmodi exhibere non debet. Hæc ibi. Quasi
 „ responderit per distinctionem hanc. Talis pluribus
 „ excommunicatus involutus aut sincere tibi totam
 „ exprimit veritatem facti, aut dolose aliquid de
 „ veritate tacet, ut facilius absolutionem surripiat.
 „ Si hoc secundo modo, tunc absolutio iudicatur
 „ esse surrepta, & consequenter nec

Va-

(1) Sic legendum arbitror ut iam 4. Sententiarum reposui: Non sicut prius de uno tantum casu: Sic enim Extra de officio Iudicis ordinarii cap. Ex parte sua scribit Archiepiscopo Cantuariensi Alexander 3. Quia nos consulere voluisti usum illorum absolutio tenet qui occurrat excessibus pro quibus excommunicatis fuerunt, absolutio beneficiis per Sedem Apostolicam meruerunt, sua excommunicationis causam aliam pretendentes; Taliter respondemus quod si ita tibi confiteris, debet eor ecclesiastica censura compellere ut cum litteris suis tui veritatem continentibus ad Sedem Apostolicam redeant &c. Ut & cap. Cum pro causa Extra de sententia excommunicationis Innocentius 3. ad Archiepiscopum Decanum & Præcentorem Lugdunensem de Archidiacono qui subdole fuerat ab excommunicatione absolutus; Distersioni vestre mandamus (inquit) quatenus si vobis confiteris dictum Archidiaconum ob duplicem causam

excommunicatum fuisse, & expressisse tantum alteram in litteris quas super absolutione sua impetravit, ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesie sue pro altera cogaris: Et iterum cap. Officis ad Apostolicam Sedem Legatum idem Innocentius: Quævisisti utrum is qui propter plures excessus a pluribus Prælatibus in ipsum habentibus excommunicationis est vinculo innodatus, & uni Prælatorum de uno tantum satisfacere vult excessu, ab eo sit absolvens, de quo satisfacere vult eidem, & cum de alio non satisfacere alii, absolutus valeat nunciari: Super hoc articulo respondemus quod supprimenti veritatem absolutio surrepta non prodest; & veritatem intelligens, absolutionem hujusmodi exhibere non debet. (*) Ita cum mss. S. Ghiffeni, & verisissimo exemplo a Theologis adhibito edisi passim. Al. cum pluribus excommunicatus sit. Quandoque est excommunicatus a diversis iudicibus: & tunc absolutus &c.

valet, nec prodest aliquid: si autem *primo*, absolutio exhiberi non debet, cum de omni excessu prælati omnibus nolit satisfacere, tamen, si exhibeatur, valet, cum non sit surrepta. Alioquin idem esset iudicium de surrepta, & non surrepta: quod est absurdum; valet, inquam, & prodest quantum ad levamen unius excommunicationis: sed non quantum ad hoc, quod ab omnibus sit absolutus, & consequenter nec quantum ad hoc, quod simpliciter absolutus valeat nuntiari populo, ut ei possit tuto conscientia communicare. Pro quo facilius intelligendo scias, quod ex interrogatis percipitur sensus respondentium (ut sapientibus patet.) Reassumatur ergo interrogantis questum: ut melius pontificis mens intelligatur: Quærebat ergo interrogans, an pluribus excommunicatus esset absolvendus ab una excommunicatione: & cum de aliis non fuerit absolutus, valeret simpliciter absolutus nunciari, idest ad consortium admitti. Respondendo igitur Papa, quod absolutionem exhibere non debet, & quod absolutio talis non prodest, intelligere videtur, secundum quod interrogatio quærebat (prudens enim & hoc est,) quasi dixisset. Absolutio exhiberi non debet, & exhibita non prodest ad hoc: ut talis sic absolutus valeat in consortium aliorum admitti. Talis ergo absolutus quidem est secundum quid, idest, secundum unam causam: sed non simpliciter, idest, non secundum omnes, & ideo a consortio aliorum jure arcendus judicatur. Vide supra in responsione ad *secundum* cum corollario. Quando ergo unus primo absolvit pluribus excommunicationibus immodatum, quamvis absolutio teneat (nisi dolose causa aliqua occultetur, ut patet per *ly veritatem occultanti absolutio surrepta*, &c. *ex parte de offic. jud. ordin.*) non debet tamen ipsum denunciare absolutum, nec ab actis est et communicandum, donec fuerit absolutus ab omnibus: quoniam, qui est excommunicatus in una ecclesia, excommunicatus est quoad omnes, 4. q. 5. *Quisquis*. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta summi Pontificis, pro quanto innotuit excommunicatum pluribus posse ab una absolvi, altera remanente (licet quidam aliter textus prædictos glossare videantur) & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides: quomodo, &c.

QUESTIO XXV.

De Indulgentia secundum se,

In tres articulos divisa.

Consequenter considerandum est de indulgentia: & primo de ea secundum se; secundo de facientibus indulgentiam; tertio de recipientibus eam.

Circa primum quaeruntur tria.

Primo, utrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria.

Secundo, utrum indulgentia tantum valeat, quantum pronuntiantur.

Tertio, utrum pro temporali subsidio sit indulgentia facienda.

ARTICULUS I. 97

Utrum per indulgentiam possit aliquid remitti de poena satisfactoria.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod per indulgentiam non possit aliquid remitti de poena satisfactoria. Quia super illud II. Timoth. 11. *Negare seipsum non potest*, dicit Glossa (interl. Petri Lomb.) „quod faceret, si dicta sua non impleret. „ Sed ipse dicit Deuter. xxv. 2. *Pro mensura peccati eris & plagarum modus*. Ergo non potest aliquid remitti de poena satisfactionis taxata secundum quantitatem culpæ.

2. Præterea. Inferior non potest absolvere ab eo ad quod superior obligavit. Sed Deus in absolvendo a culpa obligat ad poenam temporalem, ut dicit Hugo de S. Victore (tract. vi. Sum. sent. cap. xi. a med.) Ergo nullus homo potest absolvere a poena illa, aliquid inde dimittendo.

3. Præterea. Hoc ad potestatem excellentiæ pertinet ut sine sacramentis effectus sacramentorum tradatur. Sed nullus habet potestatem excellentiæ in sacramentis nisi Christus. Cum ergo satisfactio sit pars sacramenti penitentiae, operans ad dimissionem poenæ debita, videtur quod nullus homo purus possit dimittere debitum poenæ sine satisfactione.

4. Præterea. Potestas ministris Ecclesie non est tradita in destructionem, sed in ædificationem. Sed hoc ad destructionem pertineret, si satisfactio, quæ ad utilitatem nostram inducta est, in quantum remedium præbet, tolleretur. Ergo potestas ministrorum

Ec.

Ecclesie ad hoc se non extendit.

Sed contra. II. Corinth. II. 10. *Nam ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi: Glossa (interl.)*, idest „ac si Christus donasset.“ Sed Christus poterat relaxare absque omni satisfactione poenam peccati, ut patet Joan. VIII. de muliere adultera. Ergo & Paulus potuit. Ergo & Papa potest, qui non est minoris potestatis in Ecclesia quam Paulus fuit.

Præterea. Ecclesia universalis non potest errare: quia ille qui in omnibus *exandisus est pro sua reverentia* (Hebr. v.) dixit Petro, super cuius confessione [Ecclesia fundata est: *Ego pro te rogavi, Petro, ut non deficiat fides tua: Luc. XXII. 32.* Sed Ecclesia universalis indulgentias approbat, & facit. Ergo indulgentiæ aliquid valent.

Respondeo dicendum, quod ab omnibus conceditur, indulgentias aliquid valere: quia impium esset dicere, quod Ecclesia aliquid vane faceret. (1) Sed quidam dicunt, quod non valent ad absolvendum a reatu poenæ, quam quis in purgatorio secundum iudicium Dei meretur; sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua sacerdos obligavit poenitentem ad poenam aliquam, vel ad quam etiam obligatur ex canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera. Primo quia est expresse contra privilegium Petro datum, cui dictum est (Matth. xv.) ut quod in terra remitteret, in cælo remitteretur. Unde remissio quæ sit quantum ad forum Ecclesie, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia huiusmodi indulgentias faciens

Summ. S. Tb. Tom. XIII.

magis damnificaret quam adjuva ret; quia remitteret ad graviore poenas scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentis iniunctis.

Et ideo aliter dicendum, quod valent & quantum ad forum Ecclesie, & quantum ad iudicium Dei ad remissionem poenæ residuæ post contritionem, & confessionem, & absolutionem, sive sit iniusta, sive non. Ratio autem quare valere possint, est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus poenitentiz supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum; & multas etiam tribulationes iniustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat expiari, si eis deberetur: quorum meritum tanta est copia quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt: & præcipue propter meritum Christi, quod etiam in sacramentis operatur, non tamen efficacia ejus in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum. Dicitur autem supra (quæst. lxxiii. art. 2.) quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro illo, qui remissione indiget, huiusmodi opera fecerunt (alias absque omni indulgentia consequeretur remissionem) sed communiter pro tota Ecclesia; sicut Apostolus ait, se *adimplere ea quæ desunt, passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia*, ad quam scribit, Coloss. I. (2) Et sic prædicta merita sunt communia totius Ecclesie. Ea autem quæ sunt alicujus multitudinis communia, distribuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus quæ

E e mul-

(1) Proinde inter articulos Joannis Wiclef quos Concilium Constantiense Sess. 8. ut *hereticos & erroneos, ut a sanctis Patribus reprobatos, ut scandalosos & blasphemos & piarum aurium offensivos damnavit, quadragesimus primus recensetur: Partum est credere indulgentiis Papa & Episcoporum.* Hinc in Bulla Martini quinti post Concilium supradictum edita decernuntur interrogandi qui de præmissis articulis aliquo modo suspecti sunt, utrum inter cætera credant quod *Papa omnibus Christianis vere contritis & confessis ex causa pia & justa possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum; & quod singuli Episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum Canonum possint etiam illas concedere: Præter alia quæ deinceps occasione data notabuntur.*

(2) Non sic tamen determinate pro illa sola, sed potius indefinite pro corpore ejus quod est Ecclesia: Quamvis & Ecclesie Colossensium nominatim se applicare has passiones innotuit, præmittens: *Qui gaudeo in tribulationibus meis pro vobis; ac deinde immediate addens, & adimpleo ea quæ desunt passio-*

num Christi in carne mea pro corpore ejus &c. Unde pro Ecclesia tota ibi explicat S. Thomas; notatque id non dici quasi revera desit aliquid passioni Christi ad sufficientiam quod per Sanctos impleri debuerit (hoc enim hæreticum) sed quia sancti omnes cum Christo unum corpus faciunt quasi personam unam cujus plena merita tam ex Christi passionibus principaliter quam Sanctorum adiunctis integrantur, ut lect. 6. videre est: Vel significat se implere non passionem Christi, ut sic; sed passiones per quas Christo debebat conformari, ut innotuit Theodoretus, vel passiones quas propter Christum tolerabat, ut homil. 4. interpretatur Chrysostomus, ac propterea *passiones Christi* vocatas addit. Hinc non legendum sicut olim perperam in Bibliis corruptis *adimpleo quæ desunt passio* sed ex Bibliis emendatis & incorrupto sensu intelligendum, *adimpleo quæ desunt, supple mihi, passionum Christi; sive quæ nondum propter Christum & conformiter ad passionem Christi sufficienter & abunde sum passus pro communi utilitate totius Ecclesie quæ corpus ipsius est.*

multitudini præest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem pœnæ, si alius pro eo satisfecisset; ita si satisfactio alterius sibi per eum qui potest, distribuatur.

Ad primum ergo dicendum, quod remissio quæ per indulgentias fit, non tollit quantitatem pœnæ ad culpam: quia pro culpa unus alius sponte pœnam sustinuit, ut dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod ille qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito pœnæ; sed datur ei unde debitum solvat.

Ad tertium dicendum, quod effectus sacramentalis absolutionis est diminutio reatus: & hic effectus non inducitur per indulgentias; sed faciens indulgentias pœnam pro eo, quam debuit, solvit de bonis Ecclesiæ communibus, ut ex dictis patet (in corp. art.)

Ad quartum dicendum, quod majus remedium præbetur contra peccata vitanda ex gratia quam ex assuetudine nostrorum operum. Et quia (*) ex affectu, quem accipiens indulgentias concipit ad causam pro qua indulgentias datur, ad gratiam disponitur; ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur. Et ideo non est in destructionem indulgentias dare, nisi inordinate dentur. Tamen consulendum est eis qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus pœnitentiæ injunctis absterneant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito pœnæ essent immunes: & præcipue quia quandoque sunt plurium debitores quam credant.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem explodas errores *Lusberi* (*Prat. Lusberan. Joan. Westphal. Pauperes de Lugduno*) impie dicentis, quod indulgentiæ nullius sunt momenti. Item *Jacobi Præpositi* (*Prat. Jacobus Præposit.*) dicentis, quod indulgentiis non est confidendum. Item ejusdem ibidem dicentis, quod merita Sanctorum nulli applicari possunt. Item *Lusberi* (ut refert *Leo X.* in bulla contra eius errores, quos & damnat) dicentis, quod thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi, & Sanctorum. Item ejusdem ibidem dicentis, quod indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis

actualibus debite apud divinam justitiam. Hinc videas tu, quantum sit cavendum ab opinione recitata, reprobataque in textu: ex quo tam similis huic errori *Lutheri* videtur. Item habes: quomodo explodas errorem *Waldensium* (*Direct. Inquisit. 2. par. qu. 14.*) dicentium; quod indulgentiæ, quæ a Romano Pontifice, seu aliis Prælati Ecclesiæ conferuntur, nullius sunt valoris, efficacitæ, seu virtutis. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hos omnes merito damnari a Christo dicente ad Petrum *Matth. 16. Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, eris ligatus & in cælis: & quodcumque solveris super terram, eris solutus & in cælis.* Ubi nota ly &, quod immediate ponitur post ly *claves regni cælorum*. Solutionem a Petro dandam connectit clavibus regni cælorum. Unde, cum nullibi aliquibus dederit verbatim claves regni cælorum, nisi soli Petro, oportet dicere, quod potestas Petri ad solvendum est sublimior & latior potestatibus datis aliis. Dedit liquidem aliis potestatem ligandi, atque solvendi, *Matth. Quæcumque alligaveritis, &c. & Joan. 20. Quorum remiseritis peccata: &c.* Sed istæ potestates non sunt adeo porrectæ, ut potestas data Petro. Ex hoc nanque, quod soli Petro de clavibus regni cælorum dandis fit mentio expressa, datur profecto intelligi, quod ejus potestas amplius porrigenda erat, quam aliorum. Petrus ergo ex hac promissione (hæc postea exhibetur ei *Joan. ult. ut qu. 17. art. 1. append.*) potest solvere a peccatis, sicut & illi, quibus dictum est: *Quorum remiseritis peccata, &c.* potest excommunicare, ab eaque absolvere, sicut & illi, quibus dictum est: *Quæcumque alligaveritis, &c.* potest & plus aliquid. Quid est plus? Condonare pœnam temporalem per indulgentias. Si enim per solam absolutionem, vel in foro pœnitentiæ, vel in foro judiciali, satisfactionemque impositam, posset pœnam relaxare, tunc quoad modum dimittendi pœnam non plus posset, quam alii. Ut ergo plus possit (ut auctoritas illa vult) poterit modo alio pœnas ipsas dimittere. Non potest autem per jussionem solam, cum potestatem excellentiæ Christo propriam non habeat, ut in arg. 3. sed per applicationem thesauri Ecclesiæ, cujus claves habet a Christo, & hoc est posse per indulgentias. Derivabitur tamen postmodum pro arbitrio Petri in alios etiam facultas

(*) *Al.* ex effectu.

tas indulgentias dandi; ut *qu. 20. art. 1. ad 1.* in finatur. Cum itaque Christus nihil in vanum contulerit Petro, sequitur luce meridiana clarius, quod indulgentiæ per potestatem Petri datæ aliquid valent, & non tantum quoad forum Ecclesiæ, sed & quoad forum Dei. Non enim absque causa potestati Petro collatæ subintulit Christus *ly & in celis*. Item a Concil. *Trid.* sess. 25. de cr. de indulg. Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate concessa divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus, illa usæ fuerit: sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel concedendi in Ecclesia potestatem esse negant, *Hæc ibi. Ubi notanda sunt verba illa a Christo potestas conferendi indulgentias Ecclesiæ concessa, & ly antiquissimis etiam temporibus illa usæ, & ly maxime salutarem, & ly sacrorum Conciliorum auctoritate probatum*, . Non opus igitur esset alia Concilia in testimonium hujus veritatis adducere verbaliter, & expresse, ex quo Synodus tanta de Conciliorum sacrorum auctoritate meminit pro hac re: tamen ad revincendos contumaces, atque protervos in append. sequentium articulorum S. Thomæ, prout occasio dabitur, adducentur nonnulla, quæ & ad hunc locum facient. Item ab eodem sess. 21. cap. 9. de reform. *Indulgentias vero, &c. debitis temporibus populo publicandas esse decernit, &c. ut cælestes hos Ecclesiæ thesauros ad pietatem exerceri omnes vere intelligant.* Hæc ibi. Indulgentiæ, ergo, contra errores supra, sunt thesauri cælestes; nam Christus, & Sancti, quorum merita sunt in cælis, sunt Ecclesiæ dati, & applicati. Cæterum de hoc thesauro vide fufius *art. seq. ap. pen.* ne fiat nunc sermo debito prolixior. Item a Leone X. in bulla contra errores Lutheri, quam videas supra *qu. 1. art. 1. append.* connectendo *qu. 24. art. 2. append.* Item a Gregor. IX. damnantur Waldenses sub nomine Pauperum de Lugduno (nominabantur enim & *Waldenses, & Pauperes de Lugduno, & Inzabbatati*) & consequenter tota doctrina, seu errores illorum. Nam Augustino teste, ut alias dictum est, *quorum damnantur auctores, quomodo eorum capitula recipi possunt?* Sic autem habet Gregorius: „

„ Excommunicamus, & anathematizamus
 „ universos hæreticos, Catharos, Pathare-
 „ nos, Pauperes de Lugduno, Passaginos,
 „ Speronistas, & alios quibuscunque nomi-
 „ nibus censeantur, &c. Damnati vero per
 „ Ecclesiam sæculari judicio relinquuntur ani-
 „ madversione debita puniendi: clericis pri-
 „ us a suis ordinibus degradatis. „ Hæc ille
 „ de hæret. cap. Excommunicamus 2. Vide
 „ Rossensem contra *art. 17. & 19. Lutheri,*
 „ Tertio habes: quomodo pec rationem prædi-
 „ cta Scripturarum, & Patrum, pro quanto
 „ indulgentias statuunt aliquid valere etiam in
 „ foro cæli, & intelligas. & probes, & de-
 „ fendas. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 68

Utrum Indulgentiæ tantum valeant, quantum pronuntiantur

AD secundum sic proceditur. Videtur quod indulgentiæ non valeant tantum, quantum pronuntiantur. Indulgentiæ enim non habent effectum nisi ex vi clavium. Sed ex vi clavium non potest habens clavem dimittere de pœna peccati nisi aliquid determinatum, considerata quantitate peccati, & contritionis pœnitentis. Ergo cum indulgentiæ fiant pro libito instituentis indulgentiam, videtur quod non valeant tantum, quantum pronuntiantur.

2. Præterea. Per debitum pœnæ homo a gloriæ adeptione retardatur, quam summe appetere debet. Sed si indulgentiæ tantum valent, quantum pronuntiantur, in brevi homo per indulgentias discurrens posset ab omni reatu temporalis pœnæ immunis reddi. Ergo videtur quod deberet his acquirendis, omnibus aliis operibus dimissis, homo vacare.

3. Præterea. Aliquando datur indulgentia quod qui dat auxilium ad aliquam fabricam erigendam, tertiam partem remissionis peccatorum consequatur. Si ergo indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur, tunc qui dat unum denarium, & secundo unum alium, & iterum unum alium, plenam absolutionem ab omni peccatorum pœna consequitur: quod videtur absurdum.

4. Præterea. Quandoque datur hoc modo indulgentia, quod qui vadit ad aliquam Ecclesiam, septem annos remissionis consequatur. Si ergo tantum valet indulgentia, quantum prædicatur, ille qui habet domum tuam juxta Ecclesiam illam, vel clerici Ec-

E o 2 clesiz,

clesiæ, qui quotidie vadunt, consequuntur tantum, quantum ille qui a remotis partibus venit (quod videtur injustum) & iterum, ut videtur, pluries indulgentiam consequitur in die, cum pluries vadat.

5. Præterea. Idem videtur (1) remittere alicui pœnam ultra justam æstimationem, quod remittere abique causa: quia quantum ad hoc quod excedit, non recompensatur. (2) Sed ille qui facit indulgentiam, non posset remittere abique causa pœnam in toto, vel in parte alicui, etiam si diceret Papa alicui: *Ego remitto tibi omnem pœnam debitam pro peccato*. Ergo videtur quod nec possit aliquid dimittere ultra justam æstimationem. Sed indulgentiæ plerumque prædicantur ultra justam æstimationem. Ergo non tantum valent, quantum prædicantur.

Sed contra. Job. XIII. 7. *Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* Ergo Ecclesia prædicando indulgentias non mentitur: & ita tantum valent, quantum prædicantur.

Præterea. I. Corinth. xv. 14. dicit Apostolus (3) *Si inanis est prædicatio vestra, inanis est & fides vestra*. Ergo quicumque in prædicatione falsum dicit, fidem, quantum est in se, evacuat; & ita mortaliter peccat. Si ergo non tantum valent, quantum prædicantur, omnes mortaliter peccant indulgentiam prædicantes: quod est absurdum.

Respondeo dicendum, quod circa hoc est multiplex opinio. Quidam enim dicunt, quod hujusmodi indulgentiæ non tantum valent, quantum prædicantur, sed unicuique tantum valent, quantum fides, & devotio sua exi-

git. Sed dicunt, quod Ecclesia ad hoc ita pronuntiat, ut quadam pia fraude homines ad beneficiendum alliciat; sicut mater, quæ promittens filio pomum, ipsum ad ambulandum provocat. Sed hoc videtur esse valde periculosum dicere. Sicut enim dicit Augustinus in epist. ad Hieronymum (lxxiiii. al. viii. cir. med.) *Si in sacra Scriptura deprehenditur aliquid falsitatis, jam robur auctoritatis sacra Scriptura perit* (4). Et similiter si in prædicatione Ecclesiæ aliqua falsitas deprehenderetur, non essent documenta Ecclesiæ alicujus auctoritatis ad roborandam fidem.

Et ideo alii dixerunt, quod valent tantum, quantum pronuntiantur secundum justam æstimationem, non tamen dantis indulgentiam, qui nimis forte æstimat quod dat, aut secundum æstimationem recipientis, qui nimis parum æstimare posset quod datur; sed secundum justam æstimationem, quæ justa est secundum judicium bonorum, pensata conditione personæ, & utilitate, & necessitate Ecclesiæ: quia uno tempore Ecclesia plus indiget quam alio. Sed hæc etiam opinio stare non potest, ut videtur. Primo quia secundum hoc indulgentiæ non valent ad remissionem, sed magis ad commutationem quandam. Et præterea prædicatio Ecclesiæ a mendacio non excusaretur; cum quandoque indulgentia prædicetur longe major quam justa æstimatio possit requirere, omnibus prædictis conditionibus pensatis: sicut quando dat Papa indulgentiam, quod pergens ad unam Ecclesiam habeat septem annos indulgentiæ: cuiusmodi etiam indul-

(1) Vel pleniori sensu, *Idem videtur esse*, remittere alicui &c.

(2) Nempe suppleto illud quod ultra justam æstimationem sine aliqua vera & legitima causa relaxatur: Unde *recompensatur* idem est ac fit *recompensatio*; nisi & ita construat, *quantum ad hoc non recompensatur quod excedit*.

(3) De resurrectione loquens quam futuram exemplo Christi prædicabat: Sic enim vers. 14. Paulo aliis verbis quam hic: *Si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit: Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio vestra, inanis est & fides vestra*: Fidem ergo inanem ex eo tantum infert quod iuxta hypothesein Christus non resurrexit, sed perinde est ac si referat ad inanem prædicationem quæ illum dicit resurrexisse, applicarique generaliter potest ad id omne quod inaniter prædicatur sicut hic.

(4) Sive aliis verbis & plenius: *Admisso semel in locum auctoritatis fastidium officioso aliquo menda-*

cio nulla illorum librorum particula romanis que non (ut cuique videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis) eadem perniciosissima regula ad mensuram auctoris consilium officiosumque referatur; atque ita nullquam erit in libris sanctis casta veritatis auctoritas & Vel sicut inferius etiam addit: *Agendum est ut ad cognitionem divinarum Scripturarum talis homo accedat qui de sanctis libris talia veraciter existimet ut nolis aliqua eorum parte delectari per officiosa mendacia: potiusque id quod non intelligit transcat, quam cor suum (vel cogitationem suam) illi præferat veritati: Profecto enim cum hoc dicit, vredi sibi capitis, & id agis ut divinarum Scripturarum auctoritatem non credamus: Et paulo infra: *Cognosco, sustinere auctoritatem Scripturarum divinarum, ut in eis credas quisque quod vult & quod non vult non credas, si semel fueris persuasum eos per quas nobis ministrata sunt, potuisse mentiri &c.**

gentiæ a beato Gregorio in stationibus Romæ institutæ sunt.

Et ideo alii dicunt, quod quantitas remissionis in indulgentiis non est mensuranda secundum devotionem tantum suscipientis, ut prima opinio dicebat; neque secundum quantitatem ejus quod datur, sicut dicebat secunda; sed secundum causam pro qua indulgentia datur, ex qua reputatur quis dignus, ut talem indulgentiam consequatur. Unde secundum quod accedit ad illam causam, secundum hoc consequitur remissionem indulgentiæ vel in toto, vel in parte. Sed hoc iterum non potest salvare consuetudinem Ecclesiæ, quæ interdum majorem pro eadem causa, interdum minorem indulgentiam ponit; sicut rebus eodem modo se habentibus, quandoque datur unus annus visitantibus Ecclesiam unam, quandoque quadraginta dies prout gratiam Papa facere voluerit, indulgentiam constituens. Unde quantitas remissionis indulgentiæ non est mensuranda ex causa quæ facit aliquem indulgentia dignum.

Et ideo dicendum est, quod quantitas effectus sequitur quantitatem suæ causæ. Causa autem remissionis pœnæ in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiæ, quæ se habet sufficienter ad totam pœnam expiandam: non autem causa remissionis effectiva est vel devotio, vel labor, vel datum recipientis indulgentiam, aut causa pro qua datur indulgentia. Unde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ, quæ semper superabundant. (1) Et ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem quod applicantur isti, requiritur auctoritas dispensandi hujusmodi thesaurum, & unio ejus cui dispensatur, ad eum qui merebatur (quod fit per caritatem;) & ratio dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum qui opera meritoria fecerunt, fecerunt enim ad honorem Dei, utilitatem Ecclesiæ in genera-

li. Unde quæcumque causa adfit quæ in utilitatem Ecclesiæ, & honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi.

Et ideo secundum alios est dicendum, quod indulgentiæ simpliciter tantum valent, quantum prædicantur; dummodo ex parte dantis sit auctoritas, & ex parte recipientis caritas, & ex parte causæ pietas, quæ comprehendit honorem Dei, & proximi utilitatem. Nec in hoc sit nimis magnum forum de misericordia Dei (ut quidam dicunt,) nec divinæ justitiæ derogatur: quia nihil de pœna dimittitur; sed unius pœna alteri computatur.

Ad primum ergo dicendum, quod clavis, sicut supra dictum est (quæst. xix. art. 3.) est duplex, & jurisdictionis, & jurisdictionis. Clavis ordinis sacramentale quoddam est. Et quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine, sed a Deo; ideo non potest taxare sacerdos quantum per clavem ordinis in foro confessionis de pœna debita dimittatur; sed tantum dimittitur quantum Deus ordinavit. Sed clavis jurisdictionis non est quid sacramentale, & effectus ejus arbitrio hominis subjacet: & hujusmodi clavis effectus est remissio quæ est per indulgentias; cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiæ. Et ideo etiam Legati non sacerdotes indulgentias facere possunt. Unde in arbitrio dantis indulgentiam est taxare, quantum per indulgentiam de pœna remittitur. Si tamen inordinate remittat; ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus penitentis revocentur, peccat faciens tales indulgentias: nihilominus quis plenam indulgentiam consequitur.

Ad secundum dicendum, quod quamvis hujusmodi indulgentiæ multum valeant ad remissionem pœnæ; tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu præmii essentialis: quod in infinitum melius est quam dimissio pœnæ temporalis.

Ad

(1) Sic enim Clemens 6. in Extravaganti Unigenitus de penitentibus & remissionibus, postquam promissit Christum innocentem in ara crucis immolatum non guttam sanguinis medicam (quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset) sed copiose veluti quoddam profuvium, illum effudisse; ac deinde quod ne supervacua & inanis & superflua tanta effusionis miseria redderetur, thesaurum milanensi Ecclesiæ acquisivit, volens suis thesaurizantibus filiis pius pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus quo qui usi sunt,

participes Dei amicitia sunt effecti; & rursus quod ad hujus thesauri cumulum, Beate Dei genitricis, & omnium etiam electorum a primo iusto usque ad ultimum merito quoddam administratum præstant; subdit: De cujus consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi, ut prædictum est, merita, quam pro eo quod quanto plures ex ejus applicatione trahantur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.

Ad tertium dicendum, quod quando datur indulgentia indeterminate ei qui dat auxilium ad fabricam Ecclesie, intelligitur tale auxilium quod sit conveniens ei qui auxilium dat: & secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus, vel minus de indulgentia consequitur. Unde etiam aliquis pauper datus unum denarium consequitur totam indulgentiam non autem dives, quem non decet ad opus tam pium, & fructuosum ita parum dare: sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere, si ei obolum daret.

Ad quartum dicendum, quod ille qui est vicinus Ecclesie, & Ecclesie sacerdotes, & clerici consequuntur tantam indulgentiam, sicut illi qui venient a mille diebus (1) quia remissio non proportionatur labori, ut dictum est (in corp.) sed meritis que dispensantur; sed ille qui plus laboraret, acquireret plus de merito. Sed hoc intelligendum est, quando indistincte indulgentia datur. Quandoque enim distinguitur: sicut Papa in generalibus absolutionibus, illis qui transeunt mare, dat quinque annos, aliis qui transeunt montes, tres, aliis unum. Nec tamen, quotiescumque vadit infra tempus indulgentie, toties eam consequitur, quandoque enim ad determinatum tempus datur; ut cum dicitur, *Quicumque vadit ad Ecclesiam salam usque ad tale tempus, habeat sanum de indulgentia*, intelligitur semel tantum. Sed si in aliqua Ecclesia sit indulgentia personis; sicut in Ecclesia beati Petri quadraginta dierum, tunc quoties aliquis vadit, toties indulgentiam consequitur.

Ad quintum dicendum, quod causa non requiritur ad hoc quod secundum eam mensurari debeat remissio poenae; sed ad hoc quod intentio illorum quorum merita communicantur, ad istam pervenire possit. Bonum autem unius communicatur alteri dupliciter. Uno modo per caritatem: & sic etiam sine indulgentiis aliquis est omnium bonorum particeps que suus, si in caritate sit. Alio modo per intentionem facientis: & sic per indulgentias, si causa legitima adsit, potest intentio illius qui pro utilitate Ecclesie operatus est, ad istum continuari.

APPENDIX.

EX art. habes primo; quomodo per rationem contendas errorem *Luth.* dicentis; quod indulgentie sunt pie fraudes fidelium. Hinc videas tu, quantum cavenda sit prima opinio in princ. cor. ar. reprobata. Quicquid enim fuerit de intentione dicentium illam unum est, quod in verbis a Lutheri errore non diffidet, quod magnum sane inconveniens est etiam (quacunquē alia falsitate omissa) quoniam cum hæreticis nec vocabula debemus habere communia. Item habes: quomodo, &c. errorem ejusdem adentis, quod indulgentie sunt remissiones bonorum operum, que licent, non expediunt. Item dicentis, quod seducuntur credentes, indulgentias esse salutare, & ad fructum spiritus utiles. Item hæresim *Jean. Wicleff* dicentis, quod indulg. Papæ, & Episcoporum credere, fatuum est. Item *Jacobi Præpositi* dicentis, quod nullus esset ecclesie thesaurus, præter Christi merita, que duntaxat per ipsum Christum applicantur unicuique secundum suam fidem. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito in hoc damnatum fuisse *Wicleff* a Concilio *Constantiensi* sess. 8. ubi, recitato errore præmissio inter alios ipsius *Wicleff*, profertur sententia damnationis, que refertur supra q. 1. art. 1. appen. & q. 20. art. 3. app. Item de *Luthero* habes damnationem quoad præmissos errores supra q. 1. art. 1. appen. cum q. 24. art. 1. appen. Item a Concilio *Trid.* & *Lutheri*, & *Wicleff*, & *Jacobi Præpositi* damnantur omnia scripta cujuscunque nominis, tituli, aut argumenti existant: quandoquidem in prima classe ab ipso concilio reponuntur in indice librorum prohibitorum. Unde nota, quod ex illo indica potes canonicè multas hæreses, & errores plurimorum sic universaliter brevibus damnatos agnoscere. Vide ergo illam indicem, & pone in practica. Item specialiter a *Clemente VI.* ad Archiepiscopum *Tarracensium*, & habetur in extravag. commun. de poenit. & remis. „Dudum de fratrum

(1) Melius quam *diebus* ut prius, cum ex græco *Narra* non sit idem *diebus* cum diphthongo quam quod hic per *diebus* sine diphthongo significari debet, nimirum iter quod perficitur uno die. Unde *mille diebus* iter mille dierum significat: Quamvis & *Calippus* cum *diebus* significata enumerat, æque in uno

ac in alio sensu scribet cum diphthongo. Certus autem numerus pro incerto ponitur, cum vix ex tanta distantia quanta per mille dies percurrenda sit, ad lucrandas indulgentias veniatur; ac hypotesis illa quantumcumque incredibilis exprimitur ad longissimum iter designandum.

nostrorum consilio, & plenitudine Apo-
 postolicæ potestatis indulgentiam, &c. Ad
 perpetuam rei memoriam. Unigenitus Dei
 filius, &c. non guttam sanguinis modi-
 cam (quæ tamen propter unionem ad
 verbum pro redemptione totius humani
 generis suffocisset) sed copiose, velut quod-
 dam profuvium nascitur effundisse, &c.
 tantum ergo exinde (ut nec supervacua,
 inanis, aut superflua, tantæ effusionis mi-
 seratio redderetur) thesaurum militanti
 ecclesiæ acquisivit, &c. Quem quidem the-
 saurum non in sedario repositum, non in
 agro absconditum, sed per Beatum Pe-
 trum cæli clavigeram, ejusque successo-
 res, suos in terris Vicarios, commisit fi-
 delibus salubriter dispensandum; & pro
 piis, & rationabilibus causis nunc pro to-
 tali, nunc pro partiali remissione pœne
 temporalis pro peccatis debita, tam ge-
 neraliter, quam specialiter (prout cum
 Deo expedire cognoscerent) vere poenit-
 tentibus, & confessis misericorditer appli-
 candum. Ad cujus quidem thesauri cum-
 mulari Beatæ Dei genitricis, & omnium
 electorum, a primo justo usque ad ulti-
 mum; merita adminiculum præstare no-
 scuntur. De cujus consumptione, seu mi-
 nutione non est aliquatenus formidandum,
 tam propter infinita Christi (ut prædi-
 ctum est) merita, quam pro eo, quod
 quanto plures ex ejus applicatione trahun-
 tur ad justitiam, tanto magis accrescitur
 ipsorum cumulus meritorum. Hæc ille
 ibi. Unde per ly plures ejus applicatione tra-
 huntur ad justitiam damnes Lutherum negan-
 tem, indulgentias esse statuas, & ad fru-
 ctum spiritus utiles. Item a, &c. ut in ar.
 2. maxime in app. Vide Rössensem contra
 art. 18. 20. Lutheri. Tertio habes: quomodo
 pet rationem ostendas, merito insinuatam esse
 a summis Pontificibus, & Conciliis; quod
 tantum valent indulgentiæ, quantum prædi-
 cantur. Insinuatam est autem hoc, quando
 falsa circa indulgentiarum largitionem præ-
 dicari magnis pœnis prohibuerunt; ut quan-
 do Clemens V. in Concil. Viennensi dicit.
 Quibus etiam religiosis in virtute sanctæ
 obedientiæ, & sub interminatione male-
 dictionis æternæ districtius inhibemus, ne
 in sermonibus suis ecclesiarum præla-
 tis detrahant, aut etiam retrahant laicos
 ab ecclesiarum suarum frequentia, vel ac-
 cessu; seu indulgentias pronuncient indi-
 scretas. Hæc ille ibi, & recitantur de
 privileg. & excess. privilegiat. in Clemen-

Religiosi. Ubi dicit glossa super ly indifferen-
 tas, idest non concessas. Item ab eodem in
 eodem. Abusionibus, quas nonnulli in suis
 proponunt prædicationibus, ut simplices
 decipiant, & aurum subitili, vel fallaci
 potius ingenio extorqueant ab eisdem, &c.
 Diximus prohibendum districte, ne qua-
 stros aliqui (nisi Apostolicas, vel diœ-
 cesani Episcopi litteras exhibuerint) quo-
 modolibet admittantur, nec permittantur
 cum solum ipsis competat indulgentias si-
 bi concessas insinuare populo, &c. nulla-
 tenus ipsi podulo prædicare, nec aliud ex-
 ponere, quam quod in litteris continebi-
 tur supradictis; Litteras quoque Apostoli-
 cas diœcesani Episcopi (ne quid fraudis
 per easdem committi valeat) antequam
 admittant quæstros ipsos, examinent di-
 ligenter. Hæc ibi, & habentur de poenit-
 tent. & remiss. in Clement. Ubi videre est,
 quanta circumspectione utitur Papa, ne ali-
 qua fraus, aut mendacium in publicandis in-
 dulgentiis committatur. Unde & infra dicit.
 Non sine multa temeritatis audacia, &
 deceptione multiplici animarum, indulgen-
 tias populo motu suo proprio aliqui conce-
 dant, &c. Nos abusus hujusmodi, per
 quos censura vilescit ecclesiastica, & cla-
 vium ecclesiæ auctoritas, aboleri volentes
 omnimodo, &c. eos per locorum Episco-
 pos puniri volumus. Hæc ibi. Item ab
 Innocentio III. in Conc. Lateranensi de poenit-
 tent. & remiss. Cum ex. eo. Ibi enim ea-
 dem ferme recitantur conformiter ad Clemen-
 tem. Item a Conc. Trident. sess. 25. de cr. de
 indulg. Abusus vero, quorum occasione in-
 signe hoc indulgentiarum nomen ab hære-
 tics blasphematur, emendatos, & corre-
 ctos cupiens, præsentis decreto generaliter
 statuit, omnino abolendos esse, &c. ut
 ita sanctarum indulgentiarum munus pie,
 sancte, & incorrupte, omnibus fidelibus
 dispensetur. Hæc ibi. Quarto habes:
 quomodo per rationem prædicta patrum, pro
 quanto indulgentias tantum valere docent,
 quantum ab ecclesiâ prædicantur, & intelli-
 gas, & tuearis. Quinto vides quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 99

Utrum pro temporali subsidio fieri debeat indulgentia.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod
 pro temporali subsidio non debeat fieri
 indulgentia. Quia remissio peccatorum est
 quod-

quoddam spirituale (1) Sed dare spirituale pro temporali est simonia. Ergo fieri hoc non debet.

2. Præterea. Spiritualia subsidia sunt magis necessaria quam temporalia. Sed pro spiritualibus subsidiis non videntur fieri indulgentiæ. Ergo multo minus pro temporalibus fieri debent.

Sed contra est communis Ecclesiæ consuetudo, quæ pro peregrinationibus, & elemosynis faciendis indulgentias facit.

Respondeo dicendum, quod temporalia ad spiritualia ordinantur: quia propter spiritualia debemus uti temporalibus. Et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut est repressio inimicorum Ecclesiæ, qui pacem Ecclesiæ perturbant; sicut constructio Ecclesiarum, & pontium, & aliarum elemosynarum largitio. (2)

Et per hoc patet quod non fit ibi simonia: quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali.

Unde patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod etiam pro pure spiritualibus potest fieri indulgentia, & fit quandoque: sicut quicumque orat pro Rege Franciæ, habet decem dies de indulgentia a Papa Innocentio IV. & similiter crucem prædicantibus datur quandoque eadem indulgentia quæ accipientibus,

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a Scripturis, & Pontificibus summis, quod spiritualia possunt dari pro temporalibus, non ut *ly pro* dicat prætium, vel principalem intentionem: sed ut dicit adminiculum, stipendium, &c. ut in not. 1. post ad 1. Insinua-

tum vero est hoc ab Apost. 1. Cor. 9. *Sed nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* Item: *dignus est operarius mercede sua.* Luc. 10. *vel cibo suo.* Matth. 10. Unde & aliis multis similibus Scripturarum locis patet; quod dantes spiritualia possunt e contrario vicissim accipere temporalia. A Pontificibus autem hoc ipsum specialiter de indulgentiis insinuatum est; & quidem ab *Alexan. III.* ad Archiep. *Causantien.* *Quod autem, &c. Remissiones prædictas (id est, quæ fiunt in dedicationibus ecclesiarum, aut conferentibus ad edificationem pensium) prodesse illis tantummodo arbitramur; quibus, ut profus, proprii iudices specialiter indulserunt.* Hæc ille; & recitatur de pœnit. & remiss. Item ab *Innocentio III.* approbante Concilio illo maximo *Lateranensi*, quo nullum fuit generalius a Christo passio, secundum *Eckium* in confutatione articuli secundi protestantium de Eucharistia: cum in eo fuerint Papa, Constantinopolitanus Patriarcha, & Hierosolymitanus, mille, & ducenti octoginta Prælati orientalis simul, & occidentalis Ecclesiæ. „ Nos igitur omnipotentis Dei misericordia, & BB. Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confissi, „ ex illa quam nobis, licet indigne, Deus „ ligandi, atque solvendi contulit, potestate, „ omnibus, qui, &c. plenam suorum peccaminum, de quibus fuerint liberaliter corde contriti, & confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis „ pollicemur augmentum: eis autem, quæ „ in suis dumtaxat expensis juxta facultatem, „ & qualitatem suam viros idoneos destinarent, &c. plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus, & concedimus esse participes, juxta qualitatem subsidii, & devotionis affectum, omnes, qui ad subventionem ipsius Terræ sanctæ de bonis suis „ con-

(1) Non remissio tantum quoad culpam, sed remissio quoad pœnam quæ culpam præsupponit, & est effectus culpæ: Nam pœnæ tantum remissionem *Indulgentia* significat prout in proposito accipitur, desiniturque *relaxatio pœnæ temporalis peccato actuali debita per applicationem extraordinariam satisfationis Christi & Sanctorum, virtute potestatis clavium quæ Christus Ecclesia reliquit, extra Sacramentum ab eo facta qui ejus applicationis auctoritatem habet.*

(2) Vel subsidium terræ sanctæ, ad eam ex Turcarum opprèssione liberandam; sive personaliter exhibitum a cruciferis militibus, ut in *Claramontano*

Concilio sub Urbano 2. sive per pecuniam vel quamlibet operam in opus illud ministratam, id est personaliter pergentibus præstitam opem; ut in Lateranensi sub Innocentio 3. Quod autem infra scriptas indulgentias pro Christianissimo Franciæ Rege orantibus Innocentius 4. concesserit, Navarrus quoque refert Tracl. de oratoriis, & horis Canonicis cap. 17. num. 90. & causam reddit ob officia illustrissima sæpe Apostolica præstita Sedi, ac septem Pontifices vel octo ejus opæ in suam Sedem restituis. Quin & eam ob causam centum dies Clemens 7. dedit, Leo 10. annum; ut & de ritibus Ecclesiæ lib. 1. cap. 33. num. 18. Durandus commemorat.

„ congrue ministrabunt , aut consilium , & „ auxilium impenderint opportunum . *Hec „ ille cap. 70. in expeditione pro recuperanda „ Terra sancta . Ubi & nota ly juxta facultatem suam , & ly juxta qualitatem subsidii , pro qu. 25. art. 2. ad 3. Item ab „ Alexand. III. in Conc. Lateran. par. 44. „ ca. 5. Milites templi Hierusalem , &c. per „ quos Deus orientalem Ecclesiam a paganorum spurcitia liberat , &c. ipsi peregrinos ad sancta loca proficiscentes tam in „ cundo , quam in redeundo , a paganorum „ incurfibus defendunt . Et quoniam ad tam „ sanctum , & pium opus explendum eis facultates proprias non suppetunt , presentibus litteris exoro , quatenus inde subleventur eorum inopia , populum a Deo vobis „ commissum collectas facere moneatis . Quicumque autem de facultatibus a Deo sibi „ collatis in ista secunda collecta se constituerint , eisque beneficium persolverint per „ annum , septimam partem poenitentiae injunctae , consili de BB. Apostolorum Petri , & Pauli meritis indulgemus , . Item a „ Leone X in Concil. Later. sess. 9. datur indulgentia similis pro decernenda expeditione contra infideles , & pae christianorum . Vide tu ibi in bulla : *Posteaquam ad universalis Ecclesiae curam , &c Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas praedicta PP. pro quanto indulgentiam posse dari innunt pro temporali subsidio , & intelligas , & defendas . *Tertio* vides quomodo : &c.*

QUESTIO XXVI.

De his qui possunt indulgentias facere ,

In quatuor articulos divisa .

DEinde considerandum est de his qui possunt indulgentias facere .

Circa quod quatuor quaeruntur .

Primo , utrum quilibet sacerdos parochialis possit indulgentias facere .

Secundo , utrum diaconus , vel alius non sacerdos possit eas facere .

Tertio , utrum Episcopus possit eas facere .

Quarto , utrum existens in peccato mortali possit eas facere .

Summ. S. Tb. Tom. XIII.

Utrum quilibet sacerdos parochialis possit indulgentias facere .

S. Thom. IV. dist. xx. quest. 1. art. 4. quest. 1. & seq.

AD primum sic proceditur . Videtur quod quilibet sacerdos parochialis possit indulgentias facere . Indulgentia enim habet efficaciam ex abundantia meritorum Ecclesiae . Sed non est aliqua congregatio in qua non sit aliqua abundantia meritorum . Ergo quilibet sacerdos potest facere indulgentias , si habet plebem subiectam : & similiter quilibet praelatus .

2. Praeterea . Praelatus quilibet gerit personam totius multitudinis , sicut unus homo particularis gerit personam suam . Sed quilibet potest alteri communicare bona sua , pro altero satisfaciendo . Ergo & praelatus potest communicare bona multitudinis sibi commissae : & sic videtur quod possit indulgentias facere .

Sed contra . Minus est excommunicare quam indulgentias facere . Sed hoc non potest sacerdos parochialis (1) . Ergo nec illud .

Respondeo dicendum , quod indulgentiae effectum habent , secundum quod opera satisfactoria unius alteri computantur , non solum ex vi caritatis , sed etiam ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipsum . Sed intentio alicujus potest ad alterum dirigi tripliciter ; aut in speciali , aut in generali , aut in singulari . In singulari quidem sicut cum quis pro alio satisfacit determinate : & sic quilibet ; potest alteri sua opera communicare . In speciali autem , sicut cum quis orat pro congregatione sua , & familiaribus , & benefactoribus ; & ad hoc etiam ordinat sua opera satisfactoria : & sic ille qui congregationi praest , potest opera illa alii communicare , applicando intentionem illorum qui sunt de congregatione sua ad hunc determinate . Sed in generali , sicut cum quis opera sua ordinat ad bonum Ecclesiae in generali : & sic ille qui praest Ecclesiae generaliter , potest opera illa communicare , applicando .

F f

pli-

(1) Puta excommunicare , ut ostensum est suo loco cum paulo ante de excommunicatione ageretur ; scilicet quest. 21. art. 1. Plus autem esse ut ab aliquo indulgentia concedatur quam ut excommunicet , satis indicat utriusque differentia potestatis ; quia plus

est conferre bonum & salutis impedimentum removere , quod per Indulgentiam efficitur , quam infligere malum vel privare aliquo bono , & media salutis impedire , quod fit per excommunicationem &c.

plicando intentionem suam ad hunc, vel illum. (1) Et quia homo est pars congregationis, & congregatio est pars Ecclesie; ideo in intentione privati boni includitur intentio boni congregationis, & boni totius Ecclesie. Et ideo ille qui præest Ecclesie, potest communicare ea quæ sunt congregationis, & hujus hominis; & ille qui præest congregationi, potest communicare ea quæ sunt hominis: sed non convertitur. Sed neque prima communicatio, neque secunda, indulgentia dicitur, sed solum tertia, propter duo. Primo quia per illas communicationes quamvis homo solvatur a reatu pœnæ quantum ad Deum; tamen non solvitur a debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus est ex præcepto Ecclesie, sed per tertiam communicationem homo etiam ab hoc debito solvitur. Secundo quia in una persona, vel in una congregatione non est indigentia meritorum, ut sibi, & omnibus aliis valere possint: unde iste non absolvitur a pœna debita pro toto, nisi tantum determinate pro eo fiat, quantum debeat. Sed in Ecclesia tota est indigentia meritorum, præcipue propter meritum Christi. Et ideo solus ille qui præficitur Ecclesie, potest indulgentias facere. Sed cum Ecclesia sit congregatio fidelium, congregatio autem hominum sit duplex; scilicet œconomica (2), sicut illi qui de una familia sunt; & politica, sicut illi qui sunt de uno populo: Ecclesia assimilatur congregationi politicæ, quia ipse populus Ecclesia dicitur; sed conventus diversus, vel parochie in una diœcesi assimilantur congregationi in diversis familiis, vel in diversis officiis. Et ideo solus Episcopus proprie

prælatus Ecclesie dicitur: & ideo ipse solus quasi sponsum annulum Ecclesie recipit (3): & ideo solus ipse habet potestatem plenam in dispensatione sacramentorum, & jurisdictionem in foro (*) causarum quasi persona publica; alii autem, secundum quod ab eo eis committitur. Sed sacerdotes qui plebibus præficiuntur, non sunt simpliciter prælati, sed quasi coadiutores: unde in consecratione sacerdotum Episcopus dicit: *Quanto fragiliores sumus, tanta magis auxiliis bis indigemus*: & propter hoc etiam non omnia sacramenta dispensant. Unde sacerdotes parochiales, vel Abbates, aut alii hujusmodi prælati non possunt indulgentias facere. (4)

Et per hoc patet responsio ad objecta.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito ab *Innocentio III.* in Concilio generali esse infirmatum, quod indulgentias facere possunt Episcopi, non autem Abbates, vel parochiales sacerdotes. Infirmitatum vero tunc est istud per suam tale in generali Concilio dictum. „*Accedentibus* „ ad nos de diversis mundi partibus Episcoporum querelis intelleximus graves, & „ grandes quorundam Abbatum excessus, qui „ suis finibus non contenti manus ad ea, quæ „ sunt episcopalis dignitatis, extendunt, de „ causis matrimonialibus cognoscendo, injungendo publicas poenitentias, concedendo etiam „ iam indulgentiarum litteras, & similia presumendo. Unde contingit interdum, quod „ vilescit auctoritas apud multos. Volentes „ igitur in his & episcoporum dignitati, & „ Ab-

(1) Hoc significat Clemens 6. loco jam indicato cum subjungit post primam appendicem quam retulimus: *Quem quidem thesaurum non* (sicut Luc. 19.) *in sudario repositum*, non (ut Matth. 14.) *in agro absconditum*, sed per *Beatum Petrum calis clavigerum ejusque successores* (suis in terris Vicarios) *commisit fidelibus salubriter dispensandum & propriis ac rationabilibus causis prout cum Deo expedire cognoscerent, misericorditer applicandum.*

(2) Veluti domestice juxta græcum οἰκονομικῆς sicut & politica pro civili ex græco πολιτικῆς mox adjungitur.

(3) Ut lib. 1. de mysteriis Missæ cap. 61. Innocentius 3. ex professo explicat præter aliam interpretationem quam cap. 46. præmiserat ac infra suo loco cum de ornamentis Pontificalibus agitur quæst. 40 art. 7. referemus.

(*) Al. Ecclesiarum, item Ecclesie.

(4) Sic enim rursus in Innocentius 3. in Concilio

Lateranensi cap. 60. ut cap. *Accedentibus* Extra de excessibus Prælatorum refertur: *Accedentibus* (inquit) *ad nos de diversis mundi partibus Episcoporum querelis intelleximus graves & grandes quorundam Abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea quæ sunt Episcopalis dignitatis, extendunt: injungendo publicas poenitentias, concedendo indulgentiarum litteras, & similia presumendo: Unde contingit interdum quod vilescit episcopalis auctoritas apud multos: Volentes igitur in his & Episcoporum dignitati & Abbatum providere salutis, præsentis Decreto firmiter prohibemus ne quis Abbatum ad talia presumas se extendere, si proprium voluerit periculum evitare; nisi forsitan quiscumque eorum speciali concessione vel alia legitima causa super hujusmodi valeat se tueri: Hoc porro multo magis de inferioribus aliis prohibere subintelligi debet.*

„ Abbatum providere salutem, presentem decre-
 „ tum firmiter prohibemus, ne quis Abbatum
 „ ad talia se presumat extendere, si proprium
 „ voluerit periculum evitare, nisi forsitan qui-
 „ squam eorum speciali concessione, vel alia
 „ legitima causa super huiusmodi valeat
 „ se tueri. „ Hæc ille: & recitantur de excep-
 „ tionibus. Nota in *indulgentiarum litteras*
 designare: quod dare indulgentias publicas
 est episcopalis tantum dignitatis. Nota in *ly*
Abbatum providere salutem, quod non est tu-
 rum in conscientia dicere illos posse dare
 indulgentias tales: quod etiam, a fortiori,
 dic de sacerdotibus parochialibus. Nota
 in *ly nisi speciali concessione, vel alia legiti-
 ma causa*, quod ex commissione speciali, si
 eis daretur a superioribus, vel etiam ex con-
 suetudine prescripta quæ dat jurisdictionem
de officio archidiaconi dilectio. & de presc. auditis, &
de form. compet. cum contingat, possent tales
 dare indulgentias. Nec sunt ista contra de-
 terminata in articulo, ut consideranti ibi dicta
 cum eluc. patet. *Secundo* habes: quomodo
 per rationem decreta *Innocentii*, pro quan-
 to indulgentiarum concedendarum facultatem
 solis episcopis asserit convenire, & intelligas
 & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 101

Utrum Diaconus, vel alius non sacerdos possit indulgentias facere.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod
 diaconus non possit indulgentias facere,
 vel alius non sacerdos. Quia remissio peccatorum
 est effectus clavium. Sed non habet
 claves nisi solus sacerdos. Ergo ipse solus po-
 test indulgentias facere.

2. Præterea. Plenior remissio peccatorum est in
 indulgentiis quam in foro poenitentiali. Sed hoc
 non potest nisi solus sacerdos. Ergo nec illud.

Sed contra: Eidem confertur dispensatio
 thesauri Ecclesie cui committitur regimen
 Ecclesie. Sed hoc committitur quandoque
 non sacerdoti. Ergo potest indulgentias face-
 re: nam ex dispensatione thesauri Ecclesie
 efficaciam habent.

Respondeo dicendum, quod potestas facien-
 di indulgentias sequitur jurisdictionem, ut
 supra dictum est (quæst. præc. art. 2. in
 corp. & ad 1.) Et quia diaconi, & alii
 non sacerdotes possunt habere jurisdictionem
 vel commissam, sicut Legati, vel ordina-
 riam, sicut electi; ideo possunt indulgentias
 facere etiam non sacerdotes; quamvis non

possint absolvere in poenitentiali foro; quod
 est ordinis.

Et per hoc patet solutio ad objecta. In-
 dulgentias enim facere pertinet ad clavem ju-
 risdictionis, & non ad clavem ordinis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per S. Do-
 ctorem a fortiori interimas errorem *An-
 tidiaconarum* dicentium: Episcopi nullam
 esse jurisdictionem: Cum enim articulus præ-
 sens tanquam pro fundamento conclusionis
 supponat, quod Diaconus potest jurisdic-
 tionem habere, utique contra errorem illum a
 fortiori militat. *Secundo* habes: quomodo
 per S. Docto. ostendas a fortiori, errorem
 prædictum merito damnari a, & cert. ut
quæst. 22. articul. 1. & 2. append. Item a,
 &c. ut *arti sequent. append.* *Tertio* habes:
 quomodo per S. Doctorem ostendas merito
 insinuatam esse ab *Innoc. III.* quod Diaconus
 est capax jurisdictionis in foro exteriori, &
 ex consequenti ab eodem Papa merito, tan-
 quam in radice, insinuatam, quod diaconus
 potest facere indulgentias. Hæc autem ab ip-
 so insinuata sunt; quando scribens Archidia-
 cono *Mediolanensi* ait. *Dilectus filius noster,
 G. Sancta Maria in porticu Diaconus Cardi-
 nalis, dum legationis fungeretur officio in par-
 tibus Lombardie, insituit: ut de cætero heretici
 ad consilia, & dignitates Lombardie nul-
 latenus admittantur, nec eligendi alios eis ar-
 bitrium conferatur, nec in eligendis personis
 ad eas vocem aliquam debeant obtinere. Nos
 igitur, quod ab eodem Cardinali statutum est,
 ratum habentes, injungimus, &c.* Hæc ibi.
 Idipsum, quod scilicet legati (hi quando-
 que sunt tantum diaconi) habeant jurisdic-
 tionem, & ex consequenti, &c. patet extra
de offic. Leg. *Quarto* habes: quomodo per S.
 Docto. prædicta, pro quanto, &c. intelligas,
 & defendas. *Quinto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 102

Utrum Episcopus possit indulgentias facere.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod
 etiam Episcopus non possit indulgentias
 facere. Quia thesaurus Ecclesie est commu-
 nis toti Ecclesie. Sed id quod est commune
 toti Ecclesie, non potest dispensari nisi per
 illum qui toti Ecclesie præest. Ergo solus
 Papa potest indulgentias facere.

F f 2 . 2. Præ-

2. Præterea. Nullus potest remittere pœnas a jure determinatas, nisi ille qui habet potestatem jus condendi. Sed pœnæ satisfactoriæ sunt pro peccatis determinatæ a jure. Ergo remittere hujusmodi pœnas potest solus Papa, qui conditor est juris.

Sed contra est consuetudo Ecclesiæ, secundum quam Episcopi dant indulgentias. (1)

Respondeo dicendum, quod Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi Rex in regno. Sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi iudices singulis civitatibus præpositi: propter quod eos solos in suis litteris Papa *fratres* vocat; reliquos autem omnes vocat *filios*. Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in Papa: quia potest facere, prout vult, causa tamen existente legitima. Sed in Episcopis est taxa secundum ordinationem Papæ. Et ideo possunt facere, secundum quod eis est taxatum, & non amplius.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per S. Thomam excludas errorem *Waldensium*, Directi. Inquit. *secunda par. question. decima-quarta*, dicentium, quod Papa nullam prorsus habet auctoritatem concedendi indulgentias. Item *Jo. Westphali* dicentis, thesaurum meritorum sanctorum non posse per Papam distribui, nec etiam pensionem pœna-

rum pro peccatis debitaram posse fieri per pœnas, quas sustulit Christus. Item ejusdem *Joan.* dicentis, quod unus Episcopus sit super alios, & Papa super omnes, non a Christo, sed hominum electione constitutum est. Et propterea concludentis, ubi supra, Episcopus omnes, & presbyteros dignitate, & auctoritate æquales. Item cujusdam, Cardinalis Turrecrem, referente, *de eccles. lib. 2. capis. 62.* dicentis, Episcopum quemlibet esse summum, & sublimissimum jurisdictionis potestate. *Secundo* habes: quomodo per sanctum Thomam ostendas, hos merito damnatos, a, & cæt. ut supra *quest. vigesima-quinta, articulo primo, append. de Waldensium damnatione.* Item ab *Innoc. III.* in Concilio generali, *Cum ex eo, & cæt. Romanus Pontifex obtinet plenitudinem potestatis.* Hæc ibi, & recitantur de pœnitent. & remissi. & loquitur de indulgentiis dispensandis. Item a *Concilio Tridentino sessione vigesimatercia, capis. quarto, & canon. 6.* ubi concilium ipsam loquitur de hierarchia ecclesiastica; ut *questione decima, articulo sexto, append. verbatim adductum est.* Et quia *Joan. Westphal.* Papæ auctoritatem esse ab hominum electione, quod quidem clarius, ut supra *questione vigesima-quarta, articulo primo*, dictum est, asserunt ab Imperatore, ideo, quid de hoc dicat Imperatorum maximus *Constantinus*, audiendum: ut vel sic, ab iis etiam, quibus favent, confusi ignominia suffundantur. Dicit ergo in edicto suo prædictus *Constantinus*.

(1) Ex Concilii Lateranensis concessione sub Innocentio 3. ut videre est *Extra de pœnitentiis & remissionibus cap. Cum ex eo. §. Ad hæc*, ubi dicitur: *Quia per indiscretas & superfluas indulgentias quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur & claves Ecclesie contemnuntur & pœnitentiæ satisfactio enervatur, decernimus cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno sive a pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis remissio indulgæ non excedat.* Et rursum infra: *Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteris præcipimus moderari quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur; cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.* Sic & cap. *Nastro* quod subjungitur ibi, *Honorius 3. ad Archiepiscopum quemdam: Postulasti consicari verum per Provinciam tuam possis concedere remissionis litteras generales: Nos igitur fraternitati tuæ respondemus quod per Provinciam tuam libere potes hujusmodi litteras concedere, sic tamen quod statutum generalis Concilii (prædicti nempe Lateranensis) non excedat: Libro denique sexto Decretalium tit. item de*

pœnitentiis & remissionibus cap. *Indulgentia Bonifacius 8.* hæc eadem resumens implicite ac summarie: *indulgentia (inquit) quæ ab uno vel a pluribus Episcopis in Ecclesiarum dedicationibus vel in aliis quibuscunque casibus conceduntur, vires non obtinent, si statim excefferint Concilii generalis: Quod intelligi non sic debet quasi penitus talis indulgentia invalida, inanis & nulla sit, sed quantum ad id solum quod ultra usitatum concessionem superabundat vel præsumitur. Quamvis videri posset propter præsumptionem nulla omnino declarari, quia meretur privilegium amittere qui permissa sibi abutitur potestate: ut Extra de privilegiis cap. *Tuarum §. Verum* ex Innocentio 3. per aliam occasionem colligitur. Quod autem quantumvis malus indulgentias dare possit, tolli potest ex his quæ de clavium potestate malis etiam conveniente superius dicta sunt quæst. 17. art. 5. & ex Bernardo in Cantica serm. 66. contra nonnullos hæreticos qui se *Apostolos* dici ambirent sed verius *Apostatis* dicerentur, assererantque inter cætera quod *Archiepiscopi, Episcopi, & Presbyteri sunt peccatores: ac per hoc nec dandis nec accipiendis idonei sunt Sacramentis.**

thus, „ In Nomine sanctæ, & individus
 „ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus
 „ sancti, & cæ. Quantam potestatem Salva-
 „ tor noster suo Apostolo B. Petro contule-
 „ rit in celo, æ terra, lucidissime nobis B.
 „ Sylvester Papa, Venerabilis pater edidit,
 „ dem fidelem eum in sua interrogatione in-
 „ veniens ait: Tu es Petrus, & super hanc,
 „ & cæ. Advertite potentes, & aure cordis
 „ intendite, quid bonus magister, & domi-
 „ nus suo discipulo adjunxit, inquit. Quod-
 „ cumque ligaveris super terram, erit liga-
 „ tum & in cælis. Mirum est hoc, & val-
 „ de gloriosum, in terra ligare, & solvere,
 „ & in celo ligatum, & solutum esse, &
 „ cæ. Sicut in terris sanctus Petrus Vicarius
 „ filii Dei esse videtur constitutus, etiam &
 „ Pontifices, qui successores sunt ipsius prin-
 „ cipis Apostolorum, potestatem principatus
 „ amplius, quam terrena imperialis nostræ
 „ serenitatis mansuetudo habere videtur, con-
 „ cessam, a nobis, nostroque Imperio obti-
 „ neant. & cæ. Et, sicut nostram terrenam
 „ imperialem potentiam, sic ejus sacrosan-
 „ ctam Rom. Ecclesiam decrevimus veneran-
 „ ter honorari, & amplius, quam nostrum
 „ Imperium, & terrenum thronum, sedem
 „ sacratissimam B. Petri gloriose exaltari,
 „ & cæ. Decernentes sancimus: ut principa-
 „ tum teneat tam super quatuor præcipuas
 „ sedes Antiochenam; Alexandrinam, Hie-
 „ rosolymitanam, & Constantinopolitanam,
 „ quam etiam super omnes in universo orbe
 „ terrarum Dei Ecclesias. Et Pontifex,
 „ qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Rom.
 „ Ecclesiæ extiterit, celsior, & Princeps cun-
 „ ctis sacerdotibus totius mundi existat, &
 „ cæ. justum quippe est: ut ibi lex sancta
 „ caput teneat principatus, ubi sanctarum
 „ legum institutor Salvator noster B. Petrum
 „ Apostolatus obtinere præcepit Cathedram:
 „ ubi & crucis patibulum, & cæ. „ Hæc
 „ ille. Ubi nota, quod ly videtur accipitur pro
 „ ly pater. vel manifeste constat, ut consideran-
 „ ti contextus demonstrat. Vigilanter etiam
 „ nota ly justum quippe est, ut ibi lex sancta
 „ caput. & cæ. quia inde manifestum fit, quod
 „ Imperator Constantinus ideo se honorare,
 „ tanquam primam, sedem B. Petri fatetur,
 „ eo, quod a Salvatore nostro ipsam, tanquam
 „ caput omnium, institutam esse agnoscit.
 „ Non ergo, quia ipse Imperator voluit esse pri-
 „ mam, prima est, sed ideo Imperator primam
 „ esse voluit, quia primatum ipsam a Christo
 „ prius obtinuisse manifeste cognoscit. Non ergo,
 „ & hoc contra errores prædictorum, &

similium, primatus Papæ est a Cæsare insti-
 „ tatus, sed tanquam a Christo domino insti-
 „ tatus veraciter a Cæsare agnitus, & reveren-
 „ ter pro tali habitus, & honoratus. Id, quod
 „ adhuc etiam idem Imperator satis declarat
 „ post multa subinferens. „ Unde, ut Ponti-
 „ ficalis apex non vilescat, sed amplius etiam,
 „ quam terreni Imperii dignitas, &
 „ gloriæ potentia decoretur: ecce tam pala-
 „ tium nostram, ut prædictum est, quam
 „ urbem Romam, & omnes totius Italiz,
 „ & occidentalium regionum provincias, lo-
 „ ca, & civitates præfato Pontifici nostro,
 „ Sylvestro universali Papæ, & successorum
 „ ipsius Pontificum ditioni, & potestati con-
 „ cedimus, atque relinquimus, & cæ. Unde
 „ congruum prospeximus, nostrum Imperium
 „ in orientalibus transferri, & transmutari
 „ regionibus, & cæ. quoniam, ubi principatus
 „ sacerdotum, & Christianæ religionis caput
 „ ab Imperatore cælesti constitutum est, ju-
 „ stum non est, ut illic Imperator terrenus
 „ habeat potestatem: Hæc vero omnia, & cæ.
 „ Hæc ille. „ Ubi nota ly quoniam, ubi prin-
 „ cipatus sacerdotum ab Imperatore cælesti
 „ & clare perspicies Constantinum Magnum
 „ fateri per hoc, se non constituere Papam cap-
 „ put totius ecclesiæ: sed Christo, qui jam a
 „ principio ipsum sic instituit, libenter per hæc
 „ sua decreta adherere. Ne vero errantes præ-
 „ dicti subterfugere possint dicendo, quod tem-
 „ pore Constantini magni sic, ut prædictum
 „ est, tenendum fuit, sed non postea, audiamus
 „ eundem ita subinferentem. „ Hæc vero
 „ omnia, & per alia divalia decreta, statui-
 „ mus, atque confirmavimus: usque in fi-
 „ nem mundi illibata, & inconcussa perman-
 „ sura decernimus. Unde coram Deo vivo;
 „ & coram terribili judicio ejus obtestamur
 „ omnes nostros successores, Imperatores,
 „ vel cunctos optimates, satrapas, etiam
 „ amplissimum Senatum, & universum po-
 „ pulum in toto orbe terrarum, nunc, &
 „ in posterum cunctis retro temporibus im-
 „ perio nostro subjacentem: nulli eorum quo-
 „ modo licere hæc, quæ a nobis Impe-
 „ riali sanctione sacrosanctæ Romanæ eccle-
 „ siæ, vel ejus omnibus Pontificibus conces-
 „ sa sunt, infringere, aut in quoquam con-
 „ vellere. Si quis autem, quod non credi-
 „ mus, in hoc temerator, aut contemptor
 „ extiterit, æternis condemnationibus subja-
 „ ceat innodatus. & sanctos Dei principes
 „ Apost. Petrum, & Paulum sibi in præsen-
 „ ti, & futura vita sentiat contrarios, at-
 „ que in inferno inferiori conorematum cum
 „ „ Dia-

„ Diabolo, & omnibus deficiat impiis. Hu-
 „ jus vero Imperialis decreti nostri paginam
 „ propriis manibus roborantes super vene-
 „ randum corpus B. Petri principis Apost.
 „ posuimus, &c. Beato patri nostro Sylve-
 „ stro summo Pontifici, ejusque cunctis suc-
 „ cessoribus Domino Deo, & Salvatore no-
 „ stro Jesu Christo annuente, tradimus pe-
 „ renniter, atque feliciter possidenda. „
 Hæc ille, cum suprascriptis omnibus, in pri-
 mo tomo Conciliorum ante Concil. *Nicanum*.
 Ubi nota ly *annuente Domino Deo*: ex quo,
 ut supra, concludere contra errantes. Ex his
 memento etiam confundi vanam *Erasmi* di-
 ligentiam, seu potius longam somnolentiam,
 sup. qu. 24. articulo 1. recitatum, qua dice-
 bat; quod Romani Pontificis monarchia post
 Hieronymi sæculum exorta est; & quod æta-
 te Divi Hieronymi non solere quemquam ex-
 communicare, &c. Nam (ut vidisti in hoc
 edicto Constantini) monarchia hæc jam a
 Christo præstituta, & ab ipso Imperatore
 agnita fuit. Et, quia Constantino non mi-
 nor fuit B. August. in hæc veritate indaganda,
 atque capellenda; ideo ex eodem edicto
 constat, quam derisibilis sit *Erasmus* eadem
 somnolentia dicens; Augustinum non agno-
 visse Romanæ sedis auctoritatem, quam illi
 nunc tribuimus. Constantinus enim (ut ex
 Chronicis patet) circa annum Dom. 317.
 claruit. Hieron. vero, & August. certum est
 non præcessisse. Rursus. Idem Constantinus,
 cum ex omnibus pene locis Episcopi conven-
 nissent ad Concilium *Nicanum* I. eumque
 tanquam judicem de diversis jurgiis inter se
 invicem habere vellent, ait ad eosdem Episcopos:
 „ Deus vos constituit sacerdotes, &
 „ potestatem vobis dedit de nobis quoque
 „ judicandi: ideo nos a vobis recte judica-
 „ mur vos autem non potestis ab hominibus
 „ judicari. Propter quod Dei solius inter
 „ vos expectate iudicium, ut & vestra jur-
 „ gia, quæcunque sunt, ad illud divinum re-
 „ serventur examen. Vos enim nobis a Deo
 „ dati estis Dii. Conveniens non est, ut ho-
 „ mo iudicet Deos, sed ille solus, de quo
 „ scriptum est: Deus stetit in synagoga Deo-
 „ rum, in medio autem Deos discernit.
 „ Mihi quidem homini errori obnoxio. ne-
 „ fas esse videtur, ecclesiasticorum virorum
 „ accusationes recipere, & audire. Quapro-
 „ pter agite, Christum æmulati, per mutuam
 „ veniam alius alii commissa remittamus. „
 Hæc ille in præambulis *Nicanæ* Synodi. Fa-
 tetur igitur a fortiori, summum Pontificem
 super Imperatorem esse constitutum a Deo,

& habere potestatem de Imperatore quoque
 judicandi: & consequenter ipsum Pontificem
 ab Imperatore non habere dependentiam,
 contra suprascriptos errantes, & hujusmodi.
Rursus: Narrato Roman. Concil. sub eodem
Sylvestro ca. 20. ubi dicitur: *Nemo judicabit
 primam sedem: quoniam omnes sedes a pri-
 ma sede justitiam desiderant temperari. Neque
 ab Augusto, neque ab omni clero, neque a Re-
 gibus, neque a populo iudex judicabitur.* Nar-
 rato, inquam, hoc, subjungitur immediate
 sic: *Et subscripserunt ducenti, & octoginta
 quatuor Episcopi, & quadraginta quinque pres-
 byteri, & quinque Diaconi, & Augustus Con-
 stantinus, mater ejus Helena.* Hæc ibi post
 Concilium *Nicanum*. Ecce, quod *Constantinus*
 Magnus, se inferiorem esse Romano
 Pontifice, manu propria subscribendo, testa-
 tur. Nemo autem, dum hæc legit, putet,
 Imperatorem de fidei negotiis ferre senten-
 tiam, contrarium enim supra *Constantinus*
 docuit. Subscribit vero ille determinationi
 Patrum, non ut iudex, sed ut Patronus, &
 executor eorum, quæ Patres in fidei negotio
 statuissent. Item vide supra *quest. 19. art. 4.
 appen.* de Imperatoris *Basilii* verbis notabili-
 bus, & *quest. 17. art. 1. appen.* de prima-
 tu Petri, & *quest. 20. art. 1.* Tertio habes:
 quomodo per Divum Thomam ostendas, me-
 rito dictum esse ab *Innocentio*. Tertio in Con-
 cilio generali. Cum ex eo, &c. *decernimus,
 ut, cum dedicatur Basilica, non extendatur in-
 dulgentia ultra ianuum, sive ab uno solo, sive
 a pluribus Episcopis dedicetur; ac deinde in an-
 niversario dedicationis tempore quadraginta dies
 de injunctis penitentis indulgentia remissa non
 excedat, &c.* Hæc ille de penitent. & remiss.
 Item ab *Honorio Tertio*, ibid. *Nostro
 postulasti, &c. per provinciam tuam libere po-
 tes remissionis concedere litteras: ita tamen, quod
 statutum generalis Concilii non excedas.* Hæc
 ille cuidam Archiepiscopo. Item a *Bonifacio*
Octavo: *Indulgentia, quæ ab uno, vel pluri-
 bus Episcopis in ecclesiarum dedicationibus, vel
 aliis quibuscunque casibus, conceduntur, vires
 non obtinent: si statutum excesserint Concilii
 generalis.* Hæc ille de penitent. & remiss.
 in 6. Ecce insinuatam, quod Episcopi se-
 cundum taxatum sibi terminum possunt face-
 re indulgentias, & non plus. Quarto habes:
 quomodo per Divum Thomam prædicta Pa-
 trum, ac Imperatorum, declares, atque com-
 munias, & (pro quanto opus fuerit) de-
 fendas. Quinto vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 103

Utrum ille qui est in peccato mortali, possit indulgentias facere.

AD quantum sic proceditur. Videtur quod ille qui est in peccato mortali, non possit facere indulgentias. Quia nemo, cui fons non influit, nihil profuere potest. Sed prelato in peccato mortali existenti non influit fons gratie, scilicet Spiritus sanctus. Ergo non potest in aliis profuere faciendo indulgentias.

2. Præterea. Majus est facere indulgentiam quam recipere. Sed ille qui est in peccato mortali, non recipit, ut dicitur (*quæst. seq. art. 1.*) Ergo nec facere potest.

Sed contra. Indulgentiæ fiunt per potestatem prælati Ecclesiæ traditam. Sed peccatum mortale non tollit potestatem, sed bonitatem. Ergo potest aliquis in peccato mortali existens indulgentias facere.

Respondens dicendum, quod facere indulgentias pertinet ad jurisdictionem. Sed per peccatum mortale non amittit jurisdictionem, Et ideo indulgentiæ æque valent, si fiant ab eo qui est in peccato mortali, sicut si fierent ab eo qui est sanctissimus; cum non remittat poenam ex vi meritorum suorum, sed ex vi meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod iste prelatus in peccato mortali indulgentias faciens non profuit de suo aliquid: & ideo non requiritur quod influxum recipiat a fonte, ad hoc quod ejus indulgentiæ valeant.

Ad secundum dicendum, quod majus est facere indulgentias quam recipere, quantum ad potestatem, sed est minus quantum ad propriam utilitatem.

A P P E N D I X.

EX art. habes *prima*: quomodo per rationem dissipet hæresim *Joan. Huss*, ut habetur ex *Concil. Constantiensi sess. 15.* dicentis, quod potestatem a Deo nemo recipit, qui non sequitur Christum in moribus. Item omnes alios errores supra recitatos *quæst. 19. art. 5. appen.* Item *Waldensium*, ut refert *Alphonf. de Cast.* dicentium, peccatoribus, & sceleratis potestatem, & dona sua Deum non præstare. Item dicentium, quod peccati mortalis reus non potitur auctoritate ulla tam ecclesiastica, quam laicali: sed peccati

mortalis causa amittit omnem potestatem. Item, errorem *Jacobi Præpositi* dicentis: quod manet in peccato mortali, non manet in baptismo, in sacerdotio, in episcopatu, in Papatu. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores prædictos merito damnari, &c. ut supra *quæst. 19. art. 5.* in text. & not. *primo*, & *secundo* post ad *primum*, & *append.* Item a Domino *Jerem. 27.*
 „ Ego nunc dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis, servi mei. Insuper & bestias agri dedi ei, ut serviant illi: & servient illi omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus, & Gens, & regnum, quod non servierit Nabuchodonosor Regi Babylonis, & quæcumque non curvaverit collum suum sub jugo Regis Babylonis, in gladio, & fame, & peste visitabo super gentem illam, &c.
 „ Porro gens, quæ subjecerit cervicem suam sub jugo Regis Babylonis, & servierit ei, dimittam eam in terra sua, & colet eam, & habitabit in ea, &c. Subjicite colla vestra sub jugo Regis Babylonis, & servite ei, & populo ejus, & vivebis. Hac i- bi. Quibus sane verbis ostenditur, quod Reges alias legitimi, quantumcumque mali, retinent potestatem, & quod subditi eis obedire tenentur in his, quæ contra Deum non sunt: & sic obediendo gratiam rem Deo faciunt. A fortiori, vel saltem a simili, habes ex hac ipsa auctoritate; quid de potestate sacerdotali etiam in peccato mortali existentionem dicas. Et nota hinc, quantæ damnationis sint rei supradicti errantes: quando Deus tantum zelat, & pro infideli Rege, & contra non obdientes ipsi Regi. Item, manifestius ad litteram damnari a Principe Apostolorum, *1. Pet. 2.* „ Servi obedite in omni timore dominis; non tantum bonis, & modestis, sed etiam dycolis. *Item Marc. 6.* Et vocavit duodecim, & cepit eos mittere binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum, &c. Et exeuntes prædicabant, ut poenitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant. „ Ecce, quod dæmones Judæ, qui unus ex duodecim diabolus erat, *Joan. 6.* potestatem a Christo habenti etiam nolentes subjiuntur, & obediunt. Negantes igitur prælatorum majorum potestatem remanere in eis, & ob hoc nolentes ei obedire, videntur dæmonis peiores. Ne autem aliquis ipsorum errantium subterfugiat dicens, quod tunc Judas nondum erat diabolus (quicquid sit de hoc, etiam quod sine ratione dici, & consequenter improbabile,

bile, videatur) constringendus est per auctoritatem Matth. 7. *Multi dicunt mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo demonia eiecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos.* Ubi nota tu ly *nunquam*, & ly *novi*. De notitia siquidem approbationis, qua quis est in gratia Dei, loquitur: & dicit, eos nunquam fuisse in gratia sua: etiam quando demonia in nomine suo eiciebant. Erant ergo in peccato mortali proculdubio tales potestatem habentes; & tamen potestatem per illud non amiserant, in cuius signum manifestum est, quod demonia coactitiae per potestatem illam de corporibus eiciebantur. Negantes igitur praelatorum maiorum potestatem remanere in eis, &c. ut supra. *Tercio* habes: quomodo per rationem praedicta Scripturarum, & Patrum, pro qua- tuor jurisdictionem in malis remanere, & consequenter malos alias jurisdictionem prius habentes posse indulgentias facere insinuant, & intelligas, & declares, & defendas. *Quarto* vides: quomodo &c.

QUESTIO XXVII.

De his quibus valent indulgentia.

in quatuor articulis divisa.

DEinde considerandum est de his quibus valent indulgentiae.

Circa quod quaeruntur quatuor.

Primo, utrum indulgentia valeat existentibus in mortali peccato.

Secundo, utrum valeat religiosis.

Tertio, utrum valeat non facienti illud pro quo indulgentia datur.

Quarto, utrum valeat ei qui indulgentiam facit.

ARTICULUS I. 104

Utrum indulgentia valeat existentibus in peccato mortali.

S. Thom. ubi supra art. 5. quest. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod indulgentia valeat existentibus in peccato mortali. Quia aliquis potest alteri mereri, etiam in peccato mortali existenti, gratiam, & multa alia bona. Sed indulgentiae habent efficaciam ex hoc quod merita Sanctorum applicantur ad istum. Ergo habent effectum in illis qui sunt in peccato mortali.

2. Præterea. Ubi est major indigentia, magis habet locum misericordia: Sed ille qui est in peccato mortali, maxime indiget. Ergo ei maxime debet fieri misericordia per indulgentiam.

Sed contra. Membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris vivis. Sed ille qui est in peccato mortali, est quasi membrum mortuum. Ergo per indulgentias non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum.

Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, indulgentias valere etiam existentibus in mortali peccato, non quidem ad dimissionem poenae, quia nulli potest dimitti poena, nisi cui iam dimissa est culpa (qui enim non est consecutus operationem Dei in remissionem culpa, non potest consequi remissionem poenae a ministro Ecclesiae neque in indulgentiis, neque in foro poenitentiali) valent tamen eis ad acquirendam gratiam. Sed hoc non videtur verum: quia quamvis merita illa quae per indulgentiam communicantur, possint valere ad merendum gratiam; non tamen propter hoc dispensantur, sed determinantur ad remissionem poenae. Et ideo non valent existentibus in peccato mortali. Et ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis, & confessis. Si autem fieret communicatio per hunc modum, *Facio te participem meritorum totius Ecclesiae, vel unius congregationis, vel unius specialis personae* sic possent valere ad merendum aliquid illi qui est in peccato mortali, ut praedicta opinio dicit.

Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod quamvis sit magis indigens qui est in peccato mortali, tamen est minus capax.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam fuisse a summis Pontificibus, & Conciliis, quod indulgentiae non profunt existenti in peccato mortali. Insinuatum vero est hoc ab *Innocentio III. in Concil. Later. sess. ult.* quando dabatur indulgentia pro expeditione ad terram sanctam: ubi dicit indulgentiam dare contritis, & confessis. Item a *Papa Bonif. VIII. de poenit. & remiss. in extravag. comm. Antiquorum*. Ibi enim dicitur pro consecuturis indulgentias Jubilei ly *vere poenitentibus, & confessis*. Item a *Clem. VI. ibi, cap. Dudum*, ubi dicit ly *omnibus vere poenitenti-*

semibus, & confessis, & circa finem capituli ly qui pro ea prosequenda ad eandem Basilicam, &c. vere penitentes (ut præmittitur) & confessi eandem indulgentiam consequantur. Item a Leone X. in Concil. Later. sess. 9. ubi idem habetur, quando dat indulgentias orantibus pro pace. Item (ut summarie dicitur) a Conc. Constantiensi sess. 17. ubi dans indulgentias orantibus pro Sigismundo Imperatore dicit ly in forma consueta ecclesie (intellige tu vere contritis, & confessis.) Quo utique verbo satis demonstrat; quod consueta est ecclesia non dare indulgentias, nisi vere contritis, insinuans per hoc, quod indulgentiæ non profunt existentibus in peccato mortali. Unde etiam habetur, quod dato per impossibile, quod possent tali in peccato mortali existentibus prodesse, quantum est ex parte ipsius peccatoris, non tamen prodesse de facto, quoniam indulgentiæ habent vim ex intentione dispensantis, & dispensans non habet intentionem dandi illas, nisi vere penitentibus. Secundo habes: quomodo per S. Thomam ostendas, merito insinuatum ab Innocent. Tertio in Concil. generali Later. sess. ult. quod communicatio bonorum potest mereri gratiam aliis, & hanc communicationem non esse per modum indulgentiæ. Ibi enim datis indulgentiis euntibus, vel alias subvenientibus, ad terram sanctam, subiungitur per modum communicationis. Omnibus etiam pie proficiscentibus in hoc opere communi universalis synodus omnium beneficiorum suorum suffragium impartitur, ut eis digne proficiat ad salutem. Hæc ibi. Tertio habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto existentibus in mortali indulgentias non prodesse, communicationemque bonorum factam per alium modum prodesse, insinuant, & intelligas, & declares, & tuearis. Quarto vides: quomodo &c.

Utrum Indulgentiæ valeant religiosi.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod indulgentiæ non valeant religiosi. Non enim competit eis suppleri, ex quorum superabundantia aliis suppletur. (1) Sed ex superabundantia operum satisfactionis, quæ sunt in religiosi, aliis suppletur per indulgentias. Ergo eis non competit per indulgentias suppleri.

2. Præterea. In Ecclesia non debet aliquid fieri quod inducat religionis dissolutionem. Sed si religiosi indulgentiæ prodesse, esset occasio dissolutionis disciplinæ regularis: quia religiosi nimis vagarentur per huiusmodi indulgentias, & pœnas impositas in capitulo sibi negligerent. Ergo religiosi non profunt.

Sed contra. Nullus ex bono reportat damnum. Sed religio bonum quoddam est. Ergo non consequuntur hoc damnum ut eis indulgentiæ non valeant.

Respondeo dicendum, quod tam sæcularibus, quam religiosi valent indulgentiæ; dummodo sint in caritate, & servent ea quæ pro indulgentiis inducuntur. Non enim religiosi sunt minus adjuvabiles meritis aliorum quam sæculares.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis religiosi sint in statu perfectionis, tamen ipsi sine peccato vivere non possunt: & ideo si aliquando propter peccatum aliquod commissum sint rei alicujus pœnæ, possunt per indulgentias ab hac expiari. Non enim est inconveniens, si ille qui est simpliciter superabundans, aliquo tempore indigeat, & quantum ad aliquid: & sic indigent supplemento, quo sublevantur. Unde dicit Galat. vi. 2. *Alter alterius onera portate* (2).

Ad secundum dicendum, quod propter indulgentias non debet dissolvi regularis obser-

Summ. S. Th. Tom. XIII.

G g van

(1) Quod construi duobus modis potest: Vel sic: Non competit ut eis ullum exhibeatur supplementum; sicut & mox dicitur quod suppletur aliis, idest supplementum aliquod exhibetur: Vel non competit eis ut suppleantur; idest ut supplemento indigeant & recipiant illud, sicut paulo post concluditur: Ergo eis non competit per Indulgentias suppleri &c. Ad id autem quod subiungitur argum. Sed contra, referri potest caput *Sane dilecto*. Extra de renunciatione ubi Cælestinus 3. dicit indecens esse ut unde quis misericordiam debet impetrare, inde cogatur dispen-

dium sustinere; ut in Codice Barberiano legi appendix notat.

(2) De peccatis explicat ibi Hieronymus, tum juxta Psal. 37. ubi Psalmista dicit, *Iniquitates mee sicut onus grave gravate sunt super me*; tum juxta illud Zachar. 5. ubi *super talentum plumbi*, sedere iniquitas visa est: Unde sublevat onus fratris qui ejus non desperat salutem & qui sua iudicat aliena peccata: Et subiungit quod & is portat onus alterius qui pauperem adjuvat, &c.

vantia: quia religiosi magis merentur religionem suam servando, quantum ad primum vite æternæ, quam indulgentias acquirendo; quamvis minus quantum ad dimissionem pœnæ, quod est minus bonum. Nec iterum per indulgentias dimittantur pœnæ injunctæ in capitulo: quia in capitulo agitur quasi forum judiciale magis quam pœnitentiale (unde etiam non sacerdotes capitulum tenent); sed absolvitur a pœnâ injuncta, vel debita pro peccato in foro pœnitentiali.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem rejicias errorem *Lutheri* ut refert *Leo X.* in bulla contra errores ejus, qui quasi reversus ad semetipsum, & ponitens de negatione totali indulgentiarum, tandem dixit, quod indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo, & impatientibus. Unde addit ille quod indulgentiæ non sunt necessariæ, nec utiles mortuis, seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his, qui non commiserunt crimina, his, qui crimina commiserunt, sed non publica, his, qui meliora operantur. *Secundo* habes: quomodo per rationem errorem ejus, quatenus religiosos eximit ab utilitate indulgentiarum, ostendas; merito damnari a *Bonifacio VIII.* immo & a suis prædecessoribus. Antiquorum habet ratio, quod accedentibus ad honorabilem Basilicam principis Apost. de urbe concessæ sunt magnæ indulgentiæ peccatorum. Nos igitur, &c. hujusmodi indulgentias omnes approbamus auctoritate Apostolica; & Apostolicæ plenitudine potestatis omnibus accedentibus, &c. Hæc ille de pœnitentiæ & remissio. extravag. com. Ubi religiosos non excludit, sed includit per *ly omnibus*, ut patet. Item a *Clém. VI.* ad Archiepiscopum *Tarraconen.* ejusque suffraganeos. *Dudum de fratrum nostrorum consilio, & plenitudine Apost. potestatis indulgentiam, &c. cunctis Christianis fidelibus, &c. Statuentes, ut universi fideles, & cæ. qui viderint, & cæ. plenissimam suorum omnium peccatorum veniam consequantur.* Hæc ille, & recitantur ibidem. Ubi religiosos, & cæ. ut supra. Item a quotidianis bullis indulgentiarum, quæ ab Apost. sede emanant pro tempore: in quibus, ut patet, includuntur, etiam religiosi per *ly Christianis fidelibus, vel ly omnibus utriusque sexus*

Christianis fidelibus, & hujusmodi. Item, merito damnari ab eodem Leone in eadem bulla, cujus damnationis particulam vide supra, *quest. articul. 1. append.* addendo etiam *quest. 24. art. 1. appen.* De *Luthero* superius dixi *ly quasi reversus ad se, &c.* quia, tanquam quod indulgentias per hoc aliquatenus admisserit, excrucians se, idipsum revocavit. Unde ait „ Has propositiones, ut dixi, revocavi antea, rogavi que, & adhuc rogo „ omnes tum bibliopolas, tum lectores, ut „ ea quæ de indulgentiis disputata, & scripta a me sunt, exurant. Nesciebam enim tum, cum ea laborarem, Papam esse antichristum: qui his, & similibus operationibus erroris, Satana imperante, orbem perderet Christianum „. Hucusque verba vomitus Lutheri, quicquid sit de sua revocatione tantis maledictis vallata, Deus videat, & judicet Catholicis interim nobis scire sufficiat, & quod honor est homini, qui separat se a contentione; & quod omnes stulti miscunt contumeliis, *Prover. 20.* Porro, quod Romanus Pontifex non sit antichristus, quinimo & quod sit antichristo totaliter contrarius, ostensum est manifeste supra *quest. 21. articul. 1. append.* ostensus est valor indulgentiarum; & quod, Christo domino imperante, orbem salvant Christiani indulgentiæ ipsæ, declaratum *quest. 25. art. primo, & secundo, & consequenter, quod non erroris, sed veritatis, opera sunt.* Vide Rossensem contra articulos erroneos 21. & 22. Lutheri. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta *Leonis, Clementis, & aliorum Pontificum, pro quanto utilitatem indulgentiarum ostendunt ad religiosos extendi, & probes, & declares, & defendas. Quarto* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 106

Utrum ei qui non facit illud pro quo indulgentia datur, possit quandoque indulgentia dari.

AD tertium sic proceditur, Videtur quod ei qui non facit illud pro quo indulgentia datur, possit quandoque indulgentia dari. Quia ei qui non potest operari, voluntas pro facto reputatur (1). Sed aliquando fit indulgentia pro aliqua elemosyna facienda, quam aliquis pauper facere non potest, & tamen libenter faceret. Ergo indulgentia ei valet.

2. Præterea. Unus potest pro alio satisfacere. Sed indulgentia ad remissionem pœnæ ordinatur, sicut & satisfactio. Ergo unus pro alio potest indulgentiam accipere: & sic ille consequetur indulgentiam qui non fecit hoc pro quo indulgentia datur.

Sed contra. Remota causa, removetur effectus. Si ergo aliquis non facit hoc pro quo indulgentia datur, quod est indulgentiæ causa, indulgentiam non consequitur.

Respondeo dicendum, quod non existente conditione, non consequitur illud quod sub conditione datur. Unde cum indulgentia datur sub hac conditione, quod aliquis aliquid faciat, vel det, si illud non exerceat, indulgentiam non consequitur.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc intelligitur quantum ad præmium essentiale, sed non quantum ad accidentalia aliqua præmia, sicut est dimissio pœnæ vel aliquid huiusmodi.

Ad secundum dicendum, quod opus proprium potest quis applicare per intentionem cuiusvis voluerit: & ideo potest pro quo-

cunque vult, satisfacere. Sed indulgentia non potest applicari ad aliquem, (2) nisi de intentione ejus qui dat indulgentiam. Et ideo cum ipse applicat ad facientem, vel dantem hoc, aut illud, ille non potest qui hoc facit, ad alterum hanc intentionem transferre. Si tamen sic fieret indulgentia, *Ille qui facit, vel pro quo hoc fit, habet tantam indulgentiam, valeret ei pro quo fit.* Nec tamen iste qui facit hoc opus, daret alteri indulgentiam, sed ille qui indulgentiam sub tali forma facit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Sixto IV. & a Clemente VI. & a Bonifacio VIII. quod indulgentiæ non participantur ab iis, qui non faciunt, quod inibi mandatur. Insinuatam autem est a Sixto de pœnit. & rem. extrav. com. „ Quemadmodum operosi, &c. qui Beatorum Apost. Petri, & „ Pauli Basilicas, Lateranensem quoque, & „ sanctæ Mariæ majoris almæ urbis devotè „ visitarent, omnes, & singulas indulgentias consequerentur, quas anno Jubileo prædecessores concesserant, &c. Verum, quia „ animorum saluti fidelium intenti diversas „ indulgentias plenarias nonnullis ecclésiis, „ Monasteriis, & piis locis duximus concedendas, propter quas populorum forsitan „ concursus ad Basilicas antedictas retardari, „ aut ipsius Jubilei celebritas mimis, vel intermitti posset cum animarum non modico „ detrimento: Nos (ne propter aliarum indulgentiarum hætenus concessarum effusivem annus Jubileus intermittatur: aut si „ deles ipsi a tanto munere reddantur expectes) omnes, & singulas plenarias; etiam „ ad

G g 2

(1) Colligitur ex epist. 79. seu Tractatu Bernardi ad Hugonem de S. Victore cap. 2. versus finem, ubi de illo qui positus in articulo mortis toto desiderio expetit sacramentum (baptisimi) *Quid planius quam quod voluntas (inquit) pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas: Nisi forte putetur in bono quam in malo efficiatur inveniri voluntas apud Deum qui charitas est: Sic & Castimodorum in illud Psal. 31. Dixi, confitebor, & tu remisisti, tale aliquid insinuat.*

(2) Hinc illud lib. de ecclesiasticis dogmatibus cap. 74. ex quo refertur in Decretis distinct. 4. de confect. cap. *Catechumenus* nomine Augustini (qui tamen ejus author non est) *Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctam vitam eternam habere*

non credimus, excepto martyrio ubi, una baptisimi sacramenta complentur. Sensus enim est quod non statim eternam vitam (sicut in martyrio) Catechumenus habet, sed prius debet purgatoriam pœnam pro præteritis peccatis pati, ut explicavit: S. Thomas 3. part. quest. 68. art. 2. ad 2. Non autem sensus esse potest quod nullo modo vitam eternam consequatur: Nec verus Augustinus id voluisse putandus est lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 26. cum sic dixit: *Sanctificatio Catechumeni si non fueris baptizatus, non ei valet ad intrandum regnum colorum aut ad peccatorum remissionem.* Nam de catechumeno intelligit non cum baptisimi voto quod exequi non potest decedente, sed exequutionem ejus cum potest negligente.

ad iustar Jubiloi; auctoritate Apostolica
 tenore presentium usque ad eisdem sedis
 beneplacitum suspendimus: indulgentiis ta-
 men Basilicarum; & ecclesiarum dictar ur-
 bis in suo plenario robore durantibus. Hæc ibi. Ecce, quod summus Pontifex ideo
 aliorum locorum omnium ab urbe indulgentias suspendit pro tempore Jubiloi, ne concursus populorum ad urbem pro indulgentia Jubiloi consequenda retardetur, quod non esset, si voluntate sola Jubiloi Romæ existentis possent esse participes, absque hoc, quod illuc usque de facto homines proficiscerentur. Pro quo significando nota ly, cum anima-
 rum non modico detrimento, & ly aut
 fideles ipsi a tanto onere reddantur ex-
 pertes. Item a Bonifacio supradicto ibidem
 sic. Antiquorum &c. statuentes, ut, qui
 voluerint huiusmodi indulgentiæ a nobis
 concessæ fieri participes, si fuerint Roma-
 ni, ad minus 30. diebus continuis, seu
 interpolatis, & saltem semel in die, si ve-
 ro peregrini fuerint, aut forenses, simili
 modo diebus 15. ad Basilicas eisdem acce-
 dant. Hæc ibi. Ubi, quia de facto accedere necessarium esse dicitur valentibus indulgentiam, ideo inter Romanos, & ab
 extra venientes, spatium dierum præd-
 itum cum differentia assignat. Dat ergo per hoc intelligere Papa, quod indulgentiæ non valent iis, qui conditionem positam in forma illarum non servant. Item a Cle-
 mente supradicto ibidem. Dudum de fratrum
 &c. quicumque voluerint indulgentiam huiusmo-
 di assequi, si Romani, ad minus 30. si vero
 peregrini, aut forenses modo simili 15. dieb.
 ad predictas Basilicas accedere teneantur. Hæc
 ibi. Ex quo dicitur, ut supra. Et, quia condi-
 tioniarum, & formarum indulgentiarum variari
 quandoque tangebatur in responsione ad se-
 cundum, juxta quarum tamen tenorem quo-
 ad consecutionem remissionis oportere nos
 regulari, connotabatur; ideo pro hoc notan-
 da sunt, quæ subduntur ab ipso Clemente sic.
 Adjicientes, ut hi etiam, qui pro ea con-
 sequenda ad easdem Basilicas accedent,
 post iter arreptum impediti legitime, quo
 minus ad urbem illo anno valeant perve-
 nire, aut in via, vel dierum prætaxato
 numero non completo, in dicta urbe de-
 cesserint vere pœnitentes (ut præmittitur)
 & confessi, eandem indulgentiam conse-

quantur. Hæc ibi. Et est rarum hoc in
 bullis additum, ideo speciatim. Ergo singu-
 las verbatim (ut articul. textus innuit) dili-
 genter ubique considera formas. Secundo ha-
 bes: quomodo per rationem supradicta Pon-
 tificum, pro quanto indulgentias tantum pro-
 desse dicunt facientibus illa, quæ injunguntur,
 & intelligas, & declares, & tuearis. Ter-
 tio vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 107

Utrum indulgentia valeat ei qui
 facit.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod
 indulgentia non valeat ei qui facit.
 Quia facere indulgentiam est jurisdictionis.
 Sed nullus in seipsum potest exercere ea quæ
 sunt jurisdictionis, sicut nullus potest se ex-
 communicare. Ergo nullus potest indulgenti-
 æ a se factæ particeps esse.

2. Præterea. Secundum hoc ille qui facit
 indulgentiam, posset pro aliquo modico fac-
 to sibi penam remittere omnium peccatorum;
 & ita impune peccaret: quod videtur
 absurdum.

3. Præterea. Eiusdem potestatis est facere
 indulgentias, & excommunicare. Sed aliquis
 non potest excommunicare seipsum. Ergo
 nec indulgentiæ quam fecit, particeps esse
 potest.

1. Sed contra est quod tunc esset ipse peioris
 conditionis quam alii, si ipse non posset uti
 thesauro Ecclesiæ, quem aliis dispensat.

Respondeo dicendum, quod indulgentia de-
 bet ex aliqua causa dari, ad hoc quod ali-
 quis per indulgentiam ad actum aliquem pro-
 vocetur, qui in utilitatem Ecclesiæ, & ho-
 norem Dei vergat. Prælati autem, cui cura
 Ecclesiæ utilitatis, & honoris divini pro-
 pagandi est commissa, non habet causam ut
 seipsum ad hoc provocet. Et ideo non po-
 test facere indulgentiam sibi tantum; sed po-
 test uti indulgentiæ quam pro aliis facit:
 quia aliis subest causa faciendi.

Ad primum ergo dicendum, quod actum
 jurisdictionis non potest aliquis in seipsum
 exercere; (1) sed eis quæ auctoritate juris-
 dictionis dantur aliis, potest etiam prælatus
 uti tam in temporalibus, quam in spirituali-
 bus; sicut etiam sacerdos sibi Eucharistiam acci-

(1) Quia sic esset sui iudex contra id quod paulo
 post ex Canonibus notabitur, sicut etiam esset sibi sub-

ditus, quod aperte repugnat.

accipit, quam aliis dat. Et ita etiam Episcopus potest accipere sibi suffragia Ecclesie quæ aliis dispensat, quorum effectus immediatus est remissio pœnæ per indulgentias, (*) & non jurisdictionis. (1)

Ad secundum patet solutio ex dictis (in corp. art.)

Ad tertium dicendum, quod excommunicatio profertur per modum sententiæ, quam nullus in seipsum ferre potest, eo quod in iudicio non potest idem esse iudex, & reus. (2) Indulgentia autem non per modum sententiæ datur, sed per modum dispensationis cuiusdam, quam homo potest facere ad seipsum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per S. Tho. ostendas, merito insinuatam esse a Papa *Bonifacio VIII.* quod superior & non potest sibi indulgentiam facere, & potest uti indulgentia a seipso aliis concessa. Hoc autem tunc ab eo insinuatam est, quando de reg. iur. in 6. 45. reg. dixit. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius: vel, quod plerumque fieri consuevit.* Hæc ibi. Quis autem nesciat, esse verisimilius, quod quis non possit sibiipsi facere indulgentias, quando in semetipsum non habet jurisdictionem? Vide qu. 22. art. 4. Quis etiam nesciat id, quod sc. quis sibiipsi fecerit indulgentias, nec plerumque factum, imo nec unquam fieri consuevit? Quod vero indulgentiis a se datis aliis possit quis uti: scimus esse consuetum, nostrisque temporibus & a Romanis, & ab alienigenis sæpe visum, quod sanctæ memoriæ *Pius V.* ordinis Prædicatorum indulgentiis a seipso collatis ecclesiis visitando utebatur, quibus, & aliis suis orationibus Rempubl. Christianam e fœncibus Turcarum 1571. Deo duce, mirabiliter liberavit: ac de hoste prostrato mirabiliter triumphavit. Nec debet ex eo, quod non possunt sibi indulgentias prælati facere, inferri, quod eis a se datis non possint uti, quoniam huic deductioni obviare

se innuit *Bonifacius* idem: quando per 37. regulam juris inquit: *Utile non debet per inutile vitari.* Hæc ibi supra. Utilitas ergo, quæ ex indulgentiis provenit, non debet in dispendium negativum prælatorum vitari per hoc, quod ipsi inutiliter, idest nequaquam, possunt facere indulgentias. *Secundo* habes: quomodo per S. Tho. antedicta *Bonifacii*, pro quanto prælatos sibi negat posse facere indulgentias, iisque datis aliis posse uti affirmat, & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O XXVIII.

De solemnibus ritu Pœnitentiæ,

In tres articulos divisa.

Consequenter considerandum est de solemnibus ritu pœnitentiæ.

Circa quod tria quærentur.

Primo, utrum aliqua pœnitentia possit publicari, vel solemnizari.

Secundo, utrum solemnibus pœnitentiæ possit iterari.

Tertio, utrum publica pœnitentia imponenda sit mulieribus.

A R T I C U L U S I. 108

Utrum aliqua pœnitentia debeat publicari, vel solemnizari.

S. Thom. in IV. dist. XIV. quæst. I. ar. 5. quæst. I. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non debeat aliqua pœnitentia publicari, vel solemnizari. (3) Quia non licet sacerdoti etiam metu peccatum alicujus confiteri, quantumcunque publicum. Sed per pœnitentiam solemnem publicatur peccatum. Ergo non debet solemnizari.

2. Præterea. Judicium debet esse secundum conditionem fori. Sed pœnitentia est quoddam

(*) Ita passim optimo. Al. perperam & non jurisdictionis actus.

(1) Supple *immediatus est effectus* (prædicta remissio) non ut Editiones aliquæ suppleat, & non actus jurisdictionis.

(2) Ut causa 4. & qu. 4. in Decretis cap. *Nullus unquam* ex *Fabiano* Papa, & cap. *Nullus* introducatur ex *Damaso* colligi potest: Et intelligi de iudicio tantum publico debet quod per auctoritatem

exercetur; non de privato quo propriam conscientiam iudicare ac discurrere quisque obligatur, I. ad Cor. 11. & in Decretis rursum dist. 1. de pœnit. cap. *Judices*, &c.

(3) Non quod sit plane idem publica & solemnibus pœnitentia; cum solemnibus ultra publicam plus aliquid importet (ut expresse patebit art. 3.) Sed quod propter causas dicendas respective necessaria sit utraque.

dam iudicium quod in foro occulto agitur, Ergo non debet publicari, vel solemnizari.

3. Præterea. *Omnes defectus pœnitentia revocant ad perfectum* (1) ut Ambrosius dicit (hab. Lib. III. Hypognost. cap. ix. ad fin. inter op. Aug.) Sed solemnizatio facit contrarium: quia pœnitentem multis defectibus inestit: non enim laicus potest post solemnem pœnitentiam ad clericatum promoveri, nec clericus ad superiores ordines. Ergo pœnitentia non est solemnizanda.

Sed contra. Pœnitentia est quoddam sacramentum. Sed in quolibet sacramento solemnitas quædam adhibetur. Ergo & in pœnitentia adhiberi debet.

Præterea. Medicina debet respondere morbo. Sed peccatum quandoque est publicum, quod multos ad exemplum peccandi trahit. Ergo & pœnitentia, quæ est medicina eius, debet esse publica, & solemnitas, qua multi ædificantur.

Respondeo dicendum, quod aliqua pœnitentia debet esse publica, & solemnitas, propter quatuor. Primo ut peccatum publicum publicam habeat medicinam. Secundo quia maxima confusione (2) in hoc mundo etiam est dignus qui gravissimum scelus commisit. Tertio ut aliis sit ad terrorem. Quarto ut sit ad exemplum pœnitendi, ne desperent qui in gravibus peccatis detinentur.

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdos non revelat confessionem, talem pœnitentiam injungendo; quamvis suspicio oriatur illum aliquod enorme peccatum commisisse. Non enim culpa pro certo scitur ex pœna: quia quandoque aliquis pœnitentiam pro alio facit: sicut legitur in Vitis Patrum (Lib. II. cap. xxxii. & Lib. V. libello v. num. 27.)

de quodam, (3) qui ut socium suum ad pœnitentiam provocaret, ipse cum eo pœnitentiam egit. Si autem sit peccatum publicum, ipse pœnitens exequendo pœnitentiam, confessionem a se factam manifestat.

Ad secundam dicendum, quod pœnitentia solemnitas, quantum ad injunctionem, non exit forum occultum: quia sicut occulte quis confitetur, ita occulte ei pœnitentia injungitur: sed executio exit forum occultum: & hoc non est inconveniens.

Ad tertium dicendum, quod pœnitentia quamvis revocet omnes defectus, (4) restituendo in pristinam gratiam; non tamen semper restituit in pristinam dignitatem. Et ideo etiam mulieres post peractam pœnitentiam de fornicatione non velantur, quia dignitatem virginitatis non recuperant. Et similiter post publicam pœnitentiam peccator non redit ad hanc dignitatem, ut possit ad clericatum assumi: & Episcopus talem ordinans potestate ordinandi privari debet: (5) nisi forte necessitas Ecclesie exposcat, aut consuetudo. Tunc enim dispensative recipitur ad minores ordines, non autem ad sacros ordines: primo propter dignitatem ordinum istorum: secundo propter timorem recidivi: tertio propter scandalum vitandum, quod posset in populo oriri ex memoria præcedentium peccatorum: quarto quia non haberet frontem alios corrigendi, cum peccatum ejus fuerit publicum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem iterimas a fortiori errorem *Catharorum* (ut refert Card. Turrecrem. de Eccle.

(1) Ex eodem in Sententiis loco infra notando indicatur, & ad marginem prius ut ex lib. 2. de pœnitentia capite potissimum ultimo designabatur sumptum esse sed contextimus ibi, & notavimus veriorum indicem ex autore Hypognostici lib. 3. cap. 9. ubi aliis tamen verbis legitur quam hic: *Pœnitentia est res optima & perfecta que defectus revocat ad perfectum*: idest eos qui per peccatum defecerunt.

(2) Sive ignominia & dedecore, vel erubescencia & pudore. Sic Baruch 1. vers. 5. & 6. *Nobis confusio faciei quia peccavimus*: Ezech. 16. vers. 52. *Vicisti fratribus tuis & justificasti serenos tuos*: Ergo & porta confusionem tuam: Et mox: *Porta ignominiam tuam* &c.

(3) Sic de Abbate vel presbytero Plammone ac de alio quodam innominato fratre qui se simulans

fornicatum eidem propterea pœnitentiam cum fratre suo qui fornicatus erat se subijci passus est, lib. 5. de fornicatione: num. 27.

(4) Legendo sicut supra ex Ambrosii præsumptis autoritate, *omnes defectus revocat ad perfectum*.

(5) Ut in Decretis distinct. 50. cap. 55. ex Concilio Constantensi q. cap. 68. recitatur: *Sic enim ibi: Ex pœnitentibus, quamvis sis bonus, Clericus non ordinatur: Si per ignorantiam Episcopi factum fuerit, deponatur a Clero, quia se ordinationis tempore non prodidit fuisse pœnitentem: Si autem sciens Episcopus ordinaverit talem, etiam ipse ab Episcopatu suo ordinandi dumtaxat potestatis privetur; vel ex textu originali ab Episcopatu sui ordinandi (hoc est administrandi) sicut etiam habet Ivo part. 15. cap. 5. Sed cap. Placuit ex Concilio Toletano 1. propter necessitatem permittitur.*

elia lib. 4. cap. 35.) dicentium, quod non
 est penitendum de peccatis. Adeo enim est
 de peccatis penitendum, ut etiam (si o-
 pen sit) penitentia solennis, & publica
 non recusetur de illis, secundum articulum
 presentem. *Secundo* habes: quomodo per ra-
 tionem ostendas, ipsum merito damnari a,
 &c. ut sup. qu. 15. a. 1. & q. 16. ar. 1. ap-
 pen. Item a Conciliis omnibus, qui de
 penitentia publica tractarunt, illam appro-
 bando: ut sunt sequentia. Scilicet Conc. *Rhe-*
*men*se c. 31. ut discretio servanda sit inter pen-
 nitentes, qui publico, & qui absente pariter
 debent. Hæc ibi. Item Concil. Moguntinum
 secundum, c. 31. Modus, tempusque peniten-
 tia peccata sua confitentibus, &c. Qui publi-
 ce peccat, oportet, ut publica mulsetur peni-
 tentia, & secundum ordinem canonum pro
 merito suo, & excommunicetur, & reconcilietur.
 Penitentes vero non tam explicationem constituti
 temporis, quam facinoris remissionem desiderant,
 nec eis sufficiat, si a quarundam rerum per-
 ceptionibus abstineant: nisi se etiam a moniis de-
 lectationibus subtrahant, declinantes autem a
 malo faciant bonum, inquirant pacem, ac so-
 quantur illam. Hæc ibi. Item Concil. *Tole-*
sanum primum, qui sunt penitentes hujusmo-
 di, ostendens c. 2. dicit. „ Eum vero pen-
 nitentem dicimus, qui post baptismum,
 „ aut pro homicidio, aut pro diversis crimi-
 nibus, gravissimisque peccatis publicam
 penitentiam gerens, sub concilio divino
 fuerit reconciliatus altario, Hæc ibi. Item
 a *Clemente* primo, lib. secundo *Constitutionum*
Apostolicarum, c. 24. „ Penitentes, quous-
 que penitentia fructum non offenderint,
 „ permittimus ecclesiam ingredi, quo ver-
 bum audientes funditus non intereant,
 „ non habeant autem communionem oratio-
 nis, sed discedant post lectionem legis Pro-
 phetarum, & Evangelii, ut per discessum
 meliores evadant in vite consuetudine, stu-
 dentes ad conventus quotidie venire, &
 „ precibus operam dare, quo & ipsi recipi
 valeant, & ii qui vident, compungan-
 tur, cautioreque fiant verentes, ne in si-
 milia incidant. Hæc ibi. *Ecce*, quod a *tem-*
poro Apostolorum incepit ritus penitentia pu-
 blica, & ad summes peccatoris recognitio-
 nem, & ad aliorum terrorem. Item Concil.
Turonicum 1. c. 18. „ Si quis vero post
 acceptam penitentiam, sicut canis ad vom-
 itum, ita ad seculares illecebras, dere-
 licta penitentia, fuerit reversus, a com-
 munionem Ecclesie, vel a convivio fide-
 lium extraneus habeatur, quo facilius &

„ ipse compunctionem per hanc confusione m
 „ accipiat, & alii eius terreatur exemplo, Hæc
 „ ibi. *Ecce*, quod duplex bonum operatur, peniten-
 tia publica. Item Concilium *Cabilonense* secundum,
 volens publicam penitentiam jam obliteratam
 renovare, cap. 25. ait: „ Penitentiam age-
 „ re juxta antiquam canonum constitutionem
 „ in plerisque locis ab usu recessit, & ne-
 „ que excommunicandi, neque reconciliandi
 „ antiqui moris ordo servatur: impetretur
 „ adjutorium a Domino Imperatore, quali-
 „ ter, si quis publice peccat, publica mul-
 „ ctetur penitentia, & secundum ordinem
 „ canonum pro merito suo excommunicetur,
 „ & reconcilietur. Hæc ibi. Item Concil. *Tri-*
dentinum, eandem volens in usum reducere,
 sess. 24. c. de reform. 8. ait: „ Apostolus
 „ monet, publice peccantes palam esse cor-
 „ ripiendos. Quando igitur ab aliquo publi-
 „ ce, & in multorum conspectu crimen com-
 „ missum fuerit, unde alios scandalo offen-
 „ sos, commotosque fuisse non sit dubitan-
 „ dum, huic condignam pro modo culpæ
 „ penitentiam publice injungi oportet, ut,
 „ quos exemplo suo ad malos mores provo-
 „ cavit, suæ emendationis testimonio ad re-
 „ ctam revocet vitam. Hæc ibi. *Tertio*
 habes: quomodo per rationem ostendas, præ-
 dicta Patrum, ac Apostoli dicta, pro quanto
 penitentiam publicam approbant dari, &
 intelligas, & probes, & defendas. *Quarto*
 vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S II. 109

Utrum sollemnis penitentia iterari possit.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod
 sollemnis penitentia iterari possit. Sa-
 cramenta enim quæ characterem non imprin-
 unt, cum sua solemnitate iterari possunt,
 sicut Eucharistia, & extrema unctio, & hu-
 jusmodi. Sed penitentia non imprimit cha-
 racterem. Ergo cum solemnitate iterari potest.
 2. Præterea. Penitentia solemnizatur pro-
 pter gravitatem, & manifestationem peccati.
 Sed post peractam penitentiam contingit si-
 milia peccata committere, vel etiam gravio-
 ra. Ergo sollemnis penitentia iterum debet
 adhiberi.

Sed contra. Sollemnis penitentia significat
 ejectionem primi hominis de paradiso. Sed
 hæc tantum semel est facta. Ergo & peni-
 tentia sollemnis tantum semel debet fieri.

Res

Respondeo dicendum, quod solemnitas pœnitentia iterari non debet, propter tria. Primo ne ex iteratione vilescat. (1) Secundo propter significationem: quia significat expulsiōem primi hominis de paradiso, quæ semel tantum est facta. Tertio quia solemnizatio est quasi quædam professio perpetuæ pœnitentiam conservandi. Et ideo iteratio solemnitati repugnat. Si tamen postmodum peccavit, non clauditur ei locus pœnitentiæ; sed pœnitentia solemnitas iterum ei in iungenda non est.

Ad primum ergo dicendum, quod in illis sacramentis in quibus solemnitas iteratur, iteratio solemnitati non repugnat, ut est in proposito. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod quamvis ratione criminis deberetur ei eadem pœnitentia; tamen solemnitatis iteratio non competit, propter causas prædictas (in corp.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a Decretis dist. 50. quod pœnitentia solemnitas non est iterabilis, non solemnitas autem est. Insinuatam est autem utrumque sic: *Quamvis cause, subtiliter, & salubriter provisum sit, ut locus humillima pœnitentia semel tantum in Ecclesia concedatur, ne medicina nimis utilis vilis habeatur: tamen quotidie peccantibus nunquam per pœnitentiam venia negatur.* Hæc ibi. Cui dicto inferius de pœnit. dist. 3. cap. Quamvis, adiungitur: *Quis audeat dicere Deo, quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?* Hæc ibi. Ecce, quod & solemnitas pœnitentiæ reiterabilis negatur: & pœnitentia ipsa reiterabilis affirmatur. Item, insinuatam ab eisdem, de

pœnit. dist. 3. *Reperiuntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, &c. Si vere in Christo pœnitentiam agerent, iterandam postea non putarent: quia, sicut unum baptisma, ita & unica pœnitentia. Verum præteriri semper non debet pœnitentia peccati.* Hæc ibi. Ubi prius loquitur de solemnitate pœnitentia, quam iterandam negat, & a se verum præteriri, &c. loquitur de pœnitentia sine solemnitate, ad cuius reiterationem nos hortatur. Secundo habes: quomodo per rationem supradicta Decretorum, pro quanto solemnem pœnitentiam nolunt iterari, & declares, & tuearis. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 110

Utrum solemnitas pœnitentia sit imponenda mulieribus, atque clericis, & Utrum a quolibet sacerdote possit imponi.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod solemnitas pœnitentia non sit imponenda mulieribus. Quia vir cui imponitur solemnitas pœnitentia, debet comam abijcere. Sed hoc non competit mulieri, ut patet I. ad Corinth. xi. Ergo non debet, agere solemnem pœnitentiam.

1. Item. Videtur quod clericis sit imponenda. Quia imponitur propter gravitatem delicti. Sed idem peccatum gravius est in clerico quam in laico. Ergo magis debet imponi clerico quam laico.

3. Item. Videtur quod a quolibet sacerdote possit imponi. Quia absolvere in foro pœnitentia est ejus qui habet claves. Sed simplex sacerdos habet claves. Ergo potest esse minister hujusmodi pœnitentiæ.

Respondeo dicendum, quod omnis solemnitas pœnitentia est publica; sed non convertitur. Pœnitentia enim solemnitas hoc modo fit. (2) *In capite Quadragesima sales pœnitentis*

(1) Hanc rationem epist. 54. ante medium assert Augustinus, cura ait *cause salubriterque provisum esse ut locus humillima pœnitentia semel in Ecclesia concedatur ne medicina vilis minus utilis esset agrotis que tanto magis salubris est quanto minus contemptibilis fuerit: Quod perpetam in versis verbis in Decretis refertur ubi supra dist. 50. cap. Quamvis; nimirum sic, ne medicina nimis utilis vilis habeatur: Secundam vero rationem indicat Concilium Agathense cap. seu can. 15. ex quo refertur in Decretis locis paulo post annotando: Tertiam quoque Ambrosius lib. 2. de pœnitentia cap. 10. equivalem insinuat, dum ait, quod si vere agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent; quia sicut unum baptisma, ita etiam una pœnitentia, quæ ta-*

men publice agitur, &c.

(2) Ex Concilio Agathensi ut supra in Decretis refertur cap. quod incipit sicut hic *In capite Quadragesima* indeque Ivo part. 15. cap. 45. & Burchardus etiam lib. 19. cap. 26. ut & alii quidam citant: Quamvis Burchardi manuscriptum Exemplar ut ex Pœnitentia Romano refert, & in Romano Pontificali vel ordine Romano magna ex parte sic habetur: Nec porro tale quidquam in Concilio Agathensi nunc extat, ut nec aliqua que adduntur hic prope finem, capite supradicto insinuantur, ubi & exprimitur causa cur Ecclesia sic severius agat, ut sanctam Ecclesiam videntes pro suis facinoribus tremefactam acque commotam, non participantes pœnitentiam, &c.

nitentes presentant se cum presbyteris suis Episcopo civitatis ante fores Ecclesie, sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram dimissis, coma deposita: & eis in Ecclesiam introductis, Episcopus cum omni clero septem Psalmos penitentiales dicit, & postmodum eis manam imponit, aquam benedictam super eos spargit, & cinerem capitibus superponit, cilicio colla eorum operit, & denuntiat eis lacrymabiliter, quod sicut Adam eiectus est de paradiso, ita ipsi de Ecclesia eieciuntur. Postea jubet ministris ut eos ab Ecclesia pellant, clero eos prosequente cum hoc responsorio: In sudore vultus tui &c. In caena autem Domini quolibet anno a suis presbyteris in Ecclesiam reducantur, & erunt ibi usque ad octavas Pasche; ita tamen quod non communicabunt, neque pacem accipient. Et sic fiet quolibet anno, quousque aditus Ecclesie est eis interdictus. Ultima autem reconciliatio reservatur Episcopo ad quem solum spectat sollemnis penitentiae impositio, (hæc habentur cap. lxiv. dist. I.) Potest autem imponi viris, & mulieribus, sed non clericis, propter scandalum. Non autem talis penitentia debet imponi nisi pro peccato, quod totam commoverit urbem. Publica autem, & non sollemnis penitentia est quæ in facie Ecclesie fit, sed non cum solemnitate prædicta; sicut peregrinatio per mundum cum baculo cubitali. Et hæc post iterari, & a simplici sacerdote injungi: & potest etiam clerico imponi. Tamen quandoque sollemnis penitentia accipitur pro publica. Et secundum hoc auctoritates quædam varie loquuntur de solemnibus, (1)

Ad primum ergo dicendum, quod mulier habet comam in signum subjectionis, non autem vir. Et ideo non competit ut in penitentia. Summ. S. Th. Tom. XIII.

nitentia mulieri coma deponatur, sicut viro. Ad secundum dicendum, quod quamvis in eodem genere peccati clericus plus peccet quam laicus; tamen non injungitur ei penitentia sollemnis, ne ordo veniat in contemptum: unde non deseritur personæ, sed ordini.

Ad tertium dicendum, quod magna peccata indigent magna cautela ad sui curationem. Et ideo injunctio penitentiae sollemnis, quæ non nisi pro gravissimis peccatis fit, soli Episcopo reservatur.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per S. Thom. a fortiori explodas errorem *Peuperum de Lugduno* (ut refert *Summa Fratris Yconeti in Bibliotheca Vaticana manuscripta*) dicentium: clericos, & religiosos ecclesie esse Scribas, & Phariseos Apostolorum persecutores. Hic error, pro quanto clericalem ordinem inhonorat, adducitur hic, & a fortiori, ut dictum est, per articulum præsentem exploditur. Adeo namque articulus præsens honorem deserit clericali ordini: ut personis illius, quamquam alias dycolis, penitentiam sollemnem non dari, & bonum esse dicat, & edificatorium populi esse definiat. *Secundo* habes: quomodo per sanctum Thomam ostendas, prædictum errorem, pro quanto diximus damnati merito ab *Exod. 32.* ut supra in not. post ad *secundum*, Item a Concil. *Carthaginensi*, scilicet, „ Confirmandam „ est, ut, si quando presbyteri, vel diaconi „ in aliqua graviore culpa convicti fuerint, „ qua eos necesse sit a ministerio removeri ad „ tempus, non eis manus tanquam penitentibus imponatur. *Hæc illud, & resistantur distincte.*

(1) Solemnem quippe quidam cum publica confundunt vel potius publicam cum solemnibus, aut unam per aliam explicant; adeoque publicam æque ac sollemnem iterabilem, negant: Sic infirmat Hugo de S. Victore in *Eruditionibus Theologicis* Tract. 6. *Summa sententiarum* C. 12. versus finem: Ubi explicans illud quod Ambrosius ait lib. de penitentia, sicut unum baptismum, ita unam esse penitentiam, *Dicitur est* (inquit) *de solemnibus: Nam in eodem capitulo supponit Ambrosius* (id est subiungit) *que sententia publica agitur: Et sollemnis penitentia dicitur que fit in manifesto extra Ecclesiam; scilicet que de gravibus tantum peccatis injungitur, & de his que manifeste Ecclesiam deserunt; Et olim illa penitentia non iterabatur; & adhuc quidem in quibusdam Ecclesiis hoc servatur pro reverentia Sacramenti; nec injungitur illa sollemnis penitentia iter-*

rum criminaliter peccatis, sed datur aliquod consilium: Ut & lib. 2. de Sacramentis fidei part. 140 cap. 4. prope finem explicans quod secundum penitentiam non est locus, postquam præmisit, hoc sic dicit quia penitentia per totam vitam agi debet, subiungit quod alii hoc dictum intelligunt de publica penitentia, quam dicunt iterari non posse propter rigorem & castigationem ut homines sacramenta Dei contemnunt, &c. Solemnem tamen a publica distinguunt Alex. de Hales in 4. part. Summæ qu. 14. numero 6. Albertus Magnus 4. Sent. dist. 14. art. 28. S. Raymundus lib. 3. sum. Summæ cap. de penitentia & remissionibus §. 6. ubi sic ait: Species penitentia sunt tres: Nam alia est sollemnis, alia publica, & alia privata: Quas deinceps explicat sigillatim.

*distinct. 50. Item à Leone Papa sic. ,, Alio-
 ,, num est a consuetudine Ecclesiastica, ut,
 ,, qui in presbyterali honore, aut diaco-
 ,, ni gradu fuerint consecrati, hi pro crimi-
 ,, no aliquo suo per manus impositionem re-
 ,, medium accipiant penitendi, quod sine du-
 ,, bio ex Apostolica traditione descendit ,, .
 Hæc ille, & recitantur *distinct. 17.* Per ma-
 nus autem impositionem tam Leo, quam
 Concilium intelligit penitentiam solemnem,
 juxta quod Concilium *Agathense* de penitenti-
 a solemnem cap. 11. statuit sic. *Penitentes tem-
 pore, quo penitentiam petunt, impositionem
 manuum, & cilicium super capita sua, sicut
 ubique statutum est, consequantur.* Hæc illud,
 & recitantur *distinct. 50.* Tertio habes: quo-
 modo per sanctum Thomam ostendas, merito
 insinuatam esse a Concilio *Neocæsariensi*,
 quod clericus potest agere penitentiam pu-
 blicam, ut sc. distinguitur contra solemnem.
 Insinuatam esse autem hoc ab eo, quando
 dixit; ,, Presbyter, si uxorem duxerit ab
 ,, ordine illum deponi debere, quod si forni-
 ,, catus fuerit, vel adulterium commiserit;
 ,, extra ecclesiam abjici, & ad penitentiam
 ,, inter laicos redigi oportet. *Hæc illud, &
 recitantur distinct. 28.* Item insinuatam a Con-
 cilio *Martini Papa sic. ,, Si quis presbyter,
 ,, vel diaconus propter publicam penitentiam
 ,, a sacerdote acceptam, absque aliqua ne-
 ,, cessitate die Dominica pro quadam reli-
 ,, gione jejanaverit, sicut Manichæi: anathema
 sit ,, .* Hæc illud, & recitantur *distin-
 ctione 30.* Idem etiam insinuatam fuerat ex
 canone Apostolorum, ut legitur *distinct. 81.
 cap. Si quis Episcopus.* Quarto habes: quo-
 modo per sanctum Thomam prædicta, pro
 quanto penitentiam solemnem clericis dan-
 dam negant, & publicam illis indulgendam
 pro culpis determinant, & declares, atque
 defendas. Quinto vides: quomodo &c.*

QUÆSTIO XXIX.

*De Sacramento Extremae unctiois quantum ad
 ipsius essentiam, & institutionem,*

In novem articulos divisa.

Post hæc considerandum est de sacramen-
 to extremae unctiois: de quo quinque
 videnda sunt.

Primo de essentialibus ipsius, & de ejus
 institutione.

Secundo de effectu ipsius.

Tertio de ministro ipsius.

Quarto de eo cui conferri debet, & in qua
 parte.

Quinto de ejus iteratione.

Circa primum quaeruntur novem.

Primo, utrum extrema unctio sit sacra-
 mentum.

Secundo, utrum sit unum sacramentum,

Tertio, utrum hoc sacramentum fuerit a
 Christo institutum.

Quarto, utrum oleum olivæ sit conveniens
 materia hujus sacramenti.

Quinto, utrum oporteat oleum esse con-
 secratum.

Sexto, utrum oporteat materiam hujus sa-
 cramenti per Episcopum consecrari.

Septimo, utrum hoc sacramentum habeat
 aliquam formam.

Octavo, utrum forma hujus sacramen-
 ti debeat proferri per orationem deprecati-
 vam.

Nono, utrum prædicta oratio sit compe-
 tens forma hujus sacramenti.

ARTICULUS I. III

Utrum Extrema unctio sit sacramentum.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod
 extrema unctio non sit sacramentum.
 Quia sicut oleum assumitur ad infirmos, ita
 ad catechumenos. Sed unctio quæ fit oleo ad
 catechumenos, non est sacramentum. Ergo
 nec extrema unctio quæ fit oleo ad infir-
 mos.

2. Præterea. Sacramenta veteris legis fue-
 runt signa sacramentorum novæ legis. Sed
 extrema unctio non habuit aliquam figuram
 in veteri lege. Ergo non est sacramentum
 novæ legis.

3. Præterea. Secundum Dionysium (cap.
 111. & v. eccles. Hierarch.) omne sacra-
 mentum vel ad purgandum est, vel ad illu-
 minandum, vel ad perficiendum. Sed extre-
 ma unctio non ponitur nec ad purgandum,
 nec ad illuminandum, quia hoc soli baptis-
 mo attribuitur, neque ad perficiendum, quia
 hoc secundum ipsum Dionysium (ibid. &
 cap. 11.) pertinet ad christum, & Eucharis-
 tiam. Ergo extrema unctio non est sacra-
 mentum.

Sed contra. Sacramenta Ecclesie sufficien-
 ter subveniunt defectibus hominum secundum
 quemlibet statum. Sed exeuntibus non sub-
 venit aliud quam extrema unctio. Ergo ipsa
 est sacramentum.

Præterea. Sacramenta nihil aliud sunt
 quam

quam quædam spirituales medicinz. Sed extrema unctio est quædam spiritualis medicina, quia valet ad remissionem peccatorum, ut habetur Jacobi, v. Ergo est sacramentum.

Respondeo dicendum, quod in his que Ecclesia visibiliter operatur, quædam sunt sacramenta, ut baptismus; quædam sacramentalia, ut exorcismus: quorum est hæc differentia, quod sacramentum dicitur illa actio Ecclesie que attingit ad effectum principaliter intentum in administratione sacramentorum; sed sacramentale dicitur illa actio que quamvis non peringat ad illum effectum, tamen ordinatur aliquo modo ad illam actionem principalem. Effectus autem intentus in administratione sacramentorum est curatio morbi peccati. Unde Isa. xxvii. 9. *Hic est omnis fructus, ut tollatur peccatum.* (1) Et ideo cum ad hunc effectum peringat extrema unctio, ut ex verbis Jacobi patet, nec ordinetur ad aliud sacramentum, quasi ei annexum, constat quod extrema unctio non est sacramentale, sed sacramentum. (2)

Ad primum ergo dicendum, quod oleum quo catechumeni inunguntur, sua unctione non perducit ad peccati remissionem, quia

hoc ad baptismum pertinet; sed aliquo modo ad baptismum disponit, ut supra dictum est (IV. dist. vi. quæst. ii. art. x. quæst. 3. ad 4. & III. P. quæst. lxxi. art. 3.) Et ideo non est sacramentum illa unctio, sicut unctio extrema.

Ad secundum dicendum, quod hoc sacramentum immediate homines ad gloriam disponit, cum exeuntibus a corpore detur. Et quia in veteri lege non erat tempus adhuc perveniendi ad gloriam, quia (*) *neminem ad perfectum adduxit lex* (Hab. vii. 19.) ideo istud sacramentum præfigurari non debuit per aliquod sacramentum sibi respondens, sicut per figuram ejusdem generis, quamvis per figuras remotas aliquo modo figuratum sit in omnibus curationibus que leguntur in veteri Testamento.

Ad tertium dicendum, quod Dionysius non facit aliquam mentionem de extrema unctione, sicut nec de penitentia, nec de matrimonio, quia ipse non intendit determinare de sacramentis, nisi quatenus per ea innotescere potest ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinata dispositio quantum ad ministros, & actiones ministrorum, & recipientes.

H h 2

(1) De dimittenda iniquitate domus Jacob expressè dictum vers. 9. sed huc accomodari potest & Hieronymus ibi ad statum legis Evangelicæ accommodat.

(2) Quale agnoscit ex preseflo innocentius 1. ad Decentium scribens epist. i. cap. 8. ubi de unctione sancti olei vel chrisimatis ægrotantibus dari solita loquens ac de illa Jacobi locum intelligi debere significans, eam penitentibus (neapè publicis) posse infundi negat, quia *genus est sacramenti*: Tum deinde mox id hoc modo concludit: *Nam quibus reliqua Sacramenta negantur; quomodo unum genus putatur posse concedi?* Similiter Innocentius 3. cap. eam venisse, Extra de sacra unctione paulo post initium: *Scire te volo* (inquit) *duas esse species unctionis; exteriorem que materialis est & visibilis, & interiorem que spiritalis est & invisibilis: Exteriori visibili inungitur corpus; Interiori invisibili inungitur cor: De prima Jacobus Apostolus ait (Jacobi 5.) Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesie, & oras super eum ungentes eum; &c. De secunda Joannes Apostolus (1. Joan. 3.) Per unctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis, &c. Unctio visibilis & exterior signum est exterioris & invisibilis unctionis: Unctio vero invisibilis & interior non solum est signum sed etiam sacramentum: quia si digne sumitur, vel agit vel augeat. Dubio quod designat? Sic Augustinus in serm. 215. de tempore circa medium: Quoties infirmus aliqua supervenerit corpus & sanguinem Christi ille*

qui ægrotat accipiat; & inde (seu deinde) corpus suum unget, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo, infirmetur quis, &c. Quasi hoc ipsum sacramentum æquivalenter insinuans: Et expressius in Tractatu de rectitudine Catholicæ conversationis inter eius opera tom. 9. Qui ægrotat, in Ista Dei misericordia confidat, Eucharestiam cum fide ac devotione accipiat, deumque benedictum ab Ecclesia petat, unde corpus suum ungetur; & secundum Apostolum oratio fidei salvabit infirmum &c. Sic inter Græcos Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio ex eodem Jacobi loco probat Sacerdotes non solum cum nos regentur, sed & postea potestatem habere indulgendi peccata, cum nos unguat: Quia Schismatici quoque Græci, ut Nicolaus Gaballus in Expositione Liturgiæ cap. 29. com. 12 recentioris Bibliothecæ Patrum, idem expressè profitentur: Sic enim ille ibi: Peccatorum remissionem & ultimum omni Sacramentum perficit Sacerdotum oratio: Et hoc Apostolicam traditionem habere addit, ac ex eodem rursus Jacobi loco infert. Hinc in Decreto Eugenii 4. post Concilium Florentinum unum e septem Sacramentis unctio illa numeratur, & ex Jacobi verbis asstruitur. Sed plenius in Concilio Tridentino Sess. 14. tit. de Sacramento extremæ unctionis cap. 1. tamquam vere ac proprie dictum Sacramentum dicitur instituta: Ut & can. 1. Si quis dixerit extremam unctionem non esse verè & proprie Sacramentum, Anathema sit.

(*) *Vulgata nihil.*

res. Tamen cum per extremam unctionem aliquis consequatur gratiam, & remissionem peccatorum, non est dubium quod extrema unctio habet vim illuminativam, & purgativam, sicut baptismus, quamvis non ita plenam.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimis hæresim *Albanensium* dicentium, unctionis extremæ sacramentum nihil esse. Si enim nihil est secundum istos, antiquæ nec sacramentum verum est. Item hæresim *Heracitarum, Rusbenorum, Waldensium, Joann. Wicleff., Lusberi*, ut refert *Joan. Bunderius*, dicentium, unctionem extremam non esse connumerandam inter sacramenta, quoniam a Patribus, non a Christo dimanavit pro sacramento, idest a Christo non est instituta. Contra hos autem *art.* præsens pugnat, dum, sacramentum verum esse extremam unctionem, probat ab effectu vero; sc. a remissione peccati: contra illos, quoad institutionem est *art.* 3. quem vide. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictam hæresim merito esse damnatam a Concilio *Trident.* sessio. 14. cap. 1. de extrema unctione sic. „Redemptor noster clementissimus extremæ unctionis sacramento finem vitæ, servorum sc. suorum tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. *Hæc ibi.* Item de *extremæ unctionis* canone 1. „Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere, & proprie sacramentum, &c. sed signum humanum: anathema sit. *Et can.* 2. „si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem, nem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, &c. „anathema sit. *Hæc ibi.* Quod si esset nihil (ut *Albanenses* mentiuntur) quomodo posset esse præsidium, & quidem firmissimum, circa finem vitæ? Vel quomodo esset tunc vere, & proprie sacramentum? Quomodo conferret gratiam tunc, vel remitteret peccata, vel alleviaret infirmos? Item a Concil. *Coloniensi*, c. 49. *Extrema unctio, qua (quoniam in morte extrema lucta est) adhibetur, ut vel convalescat agrotus, si Deo ita visum fuerit, vel fide, bonaque spe obdormiat in domino.* *Hæc ibi.* Quod si nihil esset, secundum *Albanenses*: quomodo ægroti convalescentiam,

spem bonam, atque fidem causare posset, Item a Conc. *Senonensi* in Decretis fidei? Decr. 10. c. de extrema unctione. „Si quis „infirmatur (inquit *Jacobus*) in vobis, „inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine „Domini, &c. & si in peccatis sit, remittentur ei. Quibus liquido constat, extremam unctionem, cæterorum sacramentorum instar, remissionem peccatorum efficaciter operari. „*Hæc ibi.* Et quomodo efficaciter operaretur, si, ut impii homunciones evomunt, esset nihil? Item ab *Eusebio IV.* in decreto Armenis dato, sacro approbante Concil. Flor. *Quintum sacramentum est extrema unctio, &c. cujus effectus est mentis sanatio, & (inquantum expedit) ipsius etiam corporis.* *Hæc ibi.* Per hoc ergo, quod mentem sanare dicit, & corpus: damnat *Albanenses* ipsam nihil esse dicentes. Item a Papa *Innocentio I.* in epist. 1. ad Decentium *Eugubinum* Episcopum c. 8. „Illud, quod „in B. Apostoli *Jacobi* epistola conscriptum „est, si infirmus aliquis in vobis est, vocet „presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, &c. non „est dubium, de fidelibus ægrotantibus intelligi debere, qui sancto oleo perungi „possunt, &c. Non pœnitentibus autem „istud infundi non potest, quia genus est „sacramenti. Nam, quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? „*Hæc ibi.* Ecce, quod extrema unctio est sacramentum, & aliis connumeratum, & consequenter est aliquid. *Tertio* habes: quomodo per rationes dicta Patrum supra, pro quanto extremam unctionem dicunt esse sacramentum verum, & probes, & declares, & defendas. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. III

Utrum Extrema unctio sit unum sacramentum.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod extrema unctio non sit unum sacramentum. Quia unitas rei est ex sua materia, & ex sua forma; cum ex eodem habeat res esse, & unitatem. Sed forma hujus sacramenti frequenter iteratur (*) etiam eadem

(*) Ita *quæst.* 4. etiam in eadem vice & materia pluries. Sed in unctio adhibetur &c.

dem vice; & materia pluries inuncto adhibetur secundum diversas partes. Ergo non est unum sacramentum.

2. Præterea. Ipsa unctio est sacramentum; ridiculum enim est dicere, quod oleum sit sacramentum. Sed sunt plures unctioes. Ergo sunt plura sacramenta.

3. Præterea. Unum sacramentum ab uno ministro perfici debet. Sed in aliquo casu extrema unctio non potest perfici ab uno ministro; sicut si post primam unctioem factam sacerdos moriatur, tunc enim alius sacerdos debet ulterius procedere. Ergo extrema unctio non est unum sacramentum.

Sed contra. Sicut se habet immersio ad baptismum, ita se habet unctio ad hoc sacramentum. Sed plures immersiones sunt unum sacramentum baptismi. Ergo & plures unctioes extremæ unctiois sunt unum sacramentum.

Præterea. Si non esset unum sacramentum tunc facta prima unctioe, non oporteret ad perfectionem sacramenti quod fieret secunda: quia quodlibet sacramentum per se habet esse perfectum. Sed hoc falsum est. Ergo est unum sacramentum.

Respondeo dicendum, quod unum numero, per se loquendo, dicitur tripliciter: uno modo sicut indivisibile, quod nec actu, nec potentia est plura; ut punctum, & unitas: alio modo sicut continuum, quod quidem actu est unum, sed plura potentia; ut linea: tertio modo sicut perfectum aliquod, quod ex partibus pluribus constituitur; ut domus, quæ est multa quodammodo etiam in actu, sed illa multa conveniunt in aliquo uno. Et hoc modo quodlibet sacramentum dicitur unum. in quantum multa quæ sunt in uno sacramento, adunantur ad unum significandum, vel causandum: quia sacramentum significando causat. Et ideo quando una actio sufficit ad perfectam significationem, unitas sacramenti consistit in illa actione tantum; sicut patet in confirmatione. Quando autem significatio sacramenti potest esse & in una, & in multis actionibus, tunc sacramentum perfici potest & una actione, & pluribus, sicut baptismus una immersione, & tribus: quia ablutio, quæ significatur in baptismo, potest esse per unam immersionem, & per multas. Quando autem perfecta significatio non potest esse nisi per plures actiones, tunc plures actiones sunt de perfectione sacramenti; sicut patet in Eucharistia: quia relectio corporalis, quæ significat spiritualem, non potest esse nisi per cibum, & potum.

Et simile est in hoc sacramento: quia curatio interiorum vulnerum non potest perfecte significari nisi per appositionem medicinæ ad diversas vulnerum radices. Et ideo plures actiones sunt de perfectione huius sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod unitas totius perfecti non tollitur propter diversitatem materiæ, aut formæ, quæ est in partibus totius; sicut constat quod non est eadem materia carnis, & ossis, ex quibus constituitur unus homo, nec eadem forma. Et similiter etiam in sacramento Eucharistiæ, & in hoc sacramento pluralitas materiæ, & formæ unitatem sacramenti non tollit.

Ad secundum dicendum, quod quamvis illæ actiones sint plures simpliciter; tamen ununtur in una perfecta actione, quæ est unctio omnium exteriorum sensuum, quibus hauritur morbus interior.

Ad tertium dicendum, quod quamvis in Eucharistia, si post consecrationem panis moriatur sacerdos, alius sacerdos possit procedere ad consecrationem vini, incipiens ubi ille dimisit, vel etiam incipere a capite supra aliam materiam; tamen in extrema unctioe non potest a capite incipere, sed debet semper procedere: quia unctio in eadem parte facta tantum valet, ac si consecraretur bis eadem hostia: quod nullo modo faciendum est. Nec tamen ministrorum pluralitas tollit unitatem huius sacramenti, quia instrumentaliter tantum operantur: mutatio autem martellorum non tollit unitatem operationis fabri.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Waldensium* (Prat. *Calvinista*, *Pauperes de Lugduno*, *Securii*) & *Lutheri*, postea (ut refert *Aeneas Sylvius*) dicentium, unctioem extremam non esse inter sacramenta Ecclesiæ computandam. Articulus enim præfens per hoc, quod determinat, illam esse sacramentum unum, virtualiter concludit contra istos. Non enim sacramenta Ecclesiæ essent septem tantum, si hoc sacramentum esset plura. Ex hoc igitur, quod dicitur hic esse unum, statuitur implicite, quod est annumerandum inter sacramenta Ecclesiæ. Secundo habes: quomodo per rationem virtualiter ostendas, hæresim prædictam dampnari merito a Papa *Eugenio IV.* in Decr. Armenis dato, sacro approbante Concilio *Florentino*. Quinto. „ Ecclesiæ „ sticorum sacramentorum veritatem pro ip-

„ forum Armenorum tam præsentium, quam
 „ futurorum faciliori doctrina sub hac for-
 „ mula brevissima rodegimus. Novæ legis
 „ septem sunt sacramenta; videlicet Bap-
 „ tismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia,
 „ Extrema unctio, Ordo, & matrimonium.
 „ Hæc ibi. Quod si extrema unctio non esset unum sacramentum, sed vel nihil (ut garriebant Albanenses *ar. 1. append.*) vel plura: tunc non essent septem solum, ut intendit *Eugenius* ex declaratione sequenti a Concil. *Trident.* facta. Item a Conc. *Trident.* sess. 7. de sacramentis in communi, can. 1.
 „ Si quis dixerit, sacramentâ novæ legis esse se plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctio-
 „ nem, Ordinem, & Matrimonium, &c. anathema sit. „ Hæc ibi. Item a, &c. ut *art. 1. append.* Ex dictis enim ibi potes probare aliquo modo intentum præsens: sicut & ex dictis hic vicissim. Item a Papa *Lucio III.* de hæretic. *Ad abolendam*, &c. *Universos, qui de sacramento corporis, & sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de baptismo, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere non metuent, quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & observat, &c. vinculo perpetui anathematis innodamus.* Hæc ibi. *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta Patrum, pro quanto sacramentum extremæ unctio-
 „ nis implicite saltem dicunt esse unum, & intelligas, & probes, & tuearis. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 113

Utrum hoc Sacramentum fuerit a Christo institutum.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non fuerit institutum a Christo. Quia de institutione sacramentorum, quæ Christus instituit, fit mentio in Evangelio; sicut de Eucharistia, & baptis-

mo. Sed nulla fit mentio de extrema unctio-
 „ ne. Ergo non est a Christo instituta.

2. Præterea. Magister expresse dicit in *IV. dist. xxiii.* quod est institutum ab Apostolis: Ergo ipse Christus per se non instituit.

3. Præterea. Sacramentum quod Christus instituit, etiam ipse per se exhibuit, ut patet de Eucharistia, & baptismo. Sed hoc sacramentum nulli ipse exhibuit. Ergo per se non instituit.

Sed contra. Sacramenta novæ legis sunt digniora quam sacramenta veteris legis. Sed omnia sacramenta veteris legis sunt a Deo instituta: Ergo multo fortius omnia sacramenta novæ legis habent institutionem ab ipso Christo.

Præterea. Eiusdem est instituere, & statum remove. Sed Ecclesia, quæ in successoribus Apostolorum habet eandem auctoritatem quam Apostoli habuerunt, non posset auferre sacramentum extremæ unctio-
 „ nis. Ergo Apostoli non instituerunt, sed ipse Christus. (1)

Respondeo dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod sacramentum istud, & confirmationis Christus non instituit per se, sed Apostolis instituendum dimisit: (2) quia hæc duo propter plenitudinem gratiæ, quæ in eis confertur, non potuerunt ante Spiritus sancti missionem plenissimam institui. Unde sunt ita sacramenta novæ legis, quod in veteri lege figuram non habuerunt. Sed hæc ratio non multum cogit: quia sicut Christus ante passionem suam promisit plenam Spiritus sancti missionem; ita potuit instituere hæc sacramenta.

Et ideo alii dicunt, quod omnia sacramenta Christus instituit per seipsum; sed quadam per seipsum promulgavit, quæ sunt majoris difficultatis ad credendum; quedam autem Apostolis promulganda reservavit, sicut extremam unctio-
 „ nem, & confirmationem. Et hæc opinio pro tanto videtur probabilior: (3) quia sacramenta ad fundamen-
 „ tum

(1) Quod & in Concilio Tridentino, ut supra sub eodem anathemate dicitur; hoc nempe Sacramentum non a Patribus acceptum esse aut signum humanum, sed a Christo Domino institutum.

(2) Sic de hoc sacramento Hugo de S. Victore lib. 2. de sacramentis fidei, part. 15. cap. 8. & iidem in ille verbis Magister Sententiarum lib. 4. dist. 28. supra; licet favorabili sensu S. Thom. explicet

ad 2. ut expendetur ibi.

(3) Atqui non tantum probabilior modo, sed certa & omnino tenenda propter decretum supradictum quo Concil. Trident. eam definit speciatim a Christo institutam; ut & 7. sess. can. 1. generaliter de omnibus omnino sacramentis idem decernit profitendum, & contrarium dicentibus dicitur anathema; ut prius.

tam legis pertinent; & ideo ad legislatorem pertinet eorum institutio: & idem quia ex institutione efficaciam habent, que in eis non nisi divinitus inest.

Ad primum ergo dicendum, quod multa Dominus fecit, & dixit, que in Evangelio non continentur: Illa enim precipue curaverunt Evangelistae tradere: que ad necessitatem salutis, & ecclesiasticae dispositionis pertinent. Et ideo portus institutionem baptismi, & poenitentis, & Eucharistiae, & ordinis factam a Christo narraverunt, quam extremæ unctionis, vel confirmationis, que neque sunt de necessitate salutis, neque ad dispositionem, vel distinctionem Ecclesiae pertinent. Tamen etiam de olei unctione fit mentione in Evangelio *Marc. vi. ubi dicitur, quod Apostolus unxit infirmos.*

Ad secundum dicendum, quod Magister dicit ab Apostolis institutum, (1) quia per doctrinam Apostolorum nobis promulgata est eius institutio.

Ad tertium dicendum, quod Christus non exhibuit aliquod sacramentum, nisi quod ipse accepit in exemplum. Accipere autem poenitentiam, & extremam unctionem sibi non competebar, quia sine peccato erat: ideo ipse non exhibuit.

A P P E N D I X

EX artic. habes primo quomodo per rationem interimas hæresim *Hereticorum* dicentium, unctionis extremæ sacramentum non fuisse a Deo institutum: Item errorem quorundam scholasticorum non vulgaris nomenclaturæ (quos honoris gratia non nominabo) dicentium, unctionem extremam fuisse a B. Jacobo institutam: Videat, qui voluerit, super 4. *Senten. dist. 22. vel circa, & librum de sacramentis cuiusdam par. 14. c. 2. vel alios de hoc sacramento tractantes: & quos invenerit præmissum errorem docentes, expurget, seu corrigat. Intentio namque ca-*

tholicorum Doctorum, de quorum numero illi habentur, non fuit defendere sua dicta contra sanctam Romanam Ecclesiam. Hinc arguendi sunt illi, qui vel incuria, vel affectu nimia decepti, postquam Concilium aliquod sanctam Ecclesiam representans determinaverit oppositum alicujus eorum Doctoris, illam incorrectam, & penitus immutatam relinquant, ac si vel Concilium nullum factum fuisset, vel Doctores illi sui non fuissent Concilio. Ex qua re profecto, & contra suorum Doctorum piam intentionem supradictam faciant: & aliis secururis, qui forsitan Conciliorum decreta de tali re non viderunt, magis scandali occasio sunt, tantoque magis, quanto Doctores illi sui majus inter catholicos nomen habuerint. Pro generalissima igitur regula tenendum, atque diligenter servandum est id, quod sequitur. Quando Concilium aliquod celebratum fuisse de recenti, vel alias per summum Pontificem determinationem, ut de fide factam, noverit aliqui, præsertim majores, tunc sumpto concilio, vel determinatione illa, tanquam specula, ante oculos suos mente recta conspiciant, utrum dicta singula Doctorum suorum ad normam determinationis illius respondeant. Et si quidem in singulis ei concederent, donec: si vero non, illos emendent, vel ad bonum sensum aliquo bono modo reducant, ita, ut legitibus appareat, ut non possint errare. Non enim concilia illorum, sed illi Conciliorum sensui, verbisque coaptari debent. Ad hoc expectandum, quod Concilia, quæque sunt ad prohibendum hoc, vel illos, horum, vel illorum dicta in particulari, quoniam facta est Ecclesie: seu vel proposuisse sua decreta, tanquam regulam, secundam quam omnia aliorum (quicumque sine illi) corrigantur. Et, quoniam satisfactum est ab ipsa in communi ad hunc finem: ideo non est tutum in conscientia (ut supra dictum est) dimittere post Conciliorum celebrationem in suis libris incorrecta, si que corri-

(1) Benignius & faventius explicari non potest (Nec videtur antiqui debet improbabili explicatione) cum & aliqua infirmi dicantur non absurde quando tunc primum promulgantur; quo sensu S. Thomas etiam ipse 3. part. qu. 73. art. 5. ad 4. in finem baptismum dici posse post Eucharistiam institutum quamvis iam prius esset aliquoties institutus, quia promulgatio ejus & ad eum suscipiendum obligatio post resurrectionem tantum cepit: Unde inter opiniones que in Magistro Sententiarum reprehendi & ab aliis passim reiici solent, ut ad calcem *Senten-*

tiarum ejus videre est) hæc non ponitur, quia sic explicari posse in bonam partem existimant aliam opinionem que rejici debent collectores: Sed meti plus aliquid Magister velle videtur eodem sensu quo & Hugo cujus verba usurpat, ut jam supra indicatum est; sed in extraneorum opinionum Catalogo non recensetur, quia priusquam Concilium prædictum definisset confectus erat Catalogus, cum plures adhuc hanc Magistri opinionem et probabilem sequerentur, nec posterior mutatus est.

corrigenda sunt, quoniam nulla in oppositum sufficit excusatio. Honori itaque Doctorum suorum, honori necnon conscientie propriæ, consulant omnes: ne quando irascatur pia mater Ecclesia, & tantum animarum damnatum, vel scandalum (quod supra tactum est) de manu negligentium iustissime requiratur; Damnum, inquam, & scandalum, quia, si non esset a Christo institutum, quomodo responderemus contra hæreticos? Honor enim, qui negant, extremam unctionem esse sacramentum, hoc pro suo fundamento assumunt, quod a Patribus (inquiunt) non a Christo instituta est. Vide supra ar. 1. app. circa principium. Cæterum, quia parum, quasi coacte digressi, ad propositi filium revertentes dicamus. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores in principio dictos merito damnari a Concilio Tridentino, sess. 7. de sacramentis in communi, can. 1. *Si quis dixerit: sacramenta nove legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino instituta, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Penitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, anathema sit.* Hæc ibi. Item sessio 14. de extrema unctione, cap. 1. *Circa illius institutionem declarat, & docet sancta Synodus: quod Clementissimus Redemptor noster, qui servus suis quovis tempore voluit de salutaribus remedijs adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum: quemadmodum in sacramentis alijs auxilijs maxima preparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possent, ita extreme unctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quadam presidio munivisset. Nam, est adversarius noster occasionem per omnem vitam querens, & caperet, ut devorare animas nostras quoquomodo possit, nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes sine versuta nervos intendat ad perdendas nos peritus, & a fiducia, si posse, divina misericordia deturbandos, quam, cum impendere nobis exitum vitæ prospicit. Instituta est autem hæc sacra unctio infirmorum, tanquam vere, & proprie sacramentum novi testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem institutum, per Jacobum autem Apostolum, ac Dominum fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis, &c. Hæc ibi; & de extrema unctione can. 1. *Si quis dixerit: extremam unctionem non esse vere, & proprie sacramentum a Christo Domino nostro institutum, & a B. Jacobo Apost. promulgatum, &c. anathema sit.* Item*

a Concilio *Sanonensi*, in decretis fidei, decreto quarto, decimo capite de extrema unctione: *Si quis infirmatur (inquit Jacob.) in vobis, & czt. Quibus liquido constat, extremam unctionem remissionem peccatorum efficaciter operari, ac prout nec ab Jacobo quidem fuisse institutam, sed ab eo tantum, cui peculiariter est, ut gratiam, & gloriam conferre possit.* Hæc ibi. *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta Patrum, pro quanto unctionem extremam dicunt a Christo institutam, & intelligas; & probes, & defendas. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV.

Utrum oleum olivæ sit conveniens materia hujus sacramenti

S. Thom. ubi sup. ar. 1. q. 1. & seq.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod oleum olivæ non sit conveniens materia hujus sacramenti. Quia hoc sacramentum immediate ad incorruptionem ordinatur. Sed incorruptio significatur per balsamum, quod in chrismate ponitur. Ergo chrisma esset convenientior materia hujus sacramenti.

2. Præterea. Hoc sacramentum est spiritualis medicatio. Sed spiritualis medicatio per vini appositionem significatur, sicut patet Luc. x in parabola de sauciato. Ergo vinum etiam esset convenientior materia hujus sacramenti.

3. Præterea. Ubi est majus periculum, ibi debet esse commune remedium. Sed oleum olivæ non est commune remedium, quia non invenitur in qualibet terra. Ergo cum hoc sacramentum detur exustibus, qui sunt in maximo periculo, videtur quod oleum olivæ non sit materia conveniens.

Sed contra est quod Jacobi v. oleum materia hujus sacramenti determinatur. Sed oleum proprie non dicitur nisi oleum olivæ. Ergo hoc est materia hujus sacramenti.

Præterea. Spiritualis sanatio per olei usum significatur, ut patet Isai. i. 6. ubi dicitur: *Plaga tumens non est curata medicamento, neque farsa oleo.* Ergo conveniens materia hujus sacramenti est oleum.

Respondeo dicendum, quod spiritualis sanatio quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur, & levis, ut spes, quæ exsuntibus est maxi-

que necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est, & penetrativum, usque ad intima, & etiam diffusivum. Et ideo quantum ad utrumque prædictorum est conveniens materia hujus sacramenti. Et quia oleum principaliter nominatur olivæ liquor, cum alii liquores solum ex similitudine ad ipsum, olei nomen accipiant; ideo oleum olivæ etiam debet esse quod assumitur in materia hujus sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod incorruptio gloriæ est res non contenta in hoc sacramento: nec oportet quod tali rei significatio materiæ respondeat. Unde non oportet quod balsamum ponatur in materia hujus sacramenti: quia balsamum propter odorem pertinet ad bonitatem famæ, (1) quæ de cetero non indiget propter se exeuntes; sed indigent tantum nitore conscientiæ, qui per oleum significatur.

Ad secundum dicendum, quod vinum sanat mordendo, sed oleum leniendo: & ideo curatio per vinum magis pertinet ad poenitentiam, quam ad hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod oleum olivæ quamvis non ubique crescat, tamen de facili potest ad quemlibet locum transferri.

Et præterea hoc sacramentum non est tantæ necessitatis, quod exeuntes sine hoc sacramento non possint salutem consequi.

*Sancti gratiam, qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur, repræsentat. Hæc ibi. Item ab eodem de sacrament. extr. uncti. can. 3. Si quis dixerit, extrema unctionis ritum, & usum; quem observas sancta Romana Ecclesia, repugnare sententia B. Jacobi Apostoli, &c. Anathema sit. Hæc ibi. Cum ergo sancta Romana Ecclesia in hoc utatur oleo olivæ, dicendum est, quod B. Jacobi intentio cap. 5. est loqui de oleo olivæ, assignando ipsum pro materia sacramenti hujus. Item, merito id ipsum insinuatum fuisse a Concilio Cabilonensi 2. cap. 48. *Secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo ungi debent. Hæc ibi. Ubi nota ly cui etiam decreta Patrum consonant: & hoc pro multis probationibus ad idem. Item a Concilio Senonensi decreto fidei 10. cap. de extr. unct. Ad unctionis autem sacramentum Christus mandavisse primum videtur; cum Apostoli ungerent multos infirmos, & sanarentur. Neque enim id suo sensu, sed præceptoris instituto, fecisse putandi sunt. Hæc ibi. Facit hoc dictum Concilii etiam pro art. 2. ad 1. resp. 2. Secundo habes: quomodo per rationem antedicta Patrum, pro quantum oleum olivæ statuunt esse materiam extremæ unctionis, & intelligas, & probes, & tuearis. Tertio vides: quomodo &c.**

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito dictum fuisse a Concilio Florentino in Decreto de sacramentis, sic. *Quintum sacramentum est extrema unctio, cujus materia est oleum olivæ. Hæc ibi: Item a Concilio Tridentino, sessione decimaquarta, de extrema unctione, capitulo primo. Quibus Jacobi verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta intellexit Ecclesia, hujus salutaris sacramenti materiam esse oleum, &c. Nam unctio aptissimo Spiritus. Summ. S. Th. Tom. XXIII.*

ARTICULUS V. 115

Utrum oporteat oleum esse consecratum.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod non oporteat oleum esse consecratum. Quia hoc sacramentum habet unam sanctificationem in usu per formam verborum. Ergo superfluit alia sanctificatio, si ad materiam ipsius fiat.

2. Præterea. Sacramenta habent efficaciam, & significationem in ipsa materia. Sed significatio effectus hujus sacramenti competit oleo ex naturali proprietate ipsius, efficaciam autem

I i

(1) Ut prædicto cap. *Cum venisset*, Extra de sacra unctione. seu lib. 7. Decretalium tit. 15. cap. 1. Innocentius 3. notat, præmittens quoque quod per oleum nitore conscientie designatur; ac propterea ex utroque confici chrisma dici mystica ratione ac Episcopum inde ungi, ut & interior nitorem conscientie quantum ad Deum & exterior habeat odorem famæ quoad proximum: juxta illud Ecclesiastici 24. quod & ibidem affert sicus balsamum aromatizans odorem dedit. Ex quo non immerito hic inferatur in unctione infirmorum balsamum non debere misceri, sed oleum

dumtaxat adhiberi, quamvis Innocentius id non dicat: Hoc ipso tamen quod præmittit immediate benedicti oleum quod dicitur *Catechumenorum vel infirmorum*, significat oleum solum ad ungendos infirmos adhibendum: Nec refert quod oleum ebrismatis, Innocentius primus vocat ad Decentium ubi supra; quia licet ex usu chrisma pro mixtura olei & balsami fumi solet, qualemcumque nihilominus unctionem ex græcæ vocis notione generaliter significat & sic a Pontifice illo usurpatur, quasi diceret simpliciter, *oleum unctionis*.

autem ex institutione divina. Ergo non est necessaria aliqua sanctificatione materiz.

3. Præterea. Baptismus est perfectius sacramentum quam extrema unctio. Sed in baptismo non præexigitur materiz sanctificatio, quantum est de necessitate sacramenti. Ergo nec in extrema unctione.

Sed contra est quia in omnibus aliis unctioibus est materia consecrata prius. Ergo cum hoc sacramentum sit quædam unctio, requirit materiam consecratam.

Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, quod oleum simplex est materia hujus sacramenti; & in ipsa sanctificatione olei, quæ fit per Episcopum, perficitur sacramentum. Sed hoc patet esse falsum ex hisquæ de Eucharistia dicta sunt (in IV. dist. VIIII. quæst. II. art. I. quæst. I. ad I.) ubi ostensum est quod solum illud sacramentum consistit in consecratione materiz.

Et ideo dicendum est, quod hoc sacramentum consistit in ipsa unctioe, sicut baptismus in ipsa ablutione: & materia hujus sacramenti est oleum sanctificatum. Potest autem triplex ratio assignari, quare exigitur materiz sanctificatio in hoc sacramento, & in quibusdam aliis. Prima est, quia omnis efficacia sacramentorum a Christo descendit. Et ideo sacramenta illa quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu suo; sicut tactu suæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Sed hoc sacramento non est usus, nec aliqua corporali unctioe: & ideo in omnibus unctioibus requiritur sanctificatio materiz. Secunda causa est propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non solum ut tollat culpam, sed etiam reliquias culpæ, & infirmitatem corporis. Tertia est ex hoc quod effectus ejus corporalis, scilicet sanatio corporalis, non causatur ex materiz naturali proprietate: & ideo oportet quod hæc efficacia sibi per sanctificationem detur. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod prima sanctificatio est materiz secundum se; sed secunda magis pertinet ad usum ipsius; secundum quod est actu conferens effectum suum. Et ideo neutra superfluit: quia etiam instrumenta efficaciam accipiunt ab artifice & dum fiunt, & dum ad actum applicantur.

Ad secundum dicendum, quod illa efficacia quæ est ex ipsa institutione sacramenti, applicatur huic materiz per sanctificationem.

Ad tertium patet solutio est dictis (in corp.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum a Concilio Tridentino. sess. decimaquarta, de extrema unctio. cap. I. *Ex Apostolica traditione per manus accepta intellexit Ecclesia, hujus salutis sacramenti materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.* Hæc ibi. Item a Papa Eugenio IV. in Decr. Armen. dato, sacro aprobante Concilio Florentino. *Quinimo sacramentum est extrema unctio; cujus materia est oleum oliuæ per Episcopum benedictum.* Hæc ibi, Item a Cabilonensi Concilio 2. cap. 44. secundum beati Jacobi documentum, cui etiam decreta Patrum consonant: *Infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicuntur, a Presbyteris ungi debent.* Hæc ibi. Ubi vides, quod secundum Concilium B. Jacobus, quem sequuti sunt Patres, oleum ab Episcopis benedicendum sanxit. Item ab Innoc. I. in epist. ad Decennium Eugub. Episc. cap. 8. *In B. Jacobi epistola conscriptum est. Si infirmus aliquis, &c. ungentes eum oleo. &c. Quod non est dubium, de fidelibus aegrotantibus intelligi debere, qui sancto oleo chrismatismis perungi possunt, ab Episcopo confecto.* Hæc ibi, ubi per *ly confectio* intelligitur consecratio. Secundo habes: quomodo prædicta Patrum pro quanto oleum extremæ unctiois volunt præexistere consecratum, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S VI. 116

Utrum oporteat materiam hujus sacramenti esse consecratam per Episcopum.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod non oporteat materiam hujus sacramenti esse consecratam per Episcopum. Quia di-

(1) Sic autem oportere constat ex Concilio Tridentino ut supra in doctrina de sacramento extremæ unctiois cap. I. ubi ait quod *ex Jacobi verbis & ex Apostolica traditione per manus accepta didicit Ecclesia & intellexit materiam hujus sacramenti*

esse oleum ab Episcopo benedictum: Idemque in Decreto pro Armenorum unione post Concilium Florentinum declaraverat Eugenius quæritus cum sacramentum illud explicaret.

dignior est consecratio materiz in sacramento Eucharistiz quam in hoc sacramento. Sed in Eucharistia materiam sacerdos potest consecrare, Ergo & in hoc sacramento.

2. Præterea. In operibus corporalibus ars dignior nunquam præparat materiam inferiori: quia dignior est ars quæ utitur, ea quæ præparat, ut dicitur in II. Physic. (tex. 25. (1) Sed Episcopus est supra sacerdotem, Ergo non præparat materiam in illo sacramento quo sacerdos utitur. Sed sacerdos dispensat hoc sacramento, ut dicitur (quæst. xxxi.) Ergo consecratio materiz ad Episcopum non pertinet.

Sed contra est quod etiam in aliis unctio- nibus materia per Episcopum consecratur. Ergo ita debet esse in ista.

Respondeo dicendum, quod minister sacra- menti non inducit effectum sacramenti propria virtute, ut principale agens, sed per efficaciam sacramenti quod dispensat: quæ quidem efficacia primo est a Christo, & ab ipso in alios descendit ordinate, scilicet in populum mediantibus ministris, qui sacramenta dispensant, & in ministros inferiores mediantibus superioribus, qui materiam sanctificant. Et ideo in omnibus sacramentis

quæ indigent materia sanctificata, prima sanctificatio materiz fit per Episcopum, & usus quandoque per sacerdotem; ut ostendatur sacerdotalis potestas ab episcopali derivata, secundum illud Psal. cxxxii. 2. *Sicut unguentum in capite*, scilicet in Christo, (2) *quod prius descendit in barbam Aaron*, deinde *usque ad oram vestimenti*.

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentum Eucharistiz consistit in ipsa materiz sanctificatione, non autem in usu. Et ideo, proprie loquendo, illud quod est materia sacramenti, non est quid consecratum. Unde non præxigitur aliqua sanctificatio circa materiam per Episcopum facta; sed exigitur sanctificatio altaris, & huiusmodi, & etiam ipsius sacerdotis, quæ non nisi per Episcopum fieri potest, Unde in illo etiam sacramento ostenditur potestas sacerdotalis ab Episcopo derivata, ut Dionysius dicit (cap. 111. eccl. Hierarch.) Ideo autem illam consecrationem materiz potest facere sacerdos quæ est in se sacramentum, & non illam quæ ut sacramentale quoddam ordinatur ad sacramentum, quod consistit in usu fidelium: quia quantum ad corpus Christi verum nullus ordo est supra sacerdotium: sed quantum ad corpus Christi mysticum episcopalis ordo est

I i 2 supra

(1) Ubi nimirum duas artes astruit esse quæ materiz dominantur; alteram quidem cuius est uti materia iam facta vel ad opus eandem applicare; alteram vero quæ materiam ipsam facit & architectonica dicitur: quamvis & illa quæ utitur, dici aliquo modo possit architectonica sed non ita proprio ut præcedens. Priorem ergo præfert posteriori Philosophus, quia hæc materiam tantum facit, illa vero conficit formam, ut in gubernatore navis exemplificat, &c.

(2) Ad Christum plane (licet paulo aliter) Augustinus applicat ibi: *Quis est sacerdos* (inquit) *nisi unus sacerdos qui intravit in Sancta Sanctorum nisi qui suis visibus & sacerdos? nisi qui cum in mundo non inveniret mundum quod offerret, seipsum obtulit? in capite ipsius unguentum, quia totus Christus cum Ecclesia: Sed a capite venit unguentum: Caput nostrum Christus est; quod ascendit in celum, & venit Spiritus sanctus a capite: Quo? ad barbam: Barba significat fortis: Unguentum ergo illud primum descendit in Apostolos; descendit in illos qui primos impetus sæculi sustinuerunt, &c. Et inferius: Quia descendit in ora vestimenti, sequens est etiam Ecclesia: Quid est ora vestimenti? Finis vestimenti: An in ora perfectionem intelligimus; quia in ora vestimentum perficitur? Ut & max; Quomodo intelligimus in quam oram potius descendere unguentum? Ad oram quæ in capite est, ubi capus hominis intrat: Sic per concordiam*

fraternam Christus intrat qui est capus nostrum, &c. Aliter quoque Cassiodorus: Descendit (inquit) in oram vestimenti, quia usque ad extremitates ejus descendit Spiritus Sanctus, quando baptizatos usque in finem sæculi misericordia sua dignatione sanctificat: Sic & Theodoretus ibi unguentum a capite ad oram fluens (id est sicut explicat, ad collum quod ab Aquila os vestimenti appellatur) vult intelligi concordie utilitatem a Principe manantem in subditos ut pacifice vivant: Sed ad Confirmationem Arnobius in Psalmos refert tomo 15. Bibliothecæ recentioris Patrum: Habens unguentum chrismatis (inquit) quod descendit de capite in barbam, hoc est de Christo in virtutibus, quia virtutes omnes quæ contra vicia laetantur quotidie, ut vincere valeant, Christi infunduntur auxilio: Nota tamen chrismatis sacramenta in unguento capitis, & rorem Hermon descendentem in montem Sion ad fontis undam aque perennis extendi (ad baptismum scilicet) Quidam autem & sensu quo S. Thomas hic usurpat, intelligatur? Nam & sacerdotium spirituale Ambrosius in barba notat. lib. de intiandis cap. 6. cum sic ait: ideo in barbam defluit, ut fiat genus electum, sacerdotale, pretiosum: Omnes enim in regnum Dei & in sacerdotium unguimur gratia spiritali: Quanto magis & ipsum verum & proprium sacerdotium in eadem notari potest, unde in oram vestimenti unguentum fluat, per quam populum S. Thomas vult intelligi velut infimam partem, quia inferiorem oram intelligit.

Q U Æ S T. XXIX.
supra sacerdotalem, ut infra dicitur (quæst.
xl. art. 4.)

Ad secundum dicendum, quod materia sacramenti non est talis materia, ut in qua fiat aliquid per eum qui ea utitur, sicut est in artibus mechanicis; sed ut cujus virtute aliquid fiat: & sic participat aliquid de ratione causæ agentis, in quantum est instrumentum quoddam divinæ operationis. Et ideo oportet quod a superiori arte, vel potestate (*) talis virtus materiæ acquiratur: quia in causis agentibus quanto aliquid agens est prius, tanto est perfectius; in causis autem pure materialibus quanto materia est prior, tanto imperfectior.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas errorem Joann. Wicleff, ut refert Concil. *Constantiense sess. 8.* dicentis, quod confirmatio juvenum, ordinatio clericorum, consecratio locorum (ex hoc intellige, tu, istum voluisse addere & olei sacramentum) reservantur Papæ, & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris. Articulus enim præfens aperitissime declarat, quod hujusmodi fiunt a summis sacerdotibus propter ordinatissimam Dei dispositionem, & consequenter e diametro pugnat contra Wicleffum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errorem prædictum merito damnari a Concil. *Constantiensi*, ubi supra: quam damnationem universaliter factam vide *q. 20. art. 3. append. & qu. 21. art. 1. append.* Item a Concil. *Tridens. sess. 23. cap. 4.* „ Proinde sacrosancta Synodus declarat, Episcopos, qui in „ Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere: „ & positos (sicut Apostolus ait) a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque „ presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesie ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse: quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. *Hæc ibi. Et can. 7.* Si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem firmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris commu-

A R T. VI. & VII.

„ nem, &c. anathema sit. „ Hæc ibi. *Ecce*, quod secundum planas litteras Concilii reservantur hujusmodi officia Episcopis, tum quia sunt presbyteris superiores, tum quia sic a Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam positi sunt, tum quia presbyteri non possunt hujusmodi facere. Item a *Gelasio Papa*, dist. 95. *Presbyteros, &c. prohibemus, episcopali fastigio debita sibi audester assumere: non conficiendi chrismatis, non signationis Pontificalis adhibenda, sibi audester facultatem.* Hæc ibi. Ubi monitrat; quod consecrare oleum pro unctione extrema, est Episcoporum tantum, & non solum confirmationis sacramentum conferre. Nam dicit ibi *glossa*, quod chrisma ibi stat pro oleo. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas; merito esse dictum a, &c. ut *art. 5. append.* quod oleum unctionis extremæ oportet esse benedictum per Episcopum. *Quarto* habes: quomodo per rationem dicta Patrum in *art. 5. append.* pro quanto de Episcopo loquuntur, quoad olei benedictionem, & intelligas, & probes, & tuearis. *Quinto* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S VII. 117

Utrum hoc Sacramentum habeat aliquam formam.

S. Thom. ubi sup. art. 4. quæst. 1. & seq.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non habeat aliquam formam. Cum enim efficacia sacramentorum sit ab institutione, & item a forma, oportet quod forma tradatur ab ipso qui sacramentum instituit. Sed forma hujus sacramenti non invenitur tradita neque a Christo, neque ab Apostolis. Ergo hoc sacramentum non habet aliquam formam.

2. Præterea. Ea quæ sunt de necessitate sacramenti, observantur eodem modo apud omnes. Sed nihil magis est de necessitate sacramenti habentis formam quam ipsa forma. Ergo cum non sit aliqua forma communiter observata ab omnibus in hoc sacramento, quia diversis verbis utuntur; videtur quod hoc sacramentum non habeat aliquam formam.

3. Præterea. In baptismo non requiritur for-

(*) Ita cum Theologis editi passim. Al. agens virtus: item infra requiritur.

forma nisi ad sanctificationem materiz: quia est aqua *verbo vite diluendis criminibus sanctificata* (ut ait Hugo Lib. II. de sacram. par. VI. ca. 11.) Sed hoc sacramentum habet materiam prius sanctificatam. Ergo non indiget aliqua forma verborum .

Sed contra est quod Magister dicit (IV. hist. 1.) quod omne sacramentum novæ legis consistit in rebus, & verbis. Verba autem sunt forma sacramenti. Ergo cum hoc sit sacramentum novæ legis, videtur quod habeat formam .

Præterea: Ad hoc est ritus universalis Ecclesiæ, quæ quibusdam verbis utitur in collatione hujus sacramenti .

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod nulla est forma de necessitate hujus sacramenti. Sed hoc videtur derogare effectui hujus sacramenti: quia omne sacramentum efficit significando. Significatio autem materiz non determinatur ad effectum determinatum, cum ad multa se possit habere, nisi per formam verborum. Et ideo in omnibus sacramentis novæ legis, quæ efficiunt quod figurant, oportet esse & res, & verba. Et præterea Jacob. (cap. v.) totam vim hujus sacramenti videtur constituere in oratione, quæ est forma hujus sacramenti, ut dicitur (in resp. ad 2. & art. 8. & 9. seq.) Et ideo prædicta opinio præsumptuosa videtur, & erronea .

Et propter hoc dicendum, sicut communiter dicitur, quod habet formam determinatam, sicut & alia sacramenta .

Ad primum ergo dicendum, quod sacra Scriptura omnibus communiter proponitur. Et ideo forma baptismi, qui ab omnibus dari potest, debet in sacra Scriptura exprimi: & similiter forma Eucharistiæ, quæ exprimit sacramenti illius fidem, quæ est de necessitate salutis. Sed formæ aliorum sacramentorum non inveniuntur in sacra Scriptura traditæ; sed hæc Ecclesia ex traditione Apostolorum habet, qui a Domino acceperunt, ut dicit Apostolus I. Corinth. XI. 23. *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis &c.*

Ad secundum dicendum, quod illa verba quæ sunt de essentia formæ, scilicet oratio deprecativa, ab omnibus dicuntur; sed alia quæ sunt de bene esse, non observantur ab omnibus .

Ad tertium dicendum, quod materia baptismi habet quamdam sanctificationem per se ex ipso tactu carnis Salvatoris; sed ex forma verborum accipit sanctificationem actu sanctificantem, Et similiter post sanctificatio-

nem materiz hujus sacramenti secundum se requiritur sanctificatio in usu, per quam actu sanctificet .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem dissipas illum errorem, qui nunc est hæresis, narratum in textu. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, ipsum merito damnari a Concilio Trident. sess. 14. de extra unct. c. 1. *Infirmatur (inquit Jacobus) quis in vobis, inducat presbyteros, &c. Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta, Ecclesia didicit; docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum hujus sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, &c. formam esse illa verba: Per istam unctionem, &c. Hæc ibi. Forma igitur determinata hæc ex Apostolica traditione per manus accepta est: & consequenter ex Concilio confirmatur dictum a S. Doctore in responsione ad primum. Item a Concilio Florentino, sive ab Eugenio IV. eodem Concilio. approb. in Decr. Armenis dato: Quintum sacramentum est extrema unctio. &c. Forma hujus sacramenti est hæc: Per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum. Et similiter in aliis membris. Hæc ibi. Ubi per ly similiter in aliis membris intellige auditum, gustum, &c. secundum quod successive fit unctio: ut correspondeat singula singulis, & hoc traditur ad litteram ex contextu ipsius decreti. Item a Concilio Trident. can. 3. Si quis dixerit: Extrema unctionis ritum, & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli: ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni: anathema sit. Hæc ibi. Ecclesia autem Romana, ut patet, utitur prædicta forma in collatione extremæ unctionis. Tertio habes; quomodo per rationem dicta Patrum, pro quanto sacramentum hoc insinuant habere aliquam formam, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S VIII. 118

Utrum forma hujus sacramenti debeat proferri per orationem indicativam, & non per deprecativam.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod forma hujus sacramenti debeat proferri per orationem indicativam, & non per deprecativam. Quia omnia sacramenta novæ legis habent certum effectum. Sed certitudo effectus non exprimitur in formis sacramentorum nisi per orationem indicativam: ut cum dicitur, *Hoc est corpus meum*, vel *Ego te baptizo* &c. Ergo forma hujus sacramenti debet esse oratio indicativa.

2. Præterea. In formis sacramentorum debet exprimi intentio ministri, quæ requiritur ad sacramentum. Sed intentio conferendi sacramentum non exprimitur nisi per orationem indicativam. Ergo &c.

3. Præterea. In quibusdam Ecclesiis dicuntur hæc verba in collatione hujus sacramenti: (1) *Ungo vos oculos oleo sanctificato in nomine Patris* &c. & hoc est conforme aliis formis sacramentorum. Ergo videtur quod in hoc consistat forma hujus sacramenti.

Sed contra. Illud quod est forma sacramenti, ab omnibus oportet quod servetur. Sed verba prædicta non dicuntur secundum consuetudinem omnium Ecclesiarum, sed tantum verba deprecativa, scilicet: *Per istam sanctam unctionem, & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per visum* &c. Ergo forma hujus sacramenti est oratio deprecativa.

Præterea. Hoc videtur ex verbis Jacobi, qui attribuit efficaciam hujus sacramenti orationi: *Oratio fidei*, inquit (cap. v. 15.) *salvabit infirmum*. Ergo cum efficacia sacramenti sit ex forma, videtur quod forma hujus sacramenti sit oratio deprecativa.

Respondeo dicendum, quod forma hujus sacramenti est oratio deprecativa, ut patet per verba Jacobi, & ex usu Romanæ Ecclesie, quæ solum verbis deprecativis utitur in collatione hujus sacramenti. Cujus ratio multiplex assignatur. Primo quia suscipiens sacramentum hoc est viribus propriis destitutus: unde indiget orationibus sublevari. Secundo quia datur exeuntibus, qui jam desinunt esse de foro Ecclesie, & in solius Dei manu requiescunt: unde & ei per orationem committuntur. Tertio quia hoc sacramentum non habet aliquem effectum, qui semper (*) ex oratione ministri consequatur, omnibus quæ sunt de essentia sacramenti etiam rite peractis, sicut character in baptismo, & confirmatione, & transubstantiatio in Eucharistia, & remissio peccati in poenitentia, existente contritione, quæ est de essentia hujus sacramenti. Et ideo in hoc sacramento non potest esse forma indicativi modi, sicut in prædictis sacramentis. (2)

Ad primum ergo dicendum, quod hoc sacramentum, sicut & prædicta, quantum est de se, habet certitudinem; sed potest ex fictione recipientis impediri, etiamsi sacramento se subiiciat per intentionem, sic quod nulum effectum consequatur. Et propter hoc non est simile de hoc, & de aliis sacramentis, in quibus semper aliquis effectus consequitur.

Ad secundum dicendum, quod per ipsum actum, qui ponitur in forma, scilicet, *Per istam sanctam unctionem*, satis exprimitur intentio.

Ad tertium dicendum quod verba illa indicativi modi, quæ secundum morem quorundam præmittuntur orationi non sunt forme hujus sacramenti, (3) sed sunt dispositio ad formam, in quantum intentio ministri determinatur ad actum illum per illa verba.

A P.

(1) Sic antiquum Rotaldi Rituale apud Menardum in observationibus ad Gregorii Sacramentarium adjectis: *Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quicquid illicito (pro illicito) visu deliquisti, hujus olei unctione expietur per Dominum nostrum Jesum Christum: Ungo aures has sacra olei liquore, ut quicquid delectatione noxia auditus admissum est, medicina spiritualis evacuet: Ungo nasos de oleo sacro, ut quicquid noxa contractum est odoratu superfluo (vel odoratus superfluo id est superfluitate) ista mundet medicatio: Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quicquid otiosa vel criminosa pec-*

cassi loquutione, divina clementia miserrant, expietur hac unctione: Sic & deinceps: Ungo pedes, ungo scapulas, ungo manus, ungo pedes, ungo te cum cæteris additamentis unicuique parti congruentibus.

(2) *At. ex operatione ministri, item ex oratione mysterii.*

(3) Hinc eam formam sic esse semper ab Ecclesia intellectam declarat Concilium Trid. ut supra sess. 14. in doctrina de sacramento Extreme unctionis, & ex Apostolica traditione quasi per manus derivata; nempe *Per istam unctionem, &c.*

(3) Quod & in prædicto Rotaldi Rituali vel in alla-

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Beato Jacobo Apostolo, quod forma debet fieri hic per orationem deprecativam. Insinuatur autem cap. 5. ejus epistolæ, sic: *Infirmatus quis in vobis, inducat presbyteros ecclesie, & orent super eum, unguentes eum oleo.* Ecce, quod per *ly orens* denotat orationem deprecativam formæ: sicut per *ly unguentes eum oleo* denotat applicationem materiæ. *Secundo* habes: quomodo per rationem idem ostendas esse merito insinuatam a Conciliis supra art. 7. append. adductis. Quæ ibi videtur. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, & Patrum, pro quanto deprecativam statuunt formam debere esse hic, & non indicativam, & intelligas, & probes & defendas. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IX. 119

Utrum prædicta oratio sit competens forma hujus Sacramenti.

AD nonum sic proceditur. Videtur quod prædicta oratio non sit competens forma hujus sacramenti. Quia in formis aliorum sacramentorum fit mentio de materia, sicut patet in confirmatione, quæ non fit in prædictis verbis. Ergo non est conveniens forma.

2. Præterea. Sicut effectus hujus sacramenti provenit in nos per misericordiam divinam, ita & aliorum sacramentorum. Sed in formis aliorum sacramentorum non fit mentio de misericordia divina, sed magis de Trinitate, & passione. Ergo similiter debet esse hic.

3. Præterea. Duplex effectus hujus sacramenti in littera ponitur (IV. dist. XXI. r.) Sed in verbis prædictis non fit mentio nisi de una, scilicet de remissione peccatorum, non autem de corporali sanatione, ad quam Jacobus ordinat orationem fidei, dicens (cap. v. 15.) *Oratio fidei salvabit infirmum.* Ergo forma prædicta est incompetens.

Respondetur dicendum, quod prædicta oratio est competens forma hujus sacramenti: quia tangit sacramentum in hoc quod dicitur, *per istam sanctam unctionem*; & illud quod operatur in sacramento, scilicet *divinam misericordiam*: & effectum, scilicet *remissionem peccatorum.*

Ad primum ergo dicendum, quod materia hujus sacramenti potest intelligi per actum unctionis, non autem materia confirmationis per actum in forma expressam. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum; quod misericordia respicit miseriam: & quia hoc sacramentum datur in statu miseræ, scilicet infirmitatis; ideo potius hic quam in aliis fit mentio de misericordia.

Ad tertium dicendum, quod in forma debet exprimi effectus principalis, & qui semper inducitur ex sacramento, nisi sit defectus ex parte recipientis: non autem talis effectus est corporalis sanitas, ut dicitur (quest. seq. art. 1. & 2.) quamvis quandoque sequatur; ratione cujus Jacobus hunc effectum attribuit orationi, quæ est forma hujus sacramenti.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a Scripturis, & Conciliis; quod forma prædicta est competens. Hoc autem insinuatam est

allata forma (cujuscunque fidei esse possit) videri potest indicatum; cum non dicitur tantum *Ungo*, sed subiungitur quasi deprecatio quædam tacita saltem & implicita ut hæc unctio per misericordiam Dei proficit: Ac expressius quidem post omnes illas loquutiones unicuique parti applicatas: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti quatenus per hujus operationem mysterii & per hanc sacri olei unctionem atque nostram deprecationem virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive foras pristinam & melioratam recipere merearis sanitatem.* Vel sic etiam ut in quodam alio Rituali quod subiungitur ibi a Menardo: *Ungo te de oleo sancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti observans misericordiam ipsius unius Domini nostri Jesu Christi usque salutis omnibus doloribus vel incommoditatibus cor-*

poris tui recuperetur visa tua virtus & sanitas, quatenus, &c. ut supra; nisi quod *sanitatem magis robustam pro sanitatem melioratam habet*: Rursumque inferius in unctionum conclusione (ut inscribitur) *In nomine patris & Filii & Spiritus sancti sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen ac defensionem contra jacula immundorum spirituum*: Et in alia item unctione: *Per istam unctionem olei & per ministerium nostrum & benedictionem Dei mandentur & sanctificentur ab omni sorde & contagione peccati caput tuum & sensus tui; visus, auditus, odoratus, gustus & tactus: ut quicquid in humeris vel in manibus aut pedibus sive toto corpore (Cogitatione, loquutione & opere) peccasti, misericordia Salvatoris nostri expietur.*

est *Jacob. 5. & in Concilio Florent. &c. ut supra art. 7. append.* Nihil enim in Scripturis incompetens est, neque in legitimis Conciliis; cum utrumque Spiritus sancti opus sit. *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissa Scripturarum, & Patrum, pro quanto rationem prædictam dicunt esse competentem formam extremæ unctionis (hoc autem dicunt, quando ipsam pro forma assignant) & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

QUESTIO XXX.

De effectu hujus Sacramenti,

In tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de effectu huius sacramenti.

Circa quod zurruntur tria.

Primo, utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum.

Secundo, utrum sanitas corporalis sit effectus hujus sacramenti.

Tertio, utrum hoc sacramentum characterem imprimat.

ARTICULUS I. 120

Utrum extrema unctio valeat ad remissionem peccatorum.

S. Thom. IV. dist. XXI. quæst. 1. art. 2. quæst. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod extrema unctio non valeat ad remissio-

nem peccatorum. Ad hoc enim quod per unum potest effici, aliud non exigitur. Sed in eo qui extremam unctionem accipit, requiritur poenitentia ad peccatorum remissionem. Ergo per extremam unctionem non dimittuntur peccata.

2. Præterea. In peccato non sunt nisi tria, macula, reatus poenæ, & reliquæ peccati. Sed per extremam unctionem non remittitur peccatum quoad maculam sine contritione, quæ etiam sine unctione remittit; nec iterum quoad poenam, quia adhuc si convalescat, tenetur perficere satisfactionem iniunctam; nec quoad reliquias culpæ, quia adhuc remanent dispositiones ex actibus præcedentibus relictæ, ut patet post convalescentiam. Ergo nullo modo per extremam unctionem fit peccatorum remissio.

3. Præterea. Remissio peccatorum non fit successive, sed in instanti. Sed extrema unctio non fit tota simul, quia plures unctiones requiruntur. Ergo ejus effectus non est remissio peccatorum.

Sed contra est quod dicitur *Jacobi v. 15. Si in peccatis sit, dimittentur ei.* (1)

Præterea. Omne sacramentum novæ legis gratiam confert. Sed per gratiam fit remissio peccatorum. Ergo extrema unctio, cum sit sacramentum novæ legis, operatur ad remissionem peccatorum.

Respondeo dicendum, quod quodlibet sacramentum est institutum principaliter ad unum effectum; quamvis etiam alios ex consequenti inducere possit. Et quia sacramen-

(1) Huc enim pertinere declarat rursus tum Eugenii quarti Decretum in Concilio Florentini addamento & appendice, tum Concil. Trid. ut supra sess. 14. in doctrina de Sacramento extremæ unctionis accuratius & plenius c. 1. & 2. ubi sic ait post præd. Et: *Unctio aptissime Spiritus sancti gratiam qua invisibiliter anima aegrotantis inungitur (in verbis illis) representat: ac deinde mox: Res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur, Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei: Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta si qua sint adhuc expianda & peccati reliquias abstergit, & aegroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinam misericordiam fiduciam excitans, qua infirmus sublevatus & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus demonis calcaneo insidians facilius resistit, &c.* Alludendo ad illud Gen. 3. vers. 15. de muliere daemone dictum sub figura serpentis, *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus; quasi per calcaneum significtetur finis vitæ in quo acrius infectatur hominem daemone. Et sic per calcaneum Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 7. prope finem terranos actus intelligit quibus nos ad peccandum inducit; Augustinus con-*

sensum quo peccatum in nobis consummatur, sicut per caput initium suggestionis quæ statetur ut Conc. x. super Psal. 48. videre est: Et similiter Beda sic dictum notat, quia *quos prima suggestione non decipit, decipere in finem tendit* hoc est tandiu instat & tam importune ut eos tandem ad peccatum inducat: Quanto magis in fine vitæ quia inde maxime status æternus pendet. Unde sic rursus Concilium Trid. præmittit quasi Sacramenti prædicti fundamentum: *Clementissimus Redemptor noster qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse præsectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit quibus Christiani conservare se integros dum viverent ab omni graviore Spiritus incommodo possint; ita extrema unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit: Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam querat & capiet ut devorare animas nostras quoquomodo possit, nullum tamen tempus est quo vehementius illo omnes versusus suos nervos intendas ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam (si possit) misericordie divine deturbandos quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicias.*

eam efficit quod figurat, ideo ex ipsa significatione sacramenti debet accipi ejus principalis effectus. Adhibetur autem hoc sacramentum secundum modum cujusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis. Medicina autem est ad pellendam infirmitatem. Unde principaliter hoc sacramentum est institutum ad sanandum infirmitatem peccati. Unde sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio, & poenitentia quædam spiritualis suscitatio; ita & extrema unctio est quædam spiritualis sanatio, vel medicatio. Sicut autem corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato; ita spiritualis spiritualem. Et ideo hoc sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale, vel mortale; sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vite gratiæ, vel gloriæ: & hic defectus nihil aliud est quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali: & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum; ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis; sicut etiam de Eucharistia, & confirmatione supra dictum est (IV. dist. VII. quæst. 11. art. 2. quæst. 1. ad 3. & quæst. 111. art. 2. quæst. 2. & dist. XIX. quæst. 1. art. 3. qn. 1. & III. P. qu. LXXII. art. 7. & quæst. LXXIX. art. 3.) Et ideo etiam Jacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur, dicens: *Si in peccatis sit, dimittentur ei*, scilicet quoad culpam: non enim semper delet peccatum, quia non semper invenit; sed semper remittit quoad debilitatem prædictam quam quidam reliquias peccati dicunt.

Quidam vero dicant, quod principaliter est institutum contra veniale: quod quidem non potest, dum hæc vita agit, perfecte curari: & ideo sacramentum exeuntium specialiter contra veniale ordinatur. Sed hoc non videtur verum: quia poenitentia etiam in hac vita delet venialia peccata quoad culpam; quod autem non possunt evitari post peccatam poenitentiam, non auserit præcedenti poenitentia suum effectum: & iterum hoc pertinet ad debilitatem prædictam.

Unde dicendum, quod principalis effectus hujus sacramenti est remissio peccatorum quoad

Sums. S. Th. Tom. XIII.

reliquias peccati, & ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inveniar.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis effectus principalis alicujus sacramenti possit haberi sine actuali perceptione hujus sacramenti, vel sine sacramento, vel per aliud sacramentum ex consequenti; nunquam tamen haberi potest sine proposito illius sacramenti. Et ideo quia poenitentia est principaliter instituta contra actuale culpam, quodcumque aliud sacramentum actualem culpam delect ex consequenti, non excludit necessitatem poenitentia.

Ad secundum dicendum, quod extrema unctio aliquo modo quantum ad illa tria remittit peccatum: quamvis enim culpa quoad maculam sine contritione non dimittatur; tamen hoc sacramentum per gratiam quam infundit, facit quod ille motus liberi arbitrii in peccatum sit contritio, sicut etiam in Eucharistia, & confirmatione potest accedere. Similiter etiam & reatum poenitentia temporalis diminuit; sed ex consequenti, inquantum debilitatem tollit: quia eandem poenam levius portat fortis quam debilis. Unde non oportet quod propter hoc minuatur satisfactionis mensura. Reliquias autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictæ, quæ sunt quidam habitus inchoati, sed quædam spiritualis debilitas in ipsa mente existens, qua sublata, etiam eidem habitibus, vel dispositionibus manentibus, non ita potest inclinari mens ad peccatum.

Ad tertium dicendum, quod quando sunt multæ actiones ordinatæ ad unum effectum, ultima est formalis respectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum: & ideo in ultima unctio gratia infunditur, quæ effectum sacramento præbet.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim supra 9. 29. art. 1. *append.* narratorum dicentium, extremam unctionem esse nihil: & non esse tanquam verum sacramentum aliis connumerandum, Si enim peccatorum remissionem causat (ut vere presenti articulo monstratur) utique & aliquid, & verum sacramentum est. Item quomodo, &c. hæresim quorundam (ut in Concil. *Tridem.* infra citando tangitur) dicentium; extremam unctionem fuisse olim tantum gratiam curationum, & nunc jam cessasse. Nam gratia curationum tantum, cum se ad corporum sanationem solum exten-

K k

dat

dat, (ut patet per dict. super 1. *Corin.* 12. ly *gratia sanitatum*, ly *gratia curacionum*) non remittit ex se peccata: multoque minus, si jam cessasset: cuius oppositum articulus præsens, ceu contra tales turbinum errores motus, lucidissime demonstrat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, tales hæreses merito damn. a Concil. *Triden.* sess. 14. de extr. unct. c. 2. „ Res porro, & effectus hujus sacramenti illis verbis explicatur: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cuius unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abitergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ spem excitando; quæ infirmum sublevatus, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus demopis calcaneo insidiantis facilius resistit; & sanitatem corporis interdum, ubi salutis animæ expedit, consequitur. *Hæc ibi. Et de extr. unct. can. 2.* si quis dixerit: sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, &c. sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curacionum, Anathema sit. *Hæc ibi. Et sess. 7. de sacram. in communi, can. 6.* Si quis dixerit: sacramenta novæ legis gratiam non ponentibus obicem non conferre: quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & novæ quædam Christianiæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus: Anathema sit „. Hæc ibi. Ergo a fortiori damnatur ex his error ille, qui extremam unctionem dicit tantum fuisse gratiam curacionum, & illum etiam, qui dicit, eam jam cessasse. Item ab *Eugenio IV.* sacro approbante Concil. *Flor.* in Decr. Armenis dato. *Effectus vero ejus est mentis sanatio.* Hæc ibi. Ubi per ly *ejus* intelligit extremam unctionem, cum textualiter de ipsa loquatur. Item, a, &c. ut supra q. 29. ar. 1. *app.* *Tertio* habes: quomodo per rationem dicta patrum & scripturarum (nam scripturæ Jacobi Ap. 5. Idem, quod supra dictum est, important, ut patet) pro quanto ex-

tremam unctionem delere dicunt peccata, & intelligas, & probes, & tuearis. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 121

Utrum sanitas corporalis sit effectus hujus sacramenti.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod sanitas corporalis non sit effectus hujus sacramenti. Omne enim sacramentum est medicina spiritualis. Sed spiritualis medicina ad spirituales sanitatem ordinatur, sicut corporalis ad corporalem. Ergo sanitas corporalis non est effectus hujus sacramenti.

2. Præterea. Sacramentum semper habet effectum suum in eo qui non fectus accedit. Sed quandoque non sanatur corporaliter suscipiens hoc sacramentum, quantumcunque devotus, accipiat. Ergo sanitas corporalis non est effectus ejus.

3. Præterea. Efficacia hujus sacramenti nobis ostenditur Jacobi v. Sed ibi non attribuitur sanationis effectus unctioni, sed orationi: (1) dicit enim: *Oratio fidei salvabit infirmum.* Ergo corporalis sanatio non est effectus hujus sacramenti.

Sed contra. Operatio Ecclesiæ habet majorem efficaciam post Christi passionem quam ante. Sed ante oleo inuncti per Apostolos sanabantur, ut patet Marci vi. Ergo & nunc habet effectum in corporali sanatione.

Præterea. Sacramenta significando efficiunt. Sed baptismus per ablutionem corporalem, quam exterius facit, significat, & efficit spirituales. Ergo & extrema unctio per sanationem corporalem, quam exterius efficit, significat, & causat spirituales.

Respondeo dicendum, quod sicut baptismus per ablutionem corporalem facit spirituales emundationem a maculis spiritualibus ita hoc sacramentum per medicationem sacramentalem exteriorem facit sanationem interiorem: & sicut ablutio baptismi habet effectum corporalis ablutionis, quia etiam corporalem mundationem facit; ita etiam extrema unctio habet effectum corporalis medicationis scilicet corporalem sanationem. Sed hæc est disse-

(1) Velut ex August. lib. 2. de visitatione infirmorum cap. 4. prius indicabatur ad marginem, sed supposititii auctoris est inter Augustini opera tom. 9. & indicatur tantum non expresse dicitur ibi unctio- nis effectus per hæc verba: *Nec prætermittendum est*

illud Apostoli Jacobi præceptum, infirmatur quis, &c. Ergo sic roges de se & pro se fieri, sicut dixit Apostolus Jacobus, imo per Apostolum suum Dominus: Ipsa videlicet olei sacri delibutio intelligitur Spiritus sancti typicalis unctio, &c.

differentia, quod corporalis ablutio ex ipsa naturali proprietate elementis facit corporalem mundationem; & ideo semper eam facit: sed extrema unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiz, sed ex virtute divina, quæ rationaliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem; ideo ex hoc sacramento non semper sequitur corporalis sanatio, sed quando expedit ad spirituales sanationem: & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

Ad primum ergo dicendum, quod obiectio illa probat quod corporalis sanitas non sit effectus principalis hujus sacramenti: & hoc verum est,

Ad secundum patet solutio ex dictis (in corp. & quæst. xxix. art. 8. (1))

Ad tertium dicendum, quod oratio illa est forma hujus sacramenti, ut dictum est (quæst. præc. art. 8. & 9.) Et ideo hoc sacramentum ex sua forma habet efficaciam, quantum est de se, ad sanationem corporalem.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem elidas errorem *Græcorum* dicentium quod unctiois extremæ sacramentum non prodest infirmis ad salutem corporis. Item propositionem suspectam, seu scandalosam *Erasmi* (ut refertur pro tali a *Jacobo Lopsium*. post suum itinerarium inter propositiones *Erasmi*) dicentis: hodie oleo sacro unguuntur laborantes, non ut convalescant, sed ut tutius migrent. *Secundo* habes: quomodo, per rationem ostendas, prædictos merito damnari a Concil. *Trid. sess. 14. c. 2. de extrem. unct.* ut supra *art. 1. app.* & *can. 2.*, *Si quis dixerit; sacram infirmorum unctioem non alleviare infirmos: sed jam cessasse, quasi olim tantum fueris gratia curationum, Anathema sit.* Hæc ibi. Item a Concil. *Florent. de sacr. in Decr. sæpius adducto. Effectus vero ejus est mentis sanatio: & in quantum animo impedit, ipsius etiam corporis.* Hæc ibi.

Item a Concil. *Senonensi* in Decr. fid. Decr. 10. c. de extr. unct. *Si quis infirmatur (inquit Jacob.) in vobis, &c. oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum dominus, & si in peccatis sit, &c. Quibus liquido constat, extremam unctioem non agritudinis tantum corporalis medicamentum esse, sed etiam remissionem peccatorum efficaciter operari.* Hæc ibi.

Item a Concil. *Coloniensi*, p. 7. c. 49. *Restat extrema unctio, quæ (quoniam in morte extrema lucta est) adhibetur, ut vel convalescat egrotus, si Deo ita visum, vel fide, bonaque spe obdormiat in domino.* Hæc ibi. Ecce litteraliter contra *Erasmum*. Item a *Cabilonensi* Concil. 2. c. 48. *Secundum B. Apost. Jacobi documentum, infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, &c. oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabis eum dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animæ, corporisque medetur languoribus.* Hæc ibi. Item a scripturis sacris, *Jacobi*, 5. ut sæpius visum est. Quod si (ut impudenter plerique solent) dicerent, illam epistolam *Jacobi* non esse de canone scripturarum sacrarum, ideoque ipsam rejicere vellent: expugnes illos per Conc. *Trid. sess. 4. Decret. de can. scrip.* ubi connumerat ipsam epistolam in canone. Sed & a multis Conciliis, ac Pontificibus summis, idem prius factum fuerat, ut diffuse videre potes *1. par. q. 1. ar. 1. app.* Item a *Matth. 6.* ubi dicitur, quod inuncti ab Apostolis oleo infirmi sanabantur. Intellige tu corporaliter. Illa autem inunctio est quædam mentio de hoc sacramento, supra *q. 19. a. 3. ad primum. Tercio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, & scripturarum, pro quanto effectum salutis corporalis dicunt esse ab extrema unctioe, & intelligas, & probes, & tuearis. *Quarto* vides: quomodo &c.

(1) Quod nempe non sanetur per istud Sacramentum infirmus quantumcumque devote suscipiat, quin sanitas non est principalis effectus ad quem hoc Sacramentum ordinatur, sed remissio peccatorum quantum ad reliquias remanentes propter debilitatem ex peccato relictam; solus autem effectus principalis

conferatur semper ei qui devote suscipit Sacramentum: unde in ejus forma non dicitur: *Sanes te Deus*, vel aliquid simile; sed *Indulgeat*, &c. ut qu. 29. art. 2. notatum est; etsi nec ex operatione ministri sed ex oratione conferatur hæc sanatio spiritualis.

ARTICULUS III. 122

Utrum hoc Sacramentum characterem imprimat.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum characterem imprimat. Character enim signum distinctivum est. Sed sicut baptizatus distinguitur a non baptizato, ita unctus a non uncto. Ergo sicut baptizatus imprimit characterem, ita & extrema unctio.

2. Præterea. In ordinis, & confirmationis sacramentis est unctio, sicut & in hoc sacramento. Sed in illis imprimitur character. Ergo & in isto,

3. Præterea. In omni sacramento est aliquid quod est res tantum, & aliquid quod est sacramentum tantum, & aliquid quod est res & sacramentum. Sed non potest aliquid assignari in hoc sacramento quod sit res, & sacramentum, nisi character. Ergo & in hoc sacramento imprimitur character.

Sed contra. Nullum sacramentum imprimens characterem iteratur (1). Hoc autem iteratur, ut dicitur (quest. xxxiii.) Ergo non imprimit characterem.

Præterea. Distinctio quæ fit secundum characterem sacramentalem, est distinctio eorum qui sunt in præsentī Ecclesia. Sed extrema unctio confertur ei qui exit de præsentī Ecclesia. Ergo in eo non imprimitur character.

Respondeo dicendum, quod character non imprimitur nisi in illis sacramentis quibus homo ad aliquid sacrum deputatur. Hoc autem sacramentum est solum in remedium; & non deputatur per ipsum homo ad aliquid sacrum agendam, vel suscipiendam. Et ideo non imprimitur in eo character.

Ad primum ergo dicendum, quod character facit distinctionem statuum (2) quantum ad ea quæ in Ecclesia sunt agenda: & talem distinctionem homo non habet ab aliis, per hoc quod ipse est inunctus.

Ad secundum dicendum, quod unctio quæ

fit in ordine, & confirmatione, est unctio consecrationis, qua homo deputatur ad aliquid sacrum; sed hæc unctio est unctio medicationis. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod in hoc sacramento res, & sacramentum non est character, sed quædam interior devotio, quæ est spiritualis unctio.

APPENDIX.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse insinuatam a Conciliis, quod extrema unctio non imprimit characterem. Hoc autem insinuatam est in decr. *Eugen. IV.* Armenis dato, sacro *Flo.* approbante Concil. „ Inter hæc sacramenta baptismus, confirmatio, ordo, characterem, idest spirituale quoddam signum „ a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem persona „ non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem „ admittunt. „ Hæc ibi. Item a Concilio *Trid.* sess. 14. de extrema unctione c. 3. „ Si infirmi post susceptam hanc unctionem „ convalescerint, iterum huius sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud similitudine vite discrimen incidant. „ Hæc ibi. Adde his can. 9. de sacram. in commun. sess. 7. „ Si quis dixerit, in baptismo, confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde eiterari non possunt, anathema sit. „ Si, inquam, addas hoc, tunc ad litteram videbis, quod Concil. *Tridensinum* (sicut & *Flor.*) dicit, extremam unctionem non imprimere characterem. Illa namque quæ imprimunt ipsum, ait, quod ob hoc non possunt iterari, & hanc unctionem fatetur posse iterari. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto extremam unctionem statuunt non imprimere characterem; & intelligas, & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

QUE-

(1) Ut suo loco ex professo, nempe 3. part. qu. 63. art. 5. generaliter quoad omnia characterem imprimentia sacramenta, specialiter autem de Baptismo qui primum characterem imprimit qu. 66. art. 5. ac de Confirmatione quæ alterum characterem adjungit qu. 62. art. 5. & idem infra de Ordine qui characterem adhuc perfectiorem addit, ostendetur.

(2) Non quod omnis character absolute diversum statum in Ecclesia constituat vel unum ab alio di-

stinguat cum character Baptismi sit omnium indefinitæ qui ad Ecclesiam pertinent & a solo non baptizato vel extra Ecclesiam posito distinguere intelligatur baptizatum, sed quia diversa sunt omnium characterum sive in una & eadem, sive maxime in diversis personis officia; cum ad susceptionem sacramentorum in Baptismo, ad profectam fidem in Confirmatione, ad Ecclesiam ministerium in Ordine character ordinetur.

QUESTIO XXXI.

De Ministro hujus Sacramenti,

In tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de administratione hujus sacramenti.

Circa quod quaeruntur tria.

Primo, utrum laicus possit hoc sacramentum conferre.

Secundo, utrum Diaconus.

Tertio, utrum solus Episcopus.

ARTICULUS I. 123

Utrum laicus possit hoc Sacramentum conferre.

S. Th. ubi sup. quest. 1. art. 1. quest. 2. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod etiam laicus possit hoc sacramentum conferre. Quia hoc sacramentum habet efficaciam ex oratione, ut Jacobus dicit (cap. v.) (1) Sed oratio laici quandoque est ita Deo accepta, sicut sacerdotis. Ergo potest hoc sacramentum conferre.

2. Præterea. De quibusdam Patribus in Aegypto legitur, quod oleum ad infirmos transmittent, & sanabantur (2): & similiter dicitur de beata Genovefa, quod oleo infirmos ungebat. Ergo hoc sacramentum potest conferri etiam a laicis.

Sed contra est quod in hoc sacramento fit remissio peccatorum. Sed laici non habent potestatem dimittendi peccata. Ergo &c.

Respondeo dicendum, quod secundum Dionysium in eccles. Hierar. (cap. v. parum

a princ.) sunt quidam exercentes actiones hierarchicas, & quidam recipientes tantum, qui sunt laici. Et ideo nullius sacramenti dispensatio laicis ex officio competit; sed quod baptizare possint in casu necessitatis, ex divina dispensatione factum est, ut nulli regenerationis spiritualis facultas desit.

Ad primum ergo dicendum, quod oratio illa non fit a sacerdote in persona sua: quia cum sit quandoque peccator, non esset exaudibilis: sed fit in persona totius Ecclesiae, in cujus persona orare potest, quasi persona publica; non autem laicus, qui persona privata est.

Ad secundum dicendum, quod illæ unctiones non erant sacramentales; sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & ex meritis ungentium, vel oleum mittentium conseqebatur effectus sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non autem per gratiam sacramentalem.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Manus impositoriorum* (Prat. *Manus impositorii*) dicentium, laicalem impositionem manuum sacramentum esse. Si enim laicorum manus impositio est sacramentum (secundum istos) secundum eosdem videtur utique, quod laici possint sacramenta ministrare: contra quod pugnat iste articulus, & ex consequenti etiam contra illud primum. Item hæresim *Lutheri*, ut supra refertur quest. 8. art. 1. & 2. & 4. & quest. 19. art. 3. dicentis: sacerdotes omnes christianos esse, & æqualem habere potestatem, nulla status, aut sexus discretione facta. Item hæresim *Hussitarum*, ut refertur quest. 20. art. 1. dicentium: sacerdotem potiore efficit non dignitas, sed vitæ meritum.

(1) Nempe cum ait, *Oratio fidei salvabit infirmum a morte sanabit*; refert ad sanitatem spiritualem ac non corporalem tantum uterendum.

(2) De sancto Simeone Stylita, ex lib. 9. cap. 20. in vitis Patrum colligitur: Sic & in vita sancti Hilarionis Hieronymus: *Hinc inde* (inquit) *ex arboribus & agris vulgus ignobile sed & potentius viri concurrebant ut benedictum ab eo panem vel oleum acciperent*: Et inferius refert quod percussus a serpentibus & aliis animalibus venenosis plerique nisi ad Hilarionem concurrens statim interirent, unde oleo benedicto tangentes univervi vulnera sua, certam salutem resumebant, Et prope finem quod *Constantia sancta se mira generum & filiam a morte unctione*

olei liberavit. De sancta vero Genovefa vetus Legenda eius habet ad 3. Januarii apud Narum servus & claudus benedicti olei unctione ab ea delibutus videtur, audians & ambulans integram adepsus est sanitatem; & quod alius quidam demoniacus oleo divinitus accepto, cum sacratum oleum quod in ampulla consueverat asservare omnino defecisset, nec Episcopus praesto esset qui aliud oleum consecraret, liberatus est. Præter alias plures demoniacas mulieres quas a maribus exorata per domos visitavit, & similiter oleo benedicto adhibito a spiritibus nequissimis abire iussu liberavit.

tum . Per hujus enim articuli rationem omnes prædictæ hæreses debellari possunt . *Secundo* babes : quomodo per rationem ostendas , illas merito damnari a , &c. ut supra locis nunc citatis in append. Item a , &c. ut supra *quæst. 19. art. 3. & 4. append.* Item a *Concilio Tridentino*, ut supra in præsentis articulo , & corollar. post prob. allegatur . Cujus verba , quia alias recitata sunt superius , ideo hoc fat est . Vide tu illic . Item ab eodem *sess. 14. de extrema unctione , cap. 3.* Jam vero , quod attinet ad præscriptionem eorum , qui & suscipere , & ministrare hoc sacramentum debent , haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis (a Beato Jacobo scilicet) traditum , Nam & ostenditur illic , proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros , quo nomine eo loco non ætate seniores , aut primores in populo intelligendi veniunt ; sed aut Episcopi , aut sacerdotes ab ipsi rite ordinati per impositionem manuum presbyterii , *Hæc ibi ; & canonis quarto* . Si quis dixerit : presbyteros Ecclesiæ , quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmos inungendum hortatur , non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos , sed ætate seniores in quavis communitate : anathema sit . , *Hæc ibi . Tertio* habes : quomodo per rationem dicta Patrum , pro quanto , vel sacramentum nullum a laico conferri ex officio , vel extrema unctionem ab eodem absolute conferri non posse dicunt , & intelligas , & probes , & defendas . *Quarto* vides : quomodo &c.

Utrum Diaconi possint hoc Sacramentum conferre .

AD secundum sic proceditur . Videtur quod diaconi possint hoc sacramentum conferre Quia , secundum Dionysium (cap. v. eccl. Hier. cir. med.) *diaconi habent virtutem purgativam* . Sed hoc sacramentum est institutum tantum ad purgandum ab infirmitate mentis , & corporis . Ergo & Diaconi possunt conferre .

2. Præterea . Dignius sacramentum est baptismus quam hoc de quo hic agimus . Sed diaconi possunt baptizare , ut patet de beato Laurentio . Ergo & possunt hoc sacramentum conferre .

Sed contra est quod dicitur Jacobi v. 14. *Inducat Presbyteros Ecclesiam* .

Respondeo dicendum , quod diaconus habet vim purgativam tantum , non illuminativam . Unde cum illuminatio fiat per gratiam , nullum sacramentum , in quo gratia confertur , diaconus potest dare ex officio : & ideo nec hoc , cum in eo gratia conferatur .

Ad primum ergo dicendum , quod hoc sacramentum illuminando per gratiæ collationem purgat : & ideo diacono ejus collatio non competit .

Ad secundum dicendum , quod hoc sacramentum non est necessitatis sacramentum , sicut baptismus . Unde non ita committitur dispensatio ejus omnibus in articulo necessitatis , sed solum illis quibus ex officio competit . (1) Diaconis autem etiam baptizare non competit ex officio .

A R.

(1) Nec aliud Innocentius primus in epistola superius notata insinuat , cum ait quod prædictum Jacobi locum , non est dubium de fidelibus agrosansibus intelligi debere , qui sancto oleo christianis perungi possunt , quo ab Episcopo confecto non solum sacerdotibus sed omnibus Christianis usi licet in sua aut suorum necessitate . Nam de passivo usu non de activo id intelligi debet , ut sit sensus quod promiscue fideles omnes Christiani , non soli Sacerdotes oleo infirmorum inungi possunt ; sed non quod promiscue permittatur omnibus ut inungant : Proinde quod ibidem additur , *inungendo* vel sicut in margine correctius restituitur *ad unguendum* , eodem sensu tantum sumi oportet , hoc est *ut inungantur* ; Unde immediate Innocentius ibi addit : *Ceterum illud superfluum . videmus adjectum us de Episcopo ambigatur quod Presbyteris licere non dubium est : Nam idcirco de Presbyteris dictum est ; quia Episcopi alia occupationibus impediti ad omnes languidos ire non*

possunt ; Ceterum si Episcopus potest aut dignum ducis aliquem a se visitandum benedicere , sanguine christi potest cujus est ipsum christi sanguis . Nec vero satis apte id quidam intelligent de usu alterius olei extra sacramentum Extremæ unctionis , cum ex professo de hac extrema unctione Innocentius evidenter loquatur , ut de illa quam Episcops vel Presbyteris licitam esse addit : Sed nec in casu quoque necessitatis eam laicis permittere administrandam putandum est , sicut alii quidam olim putaverunt , cum Concilium Tridentinum sic definiat *Sess. 14. de sacramento extremæ unctionis Can. 4 Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiam quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos sed ætate seniores in quavis communitate , ob idque proprium extreme unctionis ministrum non esse solum sacerdotem , anathema sit .*

APPENDIX.

conferre non possunt. Insinuaturn autem est hoc ab eo per *ly presbyteros*; cum dicit: *infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, & czt.* Diaconi enim non sunt presbyteri, ut patet, & habetur ex multis Conciliis supra alibi ad simile propositum citatis. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto Diaconum insinuant sacramentura hoc dare non posse, & intelligas; & declares, & tuearis. *Quinto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS III.

Utum solus Episcopus possit hoc Sacramentum conferre.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod solus Episcopus possit hoc sacramentum conferre. Quia hoc sacramentum unctione perficitur, sicut & confirmatio. Sed solus Episcopus potest confirmare. Ergo solus Episcopus potest hoc sacramentum conferre.

2. Præterea. Qui non potest quod minus est, non potest quod est majus. Sed major est usus materiz sanctificatz quam sanctificatio ejus, quia est finis ipsius. Ergo cum sacerdos non possit sanctificare materiam, nec potest materia sanctificata uti.

Sed contra. Hujus sacramenti minister inducendus est ad eum qui suscipit sacramentum, ut patet Jacobi v. Sed Episcopus non posset accedere ad omnes infirmos suæ diocesis. Ergo non solus Episcopus potest hoc sacramentum conferre.

Respondeo dicendum, quod secundum Dionysium (cap. v. eccles. Hier. ante med.) Episcopus proprie habet perficiendi officium, sicut sacerdos illuminandi. Unde illa sacramenta dispensanda solis Episcopis reservantur quæ suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios ponunt. Hoc autem non est in hoc sacramento, cum omnibus detur. Et ideo per simplices sacerdotes potest administrari.

Ad primum ergo dicendum, quod confirmatio imprimit characterem, quo collocatur homo in statu perfectionis, ut supra dictum est (IV. dist. vii. quest. ii. art. 1. quest. 1. & III. P. quest. lxiii. art. 1. 2. & 6.) Non autem hoc est in hoc sacramento. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in genere causæ finalis usus materiz sanctificatz sit potior quam sanctificatio materiz, tamen in genere causæ efficienris sanctificatio materiz est potior, quia ab eadem pendet

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim Jacobi Præpositi (Prat. Jacob. Præpositi.) dicentis, Læccs omnes esse sacerdotes, & posse consecrare, si non sint in peccato mortali. Contra hæc siquidem pugnat articulus præsens a fortiori. Si enim Diaconus non est sacerdos, & hæc ratione non posset extremam unctionem conferre, ut hic concluditur: profecto per hoc idem manifeste ostensum relinquatur, quod laici non sunt sacerdotes, nec sacramenta conferre possunt. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas: prædictam hæresim merito damnari a Concilio Tridentino. sess. 23. ca. 4. & canon. sexto. Vide quest. 19. artic. tert. quart. appen. Item, 2, &c. ut quest. 0. Clava, articuli primo, secundo, & quarto. Item, merito damnari ab Apost. Hebr. 5. ubi definiens, quid sit sacerdos, inquit. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Ecce, quod secundum Apost. adeo non omnes sunt sacerdotes, ut positio ista seipsam contradicat. *Omnis*, inquit, *pontifex ex hominibus, &c.* Quasi diceret. Si aliquis non assumatur ex hominibus, & constituatur pro hominibus in his, quæ sunt ad Deum, non est sacerdos; sicut, si quis non habet animam rationalem, utique non est homo. Ex his patet, quod positio illa hæreticalis contradictionem implicat. Nam, si omnes sunt sacerdotes; profecto nullus erit sacerdos. Non enim sacerdotes illi, nec aliquis illorum, assumetur ex hominibus, idest alius sumetur, quam alii, cum omnes sint sacerdotes, & similiter nec omnes, nec aliquis eorum constitueretur tanquam superior pro aliis hominibus in his, quæ sunt ad Deum. Sicut ergo non habens definitionem alicujus rei non est illa res, cum definitio & definitum sint idem, ita non habens definitionem veram sacerdotis, hæc præmissa est, non est verus sacerdos. Oportet igitur secundum Apostolum, quod sint aliqui homines non sacerdotes, ad hoc, quod aliqui alii possint vere dici, & esse sacerdotes. Item a, & czt. ut articuli prim. appen. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito ab Apostolo Jacobo, & a Conciliis ipsum citantibus, ipsique consentientibus, ut est Concilio Cabilonense secundum, Senonense, Florent. & czt. de quibus supra alibi, fuisse insinuaturn, quod Diaconi hoc sacramentum

det usus, sicut ab activa causa: & ideo sanctificatio requirit altiozem virtutem activam quam usus.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam a scripturis, & Conciliis, Summisque Pontificibus, quod extrema unctio potest administrari non tantum per episcopos, sed etiam per sacerdotes simplices. A scriptura quidem Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, &c.* Nomine autem presbyterorum intelligit Episcopos, vel sacerdotes, ut sup. ead. *question.* per *Concil. Trident. sess. 14. cap. 3.* declaratum est. A Concilio vero Florentino, de Sacram. quinto loco. *Minister hujus sacramenti est sacerdos.* Hæc ibi in Decret. Armenis dato. Ubi attribuendo ministerium hujus sacerdoti non intendit excludere episcopos, immo a fortiori includere: ut ex *Concil. Trident.* loco nunc citato, & ex aliis infra patet. Item a *Concil. Trident.* ubi supra nunc, & Canon. quarto, ibi. *Si quis dixerit; presbyteros ecclesie, quos B. Jacobus, &c. ob idque proprium extremæ unctiois ministrum non esse solum sacerdotem; Anathema sit.* Hæc ibi. Ubi ly *solum*, ut, patet ex contextu, excludit laicos de quavis communitate. Item ab *Innocentio Primo* sic. *Illud superfluum videtur esse adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est. Nam, idcirco de presbyteris dictum est: quia episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum, si episcopus aut possit, aut dignum ducit aliquem a se visitandum, benedicere, & tangere chrismate, sine curatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere.* Hæc ille, & recitantur in Decr. dist. 95. Secundo habes quomodo per rationem prædicta scripturarum, & patrum, pro quanto sacerdotem dicunt ex officio ministrum esse extremæ unctiois, & intelligas, & tuearis. Tertio vides quomodo &c.

Q U Æ S T I O XXXII.

Quibus hoc Sacramentum conferri debeat, & in qua parte corporis, & in septem articulos divisa.

DEinde considerandum est de his quibus hoc sacramentum conferri debet, & in

qua parte corporis.

Circa quod quærentur septem.

Primo, utrum sanis debeat hoc sacramentum conferri.

Secundo, utrum debeat conferri in qualibet infirmitate.

Tertio, utrum debeat conferri fatiosis, & amentibus.

Quarto, utrum pueris.

Quinto, utrum totum corpus in hoc sacramento inungi debeat.

Sexto, utrum convenienter determinentur partes in quibus inungitur.

Septimo, utrum mutilati in prædictis partibus inungi debeant.

A R T I C U L U S I. 126

Utrum hoc Sacramentum sanis conferri debeat.

S. Thom. IV. dist. xxiii. quest. 21. art. 2. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod etiam sanis conferri debeat hoc sacramentum. Quia principalior effectus hujus sacramenti est sanatio mentis quam sanatio corporis, ut dictum est (*quest. xxx. art. 2.*) Sed etiam sani corpore indigent sanatione mentis. Ergo eis etiam debet hoc sacramentum conferri.

2. Præterea. Hoc sacramentum est exeuntium, sicut baptismus est sacramentum intrantium. Sed omnibus intrantibus baptismus datur. Ergo omnibus exeuntibus debet dari hoc sacramentum. Sed quandoque illi qui sunt in propinquo exitus, sunt sani; sicut illi qui decapitandi sunt. Ergo talibus debet hoc sacramentum dari.

Sed contra est quod dicitur Jacobi v. 14. *Infirmatur quis in vobis? &c.* Ergo solis infirmis competit hoc sacramentum.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum est quædam spiritualis curatio, ut dictum est (*quest. xxx. art. 1. 2.*) quæ quidem per quandam corporalis curationis modum significatur. Et ideo illis quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, non debet hoc sacramentum conferri.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis spiritualis sanitas sit principalis effectus hujus sacramenti, tamen oportet quod per curationem corporalem significetur curatio spiritualis hujus sacramenti, etiamsi corporalis sanatio non sequatur. Et ideo solum illis hoc sacramento sanitas spiritualis dari potest

potest quibus corporalis curatio competit, (1) scilicet infirmis; sicut ille solus potest baptismum suscipere qui potest corporalis ablu- tionis esse particeps, non autem puer in ventre matris existens.

Ad secundum dicendum, quod etiam bap- tismus non est nisi illorum intransientium qui corporali ablutioni subijci possunt. Et ideo hoc sacramentum illorum tantum ex- euntium est quibus corporalis curatio com- petit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per ratio- nem ostendas, merito insinuatam fuisse a scripturis; & Conciliis; quod extrema un- ctio sanis dari non debet. A scripturis quidem *Marc. 6.* ubi dicitur, quod Apostoli oleo ungebant infirmos. Nam ista unctio erat mentio quaedam hujus sacramenti, ut dicitur *qu. 29. ar. 3. ad primum*, in respon- sione *secunda*. Et in Conc. *Senonensi* in De- cretis fidei. Decret. 10. c. de *Extrema un- ctione*, ubi dicitur „ Ad unctionis extre- „ mæ sacramentum, Christus manduxisse pri- „ mum videtur, cum Apostoli oleo ungerent „ multos infirmos, & sanarentur. Neque „ enim id sua sensu, sed præceptoris insti- „ tuto, fecisse putandi sunt. Sed, ne hic „ noster ungenti infirmos ritus Christi præ- „ ceptum, non tamen sacramentum esse vi- „ deretur: si quis infirmatur (inquit Jaco- „ bus) in vobis, &c. „ Hæc ibi. Item a Jacob. 5. *Infirmatur quis, &c. ungentes oleo, &c.* prout sæpius adductum est. A conciliis autem, ut a Conc. *Floren.* de sacramentis, loco quinto. *Hoc sacramentum, nisi infirmo, de cujus morte simatur, dari non debet.* Hæc ibi. Item a Concil. *Triden.* sess. 14. cap. 3. de extrem. unct. *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præferendam; qui tam periculose decumbunt, us in exitu vite constituti videantur. Unde sacra- mentum exeuntium nuncupatur.* Hæc ibi. U- bi vides, quod ex etymologia quadam nomi- nis desinit, non nisi infirmis dandum; & per *Summ. S. Thom. Thom. XIII.*

ly *exeuntium* etiam confirmat, sicut & de- clarat dictum in responsione ad *secundum* ar- gum. a D. Tho. Item ab eodem ibidem c.

1. *Clementissimus Redemptor noster, qui servus suis quovis tempore, quemadmodum auxilia maxima in sacramentis aliis preparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum vi- verent, ab omni graviore spiritus incommoda possint: ista extrema unctionis sacramento firmo vite, tanquam firmissimo quodam presidio, munivit.* Hæc ibi. Item a Concil. *Cabilo- nensi 2.* & aliis supra nominatis in appendi- cibus a qu. 29. usque huc: sique ulla sint, illa sunt, in quibus fit mentio de B. Jaco- bi auctoritate toties dicta, *infirmatur, &c.* *Secundo* habes: quomodo per rationem præ- dicta patrum, & scripturarum, pro quanto extremam unctionem dicunt sanis non esse dandam, & intelligas, & declares, & de- fendas. *Tertio* vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S II. 127

Utrum hoc Sacramentum dari debeat in quali- bet infirmitate.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum dari debeat in qualibet infirmitate. Quia Jacobi v. ubi hoc sacramentum traditur, nulla infirmitas de- terminatur. Ergo in omnibus infirmitatibus debet hoc sacramentum conferri.

2. Præterea. Quanto remedium est dignius, tanto debet esse generalius. Sed hoc sa- cramentum est dignius quam medicina corporalis. Cum ergo medicina corporalis omni- bus infirmis detur, videtur etiam quod hoc sacramentum similiter conferri debeat.

Sed contra. Hoc sacramentum dicitur ab omnibus extremæ unctionis. Sed non omnis infirmitas ad extremum vitæ perducit; cum quædam ægritudines sint causa longioris vitæ, ut dicit Philosophus (Lib. de longitud. & brev. vitæ cap. 1. parum a princ.) Ergo non in omnibus infirmitatibus debet hoc sa- cramentum dari.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramen- tum

(1) Et est qui sunt in eo statu quo percipere illam possint, licet actu non percipiatur quia tunc tantum eam ex misericordia divina percipiunt vel consequuntur, cum sic expedit ad salutem animæ, ut cap. 2. Sessionis 14. in doctrina de sacramento extremæ unctionis declarat Concilium prædictam Tri- dentinum. Nec tamen consequens est ut, ii quædam qui

post extremam unctionem perceptam convalescunt, salutem finaliter & infallibiter consequantur, sed quod ad eum statum revocentur in quo deinceps cum auxilio Dei procurare vel comparare sibi possint id quod saluti potest expedire, nec prius forte sufficienter procurarant, aut procurare inter infirmitatis impedimen- ta potuerant,

tum est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam. Et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi qui sunt in statu exeuntium, propter hoc quod ægrotudo nata est inducere mortem, & de periculo timetur. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod qualibet infirmitas augmentata potest mortem inducere. Et ideo si genera infirmitatum pensentur, in qualibet ægrotudine potest dari hoc sacramentum; & hinc est quod Apostolus non determinat infirmitatem aliquam. Sed si pensetur infirmitatis modus, & status, non semper debet infirmantibus hoc sacramentum dari.

Ad secundum dicendum, quod medicina corporalis habet pro principali effectu sanitatem corporalem, qua omnes infirmi in quolibet statu indigent. Sed hoc sacramentum habet pro principali effectu illam sospitatem que exeuntibus, & iter ad gloriam agentibus est necessaria. Et ideo non est simile.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse dictum a *Concil. Florent. & Trident.* quod sacramentum hoc conferendum est in extremis, & non in quocunque statu, puta levi, ipsius infirmi. Hoc autem dictum fuisse ab iisdem, vide litteraliter supra *ar. 1. appen. Secundo* habes; quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto extremam unctionem infirmis tantum periculosos iudicant esse dandam, & intelligas, & tuearis. *Tertio* vides: quomodo &c.

(1) Sic porro Concilium etiam Tridentinum declarat ubi supra; scilicet esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt ut in exitu vite constituti videantur, unde & sacramentum euentium nuncupatur; ut cap. 3. videre est. Non dicit porro illis præsertim adhibendum quasi etiam adhiberi aliis possit non sic periculose decumbentibus vel in exitu vite constitutis (quod instituto hujus loci ac Ecclesie praxi repugnaret) sed sic loquitur ut restringat indefinitam loquutionem quam præmisit, & ut explicet speciem

ARTICULUS III. 128

Utrum hoc Sacramentum dari debeat furiosis, & amentibus.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod furiosis, & amentibus hoc sacramentum dari debeat. Quia tales ægrotudines sunt periculosissimæ, & cito ad mortem disponunt. Sed periculo debet adhiberi remedium. Ergo hoc sacramentum, quod est in remedium infirmitatis humanæ, debet talibus conferri.

2. Præterea. Dignius sacramentum est baptismus quam istud. Sed baptismus datur furiosis, ut supra dictum est (IV. dist. 17. quæst. 111. art. 1. quæst. 11. & III. P. quæst. lxxviii. art. 12.) Ergo & hoc sacramentum eis debet dari.

Sed contra. Hoc sacramentum non est dandum nisi recognoscentibus ipsum. Sed tales non sunt furiosi, & amentes. Ergo eis dari non debet.

Respondeo dicendum, quod ad effectum hujus sacramenti percipiendum plurimum valet devotio suscipientis, & personale meritum conferentium, & generale totius Ecclesie: quod patet ex hoc quod per modum deprecationis forma hujus sacramenti confertur. Et ideo illis qui non possunt recognoscere, & cum devotione suscipere hoc sacramentum, dari non debet, & præcipue furiosis, & amentibus, qui possent irreverentiam sacramento per aliquam immunditiam facere: nisi haberent lucida intervalla, in quibus sacramentum cognoscerent: & sic eis conferri in statu illo posset. (2)

Ad primum ergo dicendum, quod quavis in periculo mortis tales quandoque sint; tamen remedium per devotionem propriam non potest eis applicari: & ideo non debet eis conferri.

Ad secundum dicendum, quod baptismus non

tim quibus infirmis hoc adhibendum intelligat: Vel forte sic loquitur quia tamen non omnibus infirmis dari possit indefinitè, potest ministerius aliquibus eorum dari qui non adeo apparenter videntur in exitu vel in extremo vite constituti, si saltem sufficient ratio periculi proximi præsumatur; verbi gratia in pulmonicis vel similibus diuturno languore ac incerto affectu &c. Unde illud præsertim quod est comparativum, in rigore accipi potest quoad eos qui magis apparenter sunt in proximo decedendi.

(2) Quippe quod ad actualium peccatorum remissionem

non requirit motum liberi arbitrii, quia datur contra originale principaliter, quod non curatur in nobis ex nostro libero arbitrio; sed in hoc sacramento requiritur motus liberi arbitrii: & ideo non est simile. Et præterea baptismus est sacramentum necessitatis, non autem extrema unctio.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per S. Doct. interimas impiam hæresim *Donatistæ*, & *Calvini* dicentium, chrisma sacrum conspuendum, & conculcandum esse. Chrismatis autem nomine accipi quandoque oleum, dixit *glos. super decret. Gelasii* Papæ adductas superius *questio. 29. artic. 5. appen.* & pro tanto hic recensetur hæresim prædictam illorum. Ex articulo enim præsentis patet, quanta reverentia exhibenda sit oleo sacro: & consequenter contra similes hæreticos militat, & a fortiori sane. *Secundo* habes quomodo per S. Doct. ostendas, hæresim prædictam merito damnari, & quidem a fortiori, per Papam *Urban. II.* Ariminensium Episcopum scribentem; „Ad hæc; &c. Si locus ad hospitalitatis usum, & pauperum provisionem, sicut moris est auctoritate Pontificis fuerit destinatus, cum sit religiosus, non debet mundanis usibus deputari: sicut de vestibus, & ligneis vasis, & aliis utensilibus ad cultum religionis per Pontificem deputatis antiqua consuetudo indubitanter observat, & venerabilium patrum edocent sanctiones. „ Hæc ille, & recitantur de relig. domib. Item per *Stephanum* Papam in 7. reg. ju. „ Quicquid in sacratis Deo rebus injuste agitur, pro sacrilegio reputatur: quia sacra sunt, & a quoquam violari non debent. *Hæc ibi. Item per Patrem Sixtum de consecr. dist. 1. in Sancta*, „ Apostolica sede statutum est, ut sacra va-

sa non ab aliis, quam a sacratis, dominique dicatis hominibus contrectentur; ne pro talibus præsumptionibus dominus iratus plagas imponat populo suo, & hi etiam, qui non peccaverunt, persant: quia perit justus sepiissime pro impio. *Hæc ibi.* Pro ultimo dicto hic a Sixto habes exemplum in lib. *Josue cap. 7.* de Achan prævaricatore anathematis, propter cujus peccatum perita est plebs Israelitica, licet ipsa non sumperit de ipso anathemate. Item per *Stephanum* amico familiari scribentem. „ Venimenta ecclesiarum, in quibus domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta quibus aliis usibus non debent frui, quam ecclesiasticis, & Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut afferri, nisi a sacratis hominibus, ne ultio, quæ Balthasar Regem percussit, super hos transgredientes veniat, & conuere eos faciat ad ima. „ Hæc ille: & recitantur de consecr. dist. 1. De isto Balthasar, quantum supplicium & in se, & in aliis, & in regno suo, & in præsentis, & in inferno iustissime a Deo receperit pro tam sacrilega insolentia quam circa res sacras exhibuit, vide in sequ. & inde conicies, quantum ultionem exerceat, & in æternum exerciturus sit Dominus contra prædictos, similesque hæreticos olei sacri nefandissimos osores. Tantum igitur scelus, condignamque ejus penam, *David. c. 5.* ad cæterorum exemplum, prædictorumque damnationem narraturus, sic ait: „ Balthasar Rex fecit grande convivium optimatibus suis mille: & unusquisque secundum suam bibebat statem. Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea, & argentea: quæ asportavit Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis Rex, & optimates ejus, uxoresque ejus, & concubinae. Tunc allata sunt vasa aurea, quæ

L I 2

tionem plenam & consummatam ordinatur quantum ad culpam ipsam & reliquias culpe quæ cum illa necessario annexæ sunt, licet non quoad penam temporalem quæ in Purgatorio expianda post illam adhuc manet: Unde sicut peccatum actuale non committitur sine motu liberi arbitrii, sic neque sacramentum hoc sine motu liberi arbitrii conferri debet; qui vel actualiter producat, si sui compos est infirmus; vel moraliter præcesserit, si post illius vobum in eum statum venit ut actualis motus non sit capax: Nec refert quod max *actuale* devotionem in suscipiente requirere dicitur art. 4. *Quæ* vel *actuale* intelligit quæ prius actu fuit;

vel actu existentem requiri ait ut plenius ægratus confortetur; sicut & in Eucharistia cujus exemplum assert, actualem devotionem ad effectum secundarium tantum (scilicet quandam suavitatem) sub loco requiri dixit, non ad effectum primarium qui est gratiæ collatio sive augmentum &c. Hinc porro patet multo melius esse ut non extremum tempus expectetur quo jam ægroti sensum vi morbi amiserunt vel hebetatum illum habent; sed applicetur Sacramentum quando adhuc in eis aliquo modo sensus viger, ut percipiant quod recipiunt; nec excusari posse a peccato qui sunt hæc parte negligentes ac per negligentiam suam statum illum expectant ut applicent

„ asportaverat de templo, quod fuerat in Je-
 „ rusalem, & biberunt in eis Rex, & opti-
 „ mates ejus, uxoresque ejus, & concubinae
 „ illius, &c. In eadem hora apparuerunt di-
 „ giti, quasi manus hominis scribentis con-
 „ tra candelabrum in superficie parietis aulæ
 „ regis: & Rex aspiciebat articulos manus
 „ scribentis. Tunc facies Regis commu-
 „ tata est, & cogitationes ejus conturbabant
 „ eum, & compages renum ejus solveban-
 „ tur: & genua ejus ad se invicem collide-
 „ bantur. Exclamavit itaque Rex fortiter,
 „ &c. Igitur introductus est Daniel coram
 „ Rege, &c. & ait: Tu Balthasar non hu-
 „ miliasti cor tuum, sed adversus dominato-
 „ rem cœli elevatus es, & vasa domus ejus
 „ allata sunt coram te; & tu, & optimates
 „ tui, & uxores tuæ, & concubinae tuæ vi-
 „ num bibistis in eis, &c. Idcirco ab eo
 „ missus est articulus manus, quæ scripsit
 „ hoc, quod exaratum est. Hæc est autem
 „ scriptura, quæ digesta est. Mane, Thecel,
 „ Phares. Et hæc est interpretatio sermonis;
 „ Mane: Numeravit Deus Regnum tuum,
 „ & complevit illud. Thecel. Appensus es
 „ in statera, & inventus es minus habens.
 „ Phares. Divisum est regnum tuum, &
 „ datum est Medis, & Persis. Eadem no-
 „ te interfectus est Balthasar Rex Chaldens:
 „ & Darius Medus successit in Regnum.
 „ Hæc ibi. Porro, si de vasis templi veteris
 „ testamenti adeo zelavit Deus: quantum pu-
 „ tas zelatarum eum esse pro sacramentis novi
 „ testamenti a seipso personaliter, ac immedia-
 „ te institutis? Zelebit utique magis. Hinc &
 „ nota, quod illa vasa non conculcavit, neque
 „ conspuit Balthasar ipse. Quid ergo supplicii
 „ pertulisset, si illa conspurcasset, pedibusque
 „ conculcasset? Nota & majorem consecratio-
 „ nem circa oleum sanctum, ut quod sit ma-
 „ teria hujus sacramenti intrinseca; quam sit
 „ consecratio vasorum prædictorum. Postea
 „ igitur hinc & calparum, & poenarum quan-
 „ titatem *Donati*, atque *Calvini* sacrilegorum,
 „ quando Balthasar minoris culpe peccator tan-
 „ ta justissime luit. Item, &c. quomodo osten-
 „ das, hæresim prædictam damnari per *Lucium*
 „ *III.* Papam sic: „ Universos, qui de sacra-
 „ mento corporis, & sanguinis Domini N.
 „ J. Christi, vel de baptismo, vel reliquis
 „ ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut
 „ docere non metuent, quam sacrosancta
 „ Romana Ecclesia prædicat, & observat;
 „ & generaliter quoscunque eadem Ro-
 „ mana Ecclesia, vel singuli Episcopi per
 „ dioceses suas cum concilio clericorum;

„ vel clerici ipsi (sede vacante) cum con-
 „ cilio (si oportuerit) vicinorum Episco-
 „ porum, hæreticos judicaverit, perpetui
 „ anathematis vinculo innodamus. Hæc
 „ ibi de hæreticis. Ubi nota, prædictos, ac
 „ similes de oleo sancto taliter sentientes, in-
 „ ter hæreticos computari; ut contextum Pa-
 „ pæ consideranti patet. Item per *Alexand. IV.*
 „ *de heres. in 6. c. Accusatus.* Is enim ibi da-
 „ mnat ea, quæ sapiunt hæresim manifeste, &
 „ expositionibus juris peritorum adjunctis, di-
 „ cit, quod illa sapiunt hæresim manifeste, in
 „ quibus admisceantur non tantum ecclesie sa-
 „ cramenta, sed etiam res sacramentales. Cum
 „ ergo oleum sanctum sit plusquam res sacra-
 „ mentalis, inquantum materia intranea hujus
 „ sacramenti est: jam videre est, quod abutens
 „ oleo sancto per conspuitionem, & conculca-
 „ tionem, opus hæreticale facit, & sub illa
 „ decretali pro tali comprehenditur. *Tertio* ha-
 „ bes: quomodo per rationem ostendas, *merito*
 „ *Innoc. III.* de bapt. & ejus effect. c. majores
 „ insinuas a fortiori, extremam unctionem
 „ non debere conferri furiosis, & amentibus.
 „ Id autem sic insinuat. „ Dormientes, &
 „ Amentes, nisi priusquam incurrerent amen-
 „ tiam, aut dormirent, in contritione per-
 „ sisterent (quia in eis intelligitur contri-
 „ tionis propositum perdurare) si sic fuerint
 „ immeriti, characterem non suscipiant sacra-
 „ menti, secus autem, si prius catechumeni
 „ extitissent, & habuissent propositum ba-
 „ ptizandi: unde tales in necessitatis articu-
 „ lo consuevit ecclesia baptizare. „ Hæc
 „ ibi. Unde patet, quod furiosis, & amentibus,
 „ ut sic, non est baptismus conferendus, nisi
 „ pro quanto propositum affuit, vel adest.
 „ Ex his reliquit Papa tanquam manifestum,
 „ quod multo minus furiosis, ut sic, non sunt
 „ danda sacramenta non tantæ necessitatis,
 „ (ut baptismus) existentia: nisi devotionem
 „ ad illa habeant; id, quod in statu lucidi in-
 „ tervalli contingere potest, ut conclus. *secunda*
 „ innuit. *Quarto* habes: quomodo per ratio-
 „ nem prædictam *Innocentii*, pro quanto extre-
 „ mam unctionem monstrat furiosis non esse
 „ dandam, & intelligas, & probes, & desin-
 „ das. *Quinto* vides: quomodo hæc,

ARTICULUS IV. 129

Utrum hoc Sacramentum debeat dari Pueris.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum debeat dari pueris. Quia eisdem infirmitatibus quandoque laborant pueri, & adulti. Sed eidem morbo debet adhiberi idem remedium. Ergo sicut adultis, ita & pueris debet hoc sacramentum dari.

2. Præterea. Hoc sacramentum datur ad purgandum reliquias peccati, ut supra dictum est (quæst. xxx. art. 1.) tam originalis, quam actualis. Sed in pueris sunt reliquæ originalis peccati. Ergo eis debet hoc sacramentum dari.

Sed contra est quod nulli debet dari hoc sacramentum, cui non competit forma sacramenti. Sed forma sacramenti non competit pueris: quia non peccaverunt per visum, & auditum, ut in forma exprimitur. Ergo eis dari non debet hoc sacramentum.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum exigit actualem devotionem in suscipiente, sicut & Eucharistia. Unde sicut Eucharistia non debet dari pueris, ita nec hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod infirmitates in pueris non sunt ex peccato actuali causatæ, sicut in adultis: & contra illas præcipue infirmitates hoc sacramentum datur quæ sunt ex peccato causatæ, quasi peccati reliquæ.

Ad secundum dicendum, quod non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatæ. Unde principaliter contra actualia peccata datur, (ut ex ipsa forma patet) quæ non sunt in pueris.

A P P E N D I X.

EX artical. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam ab Eugenio III. sacro approb. Concil. Florentin. in decreto Armenis dato, quod pueris non debet conferri hoc sacramentum. Insinuatam autem est hoc tunc, quando innungendas esse has partes, scilicet visum, audi-

tum, renes, gustum, &c. statuendo dixit: *per istam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus: quicquid deliquisti per visum, & similiter in aliis membris, intelligens auditum, odoratum, gustum, tactum, gressum, renes, ut in contextu ibi patet.* Cum igitur pueris non conveniat peccare, ut plurimum, his partibus; & sacramentum conferri non debeat iis, de quibus forma non verificatur, sequitur quod Eugenius Papa per huiusmodi suum dictum innuerit, extremam unctionem non esse dandam pueris. *Secundo* habes: quomodo per rationem præmissam decretum Eugenii, pro quanto pueros negat esse innungendos, & intelligas, & probes, & tuearis. *Tertio* vides, quomodo &c.

ARTICULUS V. 130

Utrum in hoc Sacramento totum corpus inungi debeat,

S. Thom. ubi sup. art. 2. quæst. 1. & seq.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod (*) in hoc sacramento totum corpus inungi debeat. Quia secundum Augustinum (Lib. VI. de Trinit. cap. vi. ad fin.) *totus anima est in toto corpore.* Sed præcipue datur hoc sacramentum ad sanandum animam. Ergo in corpore toto debet inunctio fieri.

2. Præterea. Ubi est morbus, ibi debet apponi medicina. Sed quandoque morbus est universalis, & in toto corpore, sicut febris. Ergo totum corpus debet inungi.

3. Præterea. In baptismo totum corpus immergitur. Ergo & hic totum debet inungi.

Sed contra est universalis Ecclesie ritus; secundum quem non inungitur infirmus (**) hoc sacramento, nisi in determinatis partibus corporis.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum per modum curatidis exhibetur. Curatio autem corporalis non oportet quod fiat per medicinam toti corpori appositam, sed illis partibus ubi est radix morbi. Et ideo etiam unctio sacramentalis debet fieri

(*) *Id. dest. ib.*

(**) *Id. dest. hoc sacramento,*

in illis partibus tantum (1) in quibus est radix spiritualis infirmitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod anima quamvis sit tota in qualibet parte corporis quantum ad essentiam, non tamen quantum ad potentias, quæ sunt radices actuum peccati. Et ideo oportet quod in determinatis partibus fiat, in quibus illæ potentie habent esse.

Ad secundum dicendum, quod non semper apponitur medicina ubi est morbus; sed congruentius, ubi est radix morbi.

Ad tertium dicendum, quod baptismus fit per modum ablutionis: ablutio autem corporalis non purgat maculam ab aliqua parte, nisi cui apponitur: & ideo baptismus toti corpori adhibetur. Secus autem est de extrema unctione, ratione jam dicta (in corp. & ad 1. & 2.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, meritis infirmatum fuisse a Concilio, quod totum corpus ungi non debet: Hoc autem infirmatum est a Concilio Florent. in Decreto illo toties dicto Armenorum, ubi quinto loco de sacramentis loquens auoquam de toto unguendo, sed tantum de aliquibus partibus speciatim, facit mentionem: ut quisque videre potest, & in art. sequ. app. dicitur ad litteram. Item a Concilio Trid. sess. 14. de extr. unct. can. 3. Si quis dixerit: extremae unctionis ritum. & usum, quem observant sancta Romana ecclesia, repugnare sententia B. Jacobi, ideoque eum mutandum; posseque a Christianis absque peccato contemni; Anathema sit. Hæc ibi. Quæ etiam prædixerat sine anathem. cap. 3. addens. Hæc omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tænti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana aliarum omnium mater, & magistra aliud in hæc administranda unctione quantum ad ea, quæ hujus sacramenti sub-

stantiam perscrutant, observat, quam quod B. Jacob. præscripsit. Hæc ibi. Modo quis nesciat, ecclesiam Romanam non inungere totum corpus? Secundo habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto negant totum corpus ungi debere, & intelligas, & probes, & defendas. Tertia vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI, 132

Utrum convenienter determinentur partes unguenda.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter determinentur istæ partes, ut scilicet infirmus unguatur in oculis, in naribus, auribus, labiis, manibus, & pedibus. Quia sapiens medicus curat morbum in radice. Sed de corde exiunt cogitationes, quæ coinquinant hominem, (2) ut dicitur Matth. 15. 19. Ergo in pectore debet fieri unctio.

1. Præterea. Puritas mentis non minus est necessaria exiuntibus quam intrantibus. Sed intrantes unguuntur chrismate in vertice a sacerdote, ad significandum mentis puritatem. Ergo & exiuntibus hoc sacramento ungi debent in vertice.

3. Præterea. Ibi debet adhiberi remedium, ubi est major vis morbi. Sed spiritualis morbus præcipue viget in viris in renibus, & in mulieribus in umbilico, ut dicitur Job. xl. 11. Fortitudo ejus in lumbis ejus, & fortitudo illius in umbilico ventris ejus, secundum expositionem Gregorii (3) Ergo ibi debet fieri unctio.

4. Præterea. Sicut per pedes peccatur, ita & per alia membra corporis. Ergo sicut unguuntur pedes, ita & alia corporis membra ungi debent.

Respondeo dicendum, quod principia peccandi in nobis sunt eadem quæ & principia agendi: quia peccatum consistit in actu. Pri-

(1) Non quod non possit in aliis ex abundantia, sed quod necessarium non sit: Unde loquutio hæc debet fieri tantum, significat quod illæ solæ partes necessitate vel præcepti vel sacramenti unguenda sint, non prohibitionem aliarum partium exclusivam, quasi eas ungeri peccatum sit. Quænam autem sint illæ partes vel ex necessitate Sacramenti vel ex obligatione præcepti præ aliis unguendis, articulo sequenti exponebatur.

(2) Vel alia serie vers. 18. Quæ procedunt de ore, de corde exiunt; & ea coinquinant hominem: De corde enim exiunt cogitationes male, homicidia, &c. Hæc sunt quæ coinquinant hominem.

(3) Sic enim lib. 32. Moral. cap. 11. super eundem locum. Seminaria coitus (inquit) viris in lumbis esse, inesse autem feminis in umbilico, perhibentur: Hinc est enim quod Veritas Discipulis dicit. Sint lumbi vestri præcincti, Luc. 12. Hinc & Petrus &c.

Principia autem agendi in nobis sunt tria: primum est dirigens, scilicet vis cognoscitiva; secundum est imperans; scilicet vis appetitiva, tertium est exequens, scilicet vis motiva. Omnis autem nostra cognitio a sensu ortum habet. Et quia ubi est in nobis prima origo peccati, ibi debet (*) medicina adhiberi; ideo inunguntur loca quinque sensuum; scilicet oculi propter visum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter gustum, manus propter tactum, qui in pulpis digitorum præcipue viget, & propter appetitivam inunguntur aliquibus renes; pedes autem inunguntur propter motivam, qui sunt principaliter eius instrumentum. Et quia primum principium operationis humanæ est cognoscitiva, ideo illa unctio ab omnibus observatur quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate sacramenti; sed quidam non servant alias; quidam vero illam servant quæ fit ad pedes; & non quæ ad renes: quia appetitiva, & motiva sunt secundaria principia.

Ad primum ergo dicendum, quod cogitatio a corde non exit, nisi per aliquam imaginationem, quæ est motus a sensu factus, ut dicitur in II. de Anima (1). Et ideo cor non est prima radix cogitationis, sed organa sensuum; nisi quatenus cor est principium totius corporis. Sed hoc principium est radix remota.

Ad secundum dicendum, quod intrantes debent acquirere puritatem mentis; sed exeuntes debent eam purgare. Et ideo exeun-

tes debent ungi in illis partibus quibus contingit puritatem mentis inquinari.

Ad tertium dicendum, quod secundum quorundam consuetudinem fit in renibus, propter hoc quod ibi maxime viget appetitus concupiscibilis; sed appetitiva non est prima radix, ut dictum est (in corp.)

Ad quartum dicendum, quod organa corporis, quibus actus peccati exercentur, sunt pedes, manus, & lingua, quibus etiam exhibetur unctio; & membra genitalia, quibus, propter immunditiam illarum partium, & honestatem sacramenti, non debet (2) unctio adhiberi,

A P P E N D I X.

EX act. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito iniquatum fuisse a Concilio Florentino, quod convenienter partes prædictæ unguendæ sunt. Iniquatum vero est hoc ab illo Decr. Armenis dato quinto loco de sacramentis, sic: *Infirmus in his locis unguendus est: in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Florent.* Hæc ibi. Modo sciunt Catholici omnes, quod ecclesia in sacramentis dandis errare non potest. Et nota, quia Concil. Florent. non determinat, an sit de tanta necessitate unctio pedum & renum, sicuti est unctio aliarum partium ideo

cum luxuriam a corda refringeret, admoneret dicens, in epist. 2. cap. 1. State succincti lumbos mentis vestre: Quia vero seminarium luxuria feminis in umbilico continetur Propheta refertur, qui sub specie famina profuturæ petulantiorum judæa increpavit ait, Ezech. 16. In die ortus tui non est præcisus umbilicus tuus: In die quippe ortus umbilicum præcidere, est conversionis tempore carnis luxuriam rescicare. Idem etiam ex eodem loco Job infert homil. 13. in Evangelia super illud. Sins lumbi vestri præcisati, &c.

(*) Al. unctio.
(1) Sicut vetus Interpres text. 161. reddit, quasi græce legisset *γρηγοριον* quod ad *xinoris* referretur, & diceretur motus factus: Nunc autem *γρηγοριον* legitur (genitivus pro ablativo) referendo ad *αιουθιας* ut sit motus a sensu secundum actum factio, id est actualiter operante vel actum suum exercente.

(2) Id est, non licet, non congruit, non legitime ut decenter fieri potest, alio sensu quam auct. explicitum est art. 5. quod in illis partibus tantum fieri debet in quibus est spiritualis distinctio videlicet, ad illarum partium unguendarum necessitatem vel obliga-

tionem indicandam, cum aliarum unctionum exclusionem ab eadem necessitate sacramenti vel obligatione absoluta præcepti: Nec refert unctionem quæ fit ad pedes vel ad renes jungi ab Eugenio 4. in Decreto suo: cum illis quinque quas præmittit ad quinque sensus faciendas cum ait quod infirmus unguendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel loquutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibi vigentem: Non enim absolute intendit præscribere quod omnes illæ partes necessitate sint unguendæ, sed significat usum receptum passim ut unguatur, & cum fam redditur cur ungantur, cum nec propter pudorem in feminis ungi soleant renes nec debeant, quos ungi tamen oporteret, si eorum unctio importaret necessitatem sacramenti: Necessarias autem esse prædictas quinque satis aperte docet S. Thomas, qui nec aliud putandus est sensisse cum ad perfectionem pertinet jam supra dixit, quia perfectionem operationum intelligere significatur ex adjunctis; et aliqui contradicant.

ideo videtur in hoc remittere nos determinationi S. Thomæ. Nam ex eo, quod in omnibus aliis doctrina ejusdem securum est non tantum in verbis, sed etiam quandoque in ordine verborum (ut illud legenti, patet, maxime de sacramentis) non mirum est : si videatur in hoc remittere nos, &c. supra. Quicquid tamen sit de hoc, & devotissima servatione quarundam ecclesiarum tempore D. Thom. inungendæ sunt singulæ partes illæ a Conc. Flor. nominatæ, & a S. Th. de mente propria in 1. concl. prædictæ. *Secundo* habes : quomodo per rationem prædicta patrum, prout jacent, intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides quomodo, &c.

ARTICULUS VII. 132

Utrum mutilati debeant inungi in illis dictis partibus.

AD septimam sic proceditur (*) Videtur quod mutilati non sunt inungendi in illis dictis partibus. Quia sicut hoc sacramentum exigit determinatam dispositionem in suscipiente, ut scilicet sit infirmus, ita & determinatam partem. Sed ille qui non habet infirmitatem, non potest inungi. Ergo nec ille qui non habet partem illam in qua debet fieri unctio.

2. Præterea. Ille qui est cæcus a natiuitate, non delinquit per visum. Sed in unctioe quæ fit in oculis, fit menrio de delicto per visum: Ergo talis unctio cæco nato non debet fieri: & sic de aliis,

Sed contra est quod defectus corporis non impedit aliquod aliud sacramentum. Ergo nec istud impedire debet. Sed de necessitate istius sacramenti est quælibet unctio. Ergo omnes debent fieri mutilatis.

Respondeo dicendum, quod mutilati etiam inungi debent, quanto propinquius fieri potest ad partes illas in quibus unctio fieri debuerat: quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur, saltem in radiis; & interius peccare possunt per ea quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exterioribus.

Et per hoc patet solutio ad objecta,

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse a Papa Bonifacio VIII. insinuatam, quod mutilatis potest unctio extrema dari. Insinuatam autem, est hoc, quando de reg. jur. in 6. reg. 66. dixit: *Cum non fiat per eum, ad quem pervenit, quo minus conditio impletur, haberi debet, perinde ac si impleta fuisset.* Hæc ibi. Quasi ad propositum præsentis quæsti dicat. Cum non stat per inungendum (puta quia mutilatus est) quo minus in locis debitis oleo sacro inungantur, tunc, si circum illa eo modo, quo potest fieri, inunctus fuerit, haberi debet pro sufficienter ad susceptionem hujus sacramenti inuncto. Nemo enim potest ad impossibile obligari, ut dicitur ibi in reg. 6. & multo minus Deus præcepit impossibilia, contra Lutherum (vide 2. part. q. 6. a. 5. app.) & juxta versus antiquorum recitatos a gloss. sup. regulam illam: *ultra posse meum non lex me iusta coegit. Neque putat esse reum, qui solum posse peregit.* De impossibilitate divinorum mandatorum cum anathematizatione contrarii vide Conc. Trident. sess. 6. c. 11. & can. 18. & 1. Joan. 5. & Rom. 1. Item a simili, insinuatam esse hoc merito (supra q. 9. a. 3. maxime in app.) ostendere per rationem potes, ubi dicitur, quod quis potest per scriptum; vel interpretem, in casu necessitatis confiteri. In casu ergo, quo in locis debitis propter mutilationem non potest fieri unctio, poterit adhiberi circa loca propinqua, & satisfactum erit. Vide ibi q. 9. indeque tibi pro præsentis articulo deservias. *Secundo* habes: quomodo per rationem dicta Bonifacii, in quantum mutilatis unctioe extremæ sacramentum insinuant dari posse, & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides quomodo &c.

QUE.

(*) Ita passim. Exemplum anno 1486. Venetiis cum: quod mutilati non sunt unguendi illis unctio

ibus que partibus illis competunt.

QUESTIO XXXIII.

De iteratione hujus Sacramenti.

in duos articulos divisa.

DEinde considerandum est de iteratione hujus sacramenti.

Circa quod quaeruntur duo.

Primo, utrum hoc sacramentum debeat iterari.

Secundo, utrum in eadem infirmitate debeat iterari.

ARTICULUS I. 123

Utrum hoc Sacramentum debeat iterari.

S. Thom. ubi sup. art. 3. quest. 1. Q. 2.

AD primum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum non debeat iterari. Quia dignior est unctio quae fit homini, quam quae fit lapidi. Sed unctio altaris non iteratur, nisi altare illud fractum fuerit. Ergo nec unctio extrema, quae adhibetur homini, debet iterari.

2. Praeterea. Post extremum nihil est. Sed haec unctio dicitur extrema. Ergo non debet iterari.

Sed contra. Hoc sacramentum est quaedam spiritalis curatio per modum corporalis curationis exhibita. Sed curatio corporalis iteratur. Ergo & hoc sacramentum iterari potest.

Respondeo dicendum, quod nullum sacramentale, nec sacramentum, quod habet effectum perpetuum, debet iterari; quia ostenderetur, sacramentum non fuisse efficax ad faciendum illum effectum; & sic fieret injuria illi sacramento. Sacramentum autem quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine injuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur. Et quia sanitas corporis, & mentis, quae est effectus hujusmodi sacra-

Summ S. Tb. Tom. XIII.

menti, potest amitti, postquam fuerit per sacramentum effecta, ideo hoc sacramentum sine sui injuria potest iterari. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod unctio lapidis fit ad ipsius altaris consecrationem, quae est perpetuo in lapide, quamdiu altare manet: & ideo non potest iterari. Sed haec unctio non fit ad consecrationem hominis, cum non imprimatur per eam character. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod illud quod secundum aestimationem hominum est extremum, quandoque secundum rei veritatem non est extremum. Et sic dicitur hoc sacramentum extrema unctio, quia non debet dari nisi illis quorum mors est propinqua secundum existimationem hominum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem tanquam in radice, interimas errorem *Graecorum*, supra qu. 30. art. 2. dicentium, unctiois extremae sacramentum non prodesse infirmis ad salutem corporis. Non enim, ut patet, moveretur iste articulus a D. Thoma, & sic determinaretur, nisi praesupponeretur manifeste, quod unctio extrema prima vice collata fuit ad salutem corporis. Quo contra secundum errorem dictum *Graecorum* praesens articulus non movendus fuisset, vel saltem non sic determinandus. *Secundo* habes: quomodo per rationem, tanquam in radice, ostendas, errorem hunc merito damnatum fuisse a, &c. ut supra quest. 30. art. 12. *append.* *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito fuisse dictum a Concilio *Florent.* in Decreto Armenis dato, de sacramentis, in principio. *Riquo vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.* Haec ibi. Ubi per *ly quatuor* intelligit, ut contextus edocet, extremam unctioem, confessionem, Eucharistiam, matrimonium. Item a Concilio *Trid.* sess. 14. de extrema unctioe, ca. 3. *Quod si infirmi post susceptam hanc unctioem convalescerint,*

(1) Hinc rursus ubi supra in Concilio Tridentino: Quod si infirmi post susceptam hanc unctioem convalescerint, iterum hujus sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile visa discrimen incidere: Quamvis ratio non reddatur quam hic indicat S. Thomas consentaneam illis quae August. lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 23. & lib. 1. de baptismo contra Donatistas cap. 1. scribit, injuriam

Baptismo & Ordini fieri propter utriusque impressum characterem si alterutrum iteretur, ut de Baptismo notatum est 3. part. qu. 66. art. 9. & de Ordine notabitur paulo post qu. 35. art. 2. An sanus porro fuit qui articulum hunc in Editione Parisiensi quae ad manum est sic inscriptis, *Utrum sanis hoc Sacramentum debeat iterari?*

laerint, iterum hujus sacramenti subsidio iuvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Hæc ibi. Quarto vides: quomodo &c.

est alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

ARTICULUS II. 134

Utrum in eadem infirmitate debeat iterari.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod in eadem infirmitate non debeat iterari. Quia uni morbo non debetur nisi una medicina. Sed hoc sacramentum est quædam spiritualis medicina. Ergo contra unum morbum non debet iterari.

2. Præterea. Secundum hoc posset aliquis infirmus tota die inungi, si in eodem morbo posset iterari unctio: quod est absurdum.

Sed contra est quod aliquando morbus diu durat post sacramenti perceptionem: & sic reliquæ peccatorum contrahuntur, contra quas principaliter hoc sacramentum datur. Ergo debet iterari.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum: quia non debet dari nisi infirmis qui secundum humanam ætimationem videntur morti (1) appropinquare. Quædam autem infirmitates non sunt diuturnæ: unde si in eis datur hoc sacramentum tunc quando homo ad statum illum pervenit quod sit in periculo mortis, non recedit a statu illo nisi infirmitate curata: & ita non debet iterum inungi. Sed si recidivum patiatur, erit alia infirmitas; & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero sunt ægitudines diuturnæ, ut hæctica (2) hydropisis, & huiusmodi: & in talibus non debet fieri unctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis: & si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam ægitudinem reducatur, iterum potest inungi: quia jam quasi

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem tanquam in radice, rejicias propositionem suspectam, seu scandalosam *Erasmi*, supra qu. 30. art. 2. dicentis: quod hodie oleo sacro ungentur laborantes, non ut convalescant, sed ut tutius migrent. Ex eo enim, quod præfens articulus sic inquit de unctioe infirmorum, dat intelligere omnibus, quod infirmi & post unctioem sæpe convalescant, &, ut convalescant, ungentur: immo hoc ipsum præsupponit, ut patet consideranti; & consequenter militat radicaliter contra *Erasmum*. Secundo habes: quomodo per rationem radicaliter ostendas, hanc merito damnari a, &c. ut qu. 30. art. 2. append. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum, & consequenter illum *Erasmi* errorem condemnatum a Concilio *Trid.* sess. 14. de extrema unct. ca. 3. Quod si infirmi post susceptam hanc unctioem convalescerint, hujus sacramenti subsidio iterum iuvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Hæc ibi. Ubi nota ly si convalescerint, & ly cum in aliud simile incidervint. Pro tanto enim adducitur nunc Concilium, non pro quanto statuit unctioem reiterandam simpliciter (sic namque adductum est supra) sed pro quanto reiterandam ipsam in eadem infirmitate dicit, & quomodo. Quarto habes; quomodo per rationem prædicta Patrum, pro sensu, quem diximus, & intelligas, & probes, & defendas. Quinto vides: quomodo &c.

QUE-

(1) Jam notatum est ex Concilio Tridentino: Et ex Decreto Eugenii perinde addi potest: Hoc Sacramentum nisi infirmo de cuius morte timeatur dari non debet.

(2) Subintellige febris quæ sic vocatur juxta græcum *ἐκτιν* quasi *habitualis*, quia tenacissime non spiritibus, ut diaria idest quotidiana, non humoribus ut periodica, idest quæ certis intervallis aut periodis intermittitur ac recurat, sed solidis partibus, puta ossibus ac medullis insidet, atque ita paulatim totum corpus exsiccat & absorbit. Est autem hydropisis quæ

subiungitur, humor quidam succingens, idest inter curam & carnem latens, de visio vesicæ natus cum inflatione surgente & anhelitu fetido, sicut explicat Beda Luc. 14. ubi præmittit quoque quod ab aquoso humore vocabulum trahit quia græce *hydor* (ἵδωρ) aqua vocatur. Unde hi præcipue duo morbi pro diuturnis afferuntur in quibus unctioem reiterari licet. Cæterum quod contemptus sani sacramenti absque ingenti scelere ac injuria Spiritus sancti esse non possit, in Conc. Trid. ut supra concluditur.

QUESTIO XXXIV.

De Sacramento Ordinis quoad ejus essentiam, & ejus partes,

in quinque articulos divisa.

Post hæc considerandum est de sacramento ordinis. Et primo de ordine in communi. Secundo de distinctione ordinum. Tertio de conferentibus ordinem. Quarto de impedimentis ordinandorum. Quinto de his quæ sunt ordinibus annexa.

De ipso autem ordine in communi tria videnda sunt. Primo de ejus entitate, & quidditate, & partibus ejus. Secundo de ejus effectu. Tertio de suscipientibus ipsum.

Circa primum quærentur quinque.

Primo, utrum ordo in Ecclesia esse debeat.

Secundo, utrum convenienter definiatur.

Tertio, utrum sit sacramentum.

Quarto, utrum ejus forma convenienter exprimatur.

Quinto, utrum hoc sacramentum habeat materiam.

ARTICULUS I. 135

Utrum Ordo in Ecclesia esse debeat.

S. Thom. IV. dist. xxiv. quæst. 1. art. 1. quæst. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod ordo in Ecclesia esse non debeat. Ordo enim requirit subjectionem, & prælationem. Sed subjectio videtur repugnare libertati, in quam vocati sumus per Christum. Ergo ordo in Ecclesia esse non debet.

2. Præterea. Ille qui in ordine constituitur, alio superior fit. Sed in Ecclesia quilibet debet se altero inferiorem reputare: Philip. 11. 3. *Superiores invicem arbitrantes.* Ergo non debet in Ecclesia esse ordo.

3. Præterea. Ordo invenitur in Angelis propter distinctionem eorum in bonis naturalibus, & gratuitis. (1) Sed omnes homines sunt in natura unum: gratiarum etiam dona quis eminentius habeat, ignotum est. Ergo ordo in Ecclesia esse non debet.

Sed contra. Ad Rom. XIII. 1. *Quæ sunt a Deo, ordinata sunt.* Sed Ecclesia a Deo est, quia ipse eam ædificavit sanguine suo. Ergo ordo in Ecclesia esse debet.

Præterea. Status Ecclesiæ est medius inter statum naturæ, & gloriæ. Sed in natura invenitur ordo, quo quædam aliis superiora sunt; & similiter in gloria, ut patet in Angelis. Ergo in Ecclesia debet esse ordo.

Respondeo dicendum, quod Deus sua opera in sui similitudinem producere voluit, quantum possibile fuit, ut perfecta essent, & per ea cognosci posset. Et ideo ut in suis operibus repræsentaretur, non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis influit, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur, & perficerentur, & media per prima, ut Dionysius dicit (cap. v. eccles. Hierarch. inter princ. & med.) Et ideo ut ista pulchritudo Ecclesiæ non deesset, posuit ordinem in ea, ut quidam aliis sacramenta traderent, suo modo Deo in hoc assimilati, quasi Deo cooperantes; sicut & in corpore naturali quædam membra aliis influunt.

Ad primum ergo dicendum, quod subjectio servitutis repugnat libertati: quæ servitus est (*) cum aliquis dominatur aliis, ad sui utilitatem subjectis utens. Talis autem subjectio non requiritur in ordine, per quem qui præsumt, salutem subditorum quærere de-

M m 2 bent,

(1) Dispositive quidem secundum dona naturalia; complete autem secundum gratuita; quia secundum capacitatem naturalium gratuita illis data sunt, ut ipse S. Thomas explicat 1. part. quæst. 108 art. 4. Quod autem argumento. Sed contra ex cap. 13. ad Romanos juxta veterem Bibliorum Editionem subjungitur; planius ex modernis juxta intentum loci legi debet; nimirum quod *quæ sunt* (supple potestates) *a Deo ordinatae sunt*: hinc enim concluditur ibidem quod *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*: Sed hoc ipsum ad præsens institutum accommodari potest, quod si terrenæ potestates inter homines a divina providentia institutæ sunt, multo magis in Ecclesia

quæ debet esse ordinatio, spirituales quædam: Hinc iterum in Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 2. coassentaneum fuisse astruitur *ut in Ecclesie ordinatissima dispositione plures & diversi essent Ordines qui sacerdotio deservirent ut & cap. 4. quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti sacerdotes esse aut omnes pari potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur quam ecclesiasticam hierarchiam quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere.*

(*) Ita communiter. Exemplum supra citatum; cum aliquis dominatur ad sui utilitatem subjectis utens.

bent, non propriam utilitatem.

Ad secundum dicendum, quod quilibet debet se reputare inferiorem merito, sed non officio. Ordines autem officia quædam sunt.

Ad tertium dicendum, quod ordo in Angelis non attenditur secundum distinctionem naturæ, nisi per accidens, in quantum ad distinctionem naturæ sequitur in eis distinctio gratiæ. Attenditur autem (*) in eis per se secundum distinctionem in gratia: quia eorum ordines respiciunt participationem divinorum, & communicationem in statu gloriæ, quæ est secundum mensuram gratiæ, quasi gratiæ finis, & effectus quodammodo. Sed ordines Ecclesiæ militantis respiciunt participationem sacramentorum, & communicationem, quæ sunt causa gratiæ, & quodammodo gratiam præcedunt: & sic non est de necessitate nostrorum ordinum gratia gratum faciens, sed solum potestas dispensandi sacramenta: & propter hoc etiam ordo non attenditur per distinctionem gratiæ gratum facientis, sed per distinctionem potestatis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem excludas errorem *Pseudoapostolorum*, ut refert Card. Turrec. de *Ecclesia l. 4. part. 2. c. 37.* dicentium, omnes ordines religionum, Sacerdotum, Diaconorum, subdiaconorum, & Prælatorum, sunt ad fidei Ecclesiæ detrimentum. Ex artic. enim præsentis probatur multipliciter, quod ordo ecclesiasticus, qualis est omnis prædictus, est ad magnum decorem, perfectionemque ecclesiæ: & consequenter illum errorem satis, superque expugnat. Nam error ille pro tanto hic adducitur, pro quanto negat, ordinem debere esse, vel convenienter esse, in ecclesia. Hunc enim inconvenienter, immo & inconvenientissimè in ecclesia esse dicit, per hoc, quod affirmat, ordines tales esse ad fidei ecclesiæ detrimentum. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, illum merito damnari ab Apostolo 1. Thim. 3. *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, &c.* Ubi per totum capitulum vides, approbari ordinem in ecclesia, & etiam declarari, quid nomine ordinis importetur. Unde quoad *primum* dicit *ly Diaconos similiter pudicos, &c.* quoad *secundum* inquit *ly gradum bonum, &c.* Item ab eodem Apostolo c. 1. ad Titum. *Hujus*

rei gratia reliqui te Creta, ut ea, quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros sicut & ego disposui tibi. Ecce, quod Apostolus vult, ordinem esse in ecclesia, & propagari. Item ab eodem 1. Thim. 3. *Qui bene præsumt presbyteri, duplici bonore digni habeantur.* Ex quo Apostoli dicto infer, ut supra. Item a multis Pontificibus, & Conciliis, de quibus vide in *Decr. d. 21.* usque ad *d. 49.* Inde enim sæpissime colliges ordinem dari, & approbari, in ecclesia. Item a *Clemente I.* Papa, & martyre in epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini, „ Quoniam, si-
„ cut a B. Petro Apostolo accepimus, om-
„ nium Apostolorum patre, qui claves regni
„ cœlestis accepit, qualiter tenere debemus
„ de sacramentis, quæ geruntur in sanctis
„ te ex ordine nos decet instruere. Tribus
„ enim gradibus commissa sunt sacramenta
„ divinorum secretorum, idest. presbytero,
„ Diacono, & ministro, idest hypodiaco-
„ no, &c. „ Hæc ibi. *Lege epistolam totam cum*
tertiâ sequenti, & divinum esse munus conspicias, ordinem esse in ecclesia, Item a Pa-
pâ Anacleto, qui fuit Græcus, & Tertius, vel
Quartus Papa post Petrum, in epistola
prima. „ Omnis ecclesiæ status navi magnæ
„ similis est, per undosum pelagus diversis e
„ locis, & regionibus viros portat, ad unam
„ potentis regni urbem properare cupientes.
„ Sit ergo navis auctor hujus dominus ipse
„ omnipotens Deus: gubernator vero sit Chri-
„ stus, tum deinde Præter officium Epi-
„ scopus impleat, Presbyteri nautarum, Dia-
„ cono dispensatorum locum teneant, „ &c.
Hæc ibi. Ubi approbatum ordinem esse, &
consequenter damnatum errorem prædictum,
patet, sub ista pulcherrima similitudine na-
vis, quam similitudinem & prædixerat B.
Petrus Apostolus, ut ait Papa Clemens supra-
dictus in epistola prima ad B. Jacobum. Si
vis, lege totam illam similitudinem, quia
pulcherrima est, & ad multa valet. Item
ab eodem Anacleto in epist. secunda de ordi-
natione Episcoporum, & omnium clericor-
um. „ In novo testamento post Christum
„ Dominum a Petro sacerdotalis ordo cœ-
„ pit: quia ipsi Petro Pontificatus in eccle-
„ sia Christi datus est, dicente Domino ad
„ eum. Tu es Petrus, & super hanc petram
„ &c. Porro, quod episcopus, non ab uno,
„ sed a cunctis, consensu, aut præsentia
„ comprovincialium est ordinandus, & nul-
„ la-

(*) Al. *Dress* in eis.

latenus minus, quam a tribus, ceteris consentientibus cunctis, idcirco instituent domino fieri jubetur, ne aliquid contra fidem ecclesie unius tyrannica auctoritas moliretur, & regula, vel fides confunderetur credentium. *Hec ibi.* Nota ly instituent domino, & ly ne contra fidem, & ly regula, vel fides. Per hæc enim ad litteram monstrat contra errorem prædictum, quod ordo in ecclesia datur pro tutela fidei, tantum abest, ut sit in detrimentum ejus. Item a Concil. *Trid.* sess. 23. ca. 17. de refor. *Ut sanctorum ordinum a Diacōnato ad ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in ecclesia laudabiliter receptæ, in usum juxta sacros Canones revocentur, sancta synodus decernit.* Hæc ibi. In qua sessione etiam per omnes canones de sacramento ordinis promulgatos potes damnato videre *Pseudoapostolos* prædictos. Item ab eodem ibi capitulo primo. Sacrificium, & sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt: ut utrumque in omni lege exiterit. Cum igitur in novo testamento sanctæ Eucharistiæ sacrificium visibile ex domini institutione catholica ecclesia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile, & externum sacerdotium, in quod vetus traslatum est. *Hec ibi.* De hac translatione habes in ad Hæb. 7. & in epist. 2. *Anacleti Papæ, Decr. 2. Item a Concil. Senonensi, in Decretis fidei, Decr. 20. cap. de sacram. ordin.* Porro sacramentum ordinis, &c. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Denique, si omnia essent unum membrum, nec esset aliquis, qui non sit sacerdotali ordine insignitus, ubi corpus? Aut quid denique confusus, quid perturbatus esse queat? Quosdam itaque Christus sacerdotes instituit, quibus sui corporis potestatem commisit. Veri quidem, dum, instituto sui corporis, & sanguinis sacramento, hoc facite, inquit, in meam commemorationem;

myfici vero, dum, posteaquam in discipulos insufflasset. Accipite, inquit, Spiritum sanctum, quorum remisistis, &c. Hæc ibi. Item a *Decr. distin. 93. c. juxta sanctorum, &c. A subdiacono, &c. Diaconi ecclesie, &c. Diaconi qui quasi.* Vide tu ibi Papam *Anacletum, & Zachariam, & Evangelistam, & Clementem, & Synodum sancti Sylvestri* approbantes ordinem in ecclesia. Vide & apostolicas constitutiones auctore *Clemente* Papa, & martyre, *lib. 8. c. 24. 25. 27. 28.* Tertio habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, & sanctorum patrum, pro quanto ordinem statuunt debere esse in ecclesia, & intelligas, & probes, & tuearis. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 136

Utrum convenienter Ordo definiatur.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter ordo a Magistro IV. Sentent. dist. xxiv. definiatur, ubi dicitur: *Ordo est signaculum quoddam Ecclesie, quo spiritualis potestas traditur ordinato.* (1) Pars enim non debet poni genus totius. Sed character, qui per signaculum exponitur in sequenti (*) definitione, est pars ordinis: quia dividitur contra id quod est res tantum, vel sacramentum tantum, cum sit res, & sacramentum. Ergo signaculum non debet poni quasi genus ordinis.

2. Præterea. Sicut in sacramento ordinis imprimitur character, ita in sacramento baptismi. Sed in definitione baptismi non ponebatur character. Ergo nec in definitione ordinis poni debet.

3. Præterea. In baptismo etiam quædam spiritualis datur potestas accedendi ad sacramenta; & iterum est quoddam signaculum, cum sit sacramentum. Ergo hæc definitio convenit baptismo: & sic inconvenienter assignatur de ordine.

4. Præ-

(1) Vel sic tantum, ut ibi §. 19. seu lit. K. videre est: *Si queritur quid sit quod hic vocatur Ordo, sane dici potest signaculum esse, id est sacrum quoddam (seu sacramentum quoddam) quo spiritualis potestas traditur ordinato & officium.* Sequentem autem definitionem in qua character exponitur per signaculum ut hic subiungit Minor propositio, subintellige illam quæ in eodem Sententiarum loco immediate subnectitur, cum addit quod *character spiritualis ubi fit promissio potestatis, ordo vocatur; quamvis non tam definitio quam definitionis quæ præmit-*

titur expositio dici possit: *Cur signaculum Ecclesie* porro cum signaculum simpliciter Magister dicat nisi ad ecclesiasticam hierarchiam significandam quæ per Ordinem exercetur & quæ illius distinctione constat? An forte quod in textu Magistri signaculum esse dicitur propter abbreviatum esse (ee) reponendum putavit Ecclesie aliquis parum cautus? Maneat vero quia sic retinuit S. Thomas nisi & in Sententiarum ejus Exemplaribus obtrusum est.

(*) Al. distinctione.

4. Præterea. Ordo relatio quædam est, quæ in utroque extremorum salvatur. Extrema autem relationis ordinis sunt superior, & inferior. Ergo inferiores habent ordinem, sicut & superiores. Sed in eis non est aliqua potestas præminentia, qualis ponitur hic in definitione ordinis, ut patet per expositionem sequentem (loc. sup. cit.) ubi ponitur promotio potestatis. Ergo inconvenienter definitur hic ordo.

Respondeo dicendum, quod definitio quam Magister de ordine ponit, convenit ordini, secundum quod est Ecclesiæ sacramentum. Et ideo dupl. ponit, scilicet signum exterius, ibi *signaculum quoddam*, idest signum quoddam & effectum interiorem, ibi *quo spiritualis potestas &c.*

Ad primum ergo dicendum, quod signaculum non ponitur hic pro characterè interiori, sed pro eo quod exterius geritur, quod est signum interioris potestatis, & causa: & sic etiam sumitur character in illa definitione. Si tamen pro interiori characterè numeretur, non esset inconveniens: quia divisio sacramenti in illa tria non est in partes integrales, proprie loquendo: quia illud quod est res tantum non est de essentia sacramenti: quod est etiam sacramentum tantum transit; (*) & sacramentum, & res manere dicitur. Unde relinquatur quod ipse character interior sit essentialiter, & principaliter ipsum sacramentum ordinis.

Ad secundum dicendum, quod quamvis in baptismo conferatur aliqua spiritualis potestas recipiendi alia sacramenta, ratione cujus characterem imprimit: non tamen hic est principalis effectus ejus, sed ablutio interior, propter quam baptismus fieret, etiam priori causa non existente. (1) Sed ordo potestatem principaliter importat. Et ideo character, qui est spiritualis potestas, in definitione ordinis ponitur, non autem in definitione baptismi.

Ad tertium dicendum, quod in baptismo datur quædam potentia spiritualis ad recipiendum, & ita quodammodo passiva. Potestas autem proprie nominat potentiam

activam cum aliqua præminentia. Et ideo hæc definitio baptismi non competit.

Ad quartum dicendum, quod nomen ordinis dupliciter accipitur. Quandoque enim significat ipsam relationem: & sic est tam in inferiori, quam in superiori, ut objectio tangit: & sic non accipitur hic. Quandoque autem accipitur pro ipso gradu, qui ordinem primo modo acceptum facit: & quia ratio ordinis, prout est relatio, invenitur ubi primo aliquid superius altero occurrit; ideo hic gradus eminens per potestatem spiritualem ordo nominatur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis, quod omnes Christiani in eodem sunt ordinis gradu. Per hunc enim articulum patet a definitione ordinis, quod ordo est, in quo confertur potestas activa, & præminens, & consequenter, quod existentes in ordine necessario præminent. Cui (rogo) præminet: si omnes de Ecclesia, hoc est omnes Christiani, sunt in eodem ordine? Diceret forsitan *Lutherus*, quod præminent infidelibus. Ceterum huic obstat propositum articuli, in quo concluditur, quod ordo est in Ecclesia, idest, inter eos, qui sunt de Ecclesia, alii aliis præminent isto gradu. Quod, ut melius videas, lege sequentia. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim prædictam merito damnari a Concilio *Trident.* sess. 14. cap. 6. *Declarat sancta Synodus, falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos, & sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt.* Hæc ibi. Ubi, quid intelligat per *ly quosvis homines*, declarat subsequenter dicens, *ly ad omnes Christi fideles indifferenter, & promiscue.* Hæc ibi: *Ecce* quam aperte alios Christi fideles distinguit a sacerdotibus, & sacerdotem ab Episcopis: & per hoc, quam aperte damnet *Lutherum*. Item ab eodem sessione. 23. cap. 4. Si quis, omnes „ Christianos promiscue novi testamenti sacerdotem esse, aut omnes pari inter se po- „ te-

(*) Ita edit. *Fstav. Al.* & sacramentum manere dicitur.

(1) Idest, etiamsi, non imprimeret characterem. Quasi character quodammodo videri possit per accidens baptismum respicere vel ad baptismum se habere, quia indifferens est ad effectum baptismi ut sic, idest

ablutionem a peccato (& potissimum originali) ut baptizatus ad alia percipienda Sacramenta respectum dicat vel accipiat potentiam: Non autem similiter est indifferens ad Ordinem ut ad eadem sacramenta præbenda potestatem importet vel respectum.

„ tēstate spiritali præditos affirmet, nihil,
 „ aliud facere videtur, quam ecclesiasticam
 „ hierarchiam, quæ est ut castrorum acies
 „ ordinata, confundere: perinde ac si contra
 „ B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, o-
 „ mnes Prophetæ, omnes Euangelistæ, o-
 „ mnes Pastores, omnes sint Doctores. *Hæc*
 „ *ibi. Et can. 6. Si quis dixerit: in Eccle-*
 „ *sia catholica non esse hierarchiam divina*
 „ *ordinatione institutam, quæ constat ex E-*
 „ *piscopis, presbyteris, & ministris, anathe-*
 „ *ma sit.* „ *Hæc ibi. Item a, &c. ut su-*
 „ *pra qu. 17. art. 3. app. & qu. 19. a. 3. 4.*
 „ *app. & qu. 20. a. 1. & qu. 31. ar. 1. app.*
 „ *Item a, &c. ut supra. q. 8. a. 1. 2. 4. ap-*
 „ *p. Tertio habes, quomodo per rationem, o-*
 „ *stendas, merito insinuatam esse ab Apostolo,*
 „ *quod ordo est signaculum quoddam Ecclesiz:*
 „ *sive exhibetur cum aliquo signo exteriori. In-*
 „ *sinuatam autem est hoc, quando dixit 1.*
 „ *Timoth. 4. Noli negligere gratiam, quæ data*
 „ *est tibi per prophetiam cum impositione manuum*
 „ *presbyterii. Ecce, quod Apostolus docet,*
 „ *ordinem dari per aliquod signaculum Eccle-*
 „ *siz, quod ipse vocat impositionem manuum*
 „ *presbyterii. Quod vero auctoritas hæc in-*
 „ *telligenda sit dicta ad propositum ordinis,*
 „ *patet ex eo, quod allegatur a Conc. Trid.*
 „ *sess. 14. de extr. unct. cap. 3. ad propositum*
 „ *ordinis ecclesiastici sic: sed aut Episcopi, aut*
 „ *sacerdotes ab ipsis rite ordinati per imposi-*
 „ *tionem manuum presbyterii. Hæc ibi. Item ab*
 „ *eodem Apostolo insinuat idem 2. Tim. 1.*
 „ *Resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per im-*
 „ *positionem manuum mearum. Quam Apostoli*
 „ *auctoritatem ad propositum ordinis debere*
 „ *intelligi, patet ex eo, quod allegatur a Conc.*
 „ *Trid. sess. 23. cap. 3. sic. Ordinem esse ve-*
 „ *re, & proprie unum ex septem sacramen-*
 „ *tis, &c. Inquit enim Apostolus: Admo-*
 „ *neo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ*
 „ *est in te, per impositionem manuum mea-*
 „ *rum.* „ *Hæc ibi. Item insinuat idem ab*
 „ *eod. Apost. quando Timotheum hortando*
 „ *ad non ordinandum indignos, 1. Tim. 5.*
 „ *dicit, manus cito nemini imposueris. Hoc est,*
 „ *neminem absque ratione ordinaueris. Item*
 „ *a Conc. Trid. sess. 23. c. 3. Per sacram ordi-*
 „ *nationem, quæ verbis, & signis exterioribus*

perficitur. Hæc ibi. Ecce ergo signaculum
 „ *quoddam poni convenienter in definitione or-*
 „ *dinis. Quod autem potestas spiritalis tra-*
 „ *datur in ordine (quod erat prius definitio-*
 „ *nis) secundum Concilia, patebit qu. 35. ar-*
 „ *2. app. ubi agetur de caractere, qui est spi-*
 „ *ritualis potestas. Et tunc ex hujus articuli*
 „ *ratione, tanquam per locum a definitione*
 „ *ordinis ostendere poteris, quod illa Corci-*
 „ *lia merito ponunt characterem imprimi in*
 „ *ordine. Quarto habes: quomodo per ratio-*
 „ *nem prædicta Patrum, pro quanto insinuant,*
 „ *ordinem esse gradum per signaculum exterius*
 „ *dantem spiritualem potestatem, & intelligas,*
 „ *& defendas. Quinto vides quomodo &c.*

ARTICULUS III. 137

Utrum Ordo sit Sacramentum.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod
 ordo non sit sacramentum. Sacramen-
 tum enim, ut dicit Hugo de S. Victore (1)
 est materiale elementum. Sed ordo non nomi-
 nat aliquid hujusmodi, sed magis relationem,
 vel potestatem: quia ordo est pars potestatis,
 secundum Isidorum. Ergo non est sacramen-
 tum.

2. Præterea. Sacramenta non sunt de
 Ecclesia triumphante. Sed ibi ordo est, ut
 patet in Angelis. Ergo ordo non est sacra-
 mentum.

3. Præterea. Sicut prælatio spiritalis,
 quæ est ordo, datur cum quadam conse-
 cratione; ita & prælatio sæcularis; quia
 & Reges inunguntur, ut dictum est (quæst.
 xix. art. 3. arg. 2.) Sed regia potestas non
 est sacramentum. Ergo nec ordo, de quo
 hic loquimur.

Sed contra est quod ab omnibus enume-
 ratur inter septem Ecclesiz sacramenta.

Præterea. Propter quod unumquodque sa-
 le, & illud magis. Sed propter ordinem fit
 homo dispensator aliorum sacramentorum.
 Ergo ordo habet magis rationem quod sit
 sacramentum quam alia.

Respondeo dicendum, quod sacramentum,
 ut ex dictis patet (quæst. xxix. ar. 1. & IV.
 dist. 1. qu. 1. art. 1. & III. P. quæst. lx.)
 nihil

(1) Sic plenius dicente lib. 1. de sacramentis part.
 9. cap. 2. Sacramentum est corporale vel materiale
 elementum foris sensibiliter propositum ex similitudi-
 ne representans, ex institutione significans & ex san-
 ctificatione continens aliquam invisibilem & spirita-

lem gratiam. Et hanc definitionem ita propriam ac
 perfectam agnosci subjungente, ut omni sacramento
 solumque convenire inveniat. Omne enim quod hæc
 tria habet (inquit) sacramentum est; & omne quod
 his tribus caret sacramentum proprie dici non potest.

nihil est aliud quam quædam sanctificatio homini exhibitæ cum aliquo signo visibili. Unde cum in susceptione ordinis quædam consecratio homini exhibeatur per visibilia signa, constat ordinem esse sacramentum (1).

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis ordo in suo nomine non exprimat aliquod materiale elementum: tamen ordo non confertur sine aliquo elemento materiali.

Ad secundum dicendum, quod potestates proportionari debent illis ad quæ sunt. Communicatio autem divinorum, ad quam datur spiritualis potestas, non fit in Angelis per aliqua sensibilia signa, sicut in hominibus contingit. Et ideo potestas spiritualis, quæ est ordo, non adhibetur Angelis cum aliquibus signis visibilibus, sicut hominibus. Et ideo in hominibus ordo est sacramentum, sed non in Angelis.

Ad tertium dicendum, quod non omnis benedictio quæ hominibus adhibetur, vel consecratio, est sacramentum: quia & Monachi, & Abbates benedicuntur; tamen illæ benedictiones non sunt sacramenta: & similiter nec regalis inunctio: quia per huiusmodi benedictiones non ordinantur aliqui ad dispensationem divinorum sacramentorum, sicut per benedictiones ordinis. Et ideo non est simile.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim Lutheri dicentis: ordo sacer non est Ecclesiæ sacramentum.

Item *Waldensium*, ut refert *Guido*, forsitan & Lutheri, dicentium: ordinis sacramentum nihil aliud esse, quam ritum, quendam eligendi concionatorem in Ecclesia. Et, ordinis sacramentum quid sit, Ecclesiam ignorare. Et, ordinis sacramentum signum esse ex hominibus natum, nihil de ecclesia, & de sacramento intelligentibus. Ut enim patet, contra hos omnes errores pugnat articulus præsens, ipsosque expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, merito prædictos errores damnari a Concilio *Florent.* in Decreto *Eugenii IV.* Armen. datò, Ecclesiasticorum sacramentorum „veritatem pro ipsorum Armenorum, tam „præsentium, quam futurorum, doctrina „faciliori sub hac brevissima redigimus formula. Novæ legis septem sunt sacramenta, videlicet, Baptismus, Confirmatio, „Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, „Ordo, & Matrimonium „. Hæc ibi. Quantæ autem laudis, honorisque, & libertatis pro veritate dicenda, ut interim sileam de infallibilitate decretorum ejus aliis Conciliis legitimis generalibus communi, Concilium illud Florentinum dignum sit: vide Cardinalem *Bessarion* Græcum, qui fuit præsens, supra *qu. 17. art. 1. append.* Item a Papa *Leone X.* dum in sua Bulla contra errores Lutheri damnat illum; vide supra *qu. 1. art. 1. append.* addendo pro complemento majori *qu. 24. art. 1. append.* Item a *Gregorio IX.* dum universaliter condemnat totam phalangem *Waldensium*, seu *Panderum de Lugduno*, seu *Inzabbatorum*, de qua damnatione habuisti supra. Item a Concilio *Tridens.* session. 7. de sacramentis, can. 1. „Si quis dixerit: sacramenta novæ legis es- „se

(1) Sic August. contra epistolam Parmeniani lib. 2. cap. Nulla ostenditur causa cur qui baptismum amittere non potest, jus dandi amittere possit: Utrumque enim sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: Ut & paulo post sacramentum ordinationis appellat, vel in plurali sacramenta: Et inferius: *Ipsi explicant quomodo sacramentum baptizati non possit amitti & sacramentum ordinati possit amitti: Si enim utrumque sacramentum est (quod nemo dubitat) cur illud non amittitur & istud amittitur?* Et lib. 1. de baptismo contra Donatistas cap. 1. *Sacramentum baptismi est quod habet qui baptizatur: Et sacramentum dandi baptismi est quod habet qui ordinatur.* Sic & lib. de bono conjugali cap. 14. *Sacramentum ordinationis & sacramentum Domini: Et Gregorius Magnus explicans illud ex lib. 1. Reg.*

Tulis Samuel lenticulam olei &c. Commentarii sui cap. 4. Hac unctio (inquit) exprimitur quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur; quia qui in calmine ponitur, sacramenta suscipit unctio: Quia vero ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur; bene foris ungitur, si intus virtutes sacramenti roboretur. Et S. Leo epist. 81. quam Dioscuro scribit cap. 1. de ordinatione loquens, *intelligamus (inquit) quanta devotione curandum sit ne tanta benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum: Et epist. 87. ad Episcopos Africanos cap. 1. contra illegitime ordinatos invehens. Quis audeas dissimulare, inquit, quod in sancti sacramenti perpetratur injuriam: Hinc vero ac proprio sacramentum in Concilio Tridentido Sess. 23. Can. 3. definitur, præter alia quæ deinceps recurrent.*

„ se plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem esse vere, & proprie sacramentum: anathema sit. *Hæc ibi. Item sessio. 23. can. 3.* Si quis dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere, & proprie sacramentum a Christo institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantum ritum quandam? eligendi ministros verbi Dei, & sacramentorum: anathema sit. „ *Hæc ibi. Item a, &ceter. ut sup. question. 19. articul. 3. append. ubi diffuse tractatur canonice de Romana Ecclesia, & ejus fide. Item a, &c. ut qu. 17. ar. 1. appen. & qu. 20. ar. 1. Coroll. post ad primum: Item alibi passim supra, ut q. 19. a. 4. append. q. 26. ar. 3. app. q. 24. ar. 1. app. & multis aliis locis. Item a Papa Lucio III. de heret. c. ad abolendam. Tertio habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto ordinem decernunt esse sacramentum, & intelligas, & probes, & tenearis. Quarto vides, quomodo &c.*

ARTICULUS IV. 138

Utrum forma hujus Sacramenti convenienter exprimitur.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod forma hujus sacramenti inconvenienter in littera (IV. dist. xxiv.) exprimitur. Quia sacramenta efficaciam habent ex forma. Sed efficacia sacramentorum est ex virtute divina, quæ in eis secretius operatur salutem. Ergo in forma hujus sacramenti debet fieri mentio de virtute divina per invocationem Trinitatis, sicut in aliis sacramentis.

2. Præterea. Imperare est ejus qui habet auctoritatem. Sed auctoritas non residet penes eum qui sacramenta dispensat; sed ministerium tantum. Ergo non deberet uti

Summ. S. Th. Tom. XIII.

imperativo modo, ut diceret, *Agite*: vel *accipite*, hoc, aut illud, vel aliquid aliud hujusmodi.

3. Præterea. In forma sacramenti non debet fieri mentio nisi de illis quæ sunt de essentia sacramenti. Sed usus potestatis acceptæ non est de essentia hujus sacramenti, sed consequitur ad ipsum. Ergo non deberet de eo fieri mentio in forma hujus sacramenti.

4. Præterea. Omnia sacramenta ordinantur ad æternam remunerationem. Sed in formis aliorum sacramentorum non fit mentio de remuneratione. Ergo nec in forma hujus sacramenti deberet de ea fieri mentio; sicut fit cum dicitur: *Habebitur partem, si fideliter &c.*

Respondetur dicendum, quod hoc sacramentum principaliter consistit in potestate tradita. Potestas autem a potestate traducitur, sicut simile ex simili: & iterum potestas per usum innotescit, quia potentia notificatur per actus. Et ideo in forma ordinis exprimitur usus ordinis per actum qui imperatur; & exprimitur traditio potestatis per imperativum modum.

Ad primum ergo dicendum, quod alia sacramenta non ordinantur principaliter ad effectus similes potestati per quam sacramenta dispensantur, sicut hoc sacramentum. Et ideo in hoc sacramento est quasi quedam communicatio univoca. Unde in aliis sacramentis exprimitur aliquid ex parte divinæ virtutis, cui effectus sacramenti assimilatur; non autem in hoc sacramento.

(*) Ad secundum dicendum, quod propter causam specialem hoc sacramentum præ ceteris per modum quemdam imperativum exhibetur. (1) Quamvis enim in Episcopo, qui est minister hujus sacramenti, non sit auctoritas respectu collationis hujus sacramenti, tamen habet aliquam potestatem respectu potestatis ordinis, quæ confertur per ipsum, inquantum hæc potestas a sua potestate derivatur.

Ad tertium dicendum, quod usus potestatis est effectus potestatis in genere causæ efficientis; & sic non habet quod in defini-

N n tio-

(*) *Sequentia usque ad verbum exhibetur primus suppletis Nicolajus: in ms. & ceteris exemplis post ultimum verbum prima solutionis sequatur uno contextu solutio secunda, sic: non autem in hoc sacramento: quamvis enim in Episcopo &c.*

(1) *Omissa solutionis hujus initio reliquam partem ab illis verbis, Quamvis enim, Editiones omnes prius cum præcedenti solutione confundebant; quin & illam quædam ridicula notatione deesse solutionem ad 2. sed eam ex priori colligi posse indicabant; quasi hæc*

tione ordinis ponatur : sed est quodammodo causa in genere causæ finalis ; & ideo secundum hanc rationem poni potest in definitione ordinis (*).

Ad quartum dicendum , quod aliter se habet in hoc , & aliis sacramentis . Nam per hoc sacramentum confertur officium aliquod , vel potestas aliquid faciendi ; & ideo convenienter fit mentio remunerationis acquirendæ , si fideliter administraretur : sed in aliis non confertur simile officium , vel similis potestas ad agendum ; & ideo in illis nulla remunerationis mentio fit . Ad alia igitur sacramenta velut passive quodammodo se habet suscipiens , quia recipit ea propter proprium statum perficiendum tantum ; sed ad hoc sacramentum se habet quodammodo active , quia illud suscipit propter hierarchicas functiones in Ecclesia exercendas . Unde quamvis alia eo ipso quod gratiam conferunt , ordinant ad salutem ; proprie tamen ad remunerationem non ordinant , sicut hoc sacramentum .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito esse insinuatam a Concil. Florent. quod forma hujus sacramenti est conveniens . Hoc autem insinuatam fuit in Decr. Armen. dato , quando sexto loco de sacram. dixit . *Forma sacerdotii est talis . Accipe potestatem offerendi sacrificium in ecclesia pro vivis , & mortuis , in nomine Patris , & Filii , & Spiritus sancti . Et sic de aliorum ordinum formis , prout in Pontificali Romano late continetur .* Hæc ibi . Pro cuius ultimo dicto sciendum , quod in quodam Pontificali antiquo Romano sic jacent formæ Ostiariorum . „ Sic agite : quasi red-
 „ dituri Deo rationem pro his rebus , quæ
 „ his clavibus recluduntur . *Lectorum* . Acci-
 „ cipite , & estote verbi Dei relatores , ha-
 „ bituri , si fideliter , & utiliter impleve-
 „ ritis officium vestrum , partem cum his ,
 „ qui verbum Dei ministraverunt ab ini-

„ tio . *Exorcistarum* . Accipite , & commen-
 „ date memoriz , & habete potestatem im-
 „ ponendi manus super energumenos , sive
 „ baptizatos , sive catechumenos . *Acolitorum* .
 „ Accipite ceroterarium cum cereo , & scia-
 „ tis vos ad accendenda ecclesie luminaria
 „ mancipatos : in nomine Domini . *Item* .
 „ Accipite urceolum ad suggerendum vinum ,
 „ & aquam , in Eucharistiam sanguinis Chri-
 „ sti : in nomine Domini . *Subdiaconorum* .
 „ Videte cujusmodi ministerium vobis tradi-
 „ tur : Ideo vos admoneo , ut ita vos exhi-
 „ beatis , quod Deo placere possitis . *Diacono-
 „ norum* . Accipite potestatem legendi Evan-
 „ gelium in Ecclesia Dei , tam pro vivis ,
 „ quam pro defunctis : in nomine Domini .
 „ Hæc ibi . Item insinuatam a Conc. Car-
 „ thag. 4. c. 7. de forma Exorcistæ , cap. 8.
 „ de forma Lectoris , c. 9. de forma Ostiarii :
 „ & recitantur hujusmodi in Decr. dist. 23. c.
 „ *exorcista* , c. *lector* c. *ostiarius* , Secundo habes
 „ quomodo prædicta Patrum , pro quanto in
 „ forma ordinis ponunt & translationem pote-
 „ statis a potestate , hæc transactio semper in-
 „ telligitur in ly *Accipe* . ly *Accipite* , ly *Age* ,
 „ ly *agite* , ly *vobis traditur* , & usum potesta-
 „ tis receptæ , ut ibi patet , & intelligas . &
 „ probes , & defendas . Tertio vides quomo-
 „ do , &c.

A R T I C U L U S V. 139

Utrum hoc Sacramentum habeat materiam .

AD quintum sic proceditur . Videtur quod hoc sacramentum non habeat materiam . Quia in omni sacramento quod habet materiam , virtus operans in sacramento est in materia . Sed in rebus materialibus , quæ hic adhibentur , sicut sunt claves , candelabra , & hujusmodi , non videtur esse aliqua virtus sanctificandi . Ergo non habet materiam .

2. Præterea . In isto sacramento confertur plenitudo gratiæ septiformis , ut in littera (L) dicitur sicut in confirmatione . Sed materia con-

hæc posterior pars quæ vere ad 2. pertinet , pars primæ videretur cum qua connexionem nullam habet , ut ex ipso contextu loci manifestum est . Deerat quoque in iisdem omnino solutio ad quartum , nec deesse interim notabatur nisi apud Sylvium qui & eam supplevit suo modo , sed nos plenius , quamvis eodem sensu explicantes , quod jam 4. Sententiarum feceramus : Nec mirum eam in impressis deesse , cum & in manuscriptis omiſsa sit ; nisi quod ab aliquo sup-

pleri ut nunc potuisset .

(*) *Hucusque mss. & editi libri . Deerat in omnibus solutio ad quartum quam habemus ex Nicolaj ; licet Sylvius aliter antea suppleverit . Vide IV. Sentent. dist. xxiv. quest. 1. art. 1. quest. 4.*

(1) Sive Magistri textu lib. 4. Sent. dist. 24. lit. A. & B. feu §. 1. & 2. ut ex professo quæstione sequenti art. 1. argum. Sed contra refertur .

confirmationis præxigit sanctificationem. Cum ergo ea quæ in hoc sacramento videntur esse materialia, non sint præsanctificata, videtur quod non sint materia hujus sacramenti.

3. Præterea. In quolibet sacramento habente materiam requiritur contactus materiæ ad eum (1) qui suscipit sacramentum. Sed, ut a quibusdam dicitur, contactus dictorum materialium ad eum qui suscipit sacramentum, non est de necessitate sacramenti, sed solum porrectio. Ergo prædictæ res materiales non sunt materia hujus sacramenti.

Sed contra est quod omne sacramentum consistit in rebus, & in verbis. Sed res in quolibet sacramento sunt materia ipsius. Ergo & res quæ in hoc sacramento adhibentur, sunt materia hujus sacramenti.

Præterea. Plus requiritur ad dispensandum sacramenta quam ad suscipiendum. Sed baptismus, in quo datur potestas ad suscipiendum sacramenta, indiget materia. Ergo & ordo, in quo datur potestas ad ea dispensanda.

Respondeo dicendum, quod materia in sacramentis exterius adhibita significat, virtutem in sacramentis agentem ab extrinseco (2) omnino advenire. Unde cum effectus proprius hujus sacramenti, scilicet character, non percipiatur ex aliqua operatione ipsius qui ad sacramentum accedit, sicut erat in pœnitentia, sed omnino ex intrinseco adveniat; competit ei materiam habere; tamen diversimode ab aliis sacramentis quæ materiam habent: quia hoc quod confertur in aliis sacramentis, derivatur tantum a Deo, non a ministro, qui sacramentum dispensat; sed illud quod in hoc sacramento traditur, scilicet spiritualis potestas, derivatur etiam

ab eo qui sacramentum dat, sicut potestas imperfecta a perfecta. Et ideo efficacia aliorum sacramentorum principaliter consistit in materia, quæ virtutem divinam & significat, & continet, ex sanctificatione per ministrum adhibita; sed efficacia hujus sacramenti principaliter residet penes eum qui sacramentum dispensat. Materia autem adhibetur magis ad demonstrandam potestatem, quæ traditur particulariter ab habente eam complete, quam ad potestatem causandam: quod patet ex hoc quod materia competit usui potestatis.

Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod materiam in aliis sacramentis oportet sanctificari, propter virtutem quam continet; sed non est ita in proposito.

Ad tertium dicendum, quod sustinendo illud dictum, ex dictis (in corp. art.) apparet causa ejus. Quia enim potestas ordinis accipitur a ministro, sed non a materia; ideo porrectio materiæ magis est de essentia sacramenti quam tactus. Tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia sacramenti: quia dicitur, *Accipe hoc, vel illud.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a Concilio Florentino, quod ordo habet materiam. Insinuatam autem est hoc, quando in decreto Armenis dato Eugenius IV. ipso Concilio approbante, dixit: *Sextum est sacramentum ordinis, cujus materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo.* Hæc ibi. Item a N n 2 Con-

(1) Vel ab eo sicut mox exprimitur, nisi ad eum ibi legi debet: quamvis utrumque perinde est quantum ad sensum hic intentum: Nam *contactus ad eum* applicationem ipsius materiæ ad contingentem dicit: & *contactus ab eo* applicationem reciprocam tangentis ad rem tactam; qui contactus utrobique mutus esse debet, nec valde refert ex qua potius parte vel tangentis vel tacti exprimitur.

(2) Sic reponi omnino debet, ut iam 4. Sententiarum expressum est, & ex adjunctis patet manifeste: non sicut prius *ab intrinseco*: Nam si non percipitur ex aliqua operatione ipsius qui accedit ad sacramentum, ut in pœnitentia percipitur, quomodo dici potest *ab intrinseco* vel quomodo non dici debet *ab extrinseco*, si ab operatione Dei vel ministri dependet? vel quomodo denique materia quæ *adhibetur exterius* virtutem posset ab intrinseco advenientem significare? Quid ergo sibi finxit editionum alia-

rum corruptor non corrector, ut in Antuerpiensi, Colonienſi, Duacensi, Parisiensibus passim omnibus (præter alias quas explorare non licuit) ponendum somnariit *ab intrinseco*? Cum sit in Manuscriptis Sententiarum & in Commentario Soto ut reponimus ac Medices etiam reposuit. Quod autem subiungitur hujus effectum sacramenti ex aliqua illius qui accedit operatione non percipi, sensus est quod per ejus operationem vel ex vi talis operationis non produciatur vel a suscipiente participatur: ut in pœnitentia per proprios ipsius pœnitentis actus & operationes productus dici potest; non vero ille sensus quem addidimus in Sententis minus apte, quod non deprehendatur vel cognoscatur hujusmodi effectus ex aliqua suscipiente operatione, ut in pœnitentia deprehendi vel intelligi potest; quamvis & id aliquo modo dici possit.

Concilio Tridentino sess. 23. cap. 3. *Per sacram ordinationem, que verbis, & signis exterioribus perficitur.* Hæc ibi. Signa autem illa exteriora esse materiam vidimus nunc ex Concilio Florent. puta calicis porrectionem, urceoli, &c. Vide *articul. 4. append.* Nam in formis illis importatur etiam materia. Secundo habes: quomodo per rationem dicta Patrum, pro quanto ordinem insinuant habere materiam, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

QUÆSTIO XXXV.

De effectu hujus Sacramenti,

in quinque articulos divisa.

DEinde considerandum est de effectu hujus sacramenti.

Circa quod queruntur quinque.

Primo, utrum in sacramento ordinis conferatur gratia gratum faciens.

Secundo, utrum imprimatur character quantum ad omnes ordines.

Tertio, utrum character ordinis præsupponat characterem baptismalem.

Quarto, utrum præsupponat de necessitate characterem confirmationis.

Quinto, utrum character unius ordinis præsupponat de necessitate characterem alterius ordinis.

ARTICULUS I. 140

Utum in Sacramento Ordinis conferatur gratia gratum faciens.

S. Thom. ubi supra art. 2. quest. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod in sacramento ordinis non conferatur gratia gratum faciens. Quia communiter dicitur, quod sacramentum ordinis ordinatur contra defectum ignorantie. Sed contra igno-

rantiam non datur gratia gratum faciens, sed gratia gratis data: quia gratia gratum faciens magis respicit affectum. Ergo in sacramento ordinis non datur gratia gratum faciens.

2. Præterea. Ordo distinctionem importat. Sed membra Ecclesie non distinguuntur per gratiam gratum facientem, sed secundum gratiam gratis datam, de qua dicitur I. Corinth. xii. 4. (1) *Divisiones gratiarum sunt.* Ergo in ordine non datur gratia gratum faciens.

3. Præterea. Nulla causa præsupponit effectum suum. Sed in eo qui accedit ad ordines, præsupponitur gratia, per quam sit idoneus ad susceptionem ordinis. Ergo talis gratia non confertur in ordinis collatione.

Sed contra. Sacramenta novæ legis efficiunt quod figurant. Sed ordo per numerum septenarium significat septem dona Spiritus sancti, ut in littera (2) dicitur (IV. dist. xxiv.) Ergo dona Spiritus sancti, quæ non sunt sine gratia gratum faciente, in ordine dantur.

Præterea. Ordo est sacramentum novæ legis. Sed in definitione talis sacramenti ponitur, *ut causa gratie existat*: Ergo causat gratiam in suscipiente.

Respondeo dicendum, quod *Dei perfecta sunt opera*, ut dicitur Deuter. xxxii. 4. Et ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quæ executio illius potentie possit congrue fieri. Et hoc etiam in naturalibus patet: quia animalibus dantur membra, quibus potentie animæ possunt exire in actus suos, nisi sit defectus ex parte materie. Sicut autem gratia gratum faciens est necessaria ad hoc quod homo digne sacramenta recipiat; ita etiam ad hoc quod homo digne sacramenta dispense. Et ideo sicut in baptismo, per quem sit homo susceptivus aliorum sacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in sacramento ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum sacramentorum dispensationem. (3)

Ad primum ergo dicendum, quod ordo datur non in remedium unius personæ, sed totius

(1) Enumerando ea quæ ad utilitatem Ecclesie seu fidelium a Spiritu sancto quibusdam conferuntur; ut est sermo sapientiæ vel scientie, prophetia, gratia sanctorum interpretatio sermorum &c.

(2) Hoc est Magistri textu sicut supra. Ubi lit A seu parag. 1. ait quod septem sunt Ordines propter septiformem gratiam sancti Spiritus; cujus qui non sunt participes ad gradus ecclesiasticos indigne accedunt;

illi vero in quorum mensibus diffusa est septiformis gratia Spiritus sancti cum ad ecclesiasticos Ordines accedunt in ipsa spiritualis gradus promotione ampliolem gratiam percipere creduntur. Et lit. B. seu parag. 2. In sacramentis ergo septiformis Spiritus septem sunt gradus ecclesiastici &c.

(3) Colligitur ex illis verbis 1. ad Timoth. 4. ver. 14. Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ datur

tius Ecclesie. Unde quod dicitur contra ignorantiam dari, non est intelligendum ita quod per susceptionem ordinis pellatur ignorantia in suscipiente; sed quia suscipiens ordinem præficatur ad pellendam ignorantiam in plebe.

Ad secundum dicendum, quod quamvis dona gratiæ gratum facientis communia sint omnibus membris Ecclesie; tamen illorum donorum, secundum quæ attenditur distinctio in membris Ecclesie, idoneus susceptor aliquis esse non potest, nisi caritas adsit: quæ quidem sine gratia gratum faciente esse non potest.

Ad tertium dicendum, quod ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscunque, sed requiruntur bonitas excellens; ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita & superiores sint merito sanctitatis. Er ideo præxigitur gratia quæ sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebe Christi; sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim Lutheri dicentis,

quod ordo non confert gratiam. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc hæresim merito condemnari a scripturis 1. Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Hanc Apostoli auctoritatem Concilium Tridentinum sessione 14. de extrema unctio. allegat ad propositum eorum, qui suscipiunt ordinem. Ex quo maxime confirmatur, quod Apostolus ibi intelligat, quod gratia confertur per sacramentum ordinis. Item 2. Timoth. 1. *Admonco te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* Item a Concilio Tridentino sessione 7. de sacramen. canon. 6. *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, &c. anathema sit.* Et canone 7. *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus: anathema sit.* Et canone 8. *Si quis dixerit, per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, &c. anathema sit.* Hæc ibi. Modo ab eodem ibi canone 1. inter alia sacramenta novæ legis enumerabatur ordo. Item ab eodem sess. 23. capitu. 3. *Cum scriptura testimonio, Apostolica traditione, & Pa-*

data est tibi per prophetiam; cum impositione manuum Presbyterii &c. Et si doctrinam Chryostomus interpretatur homil. 13. In eum locum: *docendi munus* Theodoretus in eundem: *intelligendi vel docendi gratiam, sive prophetia gratiam vel doctrina cum ordinatione acceptam* Primasius ibidem tomo 2. Bibliothecæ Patrum; quasi *gratiam gratis datam* significari vellent. Sed quid prodesset ordinato sine gratia gratum faciente, qua gratis datam non in utilitatem tantum aliorum sed in spirituale commodum suum ac profectum salutis exerceret? Unde rursus Theodoretus in eandem ad Timotheum epistolam cap. 5. super illud *Manus tuo nemini imposueris*, ait prius examinari oportere vitam ejus qui ordinatur; ac deinde in ipsum *Spiritus gratiam invocari*; quasi habitalem sive sanctificantem significans. Item 3. ad Timoth. 1. vers. 6. *Admonco te ut resuscites gratiam Dei quæ est in te per impositionem manuum mearum:* Ubi Theodoret. expressius quam ante sic explicat: *Horror te ut extrices gratiam Spiritus quam per meas ordinationem accepisti:* Et mox *gratiam Spiritus* commentatur qua *pericula pro pietate non timemus, & Deum cum fervore amamus:* Et Chryostom. homil. 1. *Hoc est (inquit) gratiam Spiritus quam accepisti ad Ecclesie institutionem & ad omne religionis obsequium; quippe hæc vel extinguere vel excitare in nobis est:* Quod ad gratiam sanctificantem præcipue pertinet: Unde inferius *gratiam charitatis* appellat; sicut & Apost. ipse ibi. Adde quod ad Im-

peratorem Anastasium scribens Anastasius 2. Papa per iniquum traditam sacramenti gratiam firmam permanere declarat, de ordinatione simul ac de baptismo loquens. Quod S. Leo epist. 81. ut jam supra, in illo die *mysteria sacerdotalium benedictionum celebranda* decernit, in quo collata sunt omnia dona gratiarum: Annon propter gratiam quam exhibet sacerdotalis ordinatio? Quod Gregorius eum qui promovetur in Ecclesia *roborari virtute sacramenti* dicit loco jam superius indicato in libro 1. Regum, & *gratiam unctionis* appellat: Præter Dionysium lib. de eccl. hier. cap. 5. qui ordinatum ait ab assistantibus & ab Ordinatore ipso salutari, quia *sanctus mens ejus ad illam sacram ordinationem sacro-sanctis virtutum habitibus pervenit;* quod idem est ac si gratia exornatum diceret. Ut & de dignitate sacerdotali Ambrosius cap. 5. *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam &c.* Hinc in Decreto Eugenii 4. post Concilium Florentinum cum de Ordine agit: *Effectus (inquit) est augmentum gratiæ ut quis sit idoneus minister:* Et Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 3. *Scriptura (inquit) testimonio, Apostolica traditione & Patrum unanimi consensu perspicuum est per sacram ordinationem qua verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, &c.* Ut & Can. 4. *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, anathema sit.* Quod etsi de sacerdotio tantum expresse dicat, analogice tamen ad alios extendi debet.

Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri: dubitare nemo debet, ordinem esse vere, & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis. Hæc ibi. Ecce, quod & scripturæ testimonium, & Apostolica traditio, & Patrum unanimis consensus stant pro veritate ista; quod sc. sacra ordinatio confert gratiam: & consequenter omnia tria hæc damnant Lutheranam hæresim illam. Item sessio ead. canon. 4. Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, &c. anathema sit. Hæc ibi. Item ab Eugenio IV. sacro approbante Concilio Florentino in Decreto Armenis dato. Sextum est sacramentum ordinis, &c. Effectus hujus est augmentum gratiæ: ut quis sit idoneus Christi minister. Item a Concilio Senonensi in Decretis fidei, Decreto decimo, capitulo de sacramento ordinis. Quosdam itaque Christus sacerdotes instituit, quibus sui corporis potestatem commisit veri quidem, cum, instituto sui corporis, & sanguinis sacramento, hoc facite, inquit, in meam commemorationem; mystici vero, cum, posteaquam in discipulos insufflasset, Accipite, inquit, Spiritum sanctum, quorum remisisset peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Quibus palam evadit: in susceptione ordinis conferri gratiam. Recte igitur Timotheum Paulus admonet: ut non negligat gratiam, qua data est ei, cum impositione manuum presbyterii, sed eam resuscitet potius. Hæc ibi. Item ab eodem Eugenio in decreto eodem. Nova legis septem sunt sacramenta, scilicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum a sacramentis differunt antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Hæc vero nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Hæc ibi. Tertio habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto ordinem dicunt conferre gratiam, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 141

Utrum in Sacramento Ordinis imprimatur character quantum ad omnes ordines.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod in sacramento ordinis non imprimatur

character quantum ad omnes ordines. Quis ordinis character est quædam spiritualis potestas. Sed quidam ordines non ordinantur nisi ad quosdam actus corporales, scilicet Ostiarii, vel Acolyti. Ergo in his non imprimatur character.

2. Præterea. Omnis character est indelebilis. Ergo per characterem homo ponitur in tali statu, a quo non possit recedere. Sed illi qui habent aliquos ordines, possunt licite redire ad laicatum. Ergo non imprimatur character in omnibus ordinibus.

3. Præterea. Per characterem homo adscribitur ad aliquid sacrum dandum, vel suscipiendum. Sed ad susceptionem sacramentorum homo sufficienter ordinatur per characterem baptismalem: dispensator autem sacramentorum non constituitur homo nisi in ordine sacerdotali. Ergo in aliis ordinibus non imprimatur character.

Sed contra. Omne sacramentum in quo non imprimatur character, est iterabile. Sed nullus ordo est iterabilis. Ergo in quolibet ordine imprimatur character.

Præterea. Character est signum distinctivum. Sed in quolibet ordine est aliqua distinctio. Ergo quilibet ordo imprimit characterem.

Respondeo dicendum, quod circa hoc fuit triplex opinio.

Quidam enim dixerunt, quod in solo ordine sacerdotali character imprimatur. Sed hoc non est verum: quia actum diaconi nullus potest exercere licite, nisi diaconus; & ita patet quod habet aliquam spiritualem potestatem in dispensatione sacramentorum, quam alii non habent.

Et propter hoc alii dixerunt, quod in sacris ordinibus imprimatur character, non autem in minoribus. Sed hoc iterum nihil est: quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad sacramentorum dispensationem.

Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus character imprimatur: cuius etiam signum est quod perpetuo manent, & numquam iterantur. Et hæc est tertia opinio, quæ communior est.

Ad primum ergo dicendum, quod quilibet ordo vel habet actum circa ipsum sacramentum, (*) vel ordinat ad sacramentorum dispensationem; sicut ostiarii habent actum

(*) Nicolajus vel ordinatum ad sacramentorum &c. Exemplum *Vm. an. 1486.* vel sacramentorum dispensationem.

actum admittendi homines ad divinorum sacramentorum inspectionem; & sic de aliis: & ideo in omnibus requiritur spiritualis potestas.

Ad secundum dicendum, quod quantumcunque homo ad laicatum se transferat, semper tamen manet in eo character: quod patet ex hoc quod si ad clericatum revertatur, non iterum ordinem, quem habuerat, suscipit.

Ad tertium dicendum, sicut ad primum.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ex abundanti interimas hæresim Lutheri dicentis: characterem in nullo imprimi sacramento. Item cum injuria Doctorum addentis characterem sacramentale esse meram novorum Theologistarum fictionem. Ut enim patet, articulus iste a sancto Doctore motus militat plusquam sufficienter contra prædictos errores & prævalet. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hoc merito damnatum a Concilio Florentino in illo decret. Armen. in principio de sacramentis. Inter hæc sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo; quæ characterem, id est spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum, imprimunt in anima indelabile: unde in eadem persona non reiterantur. Hæc ibi. Item a Concilio Trident. sess. 7. de sacramentis, can. 9. Si quis dixerit; in tribus sacramentis, Baptismo scilicet Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelabile, unde ea iterari non possunt: anathema sit. Hæc ibi. Item ab eodem sess. 23. cap. 4. Quoniam vero in sacramento ordinis, sicut in baptismo, & confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, & semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exercent. Hæc ibi. Et can. 4. Si quis dixerit: per sacram unionem non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse: anathema sit. Hæc ibi, ubi & can. 3. præmiseras; Si quis dixerit; ordinem, sive sacram ordinationem esse figmentum, quoddam humanum, excogitatum a vitis rerum ecclesiasticarum imperitis: anathema sit. Hæc ibi, Ecce, quod ordo

imprimit characterem, & quod dicere sic, non est figmentum humanum, ut ex connectione canonum duorum postremorum patet. Item a Papa Gregorio IX. ad Archiepiscopum Boron. scribente. *Eos qui extra tempora statuta sacros ordines receperunt, characterem non est dubium recepisse, quos pro transgressione hujusmodi, primo eis poenitentia imposita composenti, sustinere poteris in susceptis ordinibus ministrare.* Hæc ibi, & recitantur de temp. ord. Consultation. Vide, quod character non imprimitur ex figmento novorum, sed neque veterum Theologistarum, ut verbis Lutheri ipsummet confodiamus, immo, quod neque ex statuto Ecclesie. Alioquin iste transgrediens Ecclesie statuta tempora, quoad ordinationem, non recepisset characterem, quod est contra Gregorium ibi. Et, si character esset figmentum: quomodo virtute ejus, etiam contra statutum Ecclesie recepti, veraciter executio ordinum administraretur? Hoc tamen dicit Gregorius. Ex vi ergo sacramenti procedit character ipse: & consequenter ex instituto divino: & consequenter aliquid verum est, ipsamque dicere figmentum, est summa blasphemia. Item ab Apost. Ephel. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis,* hoc est. In die, quo baptizati estis. Ecce, quod secundum Apostolum, qui novus utique non est, character res aliqua est, & in sacramento aliquo datur. Nam ly signati characterem Latine dicit: quoniam secundum Concilia superius adducta character est signum per aliquod sacramentum datum; Græce namque dicitur character, quod Latine sonat signum. De re igitur, cum habeamus ex Apostolo testimonium, non est, quod circa quæstiones, & pugnas verborum, contra doctrinam ejusdem 1. Timoth. 6. langueamus. Quinimmo & verbum characteris habemus ex Apostolo, sed Latine. Quod si de Doctoribus præter Apostolos loquatur Lutherus: ecce Augustinus, qui plus mille annis præcesserat Lutherum scribens Donatista presbytero epist. 204. utitur nomine characteris sic. *Es vas oves Christi estis, characterem dominicum portatis in sacramento, quod accepistis.* Hæc ibi, & recitantur 23. q. 4. Displicet. Item ille ipse de baptif. li. 5. c. 20. *Habere, & dare, & accipere baptismi sacramentum satis Ecclesie catholice pastoribus eluxit, & ovem, quæ foris errabat, & dominicum characterem foris accipiebat, venientem ad Christianæ unitatis salutem corrigi ab errore, characterem tamen dominicum in ea cognos-*

*cognosci potius, quam improbari, quandoquidem ipsum characterem multi lupi, & lupis insigunt, verumtamen ad illam ovem, qua ex multis una est, non pertinent. Hæc ibi: & recitantur de consec. d. 4. Quomodo. Ecce, quot vicibus in tam brevi spatio B. Augustinus quam millenarius characterem verbis expressissimis nominat. Item damnari, a quibuscunque iteratio sacramentorum non admittitur. Ob hoc enim non iteranda sunt, quia characterem imprimunt ita, ut se invicem consequantur ista duo, se. non iterari posse sacramentum, & imprimere characterem. A Concil. igitur Carthaginensi 3. can. 38. damnatur Lutherus, dum ait: *Placuit, quod etiam in Capua. plenaria Synodo videatur statutum, quod non liceat fieri rebaptizationes, neque reordinationes.* Hæc ibi: & recitantur partim de consec. d. 4. Non licet. Item a Concil. Tarraconensi. *Dictum est nobis, quod quidam de plebe, bis, vel ter, vel eo amplius (Episcopi ignorantibus tamen) confirmantur ab eisdem: unde visum est nobis eandem confirmationem, sicut nec baptismum iterari minime debere.* Hæc illud, & recitantur de consec. d. 4. Tercio habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Concil. Florentino in decreto Armenis dato, quod singuli ordines characteres singulos imprimunt. Insinuatam autem hoc est tunc, quando de sacramentis in principio ait: quod ordo characterem imprimit. Et sexto loco subdit. *Sextum sacramentum est ordinis, cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo. Sicut presbyteratus traditur per calicem cum vino, & patena cum pane, porreptionem: diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem: subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem, & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium.* Hæc ibi. Ubi prudens lector, connectendo principium illud sexto loco, ad litteram conspiciet, quod de mente Concilii innuitur, quod quilibet ordo singillatim characterem causat. Si enim ordo characterem imprimit (ut dicitur in principio) & presbyteratus ordo traditur per, &c. ergo ordo presbyteratus imprimit characterem. Item, si diaconatus ordo per libri, &c. ergo diaconatus alium characterem numero, cum sit alius ordo numero, imprimit. Alioquin vel ordo non imprimeret characterem: vel presbyteratus ordo esset idem cum ordine diaconatus: aut Concilium diminute, & quasi frustra locutem fuisset dicendo *ly ordo characterem imprimit.**

Nesciremus enim tunc, de quo ordine loqueretur, cum sint plures numeraliter, & non singuli (secundum contrarias opiniones) imprimant. Debuisset ergo non dicere *ly ordo imprimit: sed ly ordo talis imprimit.* Quod quid absurdius in Ecclesia sancta Dei, quam privatos homines velle corrigere plenarium Concilium, aut illud diminutionis, vel quasi frustratorie locutionis arguere præsertim, quando de pertinentibus ad fidem decreta statuit, atque promulgat? Standum igitur ad litteram in Synodo. Quod vero dixi de presbyteratus, & diaconatus ordine: de reliquis etiam omnib. idem sentiendum est: quoniam Synodus ipsa simili modo locutionis utitur (ut patet ibi. supra.) Quarto habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto characterem ordinis imprimi a singulis ordinibus proprium innunt, & intelligas, & probes, & defendas. Quinto vides: quomodo, &c.

ARTICULUS III. 143

Utrum character Ordinis præsupponat characterem baptismalem.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod character ordinis non præsupponat characterem baptismalem. Quia per characterem ordinis homo efficitur dispensator sacramentorum, per characterem baptismalem susceptivus eorumdem. Sed potestas activa non præsupponit de necessitate passivam: quia potest esse sine ea, sicut patet in Deo. Ergo character ordinis non præsupponit de necessitate characterem baptismalem.

2. Præterea. Potest contingere quod aliquis non sit baptizatus, qui se baptizatum existimat probabiliter. Si ergo talis ordines accedat, non consequetur characterem ordinis, si character ordinis præsupponit characterem baptismalem: & sic ea que faciet vel in consecratione, vel in absolutione, nihil erunt; & in hoc Ecclesia decipietur: quod est inconveniens.

Sed contra. Baptismus est janua sacramentorum. Ergo cum ordo sit quoddam sacramentum, præsupponit baptismum.

Respondeo dicendum, quod nihil potest aliquis recipere cuius receptivam potentiam non habet. Per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliorum sacramentorum. Unde qui characterem baptismalem non habet, nullum aliud sacramentum recipere potest. Et sit character ordinis bap-

baptismalem characterem præsupponit.

Ad primum ergo dicendum, quod in eo qui habet potentiam activam a se, potentia activa non præsupponit passivam? sed in eo qui habet potentiam activam ab alio, præzigitur ad potentiam activam potentia passiva, quæ recipere possit potentiam activam.

Ad secundum dicendum, quod talis, si ad sacerdotium promoveatur, non est sacerdos; nec conficere potest, nec absolvi in foro pœnitentiali. Unde secundum canones debet baptizari, & iterato ordinari; sicut dicitur Extra, de presbytero non baptizato (cap. *Si quis* & cap. *Veniens*). Et si etiam in Episcopum promoveatur, illi quos ordinat, non habeat ordinem. Sed tamen pie credi potest, quod quantum ad ultimos effectus sacramentorum, summus Sacerdos suppleret defectum: & quod non permetteret hoc ita latere, quod Ecclesiz posset periculum imminere.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem, ut in radice, interimas hæresim *Albigensium* (Alphonf. *Castr. adv. her.*) dicentium; baptismum omnino respuendum esse. Si enim respuendum esset, & ordo in Ecclesia esse non posset contra superius dicta qu. 34. art. 1. in tex. & append. Unde & iste, & articulus ille pugnat contra hæresim prædictam, eamque viriliter explodunt tum ratione, tum canonica sanctione, si jungas appendicem. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito hæresim illam damnari a Scripturis, Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Albigenses ergo, dum baptismum respuendum esse docent, homines ab introitu regni cœlestis abigunt. Item a Concilio Trident. sess. 7. de baptif. cap. 5. *Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit*. Item can. 2. *Si quis dixerit: aquam verum, & naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri: Nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu sancto ad metaphoram aliquam desorserit; anathema sit*. Hæc ibi. Vide 3. par. qu. 68. art. 1. & 2. append. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum a summis Pontificibus, & a Conciliis, quod character ordinis de necessitate præsupponit caracte-

rem baptismalem; & consequenter, quod prædictam hæresim Albigensium, quasi ex altiori loco tela projiciendo, condemnant. A summis Pontificibus insinuatam fuit illud; quando ab *Eugenio IV.* sacro approbante Concil. *Florentino* in decreto Armenis dato, fuit dictum; *Primum omnium sacramentorum locum tenet baptismus, quod vita spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, & de corpore efformamur Ecclesie*. Hæc ibi. Quomodo ergo characterem ordinis Christi recipere poterant, si membra Christi adhuc non sunt? Et, quomodo ministri Ecclesiz esse possunt non baptizati, si adhuc non sunt de corpore Ecclesiz? Item, quando a *Siricio* papa in epif. 1. ad *Himerium* Terraconen. Episcopum. cap. 9. ait: „ Quicumque itaque se Ecclesiz vovit obsequiis a sua infantia ante pubertatis annos baptizari, & lectorum debet ministerio sociari, &c. & cap. 10. Qui vero jam grandævus melioris propositi conversatione provocatus ex laico ad sacram militiam pervegere festinat, desiderii sui fructum non aliter obtinebit: nisi eo, quo baptizatur tempore, statim lectorum: aut exorcistarum numero societur. Hæc ibi: & recitantur dist. 77. cap. Quicumque itaque. Vide, quod de baptismo præmittendo ante sacram militiam, idest ordinationem semper neminit *Siricius*. Simile statutum habes ab *Innocentio I.* in epif. 24. ad *Synodum Toletanam*, cap. 4. Item, quando a Concilio *Tridentino* sess. 6. ca. 14. dictum fuit, quod pœnitentia apte nuncupata est secunda tabula post naufragium. Cujus rationem assignans subdit: *Essentiam pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur Christi sacramentum instituit pœnitentia*. Hæc ibi. Ubi patet ex ratione reddita, quod baptismus apte dicitur prima tabula. Quod clarius juncta glossa habetur de pœnitent. dist. 1. *secunda post naufragium*. Item, quando a Concilio *Nicano* statutum est sic: „ Si quis confugerit ad Ecclesiam catholicam de Paulianistis, & Cataphrygis; statutum est rebaptizari eos omnino debere. Si qui vero clerici erant apud eos, si quidem inculti fuerint, & irreprehensibiles, rebaptizandi sunt, & rursus ab Episcopo Ecclesiz catholicæ ordinentur. „ Hæc illud; & recitantur 1. qu. 1. Unde parent duo; & quod ordinati ante baptismum rite collatum non recipiunt ordinis characterem, & quod Episcopi non baptizati ordinantes alios non tradunt eis ordinem, per quod Sancti Thomæ tale dictum in responsione ad secundum

Summ. S. Tb. Tom. XIII.

Sum confirmatur. Item, quando a Concilio apud Compendium celebrato sic sancitum est: *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.* Hæc illud; & recitantur de presbyter. non baptizat. ca. 1. Item, quando ab Innocentio III. ad Episcopum Ferrar. dictum est. „ Veniens ad Apostolicam Sedem, 1. „ lator præsentium nobis exposuit: quod, „ cum ad gradum sacerdotii ascendisset, com- „ perit tandem, quod non fuerit secundum. „ formam Evangelii baptizatus. Unde nos „ eum rite fecimus baptizari, &c. Manda- „ mus, quatenus ipsum per singulos ordines „ usque ad sacerdotium promovere procuret. Hæc ille. Et recitantur de presbyter. non baptiz. ca. 3. Ex hoc nota, quod non sufficit esse baptizatum (nam iste lator fuit, ut innuitur, baptizatus aliquo modo) sed oportet esse baptizatum secundum formam Evangelii, ad hoc, ut ordo teneat. *Quarto* habes: quomodo per rationem antedicta Patrum, pro quanto characterem baptismi statuunt characteri ordinis præsupponendam, & intelligas, & probes, & tacearis. *Quinto* vides quomodo &c.

A R T I C U L U S IV. 147

Utrum character Ordinis præsupponat de necessitate characterem Confirmationis.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod ordo præsupponat de necessitate characterem confirmationis. Quia in his quæ sunt ordinata ad invicem, sicut medium præsupponit primum, ita ultimum præsupponit medium. Sed character confirmationis præsupponit baptismalem, quasi primum. Ergo character ordinis præsupponit characterem confirmationis quasi medium.

2. Præterea. Qui ad alios confirmandos ponuntur, maxime debent esse firmi. Sed illi qui sacramentum ordinis suscipiunt, sunt

aliorum confirmatores. (1) Ergo ipsi maxime debent habere sacramentum confirmationis.

Sed contra. Apostoli receperunt potestatem ordinis ante ascensionem Joan. xx. 22. ubi dictum est eis. *Accipite Spiritum sanctum.* Sed confirmati sunt post ascensionem per adventum Spiritus sancti. Ergo ordo non præsupponit confirmationem.

Respondeo dicendum, quod ad susceptionem ordinis præxigitur aliquid de necessitate sacramenti, & aliquid quasi de congruitate. De necessitate enim sacramenti exigitur quod ille qui accedit ad ordines, sit ordinis susceptivus; quod competit ei per baptismum; & ideo character baptismalis præsupponitur de necessitate sacramenti, ita quod sine eo sacramentum ordinis conferri non potest. Sed de congruitate requiritur omnis perfectio per quam aliquis reddatur idoneus ad executionem ordinis: & usum de istis est ut sit confirmatus. Et ideo de congruitate character ordinis characterem confirmationis præsupponit, & non de necessitate.

Ad primum ergo dicendum, quod non est similis habitudo hujus mediæ ad ultimum, & primi ad medium, quia per characterem baptismalem fit homo susceptivus sacramenti (2) confirmationis; non autem per characterem confirmationis fit homo susceptivus sacramenti ordinis. Et ideo non est similis ratio.

Ad secundum dicendum, quod illa ratio procedit de idoneitate quantum ad congruitatem.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*; quomodo per rationem ostendas, merito insinatum esse a Concilio Florentino, & a Scripturis, quod character confirmationis non requiritur de necessitate pro susceptione ordinum; & insinatum a Concilio Tridentino, quod character

(1) Non omnes quidem sed Presbyteri soli vel Sacerdotes cum ad Episcopatum evecti sunt: Sed quia semper Episcopatus præsupponit sacerdotium quoad sacramentales functiones, ideo susceptores Ordinis dici possunt Confirmatores, cum confirmare nulli possint nisi qui & ordinem susceperunt; quantumvis ad rigorem Episcopatus non sit Ordo secundum sententiam & mentem S. Thomæ, ut inferius ostendetur, scilicet quæst. 40. art. 5. Præterquam quod interdum Presbyteri ex dispensatione confirmatores possunt esse, ut suo loco probatum est.

(2) Quia non tantum quovis modo fit capax illud suscipiendi sed quodammodo per se ad illud suo jure suscipiendum ordinatur, cum & Confirmatio sit veluti baptismi complementum, quatenus fidem quam in baptismo impignoramus profiteri libere facit Confirmatio: Non sic autem qui confirmatur, fit susceptivus Ordinis, quia sicut illius capax quantumcumque sit, non per se tamen ad illud ex vi Confirmationis ordinatur, sed quodammodo per accidens, aut saltem nullo necessario jure.

ster confirmationis de congruitate præxi-
ger characteri ordinis. Insinuatum autem est
illud *primum*, tanquam ab oppositis, quando
baptismum dixit esse januam sacramentorum;
non confirmationem. Ex eo enim, quod con-
firmatio non est janua, sequitur aperte, quod
sine illa potest quis ingredi ad susceptionem
sacramentorum, & consequenter ordinis. Vi-
de Concilium prædictum circa hoc, *artig.*
precedenti Append. Quod autem dixi de Con-
cilio *Florentino*, quod scilicet per tale dictum
suum insinuavit, characterem confirmationis
non necessario præxi ad characterem ordi-
nis, dicat tu etiam consimiliter de aliis
tum Conciliis, tum Pontificibus maximis in
appendic. illa adductis, quando in eadem sen-
tentiam de baptismo, licet non iisdem ver-
bis, cum Synodo *Florentina* conveniant.
Item a serie *Evangeliorum*. Nam ordinan-
tur Apostoli, non tantum super corpus Chri-
sti verum, sed etiam super corpus Christi
mysticum, priusquam confirmentur. Ordinem
enim quoad *primum* receperunt à Chri-
sto tempore ultimæ cenæ, *Lucæ. 22.* per ly
hoc facite in meam commemorationem: quoad
secundum vero, post resurrectionem, *Joan.*
20. per ly *quorum remisistis peccata, remittuntur*, &c. Et confirmationem receperunt
post Ascensionem Christi, in die Pentecostes,
quando scilicet *indusi sunt virtute ex alto*, *Lu-
cæ 24.* Monstratur ergo ex ipsa textura *Ev-
angelii*, quod ordo conferri potest etiam
non confirmatis. Insinuatum vero est id *se-
cundum*, videlicet, quod character de con-
gruitate, &c. a Concilio *Tridentino*, *sessio.*
*23. cap. 4. de reformat. Prima tonsura non
inicietur, qui sacramentum confirmationis non
susceperint.* Hæc ibi. Prima autem tonsura
datur ante collationem ordinum. *Secundo*
habes: quomodo per rationem prædicta Pa-
trum, ac *Evangeliorum*, pro quanto chara-

sterem confirmationis non necessario, sed de
congruo præxi susceptioni ordi-
nis, & intelligas, & probes, atque defendas.
Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 146

Utrum character unius ordinis de necessitate præsupponat characterem alterius ordinis.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod
A character unius ordinis præsupponat de
necessitate characterem alterius ordinis. Quia
major est convenientia ordinis ad ordinem,
quam ordinis ad aliud sacramentum. Sed
character ordinis præsupponit characterem
alterius sacramenti, scilicet baptismi. Ergo
multo fortius character unius ordinis præsup-
ponit characterem alterius.

2. Præterea, Ordines sunt quidam gradus.
Sed nullus potest pervenire ad posteriorem
gradum, nisi prius conscenderit ad priorem.
Ergo nullus potest accipere characterem ordi-
nis sequentis, nisi prius acceperit ordinem
præcedentem.

Sed contra. Si omittatur aliquid in sa-
cramento quod sit de necessitate sacramenti,
oportet quod sacramentum iteretur. Sed si
aliquis accipiat sequentem ordinem, præter-
misso primo, non reordinatur; sed confertur
ipso quod deerat, secundum statuta (1) cano-
num (cap. *Tua littera*). Præcedens
ordo non est de necessitate sequentis.

Respondeo dicendum, quod non est de
necessitate superiorum ordinum quod ali-
quis minores ordines prius habeat: quia
potestates sunt distinctæ; & una, quantum est
de sui ratione, non requirit aliam in eodem
subjecto. Et ideo etiam in primitiva Eccle-
sia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui
prius

O o 2

(1) Sic enim Extra de Clerico per saltum promo-
to Innocentius 3. Episcopo Bononiensi scribens: *Tua
littera* (inquit) *convincentur quod fecerit ex quorun-
dam relatione acciperas, quidam Diaconatus Ordine
prætermisso se fecit ad Ordinem sacerdotis promoveri:
Et ipse sibi quoque sacro confessus est se pro certo no-
scire si vas saliter se haberet, sed ex quo viri boni
hoc assererent inter quos fuerat conversatus, credebat
affertioni eorum, eo quod tempore quo inferioris Or-
dines susceperas, infra annos discretionis fuerat con-
stitutus: Mandamus ergo quatenus condignam pœni-
tenciam pro huiusmodi negligentia iniungas eidem,
qua peracta (quia non intelligitur iteratum quod
factum esse nescitur) ipsum in Diaconum ordinare*

*procures; & sic de misericordia eundem in Ordine
sacerdotis ministrare permittas.* Et in Decretis di-
stinct. 32. cap. *Solicisudo* Alexander 3. Constanti-
niensi (vel sicut ad marginem potius inscribitur Con-
stantiensi Episcopo rescribens qui eum consulebat a-
erum portitor suarum litterarum diaconatus & presby-
teratus officium peragere idoneus esset nec no; cum
ad id præposito (vel præproporo) cursu, subdia-
conatus Ordine postposito, negligentia potius quam
superbia cognosceretur ascendisse respondet: *Charitati
eum consulendo mandamus ut ab officio sacerdotali
eum prohibeas, donec proximo quatuor Temporum
iunio subdiaconatus ministerium et rite imponas, &
sic deinceps ad majora officia eum redire concedas.*

prius inferiores ordines non susceperant; & tamen poterant omnia quæ inferiores ordines possunt: quia inferior potestas comprehenditur in superiori, virtute, sicut sensus in intellectu, & ducatus in regno. Sed potestatem per constitutionem Ecclesiæ determinatum est, quod ad majores ordines se non ingerat qui prius minoribus officiis se non humiliavit. Et inde est quod qui ordinantur per saltum, secundum canones (loc. cit.) non reordinantur; sed id quod omisissimum fuerat de præcedentibus ordinibus, ei confertur.

Ad primum ergo dicendum, quod magis conveniunt ordines ad invicem secundum similitudinem speciei, quam ordo cum baptismo; sed secundum proportionem potentiam ad actum magis convenit baptismus cum ordine, quam ordo cum ordine: quia per baptismum acquirit homopotentiam passivam recipiendi ordines; non autem per ordinem inferiorem datur potentia passiva recipiendi majores ordines.

Ad secundum dicendum, quod ordines non sunt gradus qui occurrant in actione una, vel in uno motu, ut oporteat ad ultimum per primum devenire, sed sunt sicut gradus in diversis rebus constituti, sicut est gradus inter hominem, & Angelum: non oportet autem quod ille qui sit Angelus, prius fuerit homo. Similiter etiam sunt gradus inter caput, & omnia membra corporis: nec oportet quod illud quod est caput, prius fuerit pes. Et similiter est in proposito.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito a summis Pontificibus, & Conciliis insinuatam esse, & quod quis non ordinetur per saltum, & quod hoc non sit de necessitate sacramenti. Insinuatam autem est id a Concilio Sardicensi canon. 10. „ Osius Episcopus dixit. Hoc quoque necessarium existimo, ut cum omni cura, & diligentia examinetur: ut, si quis dives, vel ex foro scholasticus, Episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur, quam lectoris, & diaconi, & presbyteri ministerium peregerit: ut in unoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatum fastigium per progressionem possit ascendere, &c. Omnia dixerunt ipsis placere, & omnino non oportere ea subvertere. „ Hæc ibi. Ubi Osius per ly *lectoris* omnes minores ordines, sicut

& per ly *diaconi* subdiaconum etiam intelligit. In cuius signum universaliter subdit ly *in unoquoque gradu*, ordinum, at gradus est septiformis, etiam a tempore Apostolorum. Item a Zosimo Papa in epist. 1. ad Hesyebum Salonitanum Episcopum, „ Hoc autem specialiter, & sub prædecessoribus nostris, & nuper a nobis interdictum constat, &c. Ne quis penitus contra Patrum præcepta, qui ecclesiasticis disciplinis imbutus per ordinem non fuisset, nequaquam ad summum Ecclesiæ sacerdotium aspirare præsumeret: & non solum in eo ambitio inefficax haberetur, verum, etiam in ordinatores ejus: ut carerent eo ordine, quem sine ordine contra præcepta Patrum crederant præsumendum. „ Hæc ibi: Item a Beato Gregorio Magno in epi. 110. *Esberio* Lugdunensi Episcopo can. secundo, „ Ordinate ergo ad ordines accedendum est. „ Nam casum appetit, qui ad summa læci fastigia postpositis gradibus per abrupta querit ascensum. *Hæc ibi. Item a Synodo apud D. Medardum.* „ Ostensum est in eodem ex Concilio Sardicensi, cap. 9. & ex aliis Conciliis, ac decretis, damnationis scripto, secundum canonicam formam eundem Episcopum nihil de illius ordinatione attigisse; sed, qui saltu, sine gradu diaconi, ad sacerdotium profilierat, in degradationem debitam resiliere debere. „ Hæc ibi. Quæ intelligas de rigore juris. Nam de dispensatione ex clementia dic, ut in sequentibus. Item ab *Alexandro Secundo* ad *Grimaldum* Constantiensem Episcopum, „ sollicitudo dilectionis tuæ studuit consulere, utrum portator istarum litterarum diaconatus, & presbyteratus officium idoneus sit peragere, necne, cum ad id præpostero cursu, subdiaconatus ordine postposito, negligentia potius, quam superbia, cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo charitati tuæ mandamus, ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum jejuniis subdiaconatus ministerium rite imponas: & sic deinceps ad majora officia eum redire concedas. *Hæc ibi, & recitantur distincti. 52. Item ab Innocentio III. ad Bononiens. Episcopum. Tuae littere, &c.* „ P. presbyter, diaconatus ordinem prætermisso, se fecit ad sacerdotium ordinem promoveri. Ipse tibi quoque secreto, confessus est, se pro certo nescire, si res taliter se haberet. Sed ex quo boni viri hoc asserabant, inter quos fuerat, conversatus, credebatur assertioni eorum,

„ eo, quod tempore, quo ordines inferiores
 „ susceperat, infra annos discretionis fue-
 „ rat constitutus, &c. Mandamus, quatenus
 „ condignam poenitentiam pro hujusmodi ne-
 „ gligentia injungas eidem: qua peracta,
 „ quia non intelligitur iteratum, quod sa-
 „ ctum esse nescitur, ipsum in diaconum
 „ ordinari procure: & sic ex misericordia
 „ eundem ministrare permittas in ordine sacer-
 „ dotis. „ Hæc ibi; & recitantur de cler-
 „ per salt. prom. Secundo habes: quomodo per
 „ rationem prædicta Patrum, pro quanto or-
 „ dinem superiorem non de necessitate sacra-
 „ menti; sed præcepti, præsupponere inferio-
 „ rem indicant, & intelligas, & probes, &
 „ defendas. Tertio vides: quomodo &c.

QUESTIO XXXVI.

De qualitate suscipientium hoc
 Sacramentum,

In quinque articulos divisa.

DEinde considerandum est de qualitate sus-
 cipientium hoc sacramentum.
 Circa quod queruntur quinque.

Primo, utrum in suscipientibus hoc sacra-
 mentum requiratur bonitas vitæ.

Secundo, utrum requiratur scientia totius
 sacre Scripturæ.

Tertio, utrum ex ipso merito vitæ aliquis
 ordinis gradus consequatur.

Quarto, utrum promovens indignos ad or-
 dines peccet.

Quinto, utrum aliquis in peccato existens
 possit sine peccato ordine suscepto uti.

Utrum in suscipientibus Ordinem requiratur
 bonitas vitæ.

S. Thom. ubi sup. art. 3. quest. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod
 in suscipientibus ordines non requiratur
 bonitas vitæ. Quia per ordinem aliquis ordi-
 natur ad dispensationem sacramentorum. Sed
 sacramenta possunt dispensari a bonis, & malis.
 Ergo non requiritur bona vita.

2. Præterea. Non est majus ministerium
 quod Deo in sacramentis exhibetur, quam
 quod ipsi corporaliter adhibetur. Sed a mi-
 nisterio ipsius corporali non repulit Dominus
 mulierem peccatricem, & infamem, ut patet
 Luc. vii. (1) Ergo nec a ministerio ejus in
 sacramentis tales sunt amovendi.

3. Præterea. Per omnem gratiam datur
 aliquod remedium contra peccatum. Sed illis
 qui habent peccatum, non debet aliquod re-
 medium denegari quod eis valere possit. Cum
 ergo in sacramento ordinis gratia conferatur
 videtur quod debeat etiam peccatoribus hoc
 sacramentum dari.

Sed contra. Levit. xxi. 17. *Homo de se-
 mine Aaron, (2) qui habuerit maculam, non
 offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministere-
 rium ejus. Sed per maculam, ut dicit Glossa
 (interl. & ord. Hefych.) omne vitium in-
 telligitur. Ergo ille qui est aliquo vitio ir-
 retitus, non debet ad ministerium ordinis
 admitti.*

Præterea. Hieronymus dicit (sup. illud
 Tit. iii. *Nemo te contemnat,) quod non so-
 lum Episcopi, presbyteri, & diaconi debent
 magnopere providere ut cunctum populum, cui
 præsidens, sermone, & conversatione præeant;
 verum*

(1) Ubi ministerium non aliud ab illa exhibitum
 nisi unctio pedum ac detergo describitur cum ad-
 hibitis quoque osculis ad peccatorum remissionem ob-
 tinendam.

(2) Seu de semine suo, sicut, originalis textus
 habet vers. 17. quia immediate præmittitur *Loquere
 ad Aaron*: Glossa autem quæ subjungitur non sic
 expresse habet sed implicite tantum, cum interli-
 nealis quidem indefinite dicit *macula peccati*; col-
 lateralis vero tum vetus manuscripta tum impressa
 moderna, quæ Isychii (vel Hefychii Hierosolymita-
 ni) nomen præfert, *Per maculas corporum, in-
 quit; vitia describitur animarum: Impetiginem ta-
 men paulo inferius cupiditati accomodat, quia ut*

impetigo totum corpus pervadit, sic per cupiditatem
 omne vitium intelligitur quæ *matorum omnium ra-
 dix* ab Apostolo appellatur. Appendix quoque Hiero-
 nymi paulo plenius ex illius in epistolam Titi com-
 mentario desumpta est in illa verba: *Nemo te con-
 temnat* sub secundi capitis finem, ubi gradus inferio-
 res vocat, *Lectores, Exorcistas & Aedituos* quos vo-
 cabulo communiori: *Offitios* appellamus. Ubi por-
 ro *domus* habet, ut etiam hic prius ponebatur & in
 Decretis causa 8. par. 1. cap. 1. cap. *Qualis*, legit
 Sententiarum textus *oraculo & id ex Glossa mutua-
 tur; sicut & in sequenti Dionysii appendice legitur
 ibi Dei firmissimus pro Deiformissimus (θεοειδής)*
 ut ex adjunctis legendum est.

verum etiam inferiores gradus, & omnes omnino, qui domui Dei servant: quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos quam clericos. Ergo in omnibus ordinibus requiritur sanctitas vite.

Respondeo dicendum, quod, sicut Dionysius dicit in 111. cap. Eccl. Hierarch. (sub. fin.) *ut subiliores, & clariores essentia repleta inflatu solarium splendorum, lumen in eis supereminens ad similitudinem Solis ad alia corpora irvebunt; sic in divino omni non est audendum aliis ducem fieri, nisi secundum omnem habitum suum factus sit Deiformissimus, & Deo simillimus.* Unde cum in quolibet ordine aliquis constituatur dux aliis in rebus divinis, quasi presumptuos mortaliter peccat qui cum conscientia peccati mortalis ad ordines accedit. Et ideo sanctitas vite requiritur ad ordinem de necessitate precepti, sed non de necessitate sacramenti. Unde si malus ordinatur, nihilominus ordinem habet, tamen cum peccato.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut vera sacramenta sunt quae peccator dispensat; ita verum sacramentum ordinis recipit; & sicut indigne dispensat, ita indigne recipit.

Ad secundum dicendum, quod illud ministerium erat tantum in executione corporalis obsequii; quod etiam licite peccatores facere possunt. Secus autem est de ministerio spirituali, ad quod applicantur ordinati: quia per ipsum efficiuntur mediis inter Deum, & plebem: & ideo debent bona conscientia nitere quoad Deum, & bona fama quoad homines.

Ad tertium dicendum, quod aliquae medicinae sunt quae exigunt robur naturae; alias cum periculo mortis assumuntur: & aliae sunt quae debilibus dari possunt. Ita etiam in spiritualibus quaedam sacramenta sunt ordinata ad remedium peccati; & talia peccatoribus sunt exhibenda, sicut baptismus, & poenitentia: alia vero, quae perfectionem gratis conferunt, requirunt hominem per gratiam confortatum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam, quod requiritur bonitas vite in accedente ad ordinem, tum a Scripturis, tum a Pontificibus summis. A Scripturis quidem ad Tit. 1. *Constituas per civitates presbyteros, sicut disposui tibi, si quis sine crimine est, &c.* Ecce, quod Apostolus inter alias condiciones ordinandorum hanc vult esse primam, quod sc.

sunt sine crimine, idest sine mortali peccato. Item Jo. 13. ubi lavantur pedes Apostolorum, antequam sacerdotium conferatur eis. Item Levit. 21. „Homo, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus. Si caecus, si claudus, si vel parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem in oculo, si jugem scabiem, si habuerit, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Ex Levitico igitur dic, ut supra. Nam in figura omnia contingebant illis, 1. Corinth. 10. & consequenter habens maculam intelligebatur ille, qui alicui peccato mortali subiacebat. Prohibebantur ergo a ministerio, idest ab ordine (loquendo in proposito) caecus, idest ignorans, de quo ar. sequenti; claudus, idest instabilis in proposito non peccandi; *nasa parvo, grandi, vel torto*, idest indiscretus plus, vel minus, aut prava contra legem exercens; *fracto pede, vel manu*, idest nolens bene operari, vel procedere in virtute; *gibbus* ante, vel retro, idest amator superfluum terrenorum; *lippus*, idest ingenium obscuratum habens per carnalem affectionem; nam lippitudo contingit ex fluxu humoris; *habens albuginem in oculo*, idest presumptionem candoris iustitia in sua cogitatione; vel *jugem scabiem*, idest petulantiam carnis; vel *impetiginem* (haec sine dolore corpus occupat, & membrorum decorem sedat) idest avaritiam; *herniosus, vel ponderosus*, idest gestans pondus turpitudinis in corde, licet non exerceat in opere. Haec ex 1. 2. q. 102. a. 5. ad 10. Item a Concilio Carthagin. 3. can. 22. *ut nullus ordinetur clericus, nisi probatus, vel episcoporum examine, vel populi testimonio.* Haec ibi; & recitantur dist. 24. cap. Nullus clericorum. De ista vero probatione loquens simul, & declarans Conc. Trid. sess. 23. cap. 5. de reform. sic ait. „Ad minores ordines promovendi bonum a parcho, & a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant: qui parcho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat: ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus, & vita, a fide dignis diligenter inquirat: & litteras testimoniales, ipsamque inquisitionem factam continentem ad ipsum Episcopum quam primum transmittat. *Hoc ibi. & cap. 7. Episcopus*

„ autem sacerdotibus, & aliis prudentibus
 „ viris peritis divinæ legis, ac in ecclesiasti-
 „ cis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, or-
 „ dinandorum genus, personam, ætatem,
 „ institutionem, mores, doctrinam, & fi-
 „ dem, diligenter investiget, & examinet.
Hæc ibi. Quæ etiam pro art. 2. & 4. aliqua-
 „ *litor faciunt: & cap. 8.* „ Unusquisque a
 „ proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis
 „ ab alio promoveri petat: nullatenus id ei,
 „ etiam cujuscvis generalis, aut specialis re-
 „ scripti, vel privilegii prætextu, etiam sta-
 „ tutis temporibus, permittatur: nisi ejus
 „ probitas, ac mores, ordinarii sui testimo-
 „ nio commendentur. Si secus fiat: ordinans
 „ a collatione ordinum per annum, & ordi-
 „ natus a susceptorum ordinum executione,
 „ quamdiu proprio ordinario videbitur expe-
 „ dire, sit suspensus. *Hæc ibi. Item a Ste-*
 „ *phano I. Papa epist. 1. ad Hilarium Epi-*
 „ *scopum.* „ Quod vero consuluistis Sedem
 „ Apostolicam, qui ad gradus ecclesiasticos
 „ non sunt admittendi: pro auctoritate Sed-
 „ is Apostolicæ te informare non denega-
 „ mus. Infames, & fures, sacrilegos, om-
 „ nes capitalibus criminibus irretitos, sepul-
 „ chrorum violatores, Apostolorum, atque
 „ successorum eorum, reliquorumque Patrum
 „ statuta libenter violantes: omnes, qui ad-
 „ versus patres suos armantur, qui in omni
 „ mundo infamia notantur: incestuosos, ho-
 „ micidas, perjuros, raptores, maleficos,
 „ veneficos, adulteros, de bellis fugientes,
 „ & qui indigna petunt sibi loca tenere, aut
 „ facultates Ecclesiæ abstrahunt injuste, &
 „ qui fratres calumniantur, aut accusant, &
 „ non probant: vel qui contra innocentes
 „ Principum animos ad iracundiam provo-
 „ cant, & omnes anathematizatos, vel pro
 „ suis sceleribus ab Ecclesia pulsos: & om-
 „ nes, quos ecclesiasticæ, vel sæculi leges
 „ infames pronunciant: hos omnes ad sacros
 „ ordines non licet promovere: nec servos
 „ ante legitimam libertatem, nec pœnitentes,
 „ nec bigamos; nec eos, qui curiæ de-
 „ serviunt, vel qui non sunt integri corpo-
 „ re: aut sanam non habent mentem, vel

„ intellectum, aut inobedientes Sanctorum
 „ decretis existunt, aut furiosi manifestan-
 „ tur. „ Hæc ibi. Quæ etiam pro qu. 32.
 „ 33. 24. & 36. aliquatiter faciunt. *Secundo*
 „ habes: quomodo per rationem prædicta Pa-
 „ trum, & Scripturarum, pro quanto boni-
 „ tatem vitæ prærequiri ad ordines de necessi-
 „ tate præcepti decernunt, & intelligas, & pro-
 „ bes, & tuearis. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 146

Utrum requiratur scientia totius sacre Scripturæ.

AD secundum sic proceditur. Videtur
 quod requiratur scientia totius sacre
 Scripturæ. Quia ille debet habere legis scien-
 tiam, a cujus ore lex requiritur. Sed laici
 legem requirunt de ore sacerdotis, ut patet
 Malac. 11. (1) Ergo ipse debet legis totius
 habere scientiam.

2. Præterea. I. Petr. 111. 15. *Parati sem-*
per ad satisfactionem omni poscens vos ratio-
nem de ea que in vobis est, () fide & spe.*
 (2) Sed reddere de his rationem quæ sunt
 fidei, & spei, est illorum qui perfectam
 scientiam sacrarum Scripturarum habent.
 Ergo talem scientiam debent habere illi qui
 ponuntur in ordinibus, quibus verba prædi-
 cta dicuntur.

3. Præterea. Nullus congruus legit quod
 non intelligit: quia *legere, & non intel-*
ligere negligere est, ut dicit Cato (in Rudiment.)
 Sed ad lectorem, qui est quasi infimus ordo,
 pertinet vetus Testamentum legere, ut in
 littera (3) dicitur (IV. dist. xxiv.) Ergo
 ad eum pertinet habere totius veteris Testa-
 menti intellectum; & multo fortius ad alios
 superiores ordines.

Sed contra est quod multi promoventur
 ad sacerdotium qui penitus de talibus nihil
 sciunt, etiam in religionibus multis. Ergo
 videtur quod talis scientia non requiratur.

Præterea. In vitis Patrum legitur, ali-
 quos simplices monachos ad sacerdotium pro-
 motos, qui erant sanctissimæ vitæ. Ergo
 non requiritur prædicta scientia in ordinandis.

Re-

(1) Ubi sic plene: *Labis Sacerdotis custodiunt*
scientiam, & legem requirunt de ore ejus, vers. 7.

(*) De ea quæ in vobis est spe tantum habet Vul-
 gata: hæc vero lectionem ex Beda adoptavit D.
 Thomas.

(2) De spe tantum Biblia emendata: utraque
 tamen Beda ibi jungit, quia & spes a fide pendet ve-

lut a substantia rerum sperandarum, id est earum
 fundamento ut ad Hebr. 11. ab Apostolo nominatur.

(3) Sive Sententiarum textu distinct. prius indica-
 ta, ubi nimirum lit. D. vel §. 4. Paulo aliter id ex-
 promitur: quod ad Lectorem pertinet lectiones pro-
 nunciare & ea quæ Propheeta vaticinaverunt (pra-
 vaticinati sunt.) populis prædicare;

Respondeo dicendum, quod in quolibet actu hominis, si debeat esse ordinatus (1), oportet quod addit directio rationis. Unde ad hoc quod homo ordinis officium exequetur, oportet quod habeat tantum de scientia quod sufficiat ad hoc quod dirigatur in actu ordinis illius. Et ideo talis scientia requiritur in eo qui debet ad ordines promoveri, & non ut universaliter in tota sacra Scriptura sit instructus, sed plus, (2) vel minus, secundum quod ad plura, vel pauciora se eius officium extendit; scilicet ut illi qui aliis proponuntur curam animarum suscipientes, sciant ea quæ ad doctrinam fidei & morum pertinent; & alii sciant ea quæ ad executionem sui ordinis spectant.

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdos habet duos actus, unum principalem supra corpus Christi verum, & alterum secundarium supra corpus Christi mysticum. Secundus autem actus dependet a primo; sed non convertitur. Et ideo aliqui ad sacerdotium promoventur quibus committitur primus actus tantum; sicut religiosi quibus cura animarum non committitur: & a talium ore lex non requiritur, sed solum quod sacramenta conficiant: & ideo talibus sufficit, si tantum de scientia habeant quod ea quæ ad sacramentum perficiendum spectant, rite servare possint. Alii autem promoventur ad alium actum, qui est supra corpus Christi mysticum; & a talium ore populus legem requirit: unde scientia legis in eis esse debet, non quidem ut sciant omnes difficiles quæstiones legis (quia in his debet ad superiores recursus haberi) sed ut sciant ea quæ populus debet credere, & observare de lege. Sed ad superiores sacerdotes, scilicet Episcopos, (3) pertinet ut etiam ea quæ difficultatem in lege facere possunt, sciant; & tanto magis, quanto in majori gradu collocantur.

Ad secundum dicendum, quod ratio reddenda de fide, & spe non est intelligenda ta-

lis; quæ sufficiat ad probandum quæ fidei, vel spei sunt, cum utrumque de invisibilibus sit; sed ut sciant in communi probabilitatem utriusque ostendere; ad quod non requiritur multum magna scientia.

Ad tertium dicendum, quod ad lectorem non pertinet tradere intellectum sacræ Scripturæ populo (quia hoc est superiorum ordinum) sed solum pronuntiare. Et ideo ab eo non exigitur quod tantum habeat de scientia qua sacram Scripturam intelligat, sed solum quod recte pronuntiare sciat. Et quia talis scientia de facili addiscitur, & a multis; ideo probabiliter estimari potest quod ordinatus talem scientiam acquireret, si etiam tunc eam non habeat; maxime si in via ad hoc esse videatur.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem tanquam in radice exclusas errorem *Licini* dicentis: litteræ appellandæ sunt virus, ac pestis. Nec mirum, cum illorum esset tam incius omnino, ut ne decretis quidem subscribere posset. Item errorem *Quintini* dicentis, litteras esse abjiciendas, & spiritum vivificantem sequendum. Sub prætextu enim hujus secundi boni (si tamen per hoc ipse bonum intendebat) illum errorem primum de litteris abjiciendis amplectebatur. Item errorem *Juliani* Imperatoris apostatæ (ut *habetur ex Nicephor. historia Ecclesiastica lib. 10. cap. 32. & Ruffin. ibidem, ca. 38. & 59.*) dicentis: studia liberalia juventuti Christianæ interdicens. Hoc instituit Julianus ipse apostata (quem quidam, proh dolor! utinam, non sequerentur) ne Christiani sacra sua ratione fulti amplificando vanam ejus religionem resellerent. Sic & Pharao mares interfici jussit: ne quando oppugnaretur, & expugnaretur ab illis. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendās, hos merito damnari a Concilio *Toletano*, ut recitatur dist.

38.

(1) Nimirum ejus actus, hoc est si ordinatus factus esse debeat, ne ad hominem qui ordinari debet referat incantior aliquis.

(2) Hoc tantum sensu intelligendum illud ex Concilio Nannetensi cap. 11. quod in Decretis distinct. 24 cap. *Quando Episcopus refertur in hunc modum quod Episcopus ordinationes facere disponens debet eligere prudentes viros gnaros divine legis & exercitatos in ecclesiasticis functionibus qui diligenter investigent an qui ordinandi sunt, sint bene literati, an instructi in lege Domini, an fidem catholicam fir-*

miter teneant & simplicibus verbis offerere queant.

(3) Hinc in Decretis dist. 23. cap. *Qui Episcopus* ex Concilio Charthag. 4. cui Augustinus interfuit, cap. 1. qui Episcopus ordinandus est, examinandus decernitur *si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus*: &c. Et si alia dist. 36. cap. *Qui ecclesiasticus* ex Decreto Zozymi Papæ, ac expressius dist. 38. cap. *Omnes* ex. 7. Synodo decernuntur, quia *substantia Sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita &c.*

38. cap. 1. dicente: „ Ignorantia mater cun-
 „ ctorum errorum, maxime sacerdotibus Dei
 „ evitanda est, qui docendi officium in po-
 „ pulo Dei susceperunt. Sacerdotes legere
 „ sanctas admonentur scripturas Paulo Apo-
 „ stolo dicente ad Timotheum. Attende le-
 „ ctioni, & exhortationi doctrinæ, & sem-
 „ per permane in his. Sciant ergo sacerdo-
 „ tes sanctas scripturas, & canones, & o-
 „ mne opus eorum in prædicatione, & do-
 „ ctina consistat: atque ædificent cunctos,
 „ tam fidei scientia, quam operum discipli-
 „ na. „ Hæc ibi. Item Leo Papa Episco-
 „ pis Constantinopolitanis. „ Si in laicis videtur
 „ intolerabilis inscitia, quanto magis in iis,
 „ qui præsent, nec excusatione est digna nec
 „ venia,? Hæc ille; & recitatur dist. 38. Item
 „ a Scripturis 1. Corinth. 14. *Ignorans ignorabitur*.
 „ Hoc est, exponente B. Gregorio Papa in mor-
 „ talibus. „ Qui ea, quæ Dei sunt, sapiunt,
 „ a Domino sapiuntur; & qui ea, quæ Dei
 „ sunt, nesciunt, a Domino nesciuntur,
 „ Apostolo testante, qui ait: Si quis igno-
 „ rat, ignorabitur. „ Hæc ille; & reci-
 „ tantur dist. 38. Item 1. Corinth. 1. *Ebri-
 „ sum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. Hoc
 „ est, exponente Beato Hieronymo in Esa-
 „ lam, ut recitatur dist. 38. „ Si juxta A-
 „ postolum Paulum Christus Dei virtus est,
 „ & Dei sapientia, & qui nescit scripturas,
 „ nescit Dei virtutem, ejusque sapientiam:
 „ Scripturarum ignorantia Christi est igno-
 „ rantia. *Hæc ibi. Item a Dan. 12. Qui*
 „ docti fuerint, fulgebunt quasi splendor fir-
 „ mamenti: & qui ad justitiam erudiunt
 „ multos, quasi stellæ in perpetuas æternita-
 „ tes. *Ergo, ut Zephirinus Papa; & recitatur*
 „ dist. 38. sicut stellæ cæli non extinguit
 „ nox, sic mentes fidelium, & inhzentes
 „ firmamento sanctæ Scripturæ non obscurat
 „ mundana iniquitas. „ Hæc ibi. Item a,
 „ &c. ut, 1. par. qu. 117. art. 1. *append. &*
 „ qu. 1. art. 5. *append. & qu. 32. art. 2. &*
 „ qu. 40. art. 1. *append. vide, & bene appli-*
 „ ca. Item a Concil. *Lateran.* „ Quoniam Ec-
 „ clesia Dei, sicut pia mater, providere te-
 „ netur, ne pauperibus, qui parentum opi-
 „ bus juvari non possunt, legendi, & pro-
 „ ficiendi opportunitas subtrahatur, per
 „ unamquamque cathedralem ecclesiam ma-
 „ gistro, qui clericos ejusdem, & scolares pa-
 „ uperes gratis doceat, competens aliquod
 „ beneficium præbeatur. „ Hæc illud; &
 „ recitatur de magistris, &c. Item ab A-
 „ lexandro III. ad Viton. Episcopum scribente
 „ Sane, si quis distulerit magistros in locis

„ congruis instituere; tibi liceat, ibi alios
 „ instructioni præficere viros providos, ho-
 „ nestos, & discretos. „ Hæc ille de magi-
 „ stris, &c. cap. Prohibeas. Item ab eodem
 „ ibid. cap. Quanto Gallicana, &c. Distri-
 „ ctè præcipimus; ut, quicumque viri ido-
 „ nei, & litterati voluerint regere studia
 „ litterarum, sine molestia, & exactiõne qua-
 „ libet scholas regere permittantur. „ Hæc
 „ ille. Item a diversis, ut videre est in
 „ dist. 37. & 86. per votum, & dist. 92. cap.
 „ *Statuimus, & cap. Miserum, & 3. qu. 1. cap.*
 „ *Oportet, & dist. 92. cap. Quis dubites, &*
 „ *extr. de elect. magistr.* Tertio habes: quomo-
 „ do per rationem ostendas, merito esse di-
 „ ctum a Concil. *Trident.* sess. 23. cap. 4. de
 „ reform. „ Prima tonsura non iniciuntur,
 „ qui sacramentum confirmationis non susce-
 „ perint: & fidei rudimenta edocti non fue-
 „ rint: quique legere, & scribere nesciant
 „ Hæc ibi. Faciunt etiam hæc ad *quæst. 35.*
 „ *art. 4.* Item ibidem ca. 11. „ Minores or-
 „ dines, iis, qui saltem latinam linguam
 „ intelligant, conferantur. *Hæc ibi: & ca.*
 „ 13. Subdiaconi, & diaconi ordinantur ha-
 „ bentes bonum testimonium, & in mino-
 „ ribus ordinibus jam probati, ac litteris,
 „ & iis, quæ ad ordinem exercendum per-
 „ tinent, instructi. „ Hæc ibi. Vide supra
 „ *art. 2. append. & in Conc. Trident. ibi ca.*
 „ 14. & 18. Item ab eodem *sess. 5. ca. 1. de*
 „ *reform.* ubi de eligendo magistro etiam gram-
 „ maticæ, ut deinceps ad theologiam transiri
 „ possit, decernit. Item ab *Innocentio III.* in
 „ Concilio generali. „ Si de cætero Episcopi
 „ ordinare præsumperint rudes, ignaros
 „ (quod quidem facile poterit deprehendi)
 „ & ordinatores, & ordinatos ultioni gravi
 „ decernimus subjacere. Satius enim est,
 „ maxime in ordinatione sacerdotum, pau-
 „ cos bonos, quam multos malos habere mi-
 „ nistros. „ Hæc ibi: & recitatur de ætat.
 „ *qualit. & ord. præf. cap. Cum sit ars ar-*
 „ *tium.* Item ab *Honorio III.* tit. eodem, fa-
 „ cto suo damnantur errores illi, dum ex dese-
 „ ctu scientiæ dejicit jam promotum: & sic:
 „ *Quamvis, &c.* „ Quia Episcopus, con-
 „ fessus est coram nobis, se nunquam de
 „ grammatica didicisse, nec etiam legisse Do-
 „ natum: per evidentiam facti de illiterato-
 „ ra, & insufficientia sua constat: quod con-
 „ tra Deum esset, & canonicas functiones:
 „ tantum in Episcopo tolerare defectum: i-
 „ psam a Pontificalis officii executione, &
 „ ab administratione Calinen. Ecclesiæ po-
 „ nitus duximus amovendum. „ Hæc ibi.

Pp

Item

Item a Papa *Leone X.* sacro approbante Concilio *Lateranen. sess. 8.* de studiis generalibus pro clericis, & *sess. 9.* de liberalibus artibus pro pueris. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, & Scripturarum, pro quanto scientiam debitam requiri dicant in suscipientibus ordinem, & intelligas, & probes, & defendas. *Quinto* vides quomodo &c.

ARTICULUS III. 147

Utrum ex merito vite aliquis gradus ordinis consequatur.

AD tertiam sic proceditur. Videtur quod ex ipso merito vite aliquis ordinis gradus consequatur. Quia, sicut dicit Chrysostomus (1) alius Auctor hom. XLIII. in op. imperf. parum a princ.) *non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos.* Sed ex merito vite aliquis efficitur sanctus. Ergo & sacerdos; & multo fortius alios ordines habens.

2. Præterea. In rebus naturalibus ex hoc ipso aliqua in gradu superiori collocantur quod Deo appropinquant, & magis de ejus bonitatibus participant, ut dicit Dionysius IV. cap. eccl. Hier. (parum a med.) Sed ex merito sanctitatis, & scientiæ aliquis efficitur Deo propinquior, & plus de ejus bonitatibus recipiens. Ergo ex hoc ipso in gradu ordinis collocatur.

Sed contra. Sanctitas semel habita potest amitti. Sed ordo semel habitus nunquam amittitur. (2) Ergo ordo non consistit in ipso merito sanctitatis.

Respondeo dicendum, quod causa debet esse proportionata suo effectui. Et ideo sicut in Christo, a quo descendit gratia in omnes homines, oportet quod sit gratiæ plenitudo; ita in ministris Ecclesiæ, quorum non est dare gratiam, sed gratiæ sacramenta, (3) non constituitur gradus ordinis ex hoc quod habent gratiam, sed ex hoc quod participant aliquod gratiæ sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod Chrysostomus accipit sacerdotis nomen quantum ad rationem interpretationis, (4) secundum quod sacerdos idem est quod *sacerdatus*: sic enim quilibet iustus, in quantum sacramenta alicui in auxilium dat, sacerdotis interpretationem habet. Non autem loquitur secundum nominis significationem: est enim hoc nomen *sacerdos* institutum ad significandum eum qui sacra dat in sacramentorum dispensatione.

Ad secundum dicendum, quod res naturales efficiuntur in gradu super alia, secundum quod in ea agere possunt ex forma sua: & ideo ex hoc ipso quod formam nobiliorem habent, in altiori gradu constituuntur. Sed ministri Ecclesiæ non præponuntur aliis, ut eis ex propriæ sanctitatis virtute aliqui tribuant (quia hoc solius Dei est) sed sicut ministri, & quodammodo instrumenta illius effluxus qui sit a capite in membra. Et ideo non est simile quantum ad dignitatem ordinis, quamvis sit simile quantum ad congruitatem.

AP.

(1) Cujus nomine olim referebatur in Decretis distinct. 40. cap. *Mulsi*: Sed in moderna Decretorum Editione restituitur author operis imperfecti ex quo seipso desumptum est homil. 43. in Mattheum; non ex ipso tamen Chrysostomo inter ejus opera reponitur.

(2) Ut Augustinus passim urget: puta lib. de bono conjugali c. 24. lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 13. lib. 2. de bapt. contra Donatistas c. 2. Quibus omnibus locis inviolabilem non minus quam baptismum affirmat.

(3) Juxta ea que tota quest. 67. 3. partis & quest. 64. art. 1. explicata sunt.

(4) Quomodo tamen hæc interpretatio in Chrysostomi mentem venit vel alterius cuiuscunque auctoris Græci qualem operis imperfecti auctorem sub nomine ipsius Chrysostomi fuisse constat? cum sit latina interpretatio nec in græco *sanctus*; quod latine idem est ac *Sacerdos* quidpiam tale insinuetur. Nec suspicari fasit *lidorus* lib. 7. etymologiarum vel Originum,

tit. de Clericis in dictione *Sacerdos*, nomen illud ex græco latino compositum derivat quasi *sacrum dans*, alludendo fortasse ad græcum *didon* quo tamen *is qui dedit* significatur, vel violenta magis allusione *is qui vel is qui dat*: Quidni potius ex latino *do*, si derivari ex hæc significatione oporteret? ut his videtur S. Thomas insinuare: Illius ergo auctoritatis indicatus sensus est, ut is tantum *Sacerdos* dici possit, non quantum ad ordinem, sed quantum ad meritum Ordinis dignitati respondens, qui conjungit cum gradu sanctitatem, ut ex tota serie loci patet: Sic enim ibi & in Decretis, ubi sup. *Mulsi Sacerdotes*, & *pauca Sacerdotes*, *Mulsi nomine, pauca opere*: *Videte ergo quomodo sedetis super cathedram, quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum; non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos &c.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas heresim *Hugianam*, ut refertur supra *quest. 20. art. 2. & qu. 31. art. 1.* dicentium, quod sacerdotem potiorrem efficit non dignitas, sed vite meritum. Item *Pauperum de Lugduno*, seu *Waldensium*, ut recitatur *q. 8. art. 1. 2. & 3.* dicentium, quod quilibet laicus bonus, & sciens absolvere potest, & penitentiam imponere. Idem dicentium: laicos tam viros, quam mulieres, que sunt de secta ipsorum, posse consecrare, & confessiones audire. Hos enim omnes, pro quanto sacerdotem effici aliquem per meritum vite statuunt, oppugnat, & expugnat presens articulus. *Secundo* habes. Quomodo per rationem ostendas, hos merito esse damnatos a, &c. ut locis allegatis in appen. *secundo* loco. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, predicta Patrum in illis, pro quanto gradum ordinis per meritum vite solum non acquiri dicunt, & intelligas, & probes, & tuearis. *Quarto* vides, quomodo, &c.

ARTICULUS IV. 148

Utrum promovens indignos ad Ordines peccet.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod promovens indignos ad ordines non peccet. Quia Episcopus indiget coadjutoribus in minoribus officiis constitutis. Sed non potest eos invenire in sufficienti numero, si tales idoneitatem in eis requireret, qualis a Sanctis describitur. Ergo si aliquos non idoneos promovet, videtur quod sit excusabilis.

2. Præterea. Ecclesia non solum indiget ministris ad dispensationem spiritualium, sed etiam ad gubernationem temporalium. Sed quandoque illi qui non habent scientiam, vel sanctitatem vite, possunt esse utiles ad gubernationem temporalium, vel propter potentiam sæcularem, vel propter industriam naturalem. Ergo videtur quod tales sine pec-

cato possent promoveri.

3. Præterea. Quilibet tenetur peccatum vitare, quantum potest. Si ergo Episcopus peccat indignos promovens, debet adhibere maximam diligentiam ad sciendum, an illi qui accedunt ad ordines, sint digni, ut fiat diligens inquisitio de moribus, & scientia eorum: quod non videtur alicubi observari.

Sed contra. Pejus est promovere malos ad sacra ministeria, quam jam promotos non corrigere. Sed Heli mortaliter peccavit, non corrigens filios suos de malitia eorum: unde *cadens retrorsum mortuus est*, ut dicitur *1. Reg. iv.* Ergo non sine peccato evadit (*) qui indignos promovet.

Præterea. Spiritualia temporalibus sunt proponenda in Ecclesia. Sed mortaliter peccaret qui res Ecclesie temporales scienter sub periculo poneret. Ergo multo fortius qui poneret res spirituales sub periculo. Sed sub periculo ponit res spirituales quicumque indignos promovet: quia *cujus vita despiciatur*, ut dicit Gregorius (hom. xii. in *Evang. a princ.*) *reflor ut ejus predicatio consumatur*, & eadem ratione omnia spiritualia ab eis exhibita. Ergo indignos promovens mortaliter peccat.

Respondet dicendum, quod a Domino (1) describitur fidelis servus qui constitutus est *supra familiam suam, ut des illis vitæ mensuram*. Et ideo infidelitatis reus est qui alicui supra mensuram ejus divina tradit. Hoc autem facit quicumque indignos promovet. Et ideo crimen mortale committit, quasi summo Domino infidelis, & præcipue cum hoc in detrimentum Ecclesie vergat, & honoris divini, qui per bonos ministros promovetur. Esset enim infidelis terreno domino qui in ejus officio aliquos inuites poneret.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus nunquam ita deserit Ecclesiam suam quin inveniantur idonei ministri sufficientes ad necessitatem plebis, si digni promoverentur, & indigni repellerentur.

Et si non possent tot ministri inveniri, quot modo sunt, melius esset habere paucos ministros bonos quam multos malos, ut di-

P p a cit

(*) *Id. si indignos.*

(1) Apud Mattheum quidem cap. 24. vers. 41. sed apud Lucam cap. 12. vers. 42. verbis tamen utriusque paulo aliter dispositis; Apud Mattheum enim *servus fidelis appellatur quem coheris domus super*

familiam suam, ut des illis cibum in tempore: Sed apud Lucam fidelis dispensator, ut des in tempore vitæ mensuram; Utrumque autem protulisse usurpat Ecclesia, ut & hic S. Thomas.

cit Beatus Clemens. (1)

Ad secundum dicendum, quod temporalia non sunt quaerenda nisi propter spiritualia. Unde omne commodum temporale debet negligi, & omne lucrum sperni, propter spirituale bonum promovendum.

Ad tertium dicendum, quod ad minus hoc requiritur quod nesciat ordinans aliquid contrarium sanctitati in ordinando esse; sed etiam exigitur amplius ut secundum mensuram ordinis, vel officii injungendi diligentior cura apponatur, ut habeatur certitudo de qualitate promovendorum, saltem ex testimonio aliorum. Et hoc est quod Apostolus dicit I. Timoth. v. 22. *Manus cito nemini imposueris.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse ab omnibus Summis Pontificibus, & Conciliis de hac materia tractantibus, quod promovens ad ordines indignos peccat. Hoc autem insinuatum ab illis est, quando de examine praemittendo circa ordinandos distincte mandaverunt. De quo vide tu de *etat.* & *qualitat.* & *ordin. profic.* item: de *temporibus ordinan.* & *qualit. ordin.* tum *extravag.* tum in *sexto.* Item speciatim ab *Innocentio Primo*, in epistola quarta ad *Felicem Nucernianum* Episcopum: „Nec cito quilibet lector, cito Acolytus, cito Diaconus, cito Sacerdos fiat, &c. ut emensis stipendiorum meritis veniant. Quoniam ergo certa definitione monstratum est, qui debeant admitti, quive reprobari: ex his omnibus, quos videt dignatio tua non posse reprobari eligere debet, quos clericos facies. Si enim nullam gratiam hominibus, aut beneficium praestare velimus, tales invenire possumus, de quorum assumptione, nec incurrere scandalum, nec erubescere valeamus. „ Hæc ibi. Nota *ly emensis meritis*, & *ly si enim nullam gratiam hominibus, aut, &c.* Per primum siquidem designatur dignitas, quod scilicet non ordinentur, nisi secundum mensuram meritorum: per secundum vero notatur origo, unde venit, quod digni non promoveantur, & in-

digni non repellantur; & aliquo modo confirmatur dictum sancti Thomæ in prima responsione ad primum, ut consideranti patet. Item a Concilio *Bracharenfi secundo*, canone tertio: „ Non aliquo pretio, &c. De ecclesiasticis ordinationibus antiqua definitio „ Patrum ita statuit, dicens: anathema sit „ danti, & accipienti, propterea quia aliquanti multis sceleribus obnoxii sancto „ indigne ministrantes altari non hoc testimonio bonorum actuum, sed profusione „ munerum obtinent. Oportet ergo non per gratiam munerum, sed per diligentem „ prius discussionem, deinde per multorum testimonia clericos ordinare. „ Hæc ibi, Item a Concilio *Trident.* sess. 7. cap. 11. de reformat. *Non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua diocesi residente, aut pro eo pontificalia exercente, & diligenti previo examine.* Hæc ibi. Ecce quod non contentatur de examine, sed addit, quod sit diligens: ex quo, quanti momenti res ista existat, innuit. Item ab eodem sess. 33. cap. 3. de reformat. *Episcopi impediri subditos suos non aliter, quam jam probatos, & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant.* Hæc ibi. Faciunt etiam hæc pro confirmatione supra dictorum in corollar. post conclus. Item ab eodem, sess. eadem, cap. 12. de reformat. „ Sciant Episcopi, non singulos in ea ætate constitu- „ tos debere ad hos ordines assumi: sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita „ senectus sit. Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi „ examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusi. „ Hæc ibi. Item ab eodem ibi, cap. 16. *Cum nullus debeat ordinari, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis ecclesiis.* Hæc ibi. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, prædicta Patrum, pro quanto ordinantes indignos peccare insinuant, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

AR.

(1) Ex quo refertur in Decret. dist. 23. cap. *Talis*, & ex illius ad Jacobum fratrem Domini episc. 2. prenotatur, ubi sic ait: *Tales ad ministerium eligantur Clerici, qui digni possint sacramenta Domini tractare: Melius est enim Domini sacerdoti pan-*

cos habere ministros qui possint digna opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant: Idem porro est Domini Sacerdoti ac Episcopi.

ARTICULUS V. 149

Utrum aliquis in peccato existens possit sine peccato Ordine suscepto uti.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod aliquis in peccato existens possit sine peccato ordine suscepto uti. Quia peccat, si non utatur, cum ex officio teneatur. Si ergo utendo peccat, non potest peccatum vitare: quod est inconveniens.

2. Præterea. Dispensatio est juris relaxationis. (1) Ergo quamvis de jure esset ei illicitum uti ordine suscepto, tamen ex dispensatione ei liceret.

3. Præterea. Quicumque communicat alicui in peccato mortali, peccat mortaliter. Si ergo peccator in usu ordinis peccat mortaliter, tunc etiam peccat mortaliter qui ab eo aliquid divinarum accipit, vel ab eo exigit, quod videtur absurdum.

4. Præterea. Si utendo ordine suo peccat; ergo quilibet actus ordinis, quem facit, est peccatum mortale: & ita cum in una executione ordinis multi actus concurrant, videtur quod multa peccata committat: quod valde durum videtur.

Sed contra est quod Dionysius in epist. ad Demophilum (quæ est VIII. a med.) dicit: *Talis, scilicet qui non est illuminatus audax videtur, sacerdotibus manum apponens; & non timet, neque verecundatur divina præter dignitatem exequens, & putans Deum ignorare, quæ ipse in seipso cognovit: & decipere (2) estimas falso nomine patrem ab ipso appellatum; & audeat ipsius munera ini-*

mundas infamias (non enim dicam orationes) super divina signa Christi formiter enuntiare. Ergo sacerdos est quasi blasphemus, & deceptor qui indigne suum ordinem exequitur; & sic mortaliter peccat: & eadem ratione quilibet alius ordinatus.

Præterea. Sanctitas vitæ requiritur in suscipiente ordinem, ut sit idoneus ad exequendum. Sed peccat mortaliter qui cum peccato mortali ad ordines accedit. Ergo multo fortius peccat mortaliter in qualibet executione sui ordinis.

Respondeo dicendum, quod lex præcipit (3) ut homo *juste ea quæ justa sunt exequatur*. Et ideo quicumque hoc quod sibi competit ex ordine, facit indigne, quod justum est, injuste exequitur, contra præceptum legis facit; ac per hoc mortaliter peccat. Quicumque autem cum peccato mortali aliquid sacrum officium pertractat, non est dubium quin indigne illud faciat. (4) Unde patet quod mortaliter peccat.

Ad primum ergo dicendum, quod non est perplexus, ut necessitatem peccandi habeat: quia potest peccatum dimittere vel officium resignare, ex quo obligabatur ad ordinis executionem.

Ad secundum dicendum, quod jus naturale est indispensabile: hoc autem est de jure naturali ut homo sancta sancte pertractet: & contra hoc nullus potest dispensare.

Ad tertium dicendum, quod quamdiu minister Ecclesiæ qui est in peccato mortali, ab Ecclesiâ sustinetur, ab eo sacramenta ejus subditus recipere debet, quia ad hoc est ei obligatus; sed tamen præter necessitatis articulum non esset tutum quod eum induceret ad aliquid sui ordinis exequendum, durante tali

(1) Sic Raymundus in Summa sua libro 2. tit. de lapsis & dispensationibus §. 9. definit, ac proinde vocari *vulnus* notat quia jus lædit: Et id colligit ex Decretis causa 23. quæst. cap. *Ipsa pietas*, ubi tale aliquid ex Aug. verbum indicatur quoddam legum temperatam severitatem, quæ contra hæreticos ab Imperatoribus læta fuerant.

(2) Vel planius & expressius: *Decipere se patres eum quem falso patrem vocat*, nimirum Deum ipsum non quia sit verus pater, sed quia erubescit nomine sic vocatur ab eo qui se indignum illo reddit: Imundas autem infamias ex græco *ἀνομιὰς* Moderni reddunt *blasphemias*.

(3) Puta Deuteron. 16. vers. 20. ubi dicitur, *Justo quod justum est persequeris* (*עֲשֵׂה דִּין*) sed potius quoad æqualitatem sensus, ac si dicitur *exequeris*.

(4) Huc pertinet quod Levitici 24. vers. 16. ad sa-

cerdotes filios Aarõn ex persona Dei dicitur: *Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus: Incensum enim Domini, & panes Dei sui offerent, & ideo sancti erunt: Et vers. 9. Sine ergo sancti quæ & ego sanctus sum Dominus, qui sanctifico eos: Et Esaiæ 57. vers. 11. Pollutum nomine tangere: mundamini qui feris vasa Domini: Quamvis de Apostolis & omnium Sanctorum choro Hieronymus explicet ibi Et Esaiæ 66. vers. 3. ubi vulgata legit: *Qui immolat bovem quasi qui interficit vitum, & qui immolat pecora quasi qui excutit capem: Ubi 70. legunt. Iniquus qui immolat mihi vitulum quasi qui occidas canem: Ut etiam Cyrill. in Esaiam commentatur: Etsi decesse in Hebræo iniqui nomen Hieronymus ibid. notat, & Præter alia suis locis notata, vel deinceps notanda.**

tali conscientia, quod illè in peccato mortali esset; quam tamen deponere posset, quia in instanti homo a divina gratia emundatur.

Ad quartum dicendum, quod quandocunque homo exhibet se in aliquo actu ut ministrum Ecclesie, in peccato mortali existens, mortaliter peccat, & toties, quoties huiusmodi actum facit: quia, ut Dionysius dicit 1. cap. eccles. Hierar. (sub. fin.) *immundis, nec symbola*, idest sacramentalia signa, tangere fas est. Unde quando tangunt res sacras, quasi suo officio utentes, peccant mortaliter. Secus autem esset, si in aliqua necessitate aliquod sacrum contingerent, vel exequerentur in illo casu, in quo etiam laicis liceret: sicut si baptizarent in aliquo articulo necessitatis, vel si corpus Christi in terram projectum colligerent.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem neti tanquam in radice a fortiori interimas heresim Lutheri pessimi dicentis: „ magnus error est eorum, qui accedunt ad hoc sacramentum Eucharistie huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi consciï alicuius peccati mortalis, quod præmisserint orationes suas, ac preparatoria, omnes hi iudicium sibi manducant, & bibunt: sed confidant, & credant, se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros, & dignos. „ Nam, cum præsens articulus demonstret illud, quod est minus, puta exequi officium diaconi, vel subdiaconi, non posse fieri absque peccato mortali novo, (quod sacrilegium vocatur) ab eo, qui sibi conscius est de peccato mortali, apertissimum est, quod multo magis per hoc demonstrat, quod non licet accedere ad Eucharistiam sumendam ei, qui sibi conscius est de peccato mortali, absque incurfu sacrilegii majoris. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illam heresim merito damnari a Leone X. in bulla contra errores Lutheri: cuius damnationem legas quæst. 1. art. 1. append. addendo quæst. 24. art. 1. append. Item a Concilio Trident. sess. 13. ca. 7. quod vide supra quæst. 5. art. 1. Item a, &c. de consec. dist. 2. ca. Quid ergo, ca. Sanctis, ca. Sicut Judas, & ca. Timotheum. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a sacris litteris, quod existens in peccato mortali illicitè exequitur officium ordinis sui. Insinuatam

autem est hoc 1. Timoth. 3. *Diaconus, &c. & sic ministros nullum crimen habentes.* Item Eccl. 56. *Levaminis, & mundi estote, qui fertis vasa Domini.* Vide supra quæst. 32. art. 3. append. de vindicta contra Balthasar, & quæst. 33. art. 1. not. post ad primum de vindicta contra Julianum. Item Hebr. 12. *Si bestia tetigerit montem, lapidabitur.* Item Exod. 30. *In aqua lavabunt Aaron, & filii ejus manus, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant thymiama Domini: ne forte moriantur.* Nota tu, quod ly forte hic sumitur, ut dicit assertionem, non dubitationem: & ex his infer a fortiori intentum tuum. Quarto habes: quomodo per rationem prædicta Scripturarum, & Patrum, pro quanto vel directe, vel in radice a fortiori insinuant, indigne ministrantes peccare, & intelligas, & probes, & deducas. Quinto vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O XXXVII.

De distinctione Ordinum, & eorum actibus, & characteris impressione,

In quinque articulos divisa.

Consequenter agendum est de distinctione ordinum, & eorum actibus, & characteris impressione.

Circa quod querantur quinque.

Primo, utrum ordo debeat in plures distingui.

Secundo, quot sint.

Tertio, utrum debeant distingui per sacros, & non sacros.

Quarto, utrum actus ordinum convenienter in littera assignentur.

Quinto, quando ordinum characteres imprimantur.

A R T I C U L U S I. 150

Utrum debeant plures Ordines distingui.

S. Thom. IV. dist. XXIV. quæst. II. art. 1. quæst. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non debeant plures ordines distingui. Quanto enim aliqua virtus est major, tanto minus

minus est multiplicata (1) Sed hoc sacramentum est dignius aliis sacramentis, in quantum constituitur suscipientes in aliquo gradu super alios. Cum ergo alia sacramenta non distinguantur in plura, quæ recipiant prædicationem totius, nec hoc sacramentum debet in plures ordines distingui.

2. Præterea. Si dividitur, aut est divisio totius in partes integrales, aut in partes subjectivas. Non autem in partes integrales, quia sic non reciperent prædicationem totius. Ergo est divisio in partes subjectivas. Sed partes subjectivæ recipiunt in plurali prædicationem generis remoti, sicut generis proximi; sicut homo, & asinus sunt plura animalia, & plura corpora animata. Ergo & sacerdotium, & diaconatus sicut sunt plures ordines, ita sunt plura sacramenta; cum sacramentum sit quasi genus ad ordines.

3. Præterea, Secundum Philosophum in VIII. Ethic. (2) regimen in quo unus tantum principatur, est nobilissimum regimen communitatis quam Aristocratia, qua diversi in diversis officiis constituuntur. Sed regimen Ecclesiæ debet esse nobilissimum. Ergo non deberet esse in Ecclesia distinctio ordinum ad diversos actus; sed tota potestas deberet apud unum residere; & sic deberet esse tantum unus ordo.

Sed contra. Ecclesia est corpus Christi mysticum, simile corpori naturali, secundum Apostolum (3) Sed in corpore naturali sunt diversa membrorum officia. Ergo & in Ecclesia debent esse diversi ordines,

Præterea. Ministerium novi Testamenti est dignius quam veteris, ut patet II.

Corinth. III. Sed in veteri Testamento non solum sacerdotes, sed etiam ministri eorum Levitæ sanctificabantur. Ergo & in novo Testamento debent consecrari per ordinis sacramentum non solum sacerdotes, sed ministri eorum; & ita oportet quod sint plures ordines.

Respondeo dicendum, quod ordinum multitudo est iuducta in Ecclesia propter tria. Primo quidem propter Dei sapientiam commendandam, quæ in distinctione rerum ordinata maxime relucet tam in naturalibus, quam in spiritualibus: quod significatur in hoc quod Regina *Saba videns ordinem ministrantium Salomoni, non habebat ultra spiritum*, (III. Reg. x. 4.) deficiens in admiratione sapientiæ illius. Secundo ad subveniendum humanæ infirmitati: quia per unum non poterant omnia quæ ad divina mysteria pertinebant, expleri sine magno gravamine: & ideo distinguuntur ordines diversi ad diversa officia: & hoc patet per hoc quod Dominus Numer. XI. dedit Moysi septuaginta senes in adiutorium. Tertio ut via proficiendi hominibus amplior detur; dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius, ut Dionysius dicit (cap. III. eccl. Hierarch.

Ad primum ergo dicendum, quod alia sacramenta dantur ad effectus aliquos percipiendos: sed hoc sacramentum datur principaliter ad actus aliquos agendos. Et ideo secundum diversitatem actuum oportet quod ordinis sacramentum distinguatur, sicut potentia distinguuntur per actus.

Ad

(1) Ut ex libro de Causis Proposit. 17. colligitur. ubi dicitur *omnis virtus una plus esse infusa quam virtus multiplicata*: Et ratio redditur, quia virtus quando incipit multiplicari, tunc destruitur antea eius; quanto autem magis augetur, tanto magis magificatur, & fit vehementior, &c.

(2) Ubi cap. 12. greco leg. vel. cap. 10. in antiquis, & apud S. Thomam lect. 10. æquivalenter id habetur: Est autem *aristocratia* (juxta significationem græcæ vocis.) non diversorum tantum, sed optimatum dominatus.

(3) Sic enim Rom. 12. vers. 4. & 5. *Sicut in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eundem adum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, &c.* Et non ad eundem sensum hic præcise intentum refert, id est ad varios Ordinum gradus quos inde infert S. Thomas per analogiam consequentiam tantum, sed ad varia dens in communi, quæ pro diverso capto singuli accipiunt; sive ministerium in ministrando; sive qui datus in

doctrina; qui exhortatur in exhortando, &c. Ubi nota ministerium predicandi munus: doctrinam disciplinam dogmatum; exhortationem suasionem ad virtutem Theoderetus commentatur. Sed plenius & explicitus 1. ad Cor. 12. vers. 7. *Unusquis datur manifestatio Spiritus ad utilitatem; Alii sermo sapientiæ, alii, &c.* Hæc autem omnia operatur unus quoque idem Spiritus dividens singulis prout vult; Sicut enim corpus est & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus. Et vers. 28. *Ipse autem est corpus Christi, & membra de membris* Et quædam quidem Deus posuit in Ecclesia, primoque Apostolos, Prophetas & Doctores, deinde episcopales, gubernationes, &c. Appendix autem sequens ex 2. ad Cor. 3. non sicut prius 5. in qua ministerium, non mysterium (sicut etiam prius) legi debet, magis valenter inde vers. 6. & sequenti indicatur; ubi ministratio mortis (id est veteris testamenti) ministratio spiritus vel. instrumenti novi opponitur.

Ad secundum dicendum, quod divisio ordinis non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis, sed totius potestati: cuius hæc est natura, quod totum secundum completam rationem est in uno, in aliis autem est aliqua participatio ipsius. Et ita est hic: tota enim plenitudo sacramenti huius est in uno ordine, scilicet sacerdotio, sed in aliis est quedam participatio ordinis. Et hoc significatum est in hoc quod Dominus dixit (1) Num. xi. 17. *Moyse: Auferam de spiritu tuo, quædamque eis, ut sustineant tecum onus populi.* Et ideo omnes ordines sunt unum sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod in regno quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes Regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quæ sunt participationes quedam regis potestatis. Et similiter est in ordine. In Aristocratia autem apud nullum residet plenitudo potestatis, sed apud omnes.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a scripturis, & a summis Pontificibus, quod ordines debent distinguere in plures. Insinuatam vero est hoc 1. *Timoth. 2. Oportet Episcopum irreprobabilem esse. &c. diaconos similiter pudicos, &c. & ad Tit. 1. Constituas per civitates presbyteros, &c.* Ecce, quod plures ordines statuit, videlicet, diaconatum, & presbyteratum, seu episcopatum. Nam utitur nomine episcopi, prout etiam significat presbyterum, *distinct. 62. cap. legimus* & licet a temporibus quoque Apostolorum essent distinctæ dignitates. Item a Concilio *Trident. sess. 23. cap. 2.* „Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri posset, ut in ecclesiis ordinatissima dispositio plures, & diversis essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent. „ Hæc ibi. Item ab *Innocent. III. A multis multoties &c.*

erubescant Impii, & intelligant iudicium spiritus sancti eos, qui in sacris ordinibus presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu, sunt positi, si caste non vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate. „ Hæc ille de *act. & qual. & ord. presb. Faciunt etiam hæc ad 9. 36. art. 1. & 4. Item a, &c. ut videbis in appen. seq. 2. art. Secundo habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, & patrum, pro quantum plures dicunt ordines distinguere, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S II. 151

Utrum sint septem Ordines.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod non sint septem ordines. Ordines enim Ecclesie ordinantur ad actus hierarchicos. Sed tres tantum sunt actus hierarchici, scilicet *purgare, illuminare, & perficere*, secundum quod Dionysius distinguit tres ordines in v. cap. eccles. Hierarch. (inter princ. & med.) Ergo non sunt septem.

2. Præterea. Omnia sacramenta habent efficaciam, & auctoritatem ex institutione Christi, vel saltem Apostolorum ejus. Sed in doctrina Christi, & Apostolorum non fit mentio nisi de presbyteris, & diaconis. Ergo videtur quod non sint alii ordines.

3. Præterea. Per sacramentum ordinis constituitur aliquis dispensator aliorum sacramentorum. Sed alia sacramenta non sunt nisi sex. Ergo debent esse tantum sex ordines.

4. Sed contra. Videtur quod debeant esse plures. Quia quanto aliqua virtus est altior, tanto est minus multiplicabilis. Sed potestas hierarchica est altiori modo in Angelis quam in nobis, ut Dionysius dicit (cap. 1. eccles. Hierarch. cir. med.) Cum ergo in hierarchia angelica sint novem ordines, totidem deberent esse in Ecclesia, vel plures.

5. Præterea. Prophetia psalmorum est nobilior inter omnes prophetias. Sed ad pronuntian-

(1) Analogie non proprie: Nam de gubernatione tantum vel regimine, non de sacro ministerio ibi agitur; cum dixisset Moyse ver. 14. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum quia gravis est mihi.* Unde ver. 16. subiungitur: *Dixit Dominus ad Moysem: Congrega mihi 70. viros de senibus Israel quos tu nosti, quod senes populi sunt ac magistri.* Ita. Tum deinde *Auferam de spiritu tuo.*

Nec sacerdos proprie Moyse fuit, nisi extraordinarius, ut quidam Patres eum vocant: Unde quod *Psal. 96.* dicitur, *Moyse & Aaron in sacerdotibus eius*, non significat quod uterque sacerdos fuerit, sed sic intelligitur separatim, & constructur, *Moyse & Aaron, quæ numero sacerdotum fuit, sive unus ex illis, &c. ut plenius alibi ostensum est.*

nuntiandum in Ecclesia alias prophetias est unus ordo, scilicet lectorum. Ergo & ad pronuntiandum psalmos deberet esse alius ordo; & præcipue cum in Decret. dist. XXI. (cap. Cleros) psalmista secundus ab ostiario inter ordines ponatur. (1)

Respondeo dicendum, quod quidam sufficientiam ordinum assumunt per quandam adaptationem ad gratias gratis datas, de quibus habetur I. Corinth. XII. Dicunt enim, quod sermo sapientie competit Episcopo, quia ipse aliorum ordinum est; quod ad sapientiam pertinet: sermo scientie sacerdoti, quia debet habere clavem scientie: fides diacono, qui prædicat Evangelium; opera virtutis subdiacono, qui se ad opera perfectionis extendit per votum continentie: interpretatio sermonum acolyto; quod significatur in lumine quod defert: gratia sanitarum exorcista: genera linguarum psalmista: prophetia lectori: discretio spirituum ostiario, qui quosdam repellit, & quosdam admittit. Sed hoc nihil est: quia gratia gratis data non datur eidem, sicut ordines dantur eidem. Dicitur enim I. Cor. XII. 4. *Divisiones gratiarum sunt*. Et iterum ponuntur quedam quæ ordines non sunt, scilicet Episcopatus, & psalmistatus.

Et ideo alii assignat secundum quandam assimilationem ad cælestem hierarchiam, in qua ordines distinguuntur secundum purgationem, illuminationem, & perfectionem. Dicunt enim, quod ostiarius purgat exterius, segregando bonos a malis etiam corporaliter; interius vero acolytus, quia per lumen quod portat, significat se interiores tenebras pelere; & utroque modo exorcista: quia dia-bolum, quem expellit, utroque modo percurbat: sed illuminatio, quæ fit per doctrinam propheticam fit per lectores, quantum

ad apostolicam fit per subdiaconos, quantum ad evangelicam per diaconos fit: sed perfectio communis, utpote quæ est poenitentiae, & baptismi, & huiusmodi, fit per sacerdotem, excellens vero per Episcopum, ut consecratio sacerdotum, & virginum; sed excellentissima per summum Pontificem, in quo est plenitudo auctoritatis. Sed hoc nihil est; tum quia ordines cælestis hierarchiæ non distinguuntur per prædictas actiones hierarchicas, cum quælibet cuiuslibet ordinum conveniat; tum quia secundum Dionysium (cap. v. Eccles. Hierarch. ante med.) solis Episcopis convenit perficere, illuminare autem sacerdotibus, purgare autem ministris omnibus.

Et ideo alii appropriant ordines septem donis; ut sacerdotio respondeat donum sapientie, quæ nos pane vitæ, & intellectus cibis, sicut sacerdos nos panem cælesti reficit; sed timor ostiario, quia nos separat a malis; & sic intermedii ordines respondent mediis donis. Sed hoc iterum nihil est: quia in quolibet ordinum septiformis gratia datur.

Et ideo aliter dicendum, quod ordinis sacramentum ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur, quod est sacramentum sacramentorum ut Dionysius dicit (2) Sicut enim templum, & altare, & vasa, & vestes, ita & ministri, qui ad Eucharistiæ ordinationem, consecrationem indigent: & hæc consecratio est ordinis sacramentum. Et ideo distinctio ordinum est accipiendam secundum relationem ad Eucharistiæ: quia potestas ordinis aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiæ, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc sacramentum Eucharistiæ. Si primo modo, sic est ordo sacerdotum: & ideo cum ordinantur, accipiunt calicem cum vino, & patenam cum pane, accipientes

Qq

pore-

(1) In generali enumeratione graduum Clericalium, ubi primo ponitur Ostiarius, Psalmista, Lector, initio capituli Cleros: Deinceps tamen specialiter explicando singulos gradus, non eadem series observatur, sed post majores explicatos dicitur: Lectores a legendo, Psalmista a Psalmis canendis sic vocari: Illi enim predicant populis quid sequantur: Ipsi canunt ut ad compunctionem animos audientium excitent, &c. Tum inferius Acolyti, Exorcista: Ostiarii subiunguntur ex Isidoro lib. 7. Etymologiarum vel Originum cap. 12. Nec similiter dist. 25. cap. Perlectus ex epist. eius ad Leufredum, ut rursus ad marginem indicabatur: Nam ubi primum Ostiarius, tum Exorcista, tum Acolytus, tum Psalmista, tum Lector explicatur. Sed ut jam 4. Sent. notavimus id

expressius habet 23. dist. ubi cap. 15. Subdiaconus, cap. 16. Acolytus, cap. 17. Exorcista, cap. 18. Lector, cap. 19. Ostiarius cap. 20. Psalmista recensentur, & sic immediate ipsi Ostiario subiungitur Psalmista officium illius explicando, ac id ex Concilio Carthaginensi 4. cui August. interfuit cap. 5. 6. 7. 8. 9. 10. prænotatur.

(2) Ex cap. 3. libri de Eccles. hier. æquivalenter colligitur, ubi τακτῶν τακτῆς, statim ab initio vocat quasi τακτῆς usurpando pro sacramento vel pro sacrificio, sicut & Aug. lib. 10. de civit. Dei cap. 9. consecrationem reddit: Idem ergo est ut τακτῆς τακτῶν Eucharistia nuncupetur ac Sacramentum Sacramentorum, ut Moderni etiam vertunt.

potestatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi. Cooperatio autem ministrorum est vel in ordine ad ipsum sacramentum, vel in ordine ad fuscipientes. Si primo modo, sic est tripliciter. Primo enim est ministerium, quo minister cooperatur sacerdoti in ipso sacramento quantum ad dispensationem, sed non quantum ad consecrationem, quam solus sacerdos facit: & hoc pertinet ad diaconum. Unde in littera (IV. dist. xxv. (1) dicitur, quod ad diaconum pertinet ministrare sacerdotibus in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi: unde & ipse Christi sanguinem dispensat. Secundo est ministerium ordinatum ad materiam sacramenti ordinandam in sacris vasis ipsius sacramenti: & hoc pertinet ad subdiaconos: unde dicitur in littera (ibid.) quod vasa corporis, & sanguinis Domini portant, & oblationem in altari ponunt; & ideo accipiunt calicem de manu Episcopi, sed vacuum, cum ordiantur. Tertio est ministerium ordinatum ad presentandam materiam sacramenti: & hoc competit acolyto, ipse enim, ut in littera (ibid.) dicitur, urceolum cum vino, & aqua preparat: unde accipit urceolum vacuum. Sed ministerium ad preparationem recipientium ordinatum non potest esse nisi super immundos: quia qui mundi sunt, jam sunt ad sacramenta percipienda idonei. Triplex autem est genus immundorum, secundum Dionysium (loc. sup. cit.) Quidam enim sunt omnino infideles credere nolentes; & hi totaliter etiam a visione divinorum, & a cœtu fidelium arcedi sunt; & hoc pertinet ad offitios. Quidam autem sunt volentes credere, sed nondum instructi, scilicet catechameni; & ad horum instructionem ordinatur ordo lectorum:

& ideo prima rudimenta doctrinae fidei, scilicet vetus Testamentum eis legendum committitur. Quidam vero sunt fideles, & instructi, sed impedimentum habentes ex demonis potestate, scilicet energumeni; & ad hoc ministerium est ordo exorcistarum. Et sic patet ratio & numeri, & gradus ordinum.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius loquitur de ordinibus, non secundum quod sunt sacramenta, sed secundum quod ad hierarchicas actiones ordinantur. Et ideo secundum actiones illas tres ordines distinguit: quorum primus habet omnes tres, scilicet Episcopus; secundus habet duas, scilicet sacerdos; sed tertius habet unam, scilicet purgare, scilicet ipse diaconus, qui minister dicitur: & sub hoc omnes inferiores ordines comprehenduntur. Sed ordines habent quod sint sacramenta ex relatione ad maximum sacramentorum: & ideo secundum hoc debet numerus ordinum accipi.

Ad secundum dicendum, quod in primitiva Ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora ministeria diaconis committebantur, ut patet per Dionysium III. cap. eccles. Hierarchy. (aliquant. a princ.) ubi dicit: *Ministorum alii stant ad portas templi clausas; alii aliud proprii ordinis operantur, alii autem sacerdotibus proponunt super altare factum panem, & benedictionis calicem.* Nihilominus erant omnes prædictæ potestates, sed implicite, in una diaconi potestate. Sed postea amplius est cultus divinus: & Ecclesia, quod implicite habebat in uno ordine, explicite tradidit in diversis. Et secundum hoc dicit Magister in littera [loc. sup. cit.] quod Ecclesia alios ordines sibi instituit.

Ad

(1) Ubi additur §. 8. seu littera H. quod ad eum pertinet quoque oblationes inferre & ponere in Altari, ex cap. *Perleffis* jam notato; licet hoc ipsum in prædicto sentent. textu §. 7. seu littera G. Subdiacono tribuatur, sicut hic, verbis tamen paululum immutatis, nimirum quod *ad eum pertinet tantum de oblationibus ponere in Altari quantum sufficere possit populo*: Sed cap. *aleffus* non idem illi tribuitur, cum simpliciter ad eum pertinere dicatur *calicem & patenam ad Altare Christi deferre ac Levitis tradere* (seu Diaconis) *eisque ministrare, urceolum cum aqua & manile & mansergerium tenere, ac lavandis ante Altare manibus Episcopi vel presbyteri aquam præbere*. Distinct. autem 21. Decreti cap. *Cleros*, dicuntur tantum ex Isidoro libro 7. etymolog. vel orig. cap. 12. *Subdiaconi oblationes in*

templo Dei suscipere a fidelibus, & Levitis (id est Diaconis) deferre superponendas Altaribus: Quod ergo in prædicto Magistri textu dicuntur eas in Altari ponere, vel de oblationibus intelligendum quae consecrari debent, & in communione distribuuntur, unde additur *quantum sufficere possit populo*: eas enim deferre potest Subdiaconus cum ad Altare calicem deferret & patenam, cui superimponi solent: Vel intelligi debet oblationes mediate ponere in Altari, cum eas Diacono porrigit ab eodem super Altare deponendas, ut art. 1. ad 3. explicabitur: Quod etiam dicuntur *vasa corporis & sanguinis Domini portare*, non est intelligendum formaliter & reduplicative prout actu continentia corpus & sanguinem Domini, sed materialiter & in potentia dumtaxat, prout ad usum illum destinata.

A P P E N D I X.

Ad tertium dicendum, quod ordines ordinantur principaliter ad sacramentum Eucharistiae, ad alia autem per consequens: quia etiam sacramenta ab eo quod in hoc sacramento continetur, derivantur. Unde non oportet quod distinguantur ordines secundum sacramenta.

Ad quartum dicendum, quod Angeli differunt specie: & propter hoc in eis potest esse modus diversus accipiendi divina; ideo etiam diversae hierarchiae in eis distinguuntur. Sed in hominibus tantum est una hierarchia propter unum modum accipiendi divina, qui consequitur humanam speciem, scilicet per similitudines rerum sensibilium. Et ideo distinctio ordinum in Angelis non potest esse per comparisonem ad aliquod sacramentum, sicut est apud nos, sed solum per comparisonem ad hierarchicas actiones, quas in inferiores exercet quilibet ordo in eis. Et secundum hoc nostri ordines eis respondent: quia in nostris hierarchia sunt tres ordines secundum tres hierarchicas actiones distincti, sicut (*) in qualibet hierarchia Angelorum.

Ad quintum dicendum, quod psalmistatus non est ordo, sed officium ordini annexum: quia enim Psalmi cum cantu pronuntiantur, ideo dicitur Psalmista, cantor. Cantor autem non est nomen ordinis specialis, tum quia cantare pertinet ad totum chorum, tum quia non habet aliquam specialem relationem ad Eucharistiae sacramentum: quia tamen officium quoddam est, inter ordines largo modo acceptos aliquando computatur. (i)

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas haereses *Lusberi* dicentis: quod ordo non est alter altero major dignitate, & potestate. Item *Waldensium* (ut refert *Guido*) dicentium: ordines tres tantum in Ecclesia esse, Diaconum, Presbyterum, & Episcopum. Item *Graecorum* (teste *Guidone*) dicentium: ordinem lectoratus tantum ex minoribus esse: Ostiarium vero, Exorcistam, & Acolytum non debere inter ordines computari. Contra quos enim haec moventur articulus: & de singulis, ut patet studiose legenti, invictissimis rationibus triumphat. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illas merito damnari a Scripturis, *Exod. 29.* ubi Aaron super alios Sacerdotes, & Levitas late describitur esse, etiam quantum ad ornamenta. Vide tu, & conjunge haec auctoritati *Heb. 10.* dicenti, quod lex habet umbram futurorum bonorum, & *1. Corinth. 11.* quod omnia in figura continebantur Patribus antiquis. Hinc igitur ab umbra, & figura Aaronis sacerdotum, levitarumque antiquorum argumentare ad veritatem, & figuratum Episcoporum, sacerdotum simplicium, aliorumque ministrorum altaris, quoad dignitatem, & potestatem, quoniam argumentum a figura ad figuratum demonstrandi habet magnam vim, ut ostendit Apostolus quandoque in illationibus suis. Item a Concilio *Carthaginensi* quarto. Nam de Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, acolyti, exorcistae, lectoris, & ostiarii, ordinationibus, ca. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. mentionem facit. Item a Concilio

Q q 2 Tri-

(*) Ita vetera exempla: recensio in qualibet hierarchia una Angelorum.

(i) Nec tamen in Decretis distincti 24. ubi supra expresse Ordo appellatur, sed gradus, cum dicitur cap. Cleros ex Isidoro: Generaliter Clerici nuncupantur omnes qui in Ecclesia Christi deserviant; quorum gradus & nomina sunt haec, Ostiarius, Psalmista, Lector, &c. Ut & distincti 24. ex cap. 10. Concilii Carthag. 4. officium non Ordo nominatur, cum sic dicitur: Psalmista, idest Cantor, possit absque licentia (vel scientia seu noticia) Episcopi, sola iustione Presbyteri, officium suscipere cantandi: quanto sibi Presbytero. Vide ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus compleas (vel comprabas) Tametsi inscriptio habeat in Decretis expresse, sed in Editione Conciliorum implicite; qualiter Psalmista ordinetur: Nec expressius dist. 25. in cap. Perfecit jam notato, ubi statim post Acolytum

de Psalmista dicitur: Ad Psalmistam pervenit Officium cantandi, &c. Quamvis & ibi praeimitur generaliter, qualiter Ecclesiastica officia ordinentur perquisit: Et mox: De omnibus Ecclesiae gradibus quid ad quemque perveniat: Sed illud ordinari non significat accipere ordinem vel ordinationem, ut hic, sed in serie collocari: Quasi sit sensus qualiter ordinentur, idest quam seriem inter se vel ordinem habeant. Quia tamen sic promittens recensitor praedicti gradus & Psalmistae cum illis confunduntur quos Ecclesia pro legitimis Ordinibus agnoscit, satis fuit ut S. Thomas inter Ordines computari diceret, addeatque nihilominus largo modo acceptos; non quod Ordines illi quibus annumeratur Cantor vel Psalmista, non sint proprie dicti; sed quia ibi non secundum propriam illam acceptionem considerantur, cum de illis agitur velut officiis quibusdam & gradibus quibus per se indifferens est (ut sic fiat) an Ordines necne.

Fridem. sess. 33. cap. 7. „ Non solum de sacerdotibus, sed & de diaconis sacre litæ apertam mentionem faciunt: & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, & ipso Ecclesie iustitio sequentium ordinum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolyti, exorcistæ, lectoris, & ostiarii in usu facile cognoscuntur, quamvis non parigra- du. Nam subdiaconatus ad majores ordines à Patribus, & sacris Concil., refer- tur; in quibus & de aliis inferioribus fre- quentiſſime legimus. *Hæc ibi. Et can. 22.* Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines & majores, & minores, per quos, velut per gradus quoddam, in sacerdotium tendatur, anathema sit. *Hæc ibi, Item a dist. 77. cap. In singulis,* cum seq. Vide etiam *Item a Concil. Aquisgranensi*, quod facit mentionem, longamque declarationem, de singulis ordi- nibus. Nam inquit cap. 2, „ ostiarii sunt, qui in veteri testamento janitores ser- pli vacabantur, *Ec. & cap. 3.* lecto- rum ordo formam, & instituta a prophetis accepit. Sunt igitur lectores, qui verbum Dei prædicant, *Ec. lectorem scire oportet attentum vim: ut noverit, in qua syllaba vox protendatur pronunciantis. Plerumque enim impetiti lectores in ver- borum accentibus errant, & solent non ir- ridere inhærentia hi, qui videntur habere notitiam, detrahentes, & iustantes, poni- tus nos nefaire, quod dicimus, *Ec. & cap. 4.* In ordine, & ministerio ecclesie decet esse exorcistas secundum officia, quæ in Templo Salomonis erant disposita, quæ- que posterius sunt ab Esdra dispersita, *Ec. & cap. 5.* Acolyti Græce, Latine ceroserarii dicuntur a deportandis cereis, quando legendum est Evangelium, aut sa- crificium offerendam, *Ec. & cap. 6.* Sub- diaconi, hi apud Græcos Hippodiaconi vocantur, in Esdr. inveniuntur, appellan- turque ibi Nāthihnai, idest in humilitate domino servientes; ex eorum ordine fuit Nathanael, qui in Evang. Jo. *Ec. & sup. 7.* Diaconorum ordo a tribu Levi accepit*

exordium, *Ec. cas.* In Evangelio autem primordia eorum, & in Act. Apostolorum *Ec. & cap. 8.* Presbyterorum ordo exor- dium sumpsit a filiis Aaron. Qui enim sa- cerdotes vocabantur in veteri testamento, hi sunt, qui nunc appellantur presbyteri, *Ec. & Hæc ibi.* Ubi nota, quod Concil. hoc *Aquisgranense* præcessit Luthero multis temporibus; cum celebratum fuerit circa annum Domini 816. *Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto septem ordines, in ecclesia statuant, & in- telligas, & probes, & defendas. *Quarto* vi- des quomodo *Ec.*

ARTICULUS III. 132

Utrum Ordines debeant distingui per sacra, & non sacra,

AD tertium sic proceditur. Videtur quod ordines non debeant distingui per sacra & non sacra. Omnes enim ordines sacra- menta quoddam sunt. Sed omnia sacramenta sunt sacra. Ergo omnes ordines sunt sacri. *2.* Præterea. Secundum ordines Ecclesie non deputatus aliquis nisi ad divina officia. Sed omnia talia sunt sacra. Ergo & omnes ordines sunt sacri.

Sed contra est quod ordines sacri impe- diunt matrimonium contrahendum, & divi- nunt jam contractum. Sed quatuor inferio- res ordines non impediunt contrahendum, nec dirimunt contractum. Ergo non sunt sacri ordines.

Respondeo dicendum, quod ordo sacer dicitur dupliciter. Uno modo secundum se; & sic quilibet ordo est sacer, cum sit sacra- mentum quoddam. Alio modo ratione ma- teriz circa quam habet aliquem actum: & sic ordo sacer dicitur qui habet aliquem ac- tum circa rem aliquam consecratam. Et sic sunt tres tantum ordines sacri, scilicet sa- cerdotium, & diaconatus, qui habent actum cir- ca corpus Christi, & sanguinem consecratum, & subdiaconatus, qui habet actum circa vasa consecrata, & ideo eis etiam continentia in- dicitur, ut sancti, & mundi sint qui sancta tractant. (*)

Et per hoc patet solutio ad objecta. AP.

(*) *Hactenus D. Thomas, sic autem proseguitur Nicolæus.* Unde dist. xxviii. in Decretis cap. *De- cernimus* ex Innocentio II. in Concilio Romano cap. v. *Decernimus* ut ii qui in ordine subdiaconatus & supra, uxores duxerint, seu concubinas habuerint

officio ac ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi, templum Domini, vasa Domini, & scra- rum Spiritus sancti debeant esse, & dici; indi- guntur est eos cubilibus & immunditiis seruire. *U. & cap. Nullum* ex Gregorio papa. *L. I. c. 20.*

A P P E N D I X.

HEX art. habes primo; quomodo per rationem offendas, merito esse insinuaturn ab Honorio III. quod non omnes, sed tres ordines sunt sacri, & sic. *Ecclesia suo viduata pastore canonice ipsum Gu. unanimiter elegerunt. Qui cum esset diu sacros ordines consecutus, Archiepiscopus episcopo mandauit, ut eum uno, & eodem die ad tres sacros ordines promoveret.* Hæc ille de temp. ordin. dilectus. **E**cce, quod tres sunt sacri: & iste iam ordinatus erat circa sacros, id est ordines non sacris; & hi sunt quatuor ordines minores. Ergo sacri illi tres vocantur, & sunt idem, quod maiores. Unde de a. t. & qual. Quæritur nobis, quid agendum sit de clericis suæ jurisdictioni commisis, qui, cum beneficiis ecclesiasticis multum abundent, a te commoniti uolunt ad maiores ordines promoueri, se tunc quid secreto commisisse dicentes, quod eos (salua conscientia) ordinare non sine, &c. Presenti pagina statuentes, ut, si prædicti clerici perceptione majorum ordinum propter occulta sua peccata se indignos esse fateantur, inferiores in ecclesia, quorum sit. vita probabilis præferantur eidem. *Hæc ibi Alexand. III. item ibi. cap. 3. Præterea, licet ad regimen parochialis Ecclesie non debeat aliquis, nisi subdiaconus sit ad minus, admitti: dispensatiue tamen in minoribus*

ordinibus constituti conseruerunt admitti, dum tamen tales sint, quod infra breue tempus possint in presbyteros ordinari. *Hæc ibi Alexand. III. item ab Innoc. III. Insinuaturn idem. A. multis multoties, &c. Urban. Papa Primus decrevit, ut nullus in episcopum, nisi in sacris ordinibus religiose uiuens inuentus fuerit, eligatur: Sacros, inquit, ordines diaconatum dicimus, & presbyteratum: hos siquidem solos primitiua ecclesia legitur habuisse, &c. in quibus uerbis innuitur, quod Urban. ad statum primitiue ecclesie se referebat, in quo subdiaconatus ordo sacer minime dicebatur. Verum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computatur: sicut Urban. Papa II. expressit. *Hæc ibi de a. t. & qual. item ab Urba. II. Grandensi Patriarchæ Dominio scribente. Erubescant impii, & aperte intelligant iudicio sancti Spiritus eos, qui modo in sacris tribus gradibus, sc. presbyteratu, diaconatu, & subdiaconatu positi, mulierculas non abiecerint, & caste non uixerint: excludendos ab eorundem graduum dignitate. Hæc ille: & uocantur. dist. 32. item a Conc. Carthag. Placuit, episcopos, diacos, subdiaconos, secundum priora constituta etiam, abstinere ab uxoribus. Quod, nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio. Cæteros uero clericos ad hoc non cogi. *Hæc illud: & uocantur. dist. 32. item a Papæ Leone contra epist. Nicenæ. Abbas. S. Rom. ecclesia***

larum. epist. xli. 1. Nullum facere subdiaconum præsumat Episcopi nisi qui se caste uicturum promiserit. Quia nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante acceptum ministerium fuerit approbata. Vel expressius & plenius ex Gregorii textu originali: Eos qui post prohibitionem factam (de non continendis ordinandis in subdiaconatu) ab uxoribus continere se noluerint, nolimus promoueri ad sacrum ordinem: quia nullus debet ad ministerium altaris &c. ut prius. Quamuis enim a primis temporibus non haberentur sacri subdiaconi, & propterea permitteretur illis ut uxores ducerent, sicut ibidem Gregorius indicat, & refertur dist. xxxi. in Decretis cap. Ante triennium, ac ob eam causam prohiberentur sacrarium ingredi, uel hostiæ uasum contingere. dist. xxii. cap. Non oportet ex Concilio Laodiceno can. xxi. sed nec in Episcopos eligi possent ordinariõ ufu, sicut iterum in Decretis dist. ix. cap. Nullus ex Urbano dicitur: Nullus in Episcopum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiose uiuens fuerit inuentus: sacros autem ordines dicimus diaconatum, & presbyteratum: hos siquidem solos primitiua legitur

habuisse Ecclesia: subdiaconos uero; quia & ipsi altaribus ministrant, opportunitàte exigente, concedimus; postmodum tamen & coeperunt haberi sacri, & conjugia illis prohiberi, & sacrorum uasorum tactus eis concedi, & permitti ut ad Episcopatum assumi possent: quodcumque illos eligi contingeret. Unde Innocentius III. ut cap. A multis uidero est extra de orate & qualitate ordinandorum, post relatum Urbani Papæ I. supradictum decretum sic subiungit: In quibus uerbis innuitur quod Urbanus ad statum primitiue Ecclesie se referens, in quo subdiaconatus ordo sacer minime dicebatur, instituit ut de subdiacono (nisi permissione Romani Pontificis vel Metropolitanus) non possent electio celebrari. Verum cum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computatur, sicut Urbanus Papa II. sub his uerbis expressit: Erubescant impii, & intelligant iudicio Spiritus sancti eos qui in sacris ordinibus (presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu) sunt positi, si caste non uixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate: statuimus ut subdiaconus in Episcopum liberetur, deat eligi &c.

„ de gradibus clericorum ait, Ostiarios, le-
 „ ctiores, exorcistas, Acolytos (si extra vo-
 „ tum, vel habitum monachi inveniantur, &
 „ continentiam profiteri noluerint) uxorem
 „ ducere virginem cum benedictione sacerdo-
 „ tali permittuntur, &c. Si quis ex præfa-
 „ tis ordinibus desiderat ad subdiaconatum
 „ ascendere, non potest sine consensu uxoris
 „ suæ, neque permittitur postea uxor jungi
 „ eidem marito suo carnaliter. „ Hæc ille:
 „ & recitantur dist. 32. feriatim. *Secundo* igitur patet, per supradictos Rom. Pont. & Concilia damnari errorem *Lutheri* (*Prat. Lutherani*) irridentis cœlibatum, atque dicentis: sacerdotes non debere esse cœlibes. Qui error & a Conc. *Neocæsariensi* a 6. synod. in Trull. celebrata confirmato damnatus fuerat c. 1. sic. *Presbyter, si uxorem duxerit, ab ordine suo illum deponi debere. Quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra ecclesiam abjici, & ad penitentiam inter laicos redigi.* Hæc ibi; & recitantur dist. 28. *Tertio* habes: quomodo per D. Tho. rationem, & prædictum *Lutheri* errorem excludas, & merito a prædictis patribus damnatum esse ostendas. *Quarto* habes: quomodo per rationem ejusdem D. Tho. prædicta patrum de factis, vel non sacris ordinibus, & intelligas, & probes, & quearis. *Quinto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 153

Utrum actus Ordinum convenienter in littera assignentur.

S. Thom. in IV. Sent. dist. XXIV. quest. II. art. 2.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod actus ordinum inconvenienter in littera assignentur (IV. dist. xxiv.) Quia per absolutionem præparatur aliquis ad corpus Christi sumendum. Sed præparatio suscipientium sacramentum pertinet ad interiores ordines. Ergo inconvenienter absolutio a peccatis inter actus ponitur sacerdotis.

2. Præterea. Homo per baptismum est im-

mediate Deo configuratus, characterem configurantem suscipiens. Sed orare, & offerre oblationes sunt actus immediate ad Deum ordinati. Ergo quilibet baptizatus potest hos actus facere, & non solum sacerdotes.

3. Præterea. Diversorum ordinum diversi sunt actus. Sed oblationes in altari ponere, & epistolam legere, ad subdiaconum pertinet: crucem etiam ferunt subdiaconi coram Papa. Ergo hi non debent poni actus diaconi.

4. Præterea. Eadem veritas continetur in veteri, & novo Testamento. Sed legere vetus Testamentum est lectorum. Ergo eadem ratione & legere novum, & non diaconorum.

5. Præterea. Apostoli nihil aliud prædicaverunt quam Evangelium Christi, ut patet Rom. 1. Sed doctrina Apostolorum committitur subdiaconis enuntianda. Ergo & doctrina Evangelii.

6. Præterea. Secundum Dionysium (cap. v. eccles. Hierarch. ante mod.) quod est superioris ordinis, non debet inferiori convenire. Sed ministrare cum urceolo est actus subdiaconorum. Ergo non debet acolytis attribui.

7. Præterea. Actus spirituales debent corporalibus præminere. Sed acolytus non habet nisi actum corporalem. Ergo exorcista non habet actum spirituales pellendi demones, cum sit inferior.

8. Præterea. Quæ magis conveniunt, juxta se ponenda sunt. (1) Sed legere vetus Testamentum maxime debet convenire cum lectione novi Testamenti, quæ competit superioribus ministris. Ergo legere vetus Testamentum non debet poni actus lectoris, sed magis acolyti; & præcipue cum lumen corporale quod acolyti deferunt, significet lumen spiritualis doctrinæ.

9. Præterea. In quolibet actu ordinis (*) specialis debet esse aliqua vis specialis, quam habeant ordinati præ aliis. Sed in apertione, & clausione ostiorum non habent aliam potestatem ostiarii quam alii homines. Ergo hoc non debet poni actus ipsorum.

Respondeo dicendum, quod, cum consecratio quæ fit in ordinis sacramento (2), ordine-

(1) Ut mutuam operam sibi invicem præstent; vel alterius officium alteri coaptetur congruentius propter propinquitatem; sicut in angelicis officiis inter se tali modo connexis compertum est: Non eo sensu quo dici potest ex Philosopho *contraria juxta se poni*, ut ex illa positione contigua & ex propinqui-

tate utriusque magis invicem elucescant.

(*) *Al. spiritualis hic & infra.*

(2) Præsertim quoad illos Ordines qui dicuntur proprie sacri propter ministerium sacrum ad quod proxime ordinantur: Quamvis & in aliis Ordinibus non sacris dici possit *consecratio* minus proprie ipsa depe-

dinetur ad sacramentum Eucharistiæ, ut dictum est (art. præc. & art. 2. hu. quæst. ad 3.) ille est principalis actus uniuscuiusque ordinis, secundum quem magis proxime ordinatur ad Eucharistiæ sacramentum. Et secundum hoc etiam unus ordo est alio eminentior, secundum quod unus actus magis de proximo ad prædictum sacramentum ordinatur. Sed quia ad Eucharistiæ sacramentum, quasi dignissimum, multa ordinantur; ideo non est inconveniens ut præter principalem actum, etiam multos actus unus ordo habeat, & tanto plures, quanto est eminentior: quia virtus quanto est superior, tanto ad plura se extendit.

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est preparatio suscipientium sacramentum: quædam remota; & hæc per ministros efficitur: quædam proxima, qua statim efficiuntur idonei ad sacramentorum (*) susceptionem; & hæc pertinet ad sacerdotes: quia etiam in naturalibus ab eodem agente fit materia in ultima dispositione ad formam, & recipit formam. Et quia in proxima dispositione ad Eucharistiæ fit aliquis per hoc quod a peccatis purgatur; ideo omnium sacramentorum, quæ sunt instituta principali ter ad purgationem peccatorum, est minister proprius sacerdos, scilicet baptisimi, penitentis, & extremæ unctionis.

Ad secundum dicendum, quod actus aliqui immediate ad Deum ordinantur dupliciter. Uno modo ex parte unius personæ tantum, sicut facere orationes singulares, & vovere, & huiusmodi; & talis actus competit cuilibet baptizato. Alio modo ex parte totius Ecclesiæ: & sic solus sacerdos habet actus immediate ad Deum ordinatos: quia ipse so-

lus potest gerere personam totius Ecclesiæ, qui consecrat Eucharistiæ, quæ est sacramentum universalis Ecclesiæ. (1)

Ad tertium dicendum, quod oblationes a populo oblatae per sacerdotem offeruntur. Et ideo duplex ministerium circa oblationes est necessarium: (2) unum ex parte populi; & hoc est subdiaconi, qui accipit oblationes a populo, & altari imponit, vel offert diacono: aliud ex parte sacerdotis: & hoc diaconi est, qui oblationes ministrat ipsi sacerdoti: & in hoc est actus principalis utriusque ordinis: & propter hoc ordo diaconi est superior. Legere autem epistolam non est diaconi, nisi secundum quod actus inferiorum ordinum superioribus attribuuntur; similiter etiam crucem terre: & hoc secundum consuetudinem aliquarum Ecclesiarum: quia in actibus secundariis non est inconveniens diversas consuetudines esse.

Ad quartum dicendum, quod doctrina est remota preparatio ad sacramentum suscipiendum: & ideo pronuntiatio doctrinæ ministris committitur. Sed doctrina veteris Testamenti adhuc est magis remota quam doctrina novi, quia non instruit de hoc sacramento nisi in figuris. Et ideo novum Testamentum superioribus ministris pronuntiandum committitur, vetus autem inferioribus. Doctrina etiam novi Testamenti præfatio est quam Dominus per seipsum tradidit, quam ipse manifestatio per Apostolos. Et ideo Evangelium diaconis, epistola (3) subdiaconis committitur.

Et per hoc patet solutio ad quintum.

Ad sextum dicendum, quod acolyti habeat actum super urceolum tantum, non supra ex quo in urceolo continentur; sed subdiaconus habet actum super contentis in urceolo

deputatio per characteris impressionem ad Ecclesiæ functiones pro singulorum conditione obeundas: Hoc enim sensu consecrata dicuntur in Scriptura etiam citra characterem, quæcumque deputantur ministerio vel usui divino; sicut immolatis victimis vel aliis id genus: & Ecclesiastici 4. vers. 9. *Consecratus Propria*, id est, ad prophetandum destinatus: Præterquam quoque licet Ordines illi non sint facti prædicto modo quo sic majores appellantur, sunt sacri tamen propter conditionem Sacramenti cuius faciunt partem, & sic in eis dici potest *consecratio*, &c.

(*) *Al. dispensationem.*

(1) Quasi nomine, vice, ministerio Ecclesiæ universalis oblatum, &c.

(2) Jam indicatum supra ex Magistri Sentent. textu, cum ad Subdiaconum paragraph. 7. ad Diaconum autem paragr. 8. pertinere significavit *oblationes in altari ponere* ut art. 2. relatam est; ubi &

ad oblationes applicatum, non a populo datas tantum, sed populo communicanti distribuendas; hoc est hostias quæ a Subdiacono ad altare interdum deferuntur a sacerdote consecrandæ.

(3) Quæ ut plurimum sumi solet ex novo Testamento; tamen & interdum sumitur ex veteri tum in feriis tum in festis quibusdam de beata Virgine ac de Sancta: puta ex libro Prov. libro Sapient. libro Ecclesiastici, & prophetia Esaiæ; maxime vero in feriis Quadragesimalibus & similibus ex aliis veteris Testamenti partibus pro dierum diversa ratione. Sed a majori parte denominatio sumitur, ut dicantur ex novo Testamento sumi: Vel quia celebrius dicuntur quam aliæ cum simul recitandæ concurrunt; ut in die Nativitatis Christi, cum Prophetiam Esaiæ simpliciori teno inferior Minister legi, sed epistolam Pauli Subdiaconus altiori subjungit voce ac solemnius pronuntiat.

ceolo: quia utitur aqua, & vino ad ponendum in calice, & aquam iterum manibus sacerdotis præbet: & diaconus, sicut & subdiaconus, solum actum habet super calicem, non super contenta, sed sacerdos super contenta. Et ideo sicut subdiaconus in sui ordinatione accipit calicem vacuum, sacerdos plenum; ita acolytus urceolum vacuum, sed subdiaconus plenum. Et sic est quædam connectio in ordinibus.

Ad septimum dicendum; quod corporales actus acolyti magis de proximo ordinantur ad actum sacerdotum ordinum quam exorcistæ actus, quamvis sit aliquo modo spiritualis: quia acolyti habent ministerium super vasa, in quibus materia sacramenti continetur, quantum ad vinum, quod vase continente indiget propter sui humiditatem. Et ideo inter omnes ordines minores ordo acolytorum superior est:

Ad octavum dicendum, quod actus acolytorum se habet propinquius ad actus principales superiorum ministrorum, quam actus aliorum minorum ordinum, ut per se patet; & similiter etiam quantum ad actus secundarios, quibus populum per doctrinam disponunt: quia acolytus doctrinam novi Testamenti visibiliter figurat, lumen portans; sed lector recitando figuras alias: ideo acolytus est superior: similiter etiam exorcista: quia sicut se habet actus lectoris ad actum secundarium diaconi & subdiaconi, ita se habet actus exorcistæ ad secundarium actum sacerdotis, scilicet ligare, & absolvere; per quem totaliter homo a servitute diaboli liberatur. Et in hoc patet ordinatissimus ordinis progressus: quia sacerdoti quantum ad actum eius principalem, scilicet consecrare corpus Christi, cooperantur tantum tres superiores ordines (1); sed quantum ad actum eius secundarium, qui est absolvere, & ligare, cooperantur superiores & inferiores.

Ad nonum dicendum, quod quidam di-

cunt, quod in susceptione ordinis ostiario datur quædam vis divina, ut arceere possit alios ab introitu templi, sicut in Christo fuit, quando ejecit vendentes de templo. Sed hoc magis pertinet ad gratiam gratis datam, quam ad gratiam sacramenti.

Et ideo dicendum, quod suscipit potestatem ut ex officio hoc agere possit; quamvis etiam ab aliis fieri possit, sed non ex officio. Et ita est in omnibus actibus minorum ordinum, quod possint per alios licite fieri; quamvis illi ad hoc non habeant aliquod officium, sicut etiam in domo non consecrata potest dici Missa, (2) quamvis consecratio Ecclesie ad hoc ordinetur ut in ea Missa dicatur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Lutheri* dicentis, quod unus ordo non est altero major dignitate, & potestate. Est huius in articulo præsentis dictis totum oppositum. dicente monstratur. Et licet hæresis hæc supra art. 2. recitata etiam, & confutata sit; tamen hoc in loco, non superflue, iterum adducitur. Nam multis in locis pro diversitate, vel articulo, vel modi directe magis, aut indirecte tractandi eandem materiam, vel propter aliquod aliud circumstant, utile valde est recensere eisdem errores, ut multipliciter confundantur, & consequenter non est in vitio dandum, tanquam sit replicatio vana, & hoc per se videbit, qui studiose leget occurrentes materias. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, prædictam hæresim merito damnari a, &c. ut art. 2. appen. Item ab *Anacleto* Papa in epist. 2. ad Episcopos universos in Italia constitutos. *Ue a Beato Petro Principe Apostolorum sumus instructi, sicut scribere vobis non denegavimus. Non minus, quam a tribus Episcopis ordinetur Episcopus.*

(1) Puta Diaconorum, Subdiaconorum, & acolytorum; qui dicuntur superiores comparative ad alios tres qui nihil ad consecrationem remote vel propinquè conferant, cum interim Acolytorum ordo inter inferiores absolute recensetur qui minores Ordines dici solent.

(2) Ut in Decretis de consecrat. dist. 1. cap. *Sicut* ex epist. 1. Felicis Papæ colligitur, ubi dicitur: *Sicut non alii quam sacri Domino Sacerdotes debent Missas cantare, sic nec alii quam Domino sacris locis (id est in tabernaculis divinis precibus a Pontificibus delibuitis) Missas cantare, nisi summa cog-*

grit necessitas, quoniam necessitas legem non habet, &c. Et cap. *Missarum* ex Concil. Triburt. *Missarum solemnitas non ubique sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Et c. *Hic ergo* ex epist. 3. Clementis Papæ: *In aliis locis Missas celebrare non licet, nisi in his in quibus Episcopus proprius iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet civitatem, conservata fuerit, &c.* Præter illa quæ Concilium Tridentinum Sess. 23. de observandis in sacris Missis præscribit ac permittit.

scopus, reliqui vero sacerdotes a proprio ordinantur Episcopo, similiter & diaconi, & ceterorum graduum distributio. Item ab eod. in epist. 3. Sacerdotum ordo bipartitus est: & sicut Dominus illum constituit, a nullo debet perturbari. Scitis a Domino Apostolos esse electos; ad eos vero adjunctos septuaginta duos discipulos. Episcopi Apostolorum, presbyteri septuaginta duorum discipulorum locum tenent. Hæc ibi. Item a Concilio Tridentino sess. 23. can. 6. Si quis dixerit: in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, que constat ex episcopis, presbyteris, & ministris: anathema sit. Hæc ibi. Quid autem intelligat per hierarchiam majorem, & minorem, dignitatem, ac potestatem ordinatum declaraverat supra can. 4. sic: „ Si quis omnes pari inter se potestate spiritali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, que est, ut castrorum acies ordinata, confundere, &c. Hæc ibi. Item can. 2. Si quis dixerit, non esse præter sacerdotium in Ecclesia catholica ordines & majores, & minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur: anathema sit. Hæc ibi. Ecce, quod hi ordines sunt disparēs: & quia sunt tum majores, tum minores: & quia sunt gradus ad sacerdotium. Quanto ergo appropinquant magis, vel minus ad sacerdotium, tanto magis, vel minus sunt digni. Tertio habes: quomodo prædicta Patrum, pro quanto actus ordinum convenienter graduari, assignarique insinuant, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 154

Utrum Sacerdoti character imprimatur in ipsa calicis porrectione.

S. Thom. ubi sup. art. 3. quest. un.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod sacerdoti character non imprimatur in ipsa calicis porrectione. Quia consecratio sacramenti. Summ. ST. b. Tom. XIII.

cerdotis fit cum quadam unctione, sicut & confirmatio. Sed in confirmatione in ipsa unctione imprimitur character. Ergo etiam in sacerdotio, & non in calicis porrectione.

2. Præterea. Dominus dedit discipulis sacerdotalem potestatem, quando dixit, Accipite Spiritum sanctum: quorum remisistis peccata &c. Joan. xx. 22. Sed Spiritus sanctus datur per manus impositionem. Ergo & in ipsa manus impositione imprimitur character ordinis.

3. Præterea. Sicut consecrantur ministri, ita & vestes ministrorum. Sed vestes sola benedictio consecrat. Ergo & in ipsa benedictione Episcopi consecratio sacerdotis efficitur.

4. Præterea. Sicut sacerdoti datur calix, ita & vestis sacerdotalis. Ergo si in datione calicis imprimitur character, eadem ratione & in datione casulæ; & sic sacerdos haberet duos characteres: quod falsum est.

5. Præterea. Ordo diaconi conformior est ordini sacerdotis, quam ordo subdiaconi. Sed si character imprimeretur sacerdoti in ipsa calicis porrectione, subdiaconus esset conformior sacerdoti quam diaconus: quia subdiaconus characterem recipit in ipsa calicis porrectione, non autem diaconus. Ergo character sacerdotalis non imprimitur in ipsa calicis porrectione.

6. Præterea. Acolytorum ordo magis appropinquat ad actum sacerdotis per hoc quod habet actum super urceolum, quam per hoc quod habet actum super candelabrum. Sed magis imprimitur character in acolytis, quando accipiunt candelabrum, quam quando accipiunt urceolum: quia nomen acolyti ceteri portationem significat. (1) Ergo in sacerdote non imprimitur character, quando calicem accipit.

Sed contra. Principalis actus ordinis sacerdotis est consecrare corpus Christi. Sed ad hoc datur illi potestas in calicis porrectione. Ergo tunc imprimitur character.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc. ad 1.) ejusdem est formam aliquam inducere, & materiam de proximo
R r pr-

(1) Sic Isidorus lib. 7. etymologiarum vel originum cap. 12. ex quo refertur in Decretis dist. 21. cap. Cleros ubi sub finem: Acolysis greco (inquit) latine Ceroferarii dicuntur a cereis deponendis quando legendum est Evangelium aut sacrificium offerendum: Tunc enim accenduntur ab eis luminaria & deponantur; non ad effugandas tenebras, cum Sol

eodem tempore rutilat, sed ad signum lætitiæ demonstrandum; ut sub typo luminis corporalis ostendatur illa lux de qua in Evangelio legitur. Erat lux vera, &c. (Joan. 1.) Sed parum equa interpretatio græci nominis quod vel improbitum significat ex ἀκαθάρτου vel potius ἀσκήσαντων ex ἀκαθάρτου, quod acutus reddi debet.

præparare ad formam. Unde Episcopus in collatione ordinum duo facit: præparat enim ordinandos ad ordinis susceptionem; & ordinis potestatem tradit. Præparat quidem & instruendo eos de proprio officio, & aliquid circa eos operando, ut idonei sint ad potestatem accipiendam: quæ quidem præparatio in tribus consistit, scilicet benedictione, manus impositione, & unctione. Per benedictionem divinis obsequiis mancipantur: & ideo benedictio omnibus datur. Sed per manus impositionem datur plenitudo gratiæ, per quam ad magna officia sunt idonei. Et ideo solis diaconis, & sacerdotibus fit manus impositio: quia eis competit dispensa-

tio sacramentorum; quamvis uni sicut principali, & alteri sicut ministro. Sed unctio non ad aliquod sacramentum tractandum consecratur. Et ideo unctio solis sacerdotibus fit, qui propriis manibus corpus Christi tangunt; sicut etiam calix inungitur, qui continet sanguinem, & patena, quæ continet corpus: sed potestatis collatio fit per hoc quod datur eis aliquid quod ad proprium actum pertinet. Et quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus, & sanguinem Christi; ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod in confirmatio-

(1) Cum Episcopus nempe dicit: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo Missasque celebrandum pro vivis quam pro defunctis*, &c. Hinc in Decreto Eugenii 4. post Concilium Florentinum, *Ordinis materia est illud per cuius traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino & patene cum pane porrectionem*: Et paulo post. *Forma Sacerdotii talis est; Accipe potestatem offerendi sacrificium* &c. Hinc & in Concilio Trident. Sess. 22. cap. 1. *Apostolos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituisse Christus dicitur, cum corpus & sanguinem suum ut sumerent tradidit, & eisdem ac eorum in sacerdotio successoribus ut offerens præcipit per hæc verba*, Hoc facite in meam commemorationem. *ut Ecclesia semper intellexit*. Hinc & Sacerdos Judas ex illis verbis Psal. 104. quæ S. Petrus Actuum 1. ad illum pertinere indicat, colligitur: *Episcopatum ejus accipias aliter; hoc est sacerdotium* (*ἐπισκοπή*) ut Chrysostomus in eum locum homil. 3. commentatur; tamen solam offerendi sacrificii potestatem in ejus institutione accepisset. Addunt alii tamen, & Bellarminus ipse; quod ad essentialem quoque sacerdotii rationem potestas absolventi peccata & proinde manuum Pontificis impositio pertineat, in qua confertur hæc potestas: Primo, quia per manus impositionem sacra ordinatio in Scriptura significari solet ad. 6. 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. Secundo, quia & per illam dicitur dari apud Clementem lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 2. Damasum episc. 4. Innocentium 1. episc. 22. Leonem 1. episc. 87. Alexandrum 2. ad Ecclesiam Lucensis Clerum causa 1. qu. 3. can. *Ex multis*, & Urbanum 2. ad Episcopum Pistoriensem eadem causa qu. 7. cap. *Dalbertum*. Tertio, quia Nicænum Concilium can. 9. *imponere manus idem esse indicat, quod Presbyteros ordinare*; Conc. Carthag. 4. cui Augustin. interfuit, solius impositionis manuum in ordinatione mentionem facit; & Concilium Trident. Sess. 14. cap. 3. *Presbyterum per manus impositionem rite ordinatum, extremæ unctionis ministrum vocat*: Quarto, quia & Patres tum Latini tum Græci sic loquuntur; ut Ambrosius lib. de dignitate sacerdotali cap. 7. Augustin. de gestis cum merito cap. & aliis pluribus locis, Hier-

onym In Isaïæ 58. & Chrysostom. homil. 10. in 1. ad Timoth. &c. Hinc duas materias & duas formas partiales Ordinis assignandas ad essentialiam ejus constituendam putant: Atqui repugnant manifeste, quæ superius allata sunt, & quæ jam factos probant Sacerdotes antequam illis manus ad conferendam absolventi auctoritatem imponantur: Nec urgent quæ afferunt: Primo quia præter ceremoniam celebriorem per impositionem illam ordinationem significari potest, licet ad essentialiam absolute non pertineat, sed sit ejus appendix tantum & complementum quoddam præcedenti accessorium potestati: Secundo quia cum Concilium Chartaginense 4. impositionis manuum tantum ceremoniam commemorat, non significat eam essentialiam esse, cum non ab Episcopo tantum sed etiam a Presbyteris qui ordinationem non tribuunt, fieri dicat; unde non quasi materiam sed quasi quandam ceremoniam accessoriam assignare intendit, sicut nec ex processu explicare quicquid ad rationem Sacramenti essentialiam spectat: Tertio quia cum Concilium Tridentinum de Presbytero tanquam *per manus impositionem ordinato* loquitur, non expendit an essentialiter nec ne, sed hoc ideo dicit quia extremæ unctionis, cuius occasione illud affert, ministratio ad eam potestatem pertinet quæ in manuum impositione confertur, quasi appendix quædam remissionis peccatorum. Quarto, quia cum in eodem Concilio Sess. 23. Can. 4. anathema dicitur *si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum ac proinde frustra Episcopus dicere, Accipe Spiritum sanctum, aut per eum non imprimi characterem*, non significat characterem tunc tantum ordinato imprimi cum Episcopus manum imponens dicit, *Accipe Spiritum sanctum*, quod Canon 2. Sessionis 22. contradiceret, ubi & anathema dicit, *si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos. Sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum*: Sed significat generaliter quæ ad Ordinationem omni modo pertinet, ut est & impressio characteris & collatio gratiæ cuius quoddam augmentum sortem per manuum impositionem ordinato confertur, cum dicitur, *Accipe Spiritum sanctum*,

firmatione non datur officium operandi super aliquam materiam exteriorem : & ideo character ibi non imprimitur in aliqua exhibitione alicujus rei, sed in sola manus impositione, & unctioe. Sed in ordine sacerdotali aliter est. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod Dominus discipulis dedit potestatem sacerdotalem, quantum ad principalem actum, ante passionem in coena, quando dixit: *Accipite, & manducate*: unde subjunxit: *Hoc facite in meam commemorationem*. (Lucæ XXI. 19.) Sed post resurrectionem dedit eis potestatem sacerdotalem, quantum ad actum secundarium qui est ligare, & solvere.

Ad tertium dicendum, quod in vestibus non requiritur alia consecratio, nisi quod divino cultui mancipentur; & ideo sufficit eis pro consecratione benedictio. Sed aliter est de ordinatis, ut ex dictis patet (in corp. art.)

Ad quartum dicendum, quod vestis sacerdotalis non significat potestatem sacerdoti datam, sed idoneitatem, quæ in eo requiritur ad actum potestatis exequendum. Et ideo nec sacerdoti, nec alicui alii imprimitur character in alicujus vestis datione.

Ad quintum dicendum, quod potestas diaconi est media inter potestatem subdiaconi, & sacerdotis. Sacerdos enim directe habet potestatem super corpus Christi, subdiaconus autem super vasa tantum; sed diaconus super corpus Christi in vase contentum. Unde ejus non est tangere corpus Christi, sed portare corpus in patena, & dispensare sanguinem cum calice. Et ideo ejus potestas ad actum principalem non potuit exprimi nec per dationem vasis tantum, nec per dationem materiz; sed exprimitur potestas ejus ad actum secundarium tantum, in hoc quod datur ei liber Evangeliorum; & in hac potestate intelligitur alia: & ideo in ipsa libri datione imprimitur character.

Ad sextum dicendum, quod principalior actus acolyti est, quo ministrat in urceolo; quam quo ministrat in candelabro; quamvis denominetur ab actu secundario, propter hoc quod est magis notus, & magis proprius ei: & ideo in datione urceoli imprimitur acoly-

to character, virtute verborum ab Episcopo prolatorum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem excludas errorem cujusdam *Petri Canonista* (ut refert *Magister Jo. de Tabia in Tabiena sua, tit. ordo 2. nu. 7.*) dicentis quod character sacerdotalis imprimitur in impositione manuum: quod & dicit de characterem diaconi. Item cujusdam *Petri & Abbatis* (ut refert idem ibi *num. 10.*) dicentium; quod character imprimitur acolyto in porrectione candelabri. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores illos merito damnari ab *Eugenio IV.* sacro approbante Concil. *Florent.* in decret. Armen. dat. de sacramentis. *Sententia est sacramentum ordinis, &c. presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patene cum pane porrectionem: et similiter de aliis per verum ad ministeria sua pertinentium assignationem.* Hæc ibi. Ubi per res pertinentes ad ministeria intelligit a simili de pertinentibus ad ministeria, non quæcunque, sed principalia. A simili, inquam: quoniam & de presbytero non quodcunque, sed principale ministerium assignat, ut nunc visum est; similiter & de subdiacono subdens, quod *per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem subdiaconatus ordo traditur.* Et, licet dicat, quod per libri Evangeliorum dationem ordo diaconatus conferatur (sicut verum est) tamen per hoc non intendit ministerium illud sacramentum esse præcise: sed in ipso secundario subintelligit ministerium principale inclusum (ut in responsione ad *quintum*, declaratum est.) Item a Pontificali Romano, in quo characterem presbyteratus in porrectione calicis prædicti, & characterem acolyti in porrectione urceoli imprimi annotatur. Pontificale autem Romanum tantæ auctoritatis est, ut ad illud nos remittat Concil. *Florent.* in tractatu de ordine dicens: *& sic de aliorum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.* Hæc illud concilium in decreto prædicto. Memento diligenter hic, & alibi (ubi cunque opus fuerit) illius regulæ uni-

R r 2 ver-

ad eam potestatem accessoriam exercendam ut ipse S. Thomas paulo post quæst. 38. art. 1. ad 1. quasi jam dictum præsupponit; Unde frustra ex ejus verbis id probare se posse putant quod sic aperte negat: Nec efficere quidquam ex Concilio Tridentino pro-

contraria sententia stabilienda possunt, quam non audent ut certam asserere vel definitam; qualis tamen dicendū esset si verba quæ inculcant eo quem volunt sensu intelligi & explicari oportere. In integro igitur & sub iudice adhuc res est.

versaliffimæ de conformando, seu aptando verba aliquorum doctorum dictis conciliorum fequentium: ut ibi explicatur in regula poſita *qu. 29. ar. 3. append. Tertio* habes, quomodo per rationem prædicta patrum, pro quanto in calicis porrectione, & rerum actus principales importantium, inſinuant characterem imprimi, & intelligas, & probes, & tuearis. *Quarto* vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O XXXVIII.

De conferentibus hoc Sacramentum,

in duos articulos diviſa.

DEinde conſiderandum eſt de conferentibus hoc ſacramentum.

Circa quod quaruntur duo,

Primo, utrum ſolus Epifcopus poſſit hoc ſacramentum conferre.

Secundo, utrum hæreticus, vel quicumque alius ab Eccleſia præciſus poſſit hoc ſacramentum conferre.

A R T I C U L U S I. 155

Utrum tantum Epifcopus Ordinis Sacramentum conferat.

S. Thom. IV. diſt. xxv. queſt. 1. art. 1.

AD primum ſic proceditur. Videtur quod non tantum Epifcopus ordinis ſacramentum conferat. Quia manus impoſitio ad conſecrationem aliquid facit. Sed ſacerdotibus qui ordinantur, non ſolum Epifcopus manus imponit, ſed etiam ſacerdotes adſtantes. Ergo non ſolum Epifcopus confert ordinis ſacramentum.

2. Præterea. Tunc unicuique datur poteſtas ordinis, quando id ei exhibetur quod ad actum ſui ordinis pertinet. Sed ſubdiaconis datur urceolus cum aqua, mantili, & manutergio ab Archidiacono: ſimiliter acolytis candelabrum cum ceréo, & urceolus vacuus. Ergo non ſolus Epifcopus confert ordinis ſacramentum.

3. Præterea. Illa que ſunt ordinis, non poſſunt alicui committi qui non habet ordinem. Sed conferre ordines minores committitur aliquibus, qui non ſunt Epifcopi, ſicut Presbyteris Cardinalibus. Ergo conferre ordines non eſt Epifcopalis ordinis.

4. Præterea. Cuicumque committitur principale, committitur & acceſſorium. Sed or-

dinis ſacramentum ordinatur ad Euchariftiam, ſicut acceſſorium ad principale. Cum ergo ſacerdos conſecret Euchariftiam, ipſe etiam poterit ordines conferre,

5. Præterea. Plus diſtat ſacerdos a diacono, quam Epifcopus ab Epifcopo. Sed Epifcopus poteſt conſecrare Epifcopum. Ergo & ſacerdos poteſt promovere diaconum.

Sed contra. Nobiliori autem applicantur ad divinum cultum miniſtri per ordines quam vaſa ſacra. Sed conſecratio vaſorum pertinet ad ſolum Epifcopum. Ergo multo fortius conſecratio miniſtrorum.

Præterea. Sacramentum ordinis eſt excellentius quam confirmationis. Sed ſolus Epifcopus confirmat. Ergo multo magis ſolus confert ordinis ſacramentum.

Præterea. Virgines per benedictionem non conſtituuntur in aliquo gradu ſpiritualis poteſtatis, ſicut ordinati conſtituuntur. Sed virgines benedicere eſt ſolius Epifcopi. Ergo multo magis ſolus ipſe poteſt aliquos ordinare.

Reſpondeo dicendum, quod poteſtas epifcopalis habet ſe ad poteſtatem ordinum inferiorum, ſicut politica, que conſectat bonum commune, ad inferiores artes, & virtutes, que conſectat aliquod bonum ſpeciale, ut ex dictis patet (*queſt. xxxvii. art. 1. in corp. & ad 3.*) Politica autem ponit, ut dicitur in I. Ethic. (*cap. 11. a princ.*) legem inferioribus, ſcilicet quis quam debeat exercere, & quantum, & qualiter. Et ideo ad Epifcopum pertinet in omnibus divinis miniſteriis alios collocare. Unde ipſe ſolus confirmat, quia confirmati in quodam officio conſtitendi fidem conſtituuntur: & ideo ipſe etiam ſolus virgines benedicit, que figuram gerunt Eccleſiæ Chriſto deſponſatæ, cujus cura ipſi principaliter committitur: ipſe etiam in miniſteriis ordinum ordinandos conſecrat; & vaſa, quibus uti debent, eis determinat ſua conſecratione; ſicut & officia ſæcularia in civitatibus diſtribuuntur ab illo qui habet excellentiorem poteſtatem, ſicut a Rege.

Ad primum ergo dicendum, quod in impoſitione manuum non datur character ſacerdotalis ordinis, ut ex dictis patet (*art. præc.*) ſed gratia, ſecundum quam ad exequendum ordinem ſint idonei. Et quia indigent ampliſſima gratia, ideo ſacerdotes manus cum Epifcopo imponunt eis qui in ſacerdotes promoventur, ſed diaconis ſolus Epifcopus.

Ad ſecundum dicendum, quod quia Archidiaconus eſt quaſi princeps miniſterii, ideo omnia que ad miniſterium pertinent, ipſe tra-

tradit; sicut cereum, quo acolytus diacono servit ante eum ad Evangelium, ipsum portando, & urceolum, quo servit subdiacono: & similiter dat subdiacono ea quibus superioribus ordinibus servit. Sed tamen in illis non consistit principalis actus subdiaconi, sed in hoc quod cooperatur circa materiam sacramenti: & ideo characterem accipit in hoc quod datur ei calix ab Episcopo. Sed acolytus accipit characterem ex verbis Episcopi in hoc quod accipit prædicta ab Archidiacono, & magis in acceptione urceoli quam candelabri. Unde non sequitur quod Archidiaconus ordinem conferat.

Ad tertium dicendum, quod Papa, qui habet plenitudinem potestatis pontificalis, potest committere non Episcopo ea quæ ad episcopalem dignitatem pertinent; dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum corpus Christi. Et ideo ex ejus commissione aliquis sacerdos simplex potest conferre minores ordines, & confirmare, non autem aliquis novus sacerdos; nec iterum sacerdos majores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem quam simplex sacerdos.

Ad quartum dicendum, quod quamvis sacramentum Eucharistiæ sit maximum sacramentum in se; tamen non collocat in aliquo officio, sicut ordinis sacramentum. Et ideo non est similis ratio.

Ad quintum dicendum, quod ad communicandum alteri quod quis habet, non exigitur solum propinquitas, sed & completio potestatis. Et quia sacerdos non habet completam potestatem in hierarchicis officiis, sicut Episcopus, ideo non sequitur quod possit diaconos facere, quamvis ille ordo sit sibi propinquus.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem, tanquam in radice, interimas hæresim Joann. Wiclibi dicentis: Episcopus omnes, & presbyteros dignitate, & auctoritate æquales esse. Item Joann. Wiclibi errorem, ut ex Concilio Constantiensi infra citando referatur, dicentis, ordinationem clericorum reservari Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris. Patet siquidem ex ratione fundatissima articuli præsentis, secundum ordinatissimam dispositionem ordini naturali, quem superat, conformem, reservari Episcopis ordinum collatio-

nem hanc. Si vero aliqui forsan, quod nescio, propter cupiditatem lucri, vel honoris ordinum talium collationes exerceant: hoc est omnino extra propolitam nostram. Unde nec propter hujusmodi particularia, si qua sint, debuit moveri Wiclibi ad sic perniciosè detrahendum dignitati Episcopali, & Papali. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas; errorem Wiclibi prædictum merito damnari a Concilio Constantiensi sess. 8. cujus damnationis verba vide q. 20. art. 3. append. Vide aliquid etiam q. 29. art. 6. in textu, & eluc. Item a Concilio Tridentino sess. 2. c. 4. Proinde sacrosancta synodus, declarat, præter cæteras ecclesiasticas gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positor, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse, ac Sacramentum confirmationis conferre, ministros ecclesie ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quorum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Hæc ibi. Ecce, quod secundum concilium a Spiritu sancto positi sunt Episcopi regere Ecclesiam Dei in his officiis peragendis, in esse superiori ad presbyteros dignitate, & auctoritate: & consequenter non a cupiditate lucri temporalis, vel honoris. Item ab eod. can. 7. Si quis dixerit: Episcopus non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem: Anathema sit. Hæc ibi. Et universaliter de cunctis ordinibus canon. 6. Si quis dixerit: in ecclesia catholica non esse hierarchiam divinam ordinatione institutam, que constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris. Anathema sit. Hæc ibi. Per hierarchiam vero intelligere se declaravit cap. 4. non omnes pari inter se potestate spiritali præditos esse. Item ab Anacleto Papa. Sacerdotes a proprio ordinentur episcopo. Hæc ille: dist. 67. reliqui. Item a Concilio Hispanensi. Episcopus sacerdotibus, ac ministris solum honorem dare potest. Hæc illud dist. 67. Tertio habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum q. 37. & patrum, pro quanto Episcopum solum ordinis sacramentum conferre dicunt, & intelligas, & probes, & thearis. Quarto videas quomodo &c.

ARTICULUS II. 156

Utrum heretici, & ab Ecclesia præcisi possint ordines conferre.

S. Thom. IV. dist. xxv. quest. 1. art. 2.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod heretici, & ab Ecclesia præcisi non possint ordines conferre. Majus est enim conferre ordines quam aliquem absolvere, vel ligare. Sed hereticus non potest absolvere, vel ligare. Ergo nec ordines conferre.

2. Præterea. Sacerdos ab Ecclesia separatus consecrari potest: quia in eo character indelebiter manet, per quem hoc potest. Sed Episcopus non accipit aliquem characterem in sui promotione. Ergo non est necesse quod episcopalis potestas remaneat in eo post separationem ejus ab Ecclesia.

3. Præterea. In nulla communitate ille qui a communitate expellitur, potest officia communitatis disponere. Sed ordines sunt quedam officia Ecclesiarum. Ergo ille qui extra Ecclesiam ponitur, non potest ordines conferre.

4. Præterea. Sacramenta habent efficaciam ex passione Christi. Sed hereticus non continuatur passioni Christi neque per propriam fidem, cum sit infidelis, neque per fidem Ecclesiarum, cum sit ab Ecclesia separatus. Ergo non potest sacramentum ordinis conferre.

5. Præterea. In ordinis collatione exigitur benedictio. Sed hereticus non potest benedicere; quinimmo benedictio sua in maledictionem vertitur, ut patet per auctoritates in littera inductas (IV. dist. xxv.) Ergo non potest ordines conferre.

Sed contra est quod aliquis Episcopus in hæresim lapsus, quando reconciliatur, non iterum consecratur. Ergo non amisit potestatem, quam habebat, ordines conferendi.

Præterea. Major est potestas conferendi ordines, quam potestas ordinum. Sed potestas ordinum non amittitur propter hæresim, vel aliquid hujusmodi. Ergo nec potestas conferendi ordines.

Præterea. Sicut baptizans exhibet tantum ministerium exterius, ita & conferens ordines. Deo interiori operante. Sed nulla ratio-

ne aliquis ab Ecclesia præcisi amittit baptizandi potestatem. Ergo nec ordines conferendi.

Respondet dicendum, quod circa hoc ponuntur in littera (loc.cit.) quatuor opiniones.

Quidam enim dixerunt, quod heretici, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, habent potestatem ordines conferendi, non autem postquam fuerint ab Ecclesia præcisi: similiter nec degradati, & alii hujusmodi. Et hæc est prima opinio. Sed hoc non potest esse: quia omnis potestas quæ datur cum aliqua consecratione, nullo caso contingente tolli potest, re ipsa durante, sicut nec ipsa consecratio annullari: quia etiam altare, vel chrisma semel consecrata perpetuo consecrata manent. Unde cum episcopalis potestas cum quadam consecratione detur, oportet quod perpetuo maneat, quantumcumque aliquis peccet, vel ab Ecclesia præcidatur.

Et ideo alii dixerunt, quod præcisi ab Ecclesia, qui in Ecclesia episcopalem potestatem habuerunt retinent potestatem alios ordinandi, & promovendi; sed promoti ab eis hoc non habent. Et hæc est quarta opinio. Sed hoc etiam non potest esse quia si illi qui fuerunt in Ecclesia promoti, retinent potestatem quam acceperunt, patet quod exequendo suam potestatem, veram consecrationem faciunt: ideo vere tribuunt omnem potestatem quæ cum consecratione datur: & sic ordinati ab eis, vel promoti habent eandem potestatem quam ipsi.

Et ideo alii dixerunt, quod etiam præcisi ab Ecclesia possunt ordines conferre, & alia sacramenta; dummodo formam debitam, & intentionem servent, & quantum ad primum effectum, qui est collatio sacramenti, & quantum ad ultimum, qui est collatio gratiæ. Et hæc est secunda opinio. Sed hoc etiam non potest stare: quia ex hoc ipso quod aliquis heretico præciso ab Ecclesia in sacramentis communicat, peccat; & ita factus accedit, & gratiam consequi non potest, nisi forte in baptismo in articulo necessitatis. (1)

Et ideo alii dicunt, quod vera sacramenta conferunt; sed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam sacramentorum, sed propter peccata recipientium ab eis sacramenta contra prohibitionem Ecclesiarum. Et hæc est tertia opinio, quæ vera est.

(1) De quo dubitative sic loquitur quia posset etiam contingere ut heretico baptizanti adultus congereret, & sic indignus esset gratiam recipere: Nam

alioqui certo talis baptismus propter solam necessitatem, sic receptus gratiam recipienti conferret si ceteræ conditiones ex ejus parte non decissent.

Ad primum ergo dicendum, quod effectus absolutionis non est aliud quam remissio peccatorum, quæ per gratiam fit: Et ideo hæreticus non potest absolvere, sicut nec gratiam in sacramentis conferre: & ideo quia ad absolutionem requiritur iurisdictio, quam non habet ab Ecclesia præcisus.

Ad secundum dicendum, quod in promotione ipsius Episcopi datur sibi potestas, quæ perpetuo manet in eo; quamvis dici non possit character, quia per eam non ordinatur homo directe ad Deum, sed ad corpus Christi mysticum: & tamen indelibiliter manet, sicut character, quia per consecrationem datur. (1)

Ad tertium dicendum, quod illi qui promouentur ab hæreticis, quamvis accipiant ordinem, non tamen recipiunt executionem, (2) ut licite possint in suis ordinibus ministrare, ratione illa quam obiectio tangit.

Ad quartum dicendum, quod per fidem Ecclesie continentur passio Christi: quia quamvis in ea non sint secundum se, sunt tamen in ea secundum formam Ecclesie, quam servant.

Ad quintum dicendum, quod hoc est referendum ad ultimum effectum sacramentorum, ut tertia opinio dicit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse a summis Pontificibus, excommunicatos, &c. posse ordines conferre, sed non executionem. Hæc autem a Gregor. IX. insinuatum est sic, ut recitatur de ordin. ab Episc. qui

renune. Cum clericis, qui ab excommunicato Episcopo ignoranter ordines receperunt, per suos poteris Episcopos dispensari. Hæc ibi. Item ab Urbano, ut recitatur 9. quæst. 1. Ordinationes, quæ ab hæresiaribus nominatim excommunicatis factæ sunt, irritas esse iudicamus, nisi probare valuerint se cum ordinarentur, eos nescisse damnatos. Hæc ibi. Nota ly irritas, scilicet quoad executionem. Nota ly nisi probare valuerint. Hoc est, si probaverint, &c. illæ ordinationes habebunt executionem. Ex quo monstrat utique Papa, quod ordinationes illæ characterem impresserunt: alioquin per probationem ignorantie susipientium illas non possent validæ fieri: cum tamen fiant, ut in textu. Item ab eodem Urbano ibidem: Ab excommunicatis quondam ordinatos, si quidem non simoniace, & si eorum religiosam vitam, & doctrinam prærogativa visa fuerit promoveri, pœnitentia indicta, in ipsis, quos acceperunt, ordinibus permanere permittas. Hæc ibi. Item ab eodem ibid. ca. eod. ordinationes. Qui ab Episcopis quondam catholice ordinatis, sed in schismate a Romana Ecclesia separatis consecrati sunt, eos cum ad Ecclesiam unitatem redierint, servatis propriis ordinibus, misericorditer suscipi iubemus, si vita, & scientia eos commendans. Anno vero quicumque à prædictis schismaticis, sanctæque Romanæ Ecclesie adversariis, se ordinari permisissent, nullatenus hac venia digni habentur. Hæc ibi. Ubi de executione facit semper vim, & differentiam prædictam: sed nunquam de characterem, quem a talibus Episcopis ordinatos recipisse declarat. Secundo habes: quomodo per rationem suprædicta Pontificum, pro quanto hæreticos, &c. insinuant conferre posse ordines, & intelligas, & tuaris. Ter-

Ter-

(1) Ut ex professo qu. 40. art. 5. expenditur.

(2) Sic etiam Raymundus lib. 1. Summa tit. de hæreticis & ordinatis ab eis §. 9. Joannem & Rodolphum retellens qui dixerunt quod Episcopus hæreticus qui recipit ultimam manus impositionem in Ecclesia (id est Ordinem Episcopalem) Ordines confert sed non Ordinis executionem: si autem extra, nihil confert, nec Ordinem nec Ordinis executionem, quia nihil receperat: Hæc opinio (inquit) reprobat 9. quæst. 1. Ordinationes & 1. qu. 7. Conveniensibus: Nimirum in Decretis, ubi cap. Ordinationes causa 9. ut prius ex Urbano vel ex Placentina Synodo sub Urbano cap. 9. sic dicitur: Ordinationes quæ ab hæresiaribus nominatim excommunicatis factæ sunt, irritas esse iudicamus, nisi probare valuerint se cum ordinarentur eos nescisse damnatos: Non igitur irritæ supponuntur, quasi Ordinationem vere non fu-

derint, sed quia irrita est & illicita exequutio; alioqui sive damnatos eos a quibus ordinantur ignorant, sive sciant; ordinatio nulla esset si propterea hæreticus eo ipso quod hæreticus vel ob hæresim damnatus est, hanc potestatem presumeret non habere: Cap. autem Conveniensibus causa 1. quæst. 7. (quæ in Raymundi exemplari male notatur.) ex dissertatione inter Episcopos habita in 7. Synodo est. 1. sic Tarasius Patriarcha, Rectissimus est qui ab hæreticis ordinati sunt. sicut Anatholius ordinatus a Diocoro receptus est; Tum deinde sancta Synodus Audivimus Domine, Oportet recipere: Deinceps vero Tarasius iterum Constantino Cyprio præmittente quod si ab hæretico sponte ordinationem accipimus, non sumus recipiendi se refutare illos ac deponendos esse dicit, & hoc Synodus tanquam iustum iudicium approbat.

Tertio vides : quomodo &c.

QUESTIO XXXIX.

De impedimentis hujus Sacramenti.

in sex articulos divisa.

DEinde considerandum est de impedimentis hujus sacramenti.

Circa quod quæzuntur sex.

Primo, utrum sexus fœmineus impediat hujus sacramenti susceptionem.

Secundo, utrum carentia usus rationis.

Tertio, utrum servitus.

Quarto, utrum homicidium.

Quinto, utrum illegitima natiuitas.

Sexto, utrum defectus membrorum.

ARTICULUS I. 157

Utrum sexus fœmineus impediat Ordinis susceptionem.

S. Thom. ubi sup. quæst. II. art. I. & 2.

AD primum sic proceditur. Videtur quod sexus fœmineus non impediat ordinis susceptionem. Quia officium prophete est majus, quam officium sacerdotis: quia propheta est medius inter Deum, & sacerdotes, sicut sacerdos inter Deum, & populum. Sed prophete officium aliquando mulieribus est concessum, ut patet IV. Reg. xxii. Ergo & sacerdotii officium eis competere potest.

2. Præterea. Sicut ordo ad quandam eminentiam pertinet, ita & prælationis officium, & religionis status. Sed prælatio committitur mulieribus in novo Testamento, ut patet de Abbatissis: & in veteri, ut patet de Debora, quæ iudicavit Israel, Judic. iv. Competit etiam eis martyrium, & religionis status. Ergo & ordo Ecclesiæ.

3. Præterea. Ordinum potestas in anima fundatur. Sed sexus non est in anima. Ergo diversitas sexus non facit distinctionem

in receptione ordinum.

Sed contra est quod dicitur I. ad Timoth. II. 12. *Mulierem in Ecclesia docere non permisso, nec dominari in visum.*

Præterea. In ordinandis præxigitur corona, quamvis non de necessitate sacramenti. Sed corona, vel tonsura non competit mulieribus, ut patet I. ad Cor. xi. Ergo nec ordinum susceptio.

Respondeo dicendum, quod quedam requiruntur in recipiente sacramentum, quasi de necessitate sacramenti: quæ si desint, non potest aliquis suscipere neque sacramentum, neque rem sacramenti: quedam vero requiruntur non de necessitate sacramenti, sed de necessitate præcepti, propter congruitatem ad sacramentum; & sine talibus aliquis suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti. Dicendum ergo, quod sexus virilis requiritur ad susceptionem ordinum, non solum secundo modo, sed etiam primo. Unde etiam mulieri exhibeantur omnia quæ in ordinibus fiunt; ordinem tamen non suscipit: quia cum sacramentum sit signum, in eis quæ in sacramento aguntur, requiritur non solum res, sed significatio rei, sicut dictam est (quæst. xxxiii. art. 2.) in extrema unctione requiri quod sit infirmus, ut significetur curatione indigens. Cum igitur in sexu fœmineo non possit significari aliqua eminentia gradus, quia mulier statum subjectionis habet; ideo non potest ordinis sacramentum suscipere.

Quidam autem dixerunt, quos sexus virilis est de necessitate præcepti, sed non de necessitate sacramenti: quia etiam in Decretis (cap. *Mulieres* dist. xxxii. & cap. *Diaconissam* xxvii. quæst. 1.) fit mentio de diaconissa, & presbytera. Sed diaconissa ibi dicitur quæ in aliquo actu diaconi participat, scilicet quæ legit homines in Ecclesia: presbytera autem dicitur vidua, quia presbyter idem est quod senior. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod prophetia non est sacramentum, sed Dei donum. Unde ibi non exigitur significatio, sed solum res. Et quia secundum rem in his quæ sunt ani-

(1) Alia tamen significatione *Presbyterissa* vel *Presbytera* olim nominatæ quæ Presbyteris ante ordinationem sacram nupserant & ab eis iam ordinatis ex mutuo consensu sponte fuerant separatæ, sed eorundem cura nutriendæ; sicut Episcopissæ quoque propter maritos quos prius habuerant quam Episcopi facti essent; & similiter Diaconissæ propter maritos postea

rius in officium Diaconatus ordinatos: Quævis aliquæ item essent propter ministerium circa puellas baptizandas vel similia exercenda sic passim nuncupatæ; Vnde nos ante 40. statis annos Diaconissæ creabantur ut patet in Decretis *Causa 17. qu. 1. cap. Diaconissam, &c.*

animæ, mulier non differt a viro, cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam multis viris, ideo donum prophetiæ, & alia hujusmodi potest recipere, sed non ordinis sacramentum.

Et per hoc patet solutio ad secundum, & tertium. De Abbatissis tamen dicitur, quod non habent prælationem ordinariam, sed quasi ex commissione, propter periculum cohabitationis virorum ad mulieres. Deboram autem in temporalibus præfuit, non in sacerdotalibus; sicut & nunc possunt mulieres temporaliter dominari

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Casaphrygarum* dicentium, ordinibus sacris mulierem posse initiari. Hi *Cataphrygæ* etiam *Pepuziani*, seu *Pepuzite* dicuntur (teste *August. de hæresib. c. 27.*). Et quia iidem commiscuntur, Christum specie femine fuisse revelatum; tantam mulieribus tribuunt dignitatem; auctoritatem, & principatum, ut inter cæteros errores mulieres ipsæ sacerdotio quoque apud eos honorentur. Nota de hac, aliique similibus apud illos revelationibus id, quod ait *Apostolus*, quod *Angelus Satanæ* transfiguratur se in Angelum lucis: & maxime, cum tales revelationes mendacium expriment, videl. quod *Christus* in specie femine appareat. Cæterum error unus (ut solet, nisi cito provideatur) alterum parturit, quod sc. mulier ordinis capax existat, & quod ad sacerdotium iuste promoveri possit. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim prædictam, & a fortiori, & directe, damnatam esse ab *Innocentio III.* sc. „ Nova quædam nostris sunt auribus „ intimata, quod *Abbatissæ moniales* pro „ prias benedicunt, ipsarum quoque confes- „ siones in criminibus audiunt, & legentes „ *Evangelium* præsumunt publice prædicare. „ Cum igitur id absonum sit, pariter & ab- „ surdum: mandamus, quatenus, ne id de „ cetero fiat, curetis firmiter inhibere. Quod „ licet *beatissima virgo Maria dignior*; & „ excellentior fuerit *Apostolis* universis, non „ tamen illi, sed istis, dominus *claves* re- „ gni cælorum commisit. *Hæc ille, de penit.* „ & remiss. *Item a Papa Sotero scribente om- „ nibus Italiae Episcopis.* *Sacras Deo femi- „ nas, vel monachas, sacra vasa, vel sa- „ cratas pallas, penes vos contingere, & „ incensum circa altaria deferre, perlatum*

Summ. S. Thom. Thom. XIII.

„ est ad *Apostolicam* sedem. Quæ omni re- „ prehensione plena esse, & vituperatione, „ nulli recte sapientum dubium est. Qua- „ propter hujus sanctæ sedis auctoritate, „ hæc omnia vobis rescicare funditus, quam „ citius poteritis, censemus. Et, ne pestis „ hæc latius divulgetur, per omnes provin- „ cias abstergi citissime mandamus. „ Hæc „ ibi; & recitantur *dist. 23.* Ubi nota, quod, „ juxta prædictum Papam *judicio omnium sa- „ pientum*, omni reprehensione, & vitupe- „ rio plena est hæresis recitata *Pepuzianorum* „ & tanto magis, quanto pejus est, ordinem „ sacrum attribuere feminis, quam eas valde „ Deo dicata contingere, vel incensum de- „ ferre. *Insipientiæ*, igitur maximæ taxavit „ illos hæresis hujus patronos ipse *Sotero*. Item „ a *Concil. Carbaginensi*, ut recitatur di. ead. „ *Mulier, quamvis docto, & sancto, viros in* „ *conventu docere non presumat.* Hæc ibi; *Ecce*, „ quod etiam prohibetur mulieribus docere „ in ecclesia id, quod officium est sacerdotale, „ secundum *Leonem Papam*, ut recitatur *16. „ q. 1. Adgisimus, &c. Hoc specialiter, statuen- „ tes, ut præter domini sacerdotes nullus audeat „ prædicare: sive monachus, sive laicus ille sit, „ qui cujuscunque scientia nomine gloriatur.* Hæc „ ibi. *Item 2, &c. ut q. 19. art. 3. & q. 20. art. 1. & q. 17. art. 3. appon.* Vide contra hanc „ pestem & *q. 8. art. 1. 2. 4. & q. 31. art. 1. appen. & q. 37. art. 3. & bene applica.* „ *Item a Concilio Laodiceno, canon. 44. quod „ non oporteat mulieres ingredi ad altare, nec „ ea contingere, que virorum officiis deputata „ sunt.* Hæc ibi. Maxime autem virorum of- „ ficiis deputatum est esse constitutum in ordi- „ ne; ut patet *Luc. 22.* Ibi enim dicitur, quod „ *Christus* dixit discipulis suis *ly hoc facite in* „ *meam commemorationem.* Per quæ verba in- „ stituit eos sacerdotes, ut inquit *Concilium* „ *Triden. sess. 22. c. 1. & can. 2.* Patet autem, „ quod ad nullas mulieres talia dixit; ex con- „ sequenti, quod sacerdotium illis attribuere „ est contra *Evangelium.* A nullo nanque „ institutum est sacramentum ordinis, nisi a „ *Christo*: & *Christus* (ut dictum est) solis „ viris hoc injunxit. Unde per *Concilium* „ *Triden. sess. 22. cap. 1. ait.* „ In ecclesia catho- „ lica *saceri* oportet, novum esse visibile, „ & externum sacerdotium, in quod *vetus* „ translatum est. Hoc autem ab eodem do- „ mino salvatore nostro institutum esse, at- „ que *Apostolis*, eorumque successoribus in „ sacerdotio potestatem traditam consecrandi „ offerendi, & ministrandi corpus, & sangui-

S s

„ nem

„nem usus, nec non & peccata dimittentem,
 „ & retinendi, sacre littere ostendunt, &
 „ catholice ecclesie traditio semper docuit.
 „ Hec ibi. Ecce, quod loquens de huius-
 „modi potestate concilium, & quidem suffi-
 „cienter, nunquam (immo nec in toto
 „ tractatu de ordine, ut videre est) facit vel
 „ minimam mentionem de aliqua muliere; quod
 „ tamen fecisset, si & illi potestas talis a Chri-
 „sto fuisset collata. Item a 33. quest. 5. ”
 „ Mulierem constat subiectam dominio viri,
 „ & nullam auctoritatem habere: nec doce-
 „ re potest, nec testis esse, nec fidem dare,
 „ nec iudicare. *Hec ibi. Item a Concilio*
 „ Nannethensi. Sed & hoc, secundum au-
 „ thoritatem canonum, modis omnibus pro-
 „ hibendum, ut nulla femina ad altare præ-
 „ sumat accedere, aut presbytero ministrare,
 „ aut infra cancellos stare, aut sedere. *Hec*
 „ *ibi. Item a I. Cor. 14.* Mulieres in ecclesia
 „ taceant. Non enim permittitur eis loqui.
 „ Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia.
 „ Cum igitur ea, quæ sunt sacerdotum, sci-
 „ licet consecrare eucharistiam, absolvere a pec-
 „ catis, prædicare in ecclesiis, prohibeantur
 „ mulieribus, immo etiam & aliquid plus, ut
 „ visum est, patentissime constat, quod vani-
 „ tate plenum est, ac impietate, sacerdo-
 „ tium eis, vel aliquem ordinem ad sacerdo-
 „ tium relatum attribuere. *Tertio* habes: quo-
 „ modo pro rationem prædicta patrum, ac scri-
 „ pturarum, pro quanto ordinem ecclesiasticum
 „ dicunt mulieribus non convenire, & intelli-
 „ gas, & probes, & declares. *Quarto* vides:
 „ quomodo &c.

ARTICULUS II. 158

*Utrum pueri, & carentes usu rationis Ordines
 possint suscipere.*

AD secundum sic proceditur. Videtur
 quod pueri, & qui carent usu ratio-
 nis, non possint ordines suscipere. Quia,
 ut in littera dicitur (IV. dist. xxv.) sa-

cri canones in suscipientibus ordines certam
 & determinatum tempus statuerunt ætatis.
 Sed hoc non esset, si pueri recipere possent
 ordinis sacramentum. Ergo &c.

2. Præterea. Ordinis sacramentum est di-
 gnus quam matrimonium. Sed pueri, &
 alii carentes usu rationis non possunt con-
 trahere matrimonium. Ergo nec ordines sus-
 cipere.

3. Præterea. Ejus est potentia cuius est a-
 ctus, secundum Philosophum in Lib. de som-
 no, & vigil. (cap. 1. a princip.) Sed
 actus ordinis requirit usum rationis. Ergo
 & ordinum potestas.

Sed contra. Illi qui est ante annos discre-
 tionis promotus ad ordines, sine iteratione
 ipsorum quandoque in eis conceditur mini-
 strare, ut patet extra, de cler. per saltum
 prom. (1) Hoc autem non esset, si ordinem
 non suscepisset. Ergo puer potest ordines sus-
 cipere.

Præterea. Alia sacramenta in quibus cha-
 racter imprimitur, possunt pueri suscipere,
 videlicet baptismum, & confirmationem.
 Ergo pari ratione & ordines.

Respondet dicendum, quod per pueritiam,
 & alios defectus, quibus tollitur usus ratio-
 nis, præstatur impedimentum actui. Et ideo
 omnia illa sacramenta quæ actum requirunt
 suscipientis sacramentum, talibus non com-
 petunt; sicut pœnitentia, matrimonium, &
 huiusmodi. Sed quia potestates infuse sunt
 priores actibus, sicut & naturales, quamvis
 acquisite sint posteriores; remoto autem po-
 steriori, non tollitur prius; ideo omnia sa-
 cramenta in quibus non requiritur actus sus-
 cipientis de necessitate sacramenti, sed po-
 restas aliqua spiritalis divinitus datur, pos-
 sunt pueri suscipere, & alii qui usu rationis
 carent: hac tamen distinctione habita, quod
 in minoribus ordinibus requiritur discretionis
 tempus de honestate, propter dignitatem
 sacramenti, sed non de necessitate præcepti,
 neque de necessitate sacramenti. Unde ali-
 qui, si necessitas adit, & spes profectus, ad

(1) Et iam antea quest. 95. art. 3. ad marginem
 expresse relata est ut ex cap. *Tu licera* quoad quem-
 dam qui non suscepto diaconatu presbyteratum susce-
 petat, & per ignorantiam facti excusabatur, quia in-
 fra discretionis annos vel ante usum rationis *Ordines*
inferiores (ut Papa vocat) suscepisset; ex quo in-
 telligitur non de necessitate sacramenti existimatum
 esse determinatum tempus quo suscipi diaconatum
 oporteret. Varia porro fuit pro temporum diversitate
 necessitas præcepti, ut ex cap. *In singulis* quod est

Lozymi, ex cap. *Quicumque* quod est Siricii, ex cap.
Placuit quod est Concilii Carthaginensis tertii, ex
 cap. *Episcopus* quod est Concilii Agathensis, ex cap.
In veteri quod est Concilii Toletani 4. dist. 77. De-
 creti patet; præter illud etiam quod addit cap.
Nemo ex Novellis dist. 78. quoad ordinationis tem-
 pus huius aut illi Ordini, sive superiori sive inferio-
 ri, assignatum: Sed nunc ex Concil. Trident. Sess.
 23. de reformat. cap. 4. 5. 6. 12. certa regula huius
 observantiae sumenda est.



ad minores ordines possunt ante annos discretionis promoveri sine peccato, & suscipiunt ordinem: quia quamvis tunc non sint idonei ad officia quae eis committuntur; tamen per assuefactionem idonei reddentur. Sed ad majores ordines requiritur usus rationis & de honestate, & de necessitate praecepti, & propter votum continentiae, quod habent annexum, & quia etiam eis sacramenta tractanda committuntur. Sed ad Episcopatum, ubi etiam in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam animarum pastorem. Et ideo est etiam de necessitate consecrationis episcopalis quod usus rationis habeat.

Quidam autem dicunt, quod ad omnes ordines requiritur usus rationis de necessitate sacramenti; sed eorum dictum ratione, vel auctoritate non confirmatur.

Ad primum ergo dicendum, quod non omne quod est de necessitate praecepti est de necessitate sacramenti, ut dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod matrimonium causat consensus, qui sine usu rationis esse non potest. Sed in receptione ordinis non requiritur aliquis actus ex parte recipientium: (1) quod patet ex hoc quod nullus actus ex parte eorum exprimitur in eorum consecratione. Et ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod ejusdem est actus, & potentia; sed tamen aliquando potentia praecedit, sicut liberum arbitrium, usum suum. Et sic est in proposito.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatione a summis Pontificibus, quod annus discretionis non est de necessitate sacramenti ordinis. Insinuationem autem est hoc ab Innocentio III. ad Episcopum Bononiensem sic. *Presbyter P. diaconatus ordine praetermisso, se fecit ad sacerdotii ordinem promoveri &c. Credebatur affectioni eorum, eo quod tempore, quo ordines inferiores susceperat, infra annos discretionis fuerat constitutus, &c. Mandamus: quatenus post*

condignam poenitentiam ipsum per diaconatum ordinare procuret, & sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine sacerdotis. Hæc ille, de clericis per saltum promot. tuz litteræ continebant, vide *quest. 25. art. 5. ap. pen.* Ecce, quod Innocentius ordinem receptum ante annos discretionis, dum non facit reiterare, manifestat per hoc, quod annus discretionis non est de necessitate sacramenti ordinis. Item ab Innocentio, ut recitatur de baptis. & ejus est. Majores; ubi in fine dicitur sic: *Tunc ergo characterem sacramentalis imprimis operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenitur obfistentem.* Hæc ibi. Ex quibus, cum pueri, & alii carentes usu rationis obicem talem habere non possunt, sequitur, quod Innocentii mens in illis verbis fuerit virtualiter, quod, si ordines dentur carentibus usu rationis, imprimant characterem. Virtualiter dixit: quia ad litteram de aliis similibus (puta baptismo) loquitur. Item ab Alexand. III. & ab aliis in *de rit. & qual. & ord. presbiter.* Per hoc enim, quod reprehendunt illos, qui dabant ecclesias pueris regendas, nulla facta reprehensione de hoc, quod ad clericatum promoti sint, insinuare videntur, quod ordines, praesertim minores, pueris dari possunt. Vide ibi. *c. Indocuum est.* Et alia ad hoc facientia. Item a Conciliis, quoadcunque tractant de ætate ordinandorum. Ex hoc enim, quod non praefigunt terminum ætatis ad minores ordines promovendis, videntur insinuare idem. *Secundo vides: quomodo &c.*

ARTICULUS III.

Utrum servitus impediat aliquem a susceptione Ordinis.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod servitus non impediat aliquem a susceptione ordinis. Subjectio enim corporalis non repugnat praelationi spirituali. Sed in servo est subjectio corporalis. Ergo non impeditur quin possit suscipere praelationem spiritualem, quæ in ordine datur.

S. 2. 2. Pæ-

(1) Tunc nimirum ab illis exercendus qui rationis usum praerequirat: Quod enim accipiunt aliquid quasi ministerii sui signum, passive tantum non active se habent ut sic: Et quod monetur acolytus (vel acolythus) quid agere debeat, ac ut sciat ad quod sit mancipatus: quod Exorcista memorie commendanda-

re monetur, quid accipiat: quod Lector praecipitur esse relator verbi Dei mercedem habiturus cum officium impleverit: quod & Ostiarius adprometur qualiter se gerere in domo Dei debeat ac sic agere quasi rationem Deo redditurus, ad executionem futuram referendum est, non ad praesentem actum, &c.

2. Præterea. Illud quod est occasio humilitatis, non debet impedire susceptionem alicujus sacramenti. Sed servitus est hujusmodi: unde Apostolus consultit quod si aliquis possit, magis utatur servitute, I. Corinth. vii. Ergo non debet impedire a promotione ordinis.

3. Præterea. Magis est turpe clericum in servum vendi, quam servum in clericum promoveri. Sed licite clericus in servum vendi potest: quia Episcopus Nolanus, scilicet Paulinus, seipsum in servum vendidit, ut in Dialog. (1) legitur. Ergo multo fortius potest servus in clericum promoveri.

4. Sed contra. Videtur quod impediatur quantum ad necessitatem sacramenti. Quia mulier non potest suscipere sacramentum ratione subjectionis. Sed major subiectio est in servo: quia mulier non datur viro in ancillam; propter quod non est de pedibus sumpta. Ergo & servus hoc sacramentum non potest suscipere.

5. Præterea. Aliquis ex qua suscipit ordinem, tenetur in ordine ministrare. Sed non potest simul ministrare domino suo carnali, & in spiritali ministerio. Ergo videtur quod non possit ordinem suscipere: quia dominus debet servari indemnis.

Respondeo dicendum, quod in susceptione ordinis mancipatur homo, divisis officiis. Et quia nullus potest alteri dare quod suum non est; ideo servus, qui non habet potestatem sui, non potest ad ordines promoveri. Si tamen promovetur, ordinem suscipit: quia libertas non est de sacramenti necessitate, licet sit de necessitate præcepti; cum non impediatur potestatem, sed actum tantum. Et similis ratio est de omnibus qui sunt aliis obligati, ut ratiociniis detenti, & hujusmodi personarum. (2)

Ad primum ergo dicendum, quod in susceptione spiritalis potestatis est aliqua obligatio ad aliqua etiam corporaliter agenda; & ideo per corporalem subjectionem impeditur.

Ad secundum dicendum, quod ex multis aliis quæ non præstant impedimentum executioni ordinum, potest aliquis occasionem humilitatis accipere. Et ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod beatus Paulinus ex abundantia caritatis spiritu Dei ductus hoc fecit: quod rei eventus probavit: quia per ejus servitutem multi de grege suo sunt a servitute liberati. Et ideo non est ad consequentiam trahendum: quia *ubi Spiritus Domini, ibi libertas*: II. Cor. III. 17.

Ad quartum dicendum, quod signa sacramentalia ex naturali similitudine repræsentant. Mulier autem ex natura habet subjectionem, sed non servus. Et ideo non est simile.

Ad quintum dicendum, quod si est promotus, sciente domino suo, & non reclamante, ex hoc ipso efficitur ingenuus; si autem eo nesciente, tunc Episcopus, & ille qui præsentavit, tenentur domino in duplum quam sit pretium servi, si sciverant ipsam esse servum: alias si servus habeat peculium, debet seipsum redimere; alioquin redigeretur in servitutem domini sui, non obstante quod Ordinem suum exequi non potest.

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum a Stephano I. Papa quod servi non debent ordinari, ut refertur supra q. 36. art. 1. *append.* Item a can. Apostolorum 81. „ Servos in „ cle-

(1) Nempe in Dialogis Gregorii lib. 3. cap. 1. ubi refert quod cum vir Domini Paulinus cuncta quæ ad Episcopi usum habere posuit Campaniam captivis indigentibusque largitus esset, & jam nihil omnino superesset quod petentibus dare posuisset, quiddam die vada venit, quæ a Regis Vandalorum genero suum filium in captivitatem fuisse ductum perhibuit, atque a viro dei ejus pretium postulavit; sed vir Dei magno opere petenti famina quæ dare posuisset inquirens, nihil apud se aliud nisi se invenit, petentisque famine respondit dicens: Mulier quod passim dare non habeo, sed memissum esse.

(2) Sic de servis dicitur in Decretis dist. 34. cap. Nullus ex Leone ad Episcopos per Campaniam constitutos: Nullus Episcoporum servum alterius ad Cleri-

catus officium promovere presumat, nisi eorum petitio vel voluntas accesserit qui aliquid sibi in eo vendicant potestatis: Debet enim esse immunitus ab aliis qui divina militia est aggregandus: ut castris dominicis quibus nomen illius ascribitur, nullis necessitatis viculis abstrahatur: Ut & cap. Nulli ex Concil. Triburienfi; Nulli de servili conditione promoveantur nisi prius a propriis dominis legitimam libertatem consequantur: De iis autem qui ratiociniis vel ejusmodi negotiis temporalibus implicati sunt, similia etiam docernuntur cap. Magnus ex Concilio Carthageniensi primo; præter alia quæ per totam distinctionem adjunguntur: Ut & Extra tit. 38. de servis non ordinandis ac tit. 19. de obligatis ad ratiocinia, &c.

„ clerum provehi sine voluntate dominorum
 „ non permitimus, ad eorum, qui possident,
 „ molestiam. Horum enim everuonem talia
 „ efficiunt. Si quando autem etiam dignus
 „ servus visus sit, qui ad gradum eligatur
 „ (qualis noster quoque Onesimus visus est)
 „ & domini concesserint, ac liberaverint,
 „ & zdibus emiserint, fiat. *Hæc ibi secun-*
 „ *dum unam translationem. Secundum vero*
 „ *aliam nonnihil addendo, sic.* Servi, si in
 „ clerum promoveantur citra dominorum vo-
 „ luntatem, hoc ipsum operatur redhibitio-
 „ nem. Si quando vero servus quoque gra-
 „ dus ordinatione dignus videtur (qualis &
 „ noster Onesimus apparuit) & domini con-
 „ senserint, manumque emiserint, & domo sua
 „ ablegaverint, efficiatur. *Hæc ibi. Item a*
 „ *Gelasio I. Papa in epis. ad universos Epi-*
 „ *scop. per Lucaniam, & Brusios, & Sici-*
 „ *liam constitutos scribente c. 16.* Generalis
 „ quærelæ vitanda præsumptio est, qua pro-
 „ ptemodum causantur universi, passim ser-
 „ vos, & originarios dominorum jura fugien-
 „ tes, vel ad monasteria sese conferre, vel
 „ ad ecclesiasticum famulatum admitti: quæ
 „ modis omnibus est amovenda pernicies,
 „ ne per Christiani nominis institutum, aut
 „ aliena pervadi, aut publica videatur disci-
 „ plina subverti, præcipue cum nec ipsam
 „ ministerii clericalis hac obligatione fuscari
 „ conveniat dignitatem, &c. Quibus sollicita
 „ interdictione prohibitis: quisquis Episcopus,
 „ presbyter, aut diaconus, vel eorum,
 „ qui monasteriis præesse noscuntur, hujusmo-
 „ di personas deinceps vel ecclesiasticæ ser-
 „ vitudinis, vel religiosæ congregationibus pu-
 „ taverint applicandas, nisi voluntate forsi-
 „ tan dominorum sub scripturæ testimonio
 „ primitus absolutas, vel legitima transactio-
 „ ne concessas: periculum se honoris proprii
 „ non ambigant, communionisque subituros,
 „ si super hac re cujusque verax illos quere-
 „ la pulsaverit. Magnis quippe studiis, se-
 „ cundum B. Apost. præcavendum est, ne
 „ fides, & disciplina Domini blasphemetur.
 „ *Hæc ibi: & recitantur d. 54.* Ecce, quod
 „ adeo inardescit *Gelas.* contra hoc absurdum
 „ de servis ordinandis: quod non solum Episc.
 „ eorum ordinatores: sed etiam coadjutores,
 „ sive ad hoc consulentes, puta presbyteros,
 „ atque diaconos, privare & grada, & com-
 „ munionem minatur. *Item a Conc. Tol. 4.*
 „ Quicumque libertatem a dominis suis ita
 „ recipiunt, ut sibi in eis nullum obsequium
 „ patronus retentet, si isti sine crimine sunt,
 „ ad clericatum liberi suscipiantur.

„ quia directa manumissione absoluti noscun-
 „ tur. Qui vero retento obsequio manumissi
 „ sunt, pro eo, quod adhuc patroni servituti
 „ tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad cle-
 „ ricatus ordinem promovendi: ne, quando
 „ voluerint eorum domini, fiant ex clericis
 „ servi. „ *Hæc illud: & recitantur dist. 54.*
 „ *Nota ly directa manumissionis:* ut hinc dis-
 „ cas, quinam servi manumissi ordinari pos-
 „ sint. Non enim possunt omnes secundum
 „ Concil. hoc. Item ab eod. *d. 54. capitulis*
 „ multis: quæ per te videre potes. Item ab
 „ *Alex. III. ad Archiep. Turonens. scribente.*
 „ *Consuluit, &c.* „ Respondemus, quod neque
 „ spurios, neque servos, ordinare debes. Et,
 „ si memor es, in consecratione tibi dictum
 „ fuit: vide, ne quemlibet servilis conditio-
 „ nis ad ordines promovere præsumas. *Hæc*
 „ *ibi: & recitantur de ser. non ordin. & eo-*
 „ *rum manumiss. Item a Conc. Tolet. De sa-*
 „ *mulis Ecclesiæ constituere presbyteros, &*
 „ *diaconos per parochias liceat: ita tamen,*
 „ *ut antea manumissi statim recipiant liber-*
 „ *tatis.* „ *Hæc illud ibid.* Ecce, quod etiam
 „ de servis Ecclesiæ intelligitur denegata pro-
 „ motio ad ordines nisi cum conditione, ut
 „ ibi. Item a *Greg. IX. ad Archiep. Neapolit.*
 „ *Dilectus filius G. diaconus proposuit,*
 „ *quod I. miles, ea occasione, quod patrem*
 „ *ipsius hominem servum esse proponit (licet*
 „ *mater sua, cujus debet imitari conditio-*
 „ *nem, libera esse noscatur) ne promovea-*
 „ *tur in presbyterum, impedire præsumit.*
 „ *Quocirca mandamus: quatenus, si tibi*
 „ *constiterit de præmissis, eundem militem*
 „ *ab hujusmodi impedimento cessare compe-*
 „ *scas.* „ *Hæc ille: & recitantur ibidem.*
 „ Ubi nota, quod filius patris servi tantum
 „ & matris liberæ, non judicatur servus re-
 „ spectu ordinum suscipiendorum. Vide ibi-
 „ dem per multa capitula de materia hac. *Se-*
 „ *cundo habes; quomodo prædicta Patrum, pro*
 „ *quanto servos non posse ad clericatum pro-*
 „ *moveri insinuant, & intelligas, & probes,*
 „ *& defendas. Tertio vides; quomodo &c.*

A R T I C U L U S IV. 160

Utrum propter homicidium debeat aliquis ab Ordinibus prohiberi.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod propter homicidium non debeat aliquis prohiberi a sacris ordinibus. Quia ordines nostri sumpserunt initium a Levitarum officio, ut in precedenti distinctione dictum est (IV. dist. xxiv. quæst. 111. art. 1. quæst. 1. ad 1.) Sed Levitæ consecraverunt manus suas in sanguinis effusione fratrum suorum, ut patet Exodi xxxii. Ergo & in novo Testamento non debent aliqui ab susceptione ordinum prohiberi propter sanguinis effusionem.

2. Præterea. Propter actum virtutis nullus debet impediri ab aliquo sacramento. Sed aliquando sanguis effunditur per justitiam, sicut a iudice; & peccator habens officium, si non effunderet. Ergo non impeditur propter hoc a sacramenti susceptione.

3. Præterea. Poena non debetur nisi culpe. Sed aliquis sine culpa quandoque homicidium committit, sicut se defendendo, vel etiam casualiter. Ergo non debet incurrere irregularitatis poenam.

Sed contra hoc sunt plura canonum statuta, (1) & Ecclesie consuetudo.

Respondens dicendum, quod omnes ordines referuntur ad Eucharistie sacramentum, quod est sacramentum pacis nobis factæ per effusionem sanguinis Christi. Et quia homicidium maxime contrariatur paci, & homicidæ magis conformantur occidentibus Christum quam ipsi Christo occiso, cui omnes ministri prædicti sacramenti debent conformari; ideo de necessitate præcepti est quod non sit homicida qui ad ordines promovetur; quamvis non sit de necessitate sacramenti.

Ad primum ergo dicendum, quod vetus

lex inferebat poenam sanguinis, non autem nova lex. Et ideo non est simile de ministris veteris, & novæ legis, quæ est *jugum suave, & onus leve*: Matth. xi.

Ad secundum dicendum, quod irregularitas non incurritur propter peccatum tantum, sed principaliter propter ineptitudinem personæ ad sacramentum Eucharistie ministrandum. Et ideo iudex, & omnes qui in causa sanguinis ei participant, sunt irregulares, propter hoc quod effusio sanguinis non decet ministros dicti sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod nullus facit nisi illud cuius est causa, quod est voluntarium in homine. Et ideo ille qui ignorans hominem occidit homicidio casuali, non dicitur homicida; nec irregularitatem incurrit, nisi operam dederit illicitæ rei, vel nisi omiserit debitam diligentiam, quia jam quodammodo efficitur voluntarium. Non autem hoc est propter hoc quod culpa careat, quia etiam sine culpa incurritur irregularitas. Et ideo etiam ille qui se defendendo in aliquo casu non peccat homicidium committens, nihilominus irregularis est.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse a scripturis, & summis Pontificibus, quod homicidium ab ordine impedit, & effusio sanguinis. Insinuatum autem est hoc ab Exod. 21. *Si quis per industriam occideris proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum: ut moriatur.* Hæc ibi. Unde argue, a fortiori, pro clericatu novi testamenti: quoniam in moralibus sic licet inferre a veteri ad novum. Item ab Alexandro III. ad Episcopum Exoniensem, sic. *Presbyterum, qui puerum intuitu disciplina percussit in capite, cum post paucos dies expirasset, tam ab omni altaris ministerio debes perpetuo removere, quam ab officio sacerdotali deponere; si ex ipsa percussio-*

(1) Ut cap. *Clericum* in Decretis distinct. 50. ex Nicolao I. videre est, ubi dicitur quod *Clericum qui paganus occiderit, non oportet ad gradum majorem provehi qui cavere etiam debet acquisito, quia homicida est; nam cum discreti sint milites seculi a militibus Ecclesie, non convenit militibus Ecclesie militare seculo per quod ad effusionem sanguinis necesse sit pervenire: Sic & cap. *Miror* ex Joanne 8. in eadem distinct. ad Episcopum Uticensem (vel Venetensem sicut mutatur in margine) *Minor minus doctam scientiam supra Sacerdotem putare post perpetratum homi-**

*cidium posse in sacerdote ministrare, imo (quod est ineptus) nobis suadere velle ut ipsi tali presumptioni prebeamus assensum: Quis enim tam demens tamque perversi sensus tale aliquid estimaret vel post quantamcumque penitentiam concedendum; cum omnino sit disciplina canonica contrarium? Imo & Extra de homicidio voluntario vel casuali cap. *cominebatur* prohibet Alex. 3. ne Diaconus quidam propter solum homicidium casuale in sacerdotem ordinetur.*

essione interiori, vel aliam infirmitatem incurverit, de qua nascitur expirasse. Hæc ille de homicid. volent. vel causa. Ecce, quod homicidium casuale impetatur ei, qui dabat operam rei licitæ: si non adhibuit diligentiam, quam debuit. Item ab Innocentio III. ad Episcopum Lugdunensem. „ Dilectus filius A. capellanus proposuit; quod, cum „ quadam corporis molestia gravaretur, ut „ comedendi appetitum aliquantulum excita- „ ret, equum ascendit, qui cum bene non „ pareret habentis, sed præter sefforis arbitrium saltibus lasciviret, ipse, ut ejus resistere impetum, freno vim intulit, e- „ quumque calcaribus stimulavit: cumque, „ fracto freno, equus proprio arbitrio relic- „ tus curreret, festinanter quadam mulier „ veniens ex obliquo infantulum bajulans ob- „ viavit, in quam equus irruens (procul ab- „ jecto seffore) puerum prædictum oppres- „ sit. Mandamus, quatenus, si est ita, cum „ idem capellanus, nec voluntate, nec actu „ homicidium perpetravit, nec dedit operam „ illicitæ rei; non impedias, quo minus di- „ vina possit officia celebrare. „ Hæc ille ibidem: Ecce, quod dans operam rei licitæ, nec existens in culpa, non fit irregularis, si homicidium sequatur. Quod clarius ab eodem habes ibidem cap. *Ex litteris tue fraternitatis accepimus, quod quidam monachus, &c.* Ubi de quodam in campanili existente pro campana deponenda, & casu ligni sortuito interficiente puerum, dicitur: quod, si ipse rem necessariam agebat, & utilem, & in loco, per quem aliquem transire non crederet, vel ibidem existere, vel etiam illic de consuetudine venire, quando lignum movit, poterit ad altiores ordines promoveri. Vide ibidem per multa capitula de materia hac: & quod etiam homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei illicitæ, ut dicitur in hoc responso ad tertium. Secundo habes: quomodo per rationem prædicta scriptu-

rum, & Patrum, pro quanto homicidium impedire a clericatu insinuant, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 169

Utrum illegitime nati debeant ab Ordinibus suscipiendis impediri.

AD quantum sic proceditur. Videtur quod illegitime nati non debeant ab ordinibus suscipiendis impediri. Quia filius non debet portare iniquitatem patris (Ezech. XVIII.) Portaret autem, si propter hoc impediretur ab ordinibus suscipiendis. Ergo &c.

2. Præterea. Magis impeditur aliquis propter defectum proprium quam alienum. Sed a susceptione ordinum propter illicitum concubitum suum non semper aliquis impeditur. Ergo nec propter illicitum concubitum patris sui.

Sed contra est quod dicitur Deuter. XXIII. 2. *Non ingredietur Manzer (1), hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem.* Ergo multo minus debet promoveri ad ordines.

Respondeo dicendum, quod ordinati in quadam dignitate præ aliis constituuntur. Et ideo ex quadam honestate requiritur in eis claritas quadam, non de necessitate sacramenti, sed de necessitate præcepti; ut scilicet sint bonæ famæ, bonis moribus ornat, non publice pœnitentes. Et quia obscuratur hominis claritas ex vitiosa origine; ideo etiam ex illegitimo toto nati a susceptione ordinum repelluntur, nisi cum eis dispensetur: & tanto est difficilior eorum dispensatio, quanto eorum origo est turpior. (2)

Ad primum ergo dicendum, quod irregularitas non est pœna iniquitati debita. Et ideo patet quod illegitime nati non portant iniquitatem patris, ex hoc quod irregulares sunt.

Ad

(1) Vocabulum hebræum quod & ad calcem Bibliorum sic explicatur ut hic & in originali Editionis latine textu per parenthesis adjicitur: Septuaginta vero simpliciter exprimunt prætermisso hebræo vocabulo *de meretrice natus (ex πόρνης)* Ut & Theodoretus in Deuter. quest. 25. quamvis & quidam notent (ex *vapitus*) ab eo dictum esse quasi ex fornicatione propter exemplaria forte quedam que sic haberent.

(2) Hinc Extra *Qui filii sint legitimi* cap. Per venerabilem Innocentius 3. cuidam nobili viro Montisfessulani dispensationem sive legitimationem pro

filii illegitimis postulatam denegat, quia *som ten Mosaica quam Canonica (inquit) sobolem sustop- sam ex adulterio detestatur, salsam Domino quod Manzeres & spurii usque in decimam generationem in Ecclesiam non intrabunt; Canone vero vesante sales ad sacros ordines promoveri, ut circa finem videre est, licet initio pramittat quod super hoc Apostolica Sedes plenam habeat potestatem, & quod non cum naturalibus tantum sed cum adulterinis propter diversas causas dispensavit: Ut ex Decretis quoque dist. 56. per varia capita tam de prohibitionem quam de dispensatione colligi potest.*

Ad secundum dicendum, quod ea quæ per actum proprium committuntur, possunt per pœnitentiam, & actum contrarium aboleri; non autem ea quæ ex natura sunt. Et ideo non est simile de vitioso actu, & de vitiosa origine.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem, ostendas, merito insinuatam a *Stephano* Papa I. quod illegitime nati a clericatu prohibentur, ut habes supra *quæst. 36. artic. 1. append. Item 2. &c. quæst. 37. art. 2. append.* Item a Concilio *Pisavienfi* sic: „ Ut filii presbyterorum, & ceteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes, prælationem vero nullatenus habeant. *Hæc illud, de filiis presbys. ordin. vel non. Item a Gregorio IX. ad Archiep. Turonen.* Nimis in tua provincia Ecclesiæ deformatur honestas, ex eo, quod filii sacerdotum, & alij non legitime nati promoventur ad dignitates, & personatus, & alia beneficia curam animarum habentia. *Hæc ille ibid.* Ecce, quod contra honestatem est, illegitime natos admittere ad clericatum, ut habet conclusio; ex quo nimis deformatur illa honestas, si ad dignitates in Ecclesia assumantur. Item, quod possint admitti cum dispensatione, insinuatam esse merito ab *Alexandro II.* potes ostendere per *D. Thomam*, & consequenter illegitimos ordinari non posse, non esse de necessitate sacramenti. Dicit ergo *Alexander* sic, ut recitatur *dist. 56.* „ Apostolica auctoritate, te præcipimus vobis, ut, si eum, qui ab Ecclesia electus est, altero digniorem esse, canonicamque eius electionem probaveritis, fulti nostra auctoritate consecretis. Nam pro eo, quod filius sacerdotis dicitur: si ceteræ virtutes in eum conveniant, non rejicimus, sed suffragantibus meritis conveniendo recipimus. „ *Hæc ille.* Hoc idem scribit *Urbanus* Papa *Burtholomæo* Turronensi Archiepisc. *ibidem cap. Cænonianensem.* Vide tu ibi, & in ead. *dist.* per capitula multa. Item de pœnitentibus publicis a Concilio *Aurelianensi.* *Ut pœnitentes ad sacerdotium non ascendant.* *Hæc illud;* ut recitatur de bigami. non ordin. *cap. 1.* Item quoad di-

spensationem illegitimatorum, inquit, „ Bonifacius VIII. Is, qui defectum patitur natalium, ex dispensatione potest licite (si ei aliud canonicum non obstat) ad ordines promoveri minores, & obtinere beneficium, cui cura non imminet animarum, dummodo sit tale, super quo per ipsum Episcopum valeat dispensari. Ad ordines autem majores, vel beneficia super quibus nequit Episcopus dispensare, sine dispensatione Sedis Apostolicæ promoveri non potest. „ *Hæc ille, de fil. presb. in 6. Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto illegitimos, & publice pœnitentes ad ordinem promovendos non esse insinuant, & intelligas, & probes, & tuearis. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 162

Utrum propter defectum membrorum debeat aliquis impediri.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod propter defectum membrorum non debeat aliquis impediri. Quia afflictio non debet addi afflictio. Ergo non debet privari ordinis gradu propter pœnam corporalis defectus.

2. Præterea. Plus exigitur ad actum ordinis integritas discretionis quam integritas corporis. Sed aliqui possunt promoveri ante annos discretionis. Ergo & cum corporis defectu.

Sed contra. Tales prohibebantur a ministerio veteris legis. (*Levit. xx1.*) Ergo multo fortius debent in nova lege prohiberi. De bigamia vero dicitur in tractatu de matrimonio (*quæst. lxxvi.*)

Respondeo dicendum, quod, sicut ex dictis patet (*art. præc.*) aliquis efficitur ineptus ad susceptionem ordinum vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis personæ. Et ideo patientes defectum in membris impediuntur a susceptione ordinis, si sit talis defectus, qui maculam notabilem inferat, per quem obscuretur personæ claritas (ut abscissio nasi) vel periculum in executione facere possit, alias non impediuntur. *Hæc autem integritas exigitur de necessitate præcepti, sed non de necessitate sacramenti. (1)*

Et per hoc patet solutio ad objecta.

AP.

(1) Sicut etiam *Extra de corpore xristianis ordinandis vel non,* quoad prædictas omnes partes varie de-

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictam ab Innocentio III. Ad Episcopum Militem. „Exposuisti nobis, quod prædecessor tuus N. in Abbatem promovit nesciens, quod ipse esset manu altera mutilatus, &c. Respondemus, quod, cum pro tam enormi defectu ad sacros non possit ordinem promoveri: & in promotione sua id tacuerit fraudulenter, ab Abbatis officio est non immerito amovendus. *Hæc ille, de corp. vitiat. non ordin. Item ab Honorio III. ad Episc. Engolism.* Thomas monachus proposuit: quod, cum in annis puerilibus esset constitutus, quadam barra ferrea super dexteræ suæ pollicem fortuito casu cadens, unguam avulsit ab eo: quocirca mandamus, quatenus, si ad frangendum Eucharistiam sit in pollice ipse potens, & aliud canonicum non obstat, propter deformitatem huiusmodi non dimittas, quin eum ad ordinem sacerdotis promoveas. *Hæc ille ibid. Vide etiam eod. tit. per tot. Item ab Innocentio ad Felicem Macerianum Episcopum.* Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad clerum canones non admittunt. Cui vero casu aliquid contigerit, dum operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percutit, hoc canones præcipiunt, & clericos fieri, & si in clero reperti fuerint, non abjici. *Hæc ille, dist. 55. Item a Concil. Martini Papa:* Si quis pro ægritudine naturalia à medicis secta habuerit, similiter & *Summ. S. Tb. Tom. XIII.*

„ qui a Barbaris, aut qui a Dominis suis
„ castrati fuerint, & moribus digni inveniuntur, hos canon admittit ad clerum promovendi. Si quis autem sanus, non per disciplinam religionis, & abstinentiæ, sed per abscissionem a Deo plasmati corporis existimat posse a se carnales concupiscentias amputari: & ideo se castraverit, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quod si jam fuerit antea promotus ad clerum, prohibetur a suo ministerio deponatur. *Hæc illud dist. 55. Item ab Hilario Papa.* Pœnitentes, vel incæsi litterarum, aut aliqua damna membrorum perpeffi, ad sacros ordines aspirare non audeant. Quisquis autem talium consecrator extiterit, factum suum ipse dissolvat. „ *Hæc ille, dist. 55. Faciunt hæc etiam pro qu. 36. art. 2. & quæst. hujus art. 5. Vide dist. 55. per tot. Secundo habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto patientes defectum membrorum a clericatu prohibent, & intelligas, & probes, & tuearis. Tertio vides: quomodo &c.*

QUESTIO XL.

De his que sunt annexa Sacramento Ordinis.

in septem articulos divisa.

DEinde considerandum est de his que sunt annexa sacramento ordinis: & circa hoc quaeruntur septem.

Primo, utrum ordinati debeant habere coronam rasuram, & tonsuram.

Secundo, utrum corona sit ordo.

Tertio, utrum per acceptionem coronæ aliquis renuntiet temporalibus bonis.

Tt.

Quarto,

claratur: Ut quod abscissio partis digiti non impediat, si tanta non sit quin possit solemniter sine scandalo celebrare, cap. De Presbytero ex Alexandro 3. Quod habenti maculam in oculo possit maxima dispensatione provideri ut Episcopus etiam fiat, ex eodem iterum Alexandro cap. Cum de tua: Quod castratio vel sectio quam quis in cunabulis nondum capax consentiendi passus eras, impedimentum ei nullum afferre poteris quominus ad Ordines promoveri possit, ex Clemente 3. Preservem (inquit) eum in Canonibus Apostolorum sit expresse sancitum quod si per insidias hominum sit aliquis eunuchus factus vel ita natus, aut etiam in persequutione virilia sua ei amputata, possit in Episcopum promoveri, ut cap. Ex parte Bartholomei patet Quod qui ob lepra periculum de consilio medici virilia sibi fecit abscindere possit a tam gravi infirmitate liberari, possit li-

bere ministerii officium exequi si est alius idoneus, quia sanctorum Patrum Canones hunc ab altaris ministracione non prohibent, ex Innocentio 3. ut habetur Ex parte M. Presbyteri: Quod abscissa manus ignoranter electus in Abbatem sit amovendus, quis non potest cum defectu tam enormi ad sacros Ordines promoveri cap. Exposuisti ex eodem Innocentio: Quod pollicem contusum ex vulnere accepto & fortuito casu habens propter deformitatem huiusmodi non censetur impeditus nisi aliud obstat, quin ad Ordinem Sacerdotis promoveatur, modo ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipse potens, cap. Thomas ex Honorio 3. &c. Quod autem arg. Sed contra subiungitur (art. 1. seq. quæst.) Servire Deo regnare est, non occurrit in Gregorio nisi æquivalenter super illud ex Psal. 5. pœnitent. Et Reges ut serviant Domino.

Quarto, utrum supra sacerdotalem ordinem debeat esse aliqua potestas episcopalis, Quinto, utrum Episcopatus sit ordo.

Sexto, utrum supra Episcopos possit esse aliqua potestas superior in Ecclesia.

Septimo, utrum vestes ministrorum convenienter sint in Ecclesia institutz.

ARTICULUS I. 163.

Utrum Ordinati debeant Tonsuram deserre.

*S. Thom. IV. dist. xxiv. quest. III. art. 1.
2. & 3.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod ordinati non debeant coronæ rasuram habere. Quia Dominus comminatur captivitatem, & dispersionem his qui sic attondentur: ut patet Deuteron. xxxii. 42. *De captivitate nudati inimicorum capitis.* & Hierem. xlix. 32. *Dispergam in omnem ventum eos qui attonsi sunt in comam.* Sed ministris Christi non debetur captivitas, sed libertas. Ergo coronæ rasura, & tonsura eis non competit.

2. Præterea. Veritas debet respondere figuræ. Sed figura coronæ præcessit in veteri lege in tonsura Nazarorum, sicut in littera (IV. dist. xxiv.) dicitur. Ergo cum Nazaræ non essent ordinati ad ministerium divinum, videtur quod ministris Ecclesiæ non debeatur tonsura, vel rasura coronæ: & hoc etiam videtur per hoc quod conversi, qui non sunt ministri Ecclesiæ, tondentur in religionibus.

3. Præterea. Per capillos superflua significantur, quia capilli ex superfluis generantur. Sed ministri altaris omnem superfluitatem a se debent expellere. Ergo totaliter debent caput radere, & non in modum coronæ.

Sed contra est quia secundum Gregorium (implic. sup. illud iv. Psal. pœnitent. *Et Reges ut serviant*) *servire Deo regnare est.* Sed corona est signum regni. Ergo illis qui ad divinum ministerium applicantur, corona competit.

Præterea. Capilli in velamen dati sunt, ut patet I. Corinth. xi. Sed ministri altaris debent habere mentem revelatam. Ergo competit eis rasura coronæ.

Respondeo dicendum, quod eis qui ad divina ministeria applicantur, competit rasura, & tonsura in modum coronæ, ratione figuræ: quia corona est signum regni, & perfectionis, cum sit circularis: illi autem qui divinis ministeriis applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Competit etiam eis ratione subtractionis capillorum & ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinarum retardetur, & ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obvolvatur.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus comminatur illis qui hoc ad cultum demonum faciebant.

Ad secundum dicendum, quod ea que fiebant in veteri Testamento, imperfecte representant ea que sunt in novo. Et ideo ea que pertinent ad ministros novi Testamenti, non solum significabantur per officia Levitarum, sed etiam per omnes illos qui aliquam perfectionem profitebantur. Nazaræ autem profitebantur perfectionem quandam in depositione comæ, significantes temporalium contemptum; quamvis non in modum coronæ deponerent, sed omnino totum, quia nondum erat tempus regalis, & perfecti sacerdotii. Et similiter etiam conversi tondentur propter renuntiationem temporalium; sed non raduntur, quia non occupantur divinis ministeriis, in quibus divina oporteat eos mente contemplari.

Ad tertium dicendum, quod non solum debet significari temporalium abjectio, sed etiam regalis dignitas in forma coronæ: (1) & ideo non debet totaliter coma tolli; & etiam ne indecens videatur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a Concilio Agathensi, quod clerici tonsuram ferre debent. Hoc autem insinuatam est cap. 20. *Clerici, qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiam si noluerint, iurvis detondeantur.* Hæc illud: & recitantur distin. 23. Item a Greg. IX. *Si quis ex clericis comam velnaverit; anathema sit.* Hæc ille, dist. 23.

Item

(1) Sic in Decretis Causa 12. quest. 1. cap. Duo quod supposititæ velut ex Hieronymo prænotatur *Est unum genus (Christianorum) quod mancipatur offi-*

cio divino & contemplationi deditum ab omni spiritum temporalium cessare convenit ut sine Clerici Deo devoti que in suis Deus elegit: hâ namque sunt

Item ab Innocentio III. in Concilio generali. Clerici officia, &c. Coronam, & tonsuram habeant congruentem. Hæc ille: de vita, & honest. cler. Item ab Aniceto Papa, & martyre in Epist. ad Episcopos Gallie, c. 4. ubi de tonsura, & rasura in modum coronæ, inquit: Prohibete, fratres, per universas regionem vestram ecclesias, ut clerici, qui latcis, & simplicibus virtutis, honestatis, pudicitie, & gravitatis exemplar esse debent, ac seipso, tanquam signum puritatis vite, radiis ad imitationem prudenter exhibere, juxta Apostolum, comam non nutriant, sed desuper caput in modum spheræ radant; quia discreti debent esse in conversatione, ita & in tonsura, & omni habitu discreti debent apparere. Hæc ibi. Ubi nota ly juxta Apostolum. Nam ex eo, quod 1. Cor. 11. dicit, quod nutrire comam vitio est ignominia, insinuat Anicetus, se inferre a fortiori, quod clericis multo plus est ignominia nutrire comam. Item a. 12. q. 1. „ Duo sunt genera Christianorum, &c. Genus quod mancipatur divino officio, & deditum est contemplationi, & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit: ut sunt clerici, id est sorte electi, clerici (κληρικοι) enim Græce, Latine fors. Omnes enim Deus in suos elegit. Hi nanque sunt Reges, i. se, & alios in virtutibus regentes: & ita in Deo regnum habent: & hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni, quod in Christo expectatur. Ratio vero capitis est temporalium omnium depositio. „ Hæc ibi. Quæ maxime conveniunt cum dicto B. Petri Apo. ipsumque exponunt. 1. Pet. 2. Ubi sacerdotium novæ legis ipse vocat regale sacerdotium. Per quod vocabulum & ipse insinuat de clericis quoad rasuram in modum spheræ id ipsum, quod supra dictum est ab aliis summis Pontificibus. Ex his prædictis, maxime a 12. question. 1. Duo sunt, patet, merito damnari pestiferum illum errorem

Pauperum de Lugduno dicentium, clericos omnes, & eis obediens, a tempore Beati Sylvestri Papæ, esse damnatos. Ex ipsa enim interpretatione nominis clericorum patet reprobari temerarium hunc errorem & per consequens etiam ostendi, quod isti Pauperes de Lugduno sunt maxime depauperati in intelligentia propriæ vocis: quoniam ipsam non intelligunt. Et nota, quod talis corona per rasuram facta a B. Petro incepisse monstratur in edicto Constantini Magni Imperatoris, ubi legitur: „ Decrevimus itaque & hoc, „ ut idem venerabilis pater noster Sylvester „ Summus Pontifex, & omnes eius successores Pontifices, diademate (videlicet corona: quam ex capite nostro illi concessimus) ex auro purissimo, & gemmis pretiosis uti debeant, & in capite ad laudem Dei, & pro honore Beati Petri gestare. „ Ipse vero Beatissimus Papa super coronam clericatus, quam gerit, ad gloriam Beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona. „ Hæc ibi, tom. 10. Conciliorum. Ecce, quod reputavit Beatus Sylvester majoris dignitatis coronam clericalem, quam coronam Imperatoris auro, & margaritis intexam, & per hoc ipsos Pauperes de Lugduno in errore suo clericos persequentes valde condemnavit, distaque a Sancto Thoma in articulo præsentis maxime confirmavit. Secundo habes: quomodo prædicta Patrum, & Scripturarum, pro quanto ordinatos, statuunt tonsuram, atque rasuram debere portare; & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

T t 2

AR.

Reges, id est se & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent: Et hoc designat corona in capite: Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum regni quod in Christo expectatur: Ratio vero capitis est temporalium depositio. Et Ivo Carnotensis tomo 10. Bibliothecæ Patrum, sermone de factorum Ordinum excellentia: Si paupertatem (inquit) & humilitatem quam figura capitis præfert, in corde non habentis, sicut ne vestra spes ad æterna mercede sit vacua, qui non fi-

cus Clerici sed sicut Accephali sola temporalia lucra in militia Clericali quaeritis: Ad hoc enim capillos in modum coronæ raditis, ut & regnum spirituale quo ceteris præminatis, tali figura ostendatis, & cura mortalis illecebras frequenter radentes sic ampueritis de corde, sicut crines frequenter resurgentes abraditis de capite: Præter alia passim quæ de forma, de mysterio, de significatione Clericalis coronæ, tum ex Germano Constantinopolitano in theoria rerum Ecclesiasticarum, tum aliunde, colligi possunt.

Utrum Corona sit Ordo.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod corona sit ordo: Quia in actibus Ecclesie spiritualia corporalibus respondent. Sed corona est quoddam corporale signum quod Ecclesia adhibet. Ergo videtur quod signatum interius ei respondeat, & ita in coronatione imprimetur character, & erit ordo.

2. Præterea. Sicut ab Episcopo solum datur confirmatio & alii ordines, ita & corona. Sed in confirmatione, & aliis ordinibus imprimitur character. Ergo & in corona: & sic idem quod prius.

3. Præterea. Ordo importat quandam dignitatis gradum. Sed clericus, hoc ipso quod clericus est, in gradu supra populum constituitur. Ergo corona, per quam efficitur clericus, est aliquis ordo.

Sed contra. Nullus ordo datur nisi in Missæ celebratione. Sed corona datur etiam absque officio Missæ. Ergo non est ordo.

Præterea. In collatione cujuslibet ordinis fit mentio de aliqua potestate data; non autem in collatione coronæ. Ergo non est ordo.

Respondeo dicendum, quod ministri Ecclesie a populo separantur ad vacandum divino cultui. In cultu autem divino quedam sunt quæ per potentias determinatas sunt exercenda; & ad hoc datur spiritualis potestas ordinis: quedam autem sunt quæ communiter a toto ministrorum collegio fiunt, sicut dicere divinas laudes, & ad hoc non præxigitur aliqua potestas ordinis, sed solum quedam deputatio ad tale officium: & hoc fit per coronam. Et ideo non est ordo, sed præambulum ad ordinem.

Ad primum ergo dicendum, quod corona habet interius aliquid spirituale quod ei respondet, sicut signatum signo; sed hoc non est aliqua spiritualis potestas. Et ideo in corona non imprimitur character, nec est ordo.

Ad secundum dicendum quod, quamvis per coronam non imprimatur character, tamen deputatur homo ad divinum cultum. Et ideo talis deputatio debet fieri per summum ministrum, scilicet per Episcopum; qui etiam vestes benedicit, & vasa, & alia omnia quæ ad divinum cultum applicantur.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod

aliquis est clericus, est in altiori statu quam laicus; non tamen habet ampliorem potestatis gradum, qui ad ordinem requiritur.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Concil. *Florent. & Tridentin.* immo & ab omnibus hujusmodi tractantibus de ordine, quod corona non est ordo. Hoc autem insinuat a *Florent.* in decr. Armenis dato de sacram. quando nos remittit ad Pontificale Romanum de formis ordinum late continens. Nam, ut patet *qu. 34. art. 4.* vel etiam *qu. 37. art. 5. app.* per singulas formas ordinum, nunquam mentio fit de corona: immo, quando de corona agitur, nunquam forma similis formis ordinum exprimitur: quoniam de nulla potestate data memoratur. Non enim Episcopus coronando dicit: Accipe hanc, vel illam potestatem, sicut dicit ordinando. Cum ergo in singulis ordinibus imprimatur character, *qu. 25. art. 2.* qui est potestas aliqua, cujus meminit Episcopus per formam, patet secundum Concilium illud *Florent.* quod corona non est ordo. A Concilio etiam *Trident.* sess. 23. cap. 2. *Ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distribui: ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.* Hæc ibi. Mox vero facit de singulis ordinibus mentionem expressam, nominans sacerdotes, diaconos, subdiaconos, acolythos, exorcistas, lectores, ostiarios; & nihil prorsus de tonsura clericali dicens. Unde colligitur aperte, quod clericalis tonsura non est ordo, neque major, neque minor: sed est illa res, per quam insigniti ascendunt per ordines minores ad majores. Hoc autem est esse præambulum, & dispositionem ad ordinem. *Secundo* habes: quomodo prædicta Patrum, pro quanto coronam insinuant non esse ordinem, & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 165

Utrum per acceptionem Coronæ aliquis renunciet temporalibus bonis.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod per acceptionem coronæ aliquis renunciet temporalibus bonis. Ipsi enim dicunt, cum coronantur: *Dominus pars hereditatis meæ.*

mea. Sed, sicut dicit Hieronymus (epist. ad Nepotian. inter princ. & med.) *Dominus cum bis temporalibus pars fieri dignatur.*

(1) Ergo renuntiant temporalibus.

2. Præterea. Justitia ministrorum novi Testamenti debet abundare super ministros veteris Testamenti, ut patet Matth. v. Sed ministri veteris Testamenti, scilicet Levitæ, non acceperunt partem hæreditatis cum fratribus suis. (Deut. x. & xviii.) Ergo nec ministri novi Testamenti habere debent.

3. Præterea. Hugo dicit (Lib. II. de sacrament. part. iii. cap. ii.) quod *postquam aliquis est factus clericus, debet deinceps de stipendiis Ecclesie sustentari.* Sed hoc non esset, si patrimonium suum retineret. Ergo videtur quod abrenuntiet in hoc quod fit clericus.

Sed contra est quod Hieremias fuit de ordine sacerdotali, ut patet Hierem. i. Sed ipse habuit possessionem hereditatis, ut patet Hierem. xxxix. Ergo clerici possunt habere patrimonialia bona.

Præterea. Si hoc non possent, non videretur tunc differentia inter religiosos, & clericos sæculares.

Respondeo dicendum, quod clerici in hoc quod coronam accipiunt, non renuntiant patrimonio, (2) nec aliis rebus temporalibus: quia terrenorum possessio non contrariatur divino cultui, ad quem clerici deputantur, sed nimia eorum sollicitudo: quia, ut dicit Gregorius (Lib. X. Moral. cap. xvii. cir. princ.) *affectus in crimine est, (*) non census.*

Ad primum ergo dicendum, quod Domi-

nus dedignatur pars fieri, ut ex æquo cum aliis diligatur, ita scilicet quod aliquis ponat finem suum in Deo, & in rebus mundi; non tamen dedignatur pars fieri eorum qui res mundi ita possident, ut per eas a cultu divino non retrahantur.

Ad secundum dicendum, quod Levitæ in veteri Testamento habebant jus in hereditate paterna; sed ideo non acceperunt partem cum aliis tribubus, quia erant per omnes tribus dispergendi: quod fieri non potuisset, si unam determinatam partem tertæ accepissent, sicut alix tribus.

Ad tertium dicendum, quod si sint indignes clerici ad sacros ordines promoti, Episcopus qui eos promovit, tenetur eis providere; alias non tenetur: ipsi autem ex ordine suscepto tenentur Ecclesie ministrare. Verbum autem Hugonis intelligitur de illis qui non habent unde sustententur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas errorem pessimum Joannis Wicleff, ut refert Conc. Constan. sess. 8. dicentis; Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessionem habeant. Item addentis, quod contra scripturam sacram est, quod ecclesiastici habeant possessiones. Item dicentis, quod dicere clerum est contra regulam Christi. Item dicentis, quod Sylvester Papa, & Constantinus Imperator Ecclesiam dotando erraverunt: & quod, ut refert Præteolus, titu-

Joan-

(1) Sive paulo aliter & plenius epist. x. quæ ad Nepotianum inscribitur; *Qui Dominum possidet & eum Propheta dicit, Pars mea Dominus, nihil erit Dominum habere potest: Quod si quidpiam aliud habueris præter Dominum, pars ejus non erit Dominus: Verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si variam sustulisti: cum istis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur.* Quod autem ex Hugone paulo post argum. 3. subjungitur, habetur apud illum lib. 2. de Sacramentis part. 3. cap. 2.

(2) Colligitur ex Can. 12. in Decretis tum quæst. 1. cap. Statuimus ut Episcopus, tum quæst. 1. cap. Placuit: Priori enim loco ex Concilio Agathensi Can. 22. sic dicitur: *Statuimus ut Presbyteri vel Clerici rem Ecclesie sicut permisierint Episcopi, teneant: vendere autem aut donare penitus non præsumant: Quod si fecerint, & facta venditio non valebit, & de facultatibus (si quas proprias habent) Ecclesiam indemnem reddant:* Posteriori loco ex eodem iterum Concil. can. 33. *Episcopus qui filios*

non habuerit aut nepotes, alium quam Ecclesiam non reliquas heredem: Si quid de Ecclesia non Ecclesie causa aut necessitate præsumpserit, quod distraxit aut donavit, irritum habeatur: Qui vero filios habet, de bonis qua reliquit, ab hæreditibus ejus, indemnitasibus Ecclesie consulatur: Tertio loco ex Concilio Carthaginensi 3. can. 49. *Placuit ut quicumque Clerici qui nihil habentes ordinantur & sui Clericatus tam, poro agros vel quæcumque prædia sui sui suo comparant, tanquam rerum dominicarum invasionis crimine teneantur obnoxii, nisi Ecclesia eadem ipsa contulerint.* Si autem ipsi proprie aliquid liberalitate alicujus vel successione cognationis advenerit, faciens inde quod eorum proposito congruit: Ut & extra de successione ab incestato cap. Sed hoc ex Concilio apud Altem habito: *Inventum est de Presbyteris & Clericis ut si per hereditatem vel alio modo intuitu persone aliquid acquirerint, liceat eis donare cui voluerint dum vivunt, &c.*

(*) Ita recentiores editi passim: *edito, Potius non factus. In veteribus dicit non census.*

Joannes Wicleff, ipse Constantinus, ceterique
 domini temporales seducti sunt a diabolo,
 ut Ecclesiam bonis temporalibus dotarent.
 Secundo habes: quomodo per rationem ostendas,
 hos errores merito damnatos esse a Concilio
 Constantien. sess. 8. ut narratur supra q. 20.
 art. 3. appen. de Wicleff, Item ab Urbano I.
 qui fuit 16. Papa post Petrum, Tiburti cognati,
 & Valeriani sponsi Beate Cecilie baptizator,
 & Sanctus anno Domini 222. Hic in ep. 1.
 Doctr. ad universos Episcopos, inquit: „ Scimus,
 vos non ignorare, quia haec vita communis
 inter omnes bonos Christianos viget, & adhuc
 gratia Dei viget, & maxime inter eos, qui in
 sortem domini sunt electi, idest, clericos, sicut
 in A. S. legitur Apostolorum. Quotquot enim
 possessores agrorum, aut domorum erant,
 vendentes afferbant pretia eorum, quae
 vendebant, & ponebant ante pedes
 Apostolorum. Dividebatur autem singulis,
 prout cuique opus erat, &c. Videntes ergo
 sacerdotes summi, & alii, atque levites,
 & reliqui fideles, plures utilitatis posse
 afferre, si hereditates, & agros, quos
 vendebant, ecclesiis, quibus praesidebant
 Episcopi, traderent, eo, quod ex sumptibus
 eorum tam praesentibus, quam futuris
 temporibus, plurima, & elegantiora possent
 ministrare fidelibus communitatem fidem
 ducentibus, quam ex pretio eorum: ceperunt
 praedia, & agros, quos vendere solebant,
 matricibus ecclesiarum tradere, & ex sumptibus
 eorum vivere. Ipsa vero res in ditione
 singularum parochiarum, Episcoporum, qui locum
 tenent Apostolorum, erant, & sunt usque
 adhuc, & futuris semper debent esse temporibus,
 &c. Unde attendendum est omnibus, &
 fideliter custodiendum: ne praedia quibusdam
 sacrorum caelestium dedicata a quibusdam
 irruentibus vexentur. Quod si quis fecerit,
 post debita ultionis acrimoniam, quae erga
 sacrilegos jure promenda est, perpetua
 damnetur infamia, & carceri tradatur,
 aut exilio perpetuo deportationis utatur.
 Quoniam, juxta Apostolum, tradere oportet
 hujusmodi hominem Satan: ut spiritus
 salvus sit in die Domini. Haec ibi, &
 sparsim leguntur per decretum 11. quest. 1.
 Scimus vos, & 12. quest. 1. Videntes autem
 sacerdos, & 17. quest. 4. Attendendum est.
 Ecce, quod Urbanus docuit, & hujusmodi
 possessiones ecclesiarum a fidelibus esse
 datas instinctu Spiritus sancti, & ipsum
 Wicleff, cum similibus, tanquam sacrilegum

perpetua infamia, & dominatu Satánico;
 quia jam impositens mortuus est, jure esse
 damnandum. Item a Concilio Agens, lib. 3.
 cap. 4. 5. & 6. „ Qualiter ecclesia Christi
 ab exordio nativitatis suae coepit crescere,
 dilatare, ac propagari, & fidelium oblationibus
 munerari, in ipso capite nostro Christo
 intueamur, qui oblationes fidelium suscipere
 non ambigitur, unde erant nummi, quos
 miser Judas, & non miserabilis, furabatur,
 & idcirco, qui aliquid de ecclesia furatur,
 Judae perditio comparatur, &c. Item vi. 7.
 Quare oculos habuit, cui Angeli ministraverunt:
 nisi quod ecclesia ejus oculos suos habitura
 erat? Esto. Erat futurum, ut ecclesia Christi
 nummos haberet, etiam nummos utique &
 praedia, & mancipia, & diversarum
 specierum innumera ornamenta. Porro
 Christum, & ecclesiam, unam personam
 esse, non nescimus: & ideo, quae ecclesiarum
 sunt, Christi sunt, & quae ecclesiarum
 offeruntur, Christo offeruntur; & quae
 ab ecclesia ejus tolluntur, proculdubio
 Christo tolluntur, &c. Item c. 9. Multi
 sunt hodie, qui Christiano censentur nomine:
 qui ad instar Judae dicere solent super
 his, quae Domino, aut consecrata sunt,
 aut consecrantur, aut consecrari decernuntur.
 Ut quid perditio haec? putantes, perditionem
 esse, quae ecclesiarum, ministrisque ejus,
 ob amorem Dei, sunt commodata, &c. cat. & cap. 11.
 Dominum nostrum Christum vota offerentiam
 respexisse, & viduam duo minuta, idest
 omnia, quae habebat, in Gazophylacium
 mittentem laudasse, & quod animo quis
 quid mitteret ineffabili discretionem significabat,
 ecclesiam suam a fidelibus multiplices
 oblationes accepturam: & si tunc respiciendo
 vota offerentium certo examine discrevit,
 atque approbavit, dubitandum non est,
 quin factum volentium ea de ecclesia
 sua auferre vituperet. Item cap. 23. Gesta
 singulorum Imperatorum; & ut de multis
 unum ponamus, Constantini, ac Regum,
 Principumque erga cultum divinum amplificandum,
 & ceterorum Christianorum frequentissimam
 devotionem manifestant: qualiter memoratam
 ecclesiam usque in praesens tempus honorando
 exaltaverint, & exaltando honoraverint,
 atque multis denariis divitem effecerint.
 Haec ibi. Item a Concilio Trid. sess. 21. c. 2.
 de reform. Cum non deceat eos, qui divino
 ministerio adscripti sunt, cum ordinis dedecore

„ men.

mendicare, aut fordidum aliquo quatum exercere, statuit sancta Synodus, ne quis deinceps clericus secularis, quamvis alias sit idoneus, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum. Eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem, vere ab eis obtineri: taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint: donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint, antiquorum canonum poenas super his innovando. Hæc ibi. Item a, &c. *extra, de præben. & dignis. c. Episcopus*: immo per totum, eod. tit. in 6. c. *cum secundam*, & c. *si Episcopus*: & 70. *distin. c. Neminem*, cum sequen. Item a tota sancta catholica Ecclesia facta suo solamini quotannis damnari merito Wicleffitas, & similes, ostendere potes: dum S. Thomam Cantuariensem Archiepiscopum, eo, quod pro defensandis iuribus, & redditibus ecclesiarum suarum gladiis impiorum occubuit, tanquam vere gloriosum martyrem colit: cujus gloriam manifestarunt & Angeli, dum canonicis pro defuncto ipso ad canendam Missam, *de Requiem aeternam* paratis, ipsi de caelo venientes more cantorum præcinerunt, *Lætabitur iustus in Domino*: quod est, Missa de martyre: quam & canonici illi profecuti sunt: ut narrat S. Antoninus Archiepisc. Flo. 2. *part. bist. tit. 17. c. 3.* Item, dampari ab eadem ipsa Ecclesia, dum celebriter B. Dominici ordinis Prædicatorum fundatoris, ordinem tertiarium confirmavit, multisque privilegiis communivit: qui ordo tertii habitus usque hodie perseverat. Hic enim contra hæreticos quosdam diripientes bona, & jura ecclesiarum ab eodem Patre, instinctu Spiritus sancti olim institutus fuerat: quapropter & eos *fratres de militia Jesu Christi* appellavit. Ministerio autem completo, cum armis ipsorum militum, orationibusque xorum suarum hæretici prædicti fuissent quam plurimum debellati, & destructi: visum est tam Patribus ordinis, quam ipsis confratribus mutare nomen militiæ in nomen poenitentiae, & ad honorem institutoris sui appellari voluerunt,

fratres, & factores de poenitentia B. Dominici. De qua re 5. tom. Conciliorum in gestis Innocentii Papæ III. sic, quasi digitis summis monstrando factum, dicitur: *Hujus temporibus oborta apud Tholosam hæresis est, quam eodem procurante, B. Dominicus, qui postea in Sanctos relatus est, mira celeritate compefcuit, adjuvante etiam Simone Monforti. Non enim disceptationibus verborum tantum, verum etiam armis opus fuit, adeo inoleverat tanta hæresis.* Hæc ibi. Tertio babes: quomodo prædicta Patrum, pro quanto per receptionem coronæ clericalis insinuant non renunciari patrimonio, ac bonis temporalibus, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 166

Utrum supra sacerdotalem Ordinem debeat esse aliqua potestas episcopalis.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod supra sacerdotalem ordinem non debeat esse aliqua potestas episcopalis. Sicut enim in littera dicitur (IV. dist. xxiv.) *ordo sacerdotalis ab Aaron sumptis exordium.* Sed in veteri lege nullus erat supra Aaron. Ergo nec in nova lege debet aliqua potestas esse supra sacerdotalem.

2. Præterea. Potestas ordinatur secundum actus. Sed nullus actus sacer potest esse major quam consecrare corpus Christi, ad quod est potestas sacerdotalis. Ergo supra sacerdotalem potestatem non debet esse episcopalis.

3. Præterea. Sacerdos in offerendo gerit figuram Christi in Ecclesia, qui se Patri pro nobis obtulit. Sed in Ecclesia nullus est major Christo, quia ipse est caput Ecclesiarum. Ergo ut prius,

Sed contra. Potestas tanto est altior, quanto ad plura se extendit. Sed potestas sacerdotalis, ut Dionysius dicit (cap. v. eccles. Hierarch. cir. med.) extendit se ad purgandum, & illuminandum tantum; episcopalis autem ad hoc, & ad perficiendum. Ergo supra sacerdotalem potestatem debet esse episcopalis.

Præterea. Divina ministeria debent esse magis ordinata quam humana. Sed humanorum officiorum ordo exigit ut in quolibet officio præponatur unus, qui sit princeps illius officii, sicut præponitur militibus dux; Ergo & sacerdotibus debet aliquis præponi qui sit sacerdotum princeps: & hic est Episcopus. Ergo episcopalis potestas debet esse supra sacerdotalem.

Re

Respondeo dicendum, quod sacerdos habet duos actus: unum principalem, scilicet consecrare corpus Christi; alterum secundarium, scilicet præparare populum Dei ad susceptionem hujus sacramenti, ut prius dictum est (quæst. xxxvii. art. 2. in corp. & ad 1. & art. 4.) Quantum autem ad primum actum, potestas sacerdotis non dependet ab aliqua superiori potestate, nisi divina; sed quantum ad secundum, dependet ab aliqua superiori potestate, (*) & humana. Omnis enim potestas quæ non potest exire in actum, nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate quæ illas ordinationes facit. Sacerdos autem non potest absolvi, & ligare, nisi præsupposita prælationis jurisdictione, qua sibi subdantur illi quos absolvit; potest autem consecrare quamlibet materiam a Christo determinatam: nec aliud requiritur, quantum est de necessitate sacramenti; quamvis ex quadam congruitate præsupponatur actus episcopalis in consecratione altaris, & hujusmodi. (1) Et ita patet quod oportet esse potestatem episcopalem supra sacerdotalem, quantum ad actum secundarium sacerdotis, non autem quantum ad primum.

Ad primum ergo dicendum, quod Aaron sacerdos fuit, & Pontifex, id est sacerdotum princeps. Sumpsit ergo sacerdotalis potestas ab ipso exordium, in quantum fuit sacerdos sacrificia offerens, quod etiam minoribus sacerdotibus licebat; sed non ab eo, in quantum fuit Pontifex, per quam potestatem poterat aliqua facere (ut ingredi semel in anno in Sancta sanctorum) quod aliis non licebat.

Ad secundum dicendum, quod quantum ad illum actum non est aliqua potestas superior, sed quantum ad alium, ut dictum est (in corp.)

Ad tertium dicendum, quod sicut omnium rerum naturalium perfectiones præexistunt exemplariter in Deo; ita Christus fuit exemplar omnium officiorum ecclesiasticorum. Unde unusquisque minister Ecclesiæ quantum ad aliquid gerit typum Christi, ut ex littera patet. (IV. dist. xxiv.) Et tamen ille est superior qui secundum majorem perfectionem Christum repræsentat. Sacerdos autem repræsentat Christum in hoc quod per seipsum aliquod ministerium implevit; sed Episcopus in hoc quod alios ministros instituit, & Ecclesiam fundavit. Unde ad Episcopum pertinet mancipare aliquid divinis officiis, quasi cultum divinum ad similitudinem Christi stantem. Et propter hoc etiam Episcopus specialiter sponsus Ecclesiæ dicitur, sicut & Christus.

A P P E N D I X .

EX art. habas *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Aerii* dicentis: inter quosvis sacerdotes nullum discrimen esse, etiam Episcopos, id est, Episcopum non esse simplici sacerdote superiorem. Huic concordat in malum *Joannes Westsabl.* dicens: Episcopos omnes, & presbyteros dignitate, & auctoritate æquales esse; potentia divitiarum, vel humilitate paupertatis inferiorem, vel sublimiorem Episcopum fieri. Item *Tandemi* dicentis; Episcopalem gradum, ac sacerdo-

(*) *Al.* scilicet humana.

(1) Nempe ad consecrandam Eucharistiam quæ consecrari sine hoc ritu potest; non ad altare consecrandum quod benedictionem episcopalem absolute requirit; in Decretis dist. 68. cap. *Quamvis* ex Leone 1. & *Causa* 26. quæst. 6. cap. *Ministrare* ex Concilio Agathensi; non sic benedictio vestium quæ aliis Apostolico privilegio conceditur. Nec omittendum porro circa solutionem primam hæc subjunctam quam se misere bicipitis in Ecclesia Pontificatus defensores torqueant ut vindicent Moysi quod Aaroni proprium fuit, & quam ridicule mirentur cur filii Moysi summarum Pontificatum non habuerint, ac hujus rei rationes cachinno dignas reddant, quia per visionem somniarunt maiorem natu Aaron Moysen qui ut Exodi 7. manifestum est, minor triennatu fuit: Sed hoc plenus in Pantheologia Rayneriana tom. 1. tit. de dominio cap. 7. expostum est. Episcopalem autem potestatem supra sacerdotalem esse constat ex *Ignatio* ad Philadelphienfes; *Dionysio* in *Eccl. hier.*

cap. 5. Item *lib. 3. contra hæreses* cap. item 2. *Epiphano* hæresi 75. & *Augusto* no *lib. de hæresibus* cap. 53. contra hæresim *Aerii* qui Presbyteros Episcopis æquabat, quia episcopatum non potuerat obtinere. Patet ex eo quoque quod *lib. de baptismo Tertullianus* *ius baptizandi* primum Episcopis, deinde Presbyteris, tribuit: ut & *ius confirmandi & ordinandi* solis Episcopis assignant *S. Leo* *epist. 88.* *Damasus* *epist. 3.* *Concilium Antiochenum.* *can. 10.* & *Ancyranum* *can. 12.* Nec *Hieronymus* aliud sentit, ut. 2. 3. qu. 18. art. 6. ad 1. discussimus: Hinc *sess. 23. cap. 4.* *Concilium Tridentinum* declarat *Episcopos ad hierarchicum Ordinem præcipue præter ceteros pertinere, ac Presbyteris esse superiores*: Et *can. 7.* *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, anathema sit*: Contra *modernos hæreticos Aerii* hæresim reavantes.

cerdotalem ordinem, ceterosque sacri ordinis ministros nihil esse. Item errorem *Joan. de Poliano* (ut refert Card. Turrecrem. *de Eccles. lib. 2. cap. 65. fin.*) dicentis, quod Episcopus non potest audire confessiones parochianorum, neque dare generalem potestatem audiendi illas. Item *Pauperum de Lugduno* (ut refert Summa Fratris Yconeti *5. par. cap. 2. in Bibliotheca Vaticana manuscripta*) dicentium: Episcopos esse Scribas, & Pharizos, Apostolorum persecutores. Contra hos omnes, ut patere potest recte applicanti, præfens articulus victorioso pugnat. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito errores prædictos damnari a. &c. ut *qu. 20. ar. 1. & 2. append. & qu. 24. ar. 1. append. & qu. 38. ar. 1. append. & qu. 8. ar. 5. append. & qu. 37. ar. 4. append.* Item a *Damaso Papa I. in epist. Prospero, Leonis, Reparato, Alexandro, & omnibus Episcopis orthodoxis*; ut narratur infra *art. 7. append.* Item ab *Anacleto* in *epist. 3. omnibus Episcopis, & sacerdotibus*. „ Sacerdotum ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, a nullo debet perturbari. „ Scitis autem, a Domino Apostolos esse electos, & postea per diversas provincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœpisset crescere, videns paucos esse operarios; ad eorum adjumentum septuagintaduos elegi præcepit discipulos. Episcopi vero Domini Apostolorum, presbyteri septuagintaduorum discipulorum locum tenent. Episcopi autem, non in castellis, aut modicis civitatibus debent constitui: sed presbyteri per castella, & modicas civitates, atque villas, debent ab Episcopis ordinari, & poni: singuli tamen per singulos titulos. Episcopus non ab uno, sed a pluribus debet Episcopis ordinari; & ut dictum est, non ad modicam civitatem, ne vilescat nomen Episcopi: sed ad honorabilem urbem titulandus, & denominandus est. Presbyter vero ad quemcunque locum, vel ecclesiam in eo constitutam est præficiendus. „ Hæc ibi *Anacleto*, qui & *Apostolis* fuit contemporaneus, & a *S. Petro* eorum principe presbyter ordinatus. Cum igitur Episcopi in Apostolorum, & presbyteri in septuagintaduorum discipulorum locum succedant, consequens est proportionaliter, quod æquiparare presbyteros Episcopis, sit æquiparare septuagintaduos discipulos Apostolis, quod indubitanter absurdissimum est. Quamobrem prædictis ob stare nullo modo credendum est illa,
Summ. S. Th. Tom. XIII.

quæ *B. Hieron.* (ut recitatur *dist. 93. legimus*) ad *Evandrum* Episcopum dicit. Licet enim Episcopum, & presbyterum videatur modo pari existimare, non tamen verum est: quoniam de nominibus loquitur, non de rebus. Nam ad loquendum de re ipsa se transferens, monstrat aperte & Episcopum a presbytero differre: & hanc eorum differentiam a tempore *B. Petri Apostoli* factam fuisse. Nam, inquit, & *Alexandria a Marco Evangelista usque ad Heraclam, & Dio. Episcopos, presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.* Hæc ille ibi. Cum igitur *Marcus Petri* fuerit tempore, sicut *Heracla, & Dionysius* tempore *Hieronimi*, patet, quod hæc prælatio etiam tunc erat, & a *B. Hieronymo* cognita. Unde verba ejus diligenter examinata prælationem istam non negant revera, sed ponunt; & dato, sed non concesso, quod *B. Hieronymus* aliter sentiret de hoc, quam sentiant *Concilia generalia Trident.* &c. adhuc non *Ecclesia ad Hieronymum*, sed *Hieronimus ad Ecclesiam*, velut ad regulam fidei infallibilem insecti deberet; vide *qu. 29. art. 3. append.* quomodo in talibus circa doctrinam procedendum nobis sit. Tertio habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto episcopalem potestatem dicunt præesse sacerdotali, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS V. 169

Utrum Episcopatus sit Ordo.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod Episcopatus sit ordo. Primo per hoc quod *Dionysius* (*cap. v. eccles. Hierarch.*) assignat hos tres ordines ecclesiasticæ Hierarchiæ, Episcopum, Sacerdotem, & Ministrum. In littera etiam (*IV. dist. xxiv.*) dicitur, quod est ordo Episcoporum quadripartitus.

2. Præterea. Ordo nihil aliud est quam quidam potestatis gradus in spiritualibus dispensandis. Sed Episcopi possunt dispensare aliqua sacramenta, quæ non possunt sacerdotes; sicut confirmationem, & ordinem. Ergo Episcopatus est ordo.

3. Præterea. In Ecclesia non est aliqua spiritualis potestas, nisi ordinis, vel jurisdictionis. Sed ea quæ pertinent ad episcopalem potestatem, non sunt jurisdictionis; alias possent committi non Episcopo: quod falsum est.

V u

est.

est. Ergo sunt potestatis ordinis. Ergo Episcopus habet aliquem ordinem, quem non habet sacerdos simplex: & sic Episcopatus est ordo.

Sed contra est quod unus ordo non dependet a precedenti, quantum ad necessitatem sacramenti. Sed episcopalis potestas dependet a sacerdotali: quia nullus potest recipere episcopalem potestatem, nisi prius habeat sacerdotalem. Ergo Episcopatus non est ordo.

Præterea. Majores ordines non conferuntur nisi in sabbatis. Sed episcopalis potestas traditur in Dominicis; (ut statuitur in Decretis dist. lxxv. cap. *Ordinationes* ex Anacleto, & cap. *Quod die dominico* ex Leone I.) Ergo non est ordo.

Respondeo dicendum, quod Ordo potest accipi dupliciter. Uno modo secundum quod est sacramentum: & sic, ut prius dictum est (quæst. xxxvii. art. 2. in corp. & ad 1. & art. 4.) ordinatur omnis ordo ad Eucharisticum sacramentum. Unde cum Episcopus non habeat potestatem superiorem sacerdote, quantum ad hoc Episcopatus non erit ordo. Alio modo potest considerari ordo, secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum: & sic cum Episcopus habeat potestatem in actionibus hierarchicis respectu corporis mystici supra sacerdotem, Episcopatus erit ordo. Et secundum hoc loquuntur auctoritates inductæ.

Unde patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod ordo, prout est sacramentum imprimens characterem, ordinatur specialiter ad sacramentum Eucharisticum, in quo ipse Christus continetur: quia per characterem ipsi Christo configuramur. Et ideo licet detur aliqua potestas spiritualis Episcopo in sui promotione respectu aliquorum sacramentorum; non tamen illa potestas habet rationem characteris. Et propter hoc Episcopatus non est ordo, secundum quod ordo est sacramentum quoddam.

Ad tertium dicendum, quod potestas episcopalis non est tantum jurisdictionis, sed etiam ordinis, ut ex dictis patet (in corp. & art. præc.) secundum quod ordo communiter accipitur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam fuisse a summis Pontificibus, & Conciliis, episcopatum esse, & non esse ordinem pro vario sensu. A summis quidem Pontificibus, ut a Pa-

pa Leone sic., Subdiaconibus carnale connubium non conceditur. Quod si in hoc ordine, qui quartus extat a capite, dignum est continentiam custodiri: quanto magis in primo, secundo, & tertio sic servandum est? Ne aut Levitico, aut presbyteriali honore, aut episcopali excellentia, quisquam idoneus existimetur: qui se a voluptate luxuriz necdum refrænasse detegitur. Hæc ille, & recitantur dist. 32. *omnium*. Ecce, quod episcopatus insinuat esse ordo. Item a Papa Pelagio, qui loquens de diaconis dicit. *Absque Episcopo, vel presbytero baptizare non audeant, nisi, prædictis ordinibus fortassis longius constitutis, necessitas extrema compellas*. Hæc ille: & recitantur dist. 23. *Diaconus propriam*. Item a Nicolæo Papa ad Mediolanenses scribente. „ Omnes, „ sive Patriarchæ cujuslibet apicem, sive „ Metropolas primatus, aut episcopatum „ cathedras, vel ecclesiarum, sive consuecun- „ qua ordinis dignitatem instituit Romana „ Ecclesia. *Hæc ille: & recitantur dist. 22. Item a dist. 22. Cleros*. „ Ordo Episcoporum „ quadripartitus est, id est, in Patriarchis, „ Metropolitans, Archiepiscopis, atque Episcopis. *Hæc ibi. A Concilio vero Trident. sess. 23. cap. 2. insinuat, quod non sit ordo, & sic*. „ Cum divina res sit tanti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, „ quo dignius exerceri posset, ut plures essent ministrorum ordines, qui sacerdotibus ex officio deservirent. Nam de sacerdotibus, & diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt, & ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, subdiaconatus, acolythi, exorcistæ, lectores, & ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur. Hæc ibi. Ubi vides, quod ordines tam majores, quam minores, volens exprimere, nullam de episcopatu facit mentionem. Nec miram, quoniam de ordine, in quantum est sacramentum, seu ad sacerdotium deserviens, tractabat; ut in tex. evidentissime patet. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto episcopatum ordinem, & non ordinem esse sine alterutris sententiæ præjudicio dicunt, & intelligas, & probes, & teneas. *Tertio* vides: quomodo, &c.

ARTICULUS VI. 168

Utrum supra Episcopos possit esse aliquis superior in Ecclesia.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod supra Episcopos non possit esse aliquis superior in Ecclesia. Quia omnes Episcopi sunt Apostolorum successores. (1) Sed potestas quae est data uni Apostolorum, scilicet Petro, Matth. xvi. est data omnibus Apostolis, Joan. xx. Ergo omnes Episcopi sunt pares, & unus non est supra alium.

2. Præterea. Ritus Ecclesie magis debet esse conformis ritui Iudæorum quam ritui Gentilium. Sed distinctio episcopalis dignitatis, & ordinatio unius supra alium, ut in littera dicitur (IV. dist. xxiv.) est a Gentilibus introducta; (2) in veteri autem lege non erat. Ergo nec in Ecclesia Episcopus unus super alium esse debet.

3. Præterea. Superior potestas non potest conferri per inferiorem neque æqualis per æqualem: quia sine ulla contradictione, quod minus est, a majori benedicitur: Hebr. vii. 7. unde etiam sacerdos non promovet Episcopum, neque sacerdotem, sed Episcopus sacerdotem. Sed Episcopus potest quemlibet Episcopum promovere: quia etiam Hosienus Episcopus consecrat Papam. Ergo episcopalis dignitas in omnibus est æqualis: & sic unus

Episcopus non debet alii subesse, ut in littera dicitur (IV. dist. xxiv.)

Sed contra est quod legitur in Concilio Constantinopolitano (sc. I. gener. II. can. v. & Constant. IV. gener. VIII. cap. xxi. & Conc. Chalced. gener. IV. act. xvi. sub fin.) *Veneramur, secundum Scripturas, & secundum canonum statuta, & definitiones, sanctissimum antiqua Rome Episcopum primum esse, & maximum Episcoporum, & post ipsum Constantinopolitanum Episcopum.* Ergo unus Episcopus est super alium.

Præterea. Beatus Cyrillus Episcopus Alexandrinus (*) dicit: *Ut membra maneamus in capite nostro apostolico throno Romanorum Pontificum, a quo nostrum est querere, quid tenere debeamus, ipsum venerantes, ipsum rogantes præ omnibus: (3) quoniam ipsius est reprehendere, corrigere, statuere, disponere, solvere, & ligare, loco illius qui ipsum edificavit: & nulli alii, quod suum est, plenum, sed ipsi soli dedit, cui omnes jure divino caput inclinans, & Prælates mundi tanquam ipsi Domino Jesu Christo obediunt.* Ergo Episcopi alicui subsunt etiam de jure divino.

Respondeo dicendum, quod ubicunque sunt multa regimina ordinata in unum, oportet esse aliquid universale supra particularia regimina: quia in omnibus virtutibus, & actibus, ut dicitur in I. Eth. (cap. i. & ii.) est ordo secundum ordinem finium, Bonum autem commune est divinius quam

V u 2 bonum

(1) Ex Anacleto epist. 2. sicut refertur in Decretis distinct. 21. cap. in novo Testamento: Et Hieronymo in Michæam dist. 35. cap. *Ecclesia Principes: Ex Urbano 2. dist. 68. cap. Quorum vices.*

(2) Qui nimirum alios quidem simpliciter *Flamines*, ut ad infimum sacerdotum ordinem pertinentes, alios vero *Archiflames* quasi flamines principales, imo alios quoque *Protosflamines*, quasi primos flamines supremos omnium appellabant: *Flamines* autem dicebantur veluti *filamines* a filo quod ligare solebant in capite, sicut non Isidorus tantum, sed & Varro lib. 2. de lingua latina, & ex illo loquens in 2. de civitate Dei librum cap. 15. denominatos notat.

(*) *Hæc ex Libro Theaur. citantur a D. Thoma in opusculo contra Græcos; at ibi non inveniri notat Nicolaus; sed ex quibusdam Græcis Fragmentis colligi quoad primam partem, Turriano Lib. II. de potest. Pontif. & Lindano in Panoplia assertoribus. In sententiis legis idem Nicolaus Romanorum Pontificis.*

(3) Idem præcipue omnium cum interrogantes de dubiis ut in adjunctis explicatur, non sicut prius pro omnibus: Quod autem præmittitur, sic refert quoque S. Thomas in opusculo contra Græcos cap.

68. licet in Sententiis reponendum existimavi *apostolico throno, Romanorum Pontifice*, quasi *apostolico throno* idem intelligatur quod *Romanus Pontifex*. Locus porro Cyrilli quem ibidem ex libro Theaurorum indefinite citat, non occurrit in iis libris qui sub inscriptione ita nunc supersunt, sed Turrianus lib. 2. de Pontificis potestate quantum ad primam partem ex fragmentis quibusdam græce refert, ut & Lindanus in Panoplia sua cap. 86. insinuat; & alioqui excidisse Cyrilli quosdam libros ex authoribus passim constat, ac eum de Romano seu summo Pontifice præclarissime loquutum esse patet ex Concilio Florentino Sess. 7. nec præclarior quam his verbis potuit. Sed nec in Chryloto mo sequens locus occurrit, est homil. 87. in Joan. *Princeps Apostolorum* (inquit) *erat Petrus & curus vortex; hinc fratrum curam ei commisit: Ut & in Acta homil. 3. Merito Petrus auctoritatem primus usurpas, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dicitur* (Luc. 22.) *Confirma fratres tuos.* Locus denique prænotatus ex Concil. Constantinop. non occurrit expresse sub his verbis in Canonibus qui nunc extant, sed in Concil. Constantinop. 1. Can. 5. quod *Constantinopolitana civitatis Episcopus debet habere primatus hono-*

bonum speciale. Et ideo supra potestatem regitivam, quæ conjectat bonum speciale, oportet esse potestatem regitivam universalem respectu boni communis: alias non posset esse colligatio ad unum. Et ideo cum tota Ecclesia sit unum corpus, oportet si ista unitas debet conservari, quod sit aliqua potestas regitiva respectu totius Ecclesiæ supra potestatem episcopalem, qua unaquæque specialis Ecclesia regitur: & hæc est potestas Papæ. Et ideo illi qui hanc potestatem negant, schismatici dicuntur, quasi divisores unitatis Ecclesiæ. Et inter Episcopum simplicem, & Papam sunt alii gradus dignitatum, correspondentes gradibus unionis, secundum quos una congregatio, vel communitas includit aliam; sicut communitas provinciæ includit communitatem civitatis, & communitas regni communitatem unius provinciæ, & communitas totius mundi includit communitatem unius regni.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis omnibus Apostolis data sit communiter potestas ligandi, & solvendi; tamen in hac potestate ordo aliquis signaretur, primo soli Petro data est, ut ostendatur quod ab eo in alios ista potestas debeat descendere: propter quod etiam ei dixit singulariter (Lucæ xxii. 42.) *Confirma fratres tuos*: & (Joan. xxi. 17.) *Pasce oves meas*; id est, loco mei, ut dicit Chryostomus, (*) *propositus, & capus esto fratrum, ut ipsi te*

in loco meo assumentes, ubique terrarum te in throno tuo sedentem prædicent, & confirment.

Ad secundum dicendum, quod ritus Judæorum non erat diffusus in diversis regnis, & provinciis, sed tantum in una gente: & ideo non oportebat quod sub eo qui habebat potestatem principalem, alii Pontifices distinguerentur. Sed Ecclesiæ ritus, sicut & Gentilium, per diversas nationes diffunditur: & ideo oportet quod quantum ad hoc magis Gentilium ritui quam Judæorum, Ecclesiæ status conformetur.

Ad tertium dicendum, quod potestas sacerdotis exceditur a potestate Episcopi, quasi a potestate alterius generis; sed potestas Episcopi exceditur a potestate Papæ, quasi a potestate ejusdem generis. Et ideo omnem actum hierarchicum, quem potest facere Papa in ministracione sacramentorum, potest facere Episcopus; non autem omnem actum, quem potest facere Episcopus, potest facere sacerdos in sacramentorum collatione. Et ideo quantum ad ea quæ sunt episcopalis ordinis, omnes Episcopi sunt æquales: & propter hoc quilibet Episcopus alium potest consecrare.

A P P E N D I X.

EV art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses Græcorum (ut refert Archiepisc. Florent. p. 3. *bist. sit. 22. cap.*

benoem post Romanum: Et in Constantinopolitano 4. can. 21. Definimus neminem quemquam eorum qui sedibus Patriarchalibus præsumunt inhonorare, sed omni reverentia dignos iudicare, præcipue quidem sanctissimum Papam; &c. Sicut etiam in Decretis refertur dist. 22. cap. Definimus. An forte Concilium Chalcedonense notandum fuit quod Act. 16. sic pronuntiat: Perpendimus omnem primatum & honorem præcipuum secundum Canones Dei amantissimo antiquæ Romæ Archiepiscopo consecrari: Sic & in 7. Synodo act. 2. recipitur & approbatur dictum hoc Adriani ad Terrasium quod per totum terrarum orbem Romana sedes primatum obtinens luceat, omniumque Dei Ecclesiarum capus existit, &c. Sed expressius in Concilio Florentino ex unanimi Latinorum pariter & Græcorum consensu Definimus Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & successorem esse B. Petri principis Apostolorum, ac verum Christi Vicarium, Ecclesiæque totius capus, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, ac ipsi in beato Petro pascendi, regendi, gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. Ridiculum est autem opponere Canonem 5. Concilii Nicæni quo mos antiquus in Ægypto, Lybia & Pentapoli persevera-

re decernitur ut Episcopus Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, quoniam Episcopo Romano parilis mos est; quasi sit sensus quod earum partium Episcopus Alexandrinus, curam habeat, sicut suburbicariæ curam Episcopus Romanus consuevit habere, ut Rufinus exponit lib. 10. eccl. hist. cap. 6. vel sicut habet curam totius Occidentis, ut Nilus & Balsamon explicant: Nam sensus est Romano Episcopo consuetum esse sive consentaneum & placitum (συνῆται) ut prædicta fruatur potestate Alexandrinus Episcopus, ut Nicolaus 2. ad Michaelem Imperatorem scribens explicavit: Nec ullo modo stare potest quod expositiones illæ frivole commentantur, ut per se patet; nec magis illa quam in prædictis verbis restituum putat Metropolitano pro Romano. Nihil igitur inde contra summum Pontificem universalem auctoritatem ac primatum colligi potest.

(*) *Hæc in Chryostomo non occurrunt, sed bene 1. lxxxvii. in Joann. Princeps Apostolorum, insuit, erat Petrus, & cæterus vertex: hinc fratrum curam ei committit. In Acta vero Apost. rom. 11. Merito Petrus auctoritatem primam usurpat, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dicitur. Confirma fratres tuos. Hæc Nicolaus.*

cap. 1. §. 1.) dicentium, Patriarcham Constantinopolitanam non esse inferiorem Romano Pontifice, vel non ei subiectum. Item dicentium (ut refert Melchior Cano, de locis theolog. lib. 4. cap. ult. ad arg. 12.) quod pastor unus totius Ecclesie non est a Christo in B. Petro institutus. Item dicentium (ut habetur ex D. Thoma contra errores Græcorum cap. 63.) Pontificem Romanum non habere universalis Ecclesie primatum. Item *Marsil.* cuiusdam (ut refert Card. Turrecr. de Eccles. lib. 4. cap. 37.) dicentis, quod Papa, Archiepiscopus, Episcopus, ac simplex sacerdos, sunt omnes æqualis auctoritatis, & jurisdictionis, ex institutione Christi. Item (ut refert Card. Turrecr. de Eccles. lib. 2. cap. 48.) errorem *Basileensium* dicentium, quod Pontifici Romano parere non tenentur prælati, & clerici, in Synodo congregati. Item quorundam (ut refert idem Cardin. de Eccles. lib. 2. cap. 52.) dicentium: quod Pontifex Romanus non habet plenitudinem potestatis in Ecclesia. Item *Joann. Huf.* (ut refertur in *Concilio Constantien. sess. 15.*) dicentis, non oportere credere, quod iste, quicumque est, particularis Romanus Pontifex sit caput cuiuscunque particularis Ecclesie, nisi Deus eum prædestinaverit. Item addentis; quod Papa, vel prælatus malus, & præscitus, est æquivoque pastor, & vere fur, & latro. Item addentis, quod non est scintilla apparentie, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum illa militante Ecclesia converseatur. Item, quod nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quod esset caput Ecclesie particularis, vel quod Romanus Pontifex esset caput Romanæ Ecclesie. Item *Joan. Wicleff* (ut in eodem *Concil. sess. 8.*) dicentis, quod post *Urbanum VI.* non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis. Contra enim hos, & alios similes, militat articulus præsens, eosque rationibus invictissimis (ut patet consideranti) expugnat. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hos errores merito damnari a *Concil. Constantien.* ubi supra. Eorum damnationem ad literam vide supra *qu. 20. art. 3. append.* de *Wicleff*, & *qu. 19. art. 5. append.* de *Huf.* Item merito damnari, quam exactissime a *Concil. Florent.* supra *qu. 17. art. 1. append.* Ubi videre est a Spiritu sancto actos Græcos (& quidem laudabiliter) damnare proprios errores. Item a, &c. ut 1. *par. qu. 32. art. 4.* Item a, &c.

supra *qu. 24. art. 1. append.* & *qu. 6. art. 6. append.* & *qu. 20. art. 1. append.* Vide & hos damnari a, &c. ut *qu. 26. art. 3. append.* & *qu. 8. art. 6. append.* De primatu Petri instituti a Christo abunde leges *qu. 17. art. 1. append.* & *qu. 20. art. 1.* ad 1. in coroll. Vide contra *Basileensium* errorem specialiter *Concil. Lateran.* sub *Leone X. sess. 11.* in Bulla incipiente, *Pastor æternus*; ubi & ob hoc *Basileense* Concilium merito vocatur non Concilium, sed conciliabulum, & conventiculum. Et nota, quod *Basileenses* de indubitato Papa loquebantur: quoniam contra *Eugen IV.* qui profecto re vera indubitatus erat, talia schismaticæ (factis pejoribus comprobantes) evomuerunt. Item de Romana Ecclesia contra prædictos, & similes, vide *qu. 19. art. 3. append.* Item a *Damaso I.* Papa in epist. 3. ad *Stephanum* Archiepiscopum, & *Concilia Africæ*: „ Scitis, fra-
„ tres charissimi, firmamentum a Deo fi-
„ xum, & immobile, atque titulum lucidif-
„ simum suorum sacerdotum, idest omnium
„ Episcoporum, Apostolicam Sedem esse con-
„ stitutam, & verticem ecclesiarum. Tu es
„ enim (sicut divinum pronunciat Verbum
„ veraciter) Petrus, & super firmamentum
„ tuum Ecclesie columnæ, qui & Episcopi
„ intelliguntur, confirmatæ sunt: & tibi
„ claves regni cælorum commissæ, atque li-
„ gare, & solvere potestatem, quæ in cælis
„ sunt, & quæ in terris, promulgavi. Tu
„ prophanorum hominum, & membrorum
„ meorum, maximeque discipulorum meo-
„ rum, existis, ut Princeps, & Doctor or-
„ thodoxæ, & immaculatæ fidei: cujus vice
„ hodie (gratia Dei) legatione pro Christo
„ fungimur: & omnes hujus sanctæ Sedis
„ Præsules ejus vicem gesserunt, gerunt, &
„ gerent. „ *Hæc ibi. Item a, &c. ut in ar-
„ gumentis in contrarium factis in tex. maximo
„ in primo. Item a Nicolao Papa; ut recitatur
„ dist. 22. cap. Omne, &c. „ Non quilibet
„ terrena sententia, sed illud Verbum, quo
„ constructum est cælum, & terra, per quod
„ denique omnia condita sunt elementa,
„ Romanam fundavit Ecclesiam, & supra
„ petram fidei mox nascentis erexit solus
„ ipse, qui Beato Petro æternæ vitæ clavi-
„ gero terreni, simul, & cælestis imperii,
„ jura commisit, Unde non dubium est, quia
„ qui Romanæ Ecclesie privilegium ab ipso
„ summo omnium ecclesiarum capite tradi-
„ tum auferre conatur; hic proculdubio in
„ hæresim labitur, & est dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui adversus
„ illam*

, illam agit, quæ est mater fidei: & illi
 ,, contumax invenitur, qui eam cunctis ec-
 ,, clesiis prætulisse cognoscitur, &c. unde i-
 ,, pse sanctus Ambrosius, se in omnibus se-
 ,, qui magistrum S. R. E. profiteretur,, . Hæc
 ibi. Ubi & in seq. c. de hac relegitur. Vi-
 de Veritates aureas super legem veterem,
Exod. 32. *conclus.* 1. & *Levit.* 8. *concl.* 8. &
Numer. 17. *concl.* 3. & *Deuter.* 7. *concl.* 7. Ter-
 tio habes: quomodo per rationem prædicta
 Patrum, atque Scripturarum, pro quanto u-
 num superiorem dicunt esse in Ecclesia su-
 per omnes alios Episcopos, ac universaliter
 quoscunque, & intelligas, probes, & tuca-
 ris. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS VII. 169

*Utrum Vestes ministrorum convenienter sint in
 Ecclesia institutæ.*

AD septimum sic proceditur. Videtur
 quod vestes ministrorum non conve-
 nienter sint in Ecclesia institutæ. Ministri
 enim novi Testamenti magis teneantur ad
 castitatem quam ministri veteris. Sed inter
 alias vestes ministrorum veteris Testamenti
 erant femoralia in signum castitatis. Ergo
 multo fortius esse debent inter vestes mini-
 strorum Ecclesiæ.

2. Præterea. Sacerdotium novi Testamen-
 ti est dignius quam sacerdotium veteris. Sed
 veteres sacerdotes habebant mitras; quod est
 signum dignitatis. Ergo sacerdotes novæ le-
 gis eas debent habere.

3. Præterea. Sacerdos est propinquior or-
 dinibus ministrorum quam ordo episcopalis.
 Sed Episcopi utuntur vestibus ministrorum,
 dalmatica scilicet, quæ est vestis subdiaconi.
 Ergo multo fortius debent uti eis simplices
 sacerdotes.

4. Præterea: In veteri lege Pontifex de-
 ferebat superhumeralia, quod significabat o-
 nus Evangelii, ut dicit Beda (Lib. III. de
 Tabernac. cap. 14. cir. princ.) Hoc autem
 maxime Pontificibus nostris incumbit. Ergo
 debent habere superhumeralia.

5. Præterea. In Rationali, quo utebantur
 Pontifices veteris legis, scribebatur *doctrina*,
 & *veritas*. Sed veritas maxime in nova le-
 ge declarata est. Ergo Pontificibus novæ le-
 gis competit.

6. Præterea. Lamina aurea, in qua scri-

ptum erat dignissimum nomen Dei, erat di-
 gnissimum (*) ornamentorum legis veteris.
 Ergo illud maxime debuit transferri in no-
 vam legem.

7. Præterea. Ea quæ exterius geruntur in
 ministris Ecclesiæ, sunt signa interioris po-
 testatis. Sed Archiepiscopus non habet alte-
 rius generis potestatem quam Episcopus, ut
 dictum est (art. præ. & IV. dist. xxiv.)
 Ergo non debet habere pallium; quod non
 habent Episcopi.

8. Præterea. Potestatis plenitudo residet
 penes Romanum Pontificem. Sed ipse non
 habet baculum. Ergo nec alii Episcopi de-
 bent habere.

Respondeo dicendum, quod vestes mini-
 strorum designant idoneitatem quæ in eis re-
 quiritur ad tractandum divina. Et quia quæ-
 dam sunt quæ in omnibus requiruntur, &
 quedam requiruntur in superioribus quæ non
 ita exiguntur in inferioribus; ideo quedam
 vestes sunt omnibus ministris communes, quæ-
 dam autem superioribus tantum. Et ideo
 omnibus ministris competit *amiclus* humeros
 tegens, quo significatur fortitudo ad divina
 officia exequenda, quibus mancipantur: &
 similiter *alba*, quæ significat puritatem vi-
 tæ: & *cingulum*, quod significat repressio-
 nem carnis. Sed subdiaconus ulterius habet
manipulum in sinistra, quo significatur exter-
 sio minimarum macularum: quia manipulus
 est quasi sudarium ad exergendum vultum, i-
 psi enim primo ad sacra tractanda admit-
 tuntur: habet etiam *tunicam stricam*, per
 quam doctrina Christi significatur: unde &
 in veteri lege in ipsa tintinnabula pendebant:
 subdiaconi enim primo admittuntur ad do-
 ctrinam novæ legis annuntiandam. Sed dia-
 conus habet amplius *stolam* in sinistro hume-
 ro, in signum quod applicatur in ministerium
 in ipsis sacramentis: & *dalmaticam* (quæ
 est vestis larga, sic dicta, quia in Dalmati-
 cis partibus primo usus ejus fuit) ad desi-
 gnandum quod ipse primo dispensator sacra-
 mentorum ponitur: ipse enim sanguinem dis-
 pensat: in dispensatione autem largitas re-
 quiritur. Sed sacerdoti in utroque humero
 ponitur *stola*, ut ostendatur quod ei plena
 potestas dispensandi sacramenta datur, non
 ut ministro alterius: & ideo *stola* descendit
 usque ad inferiora. Habet etiam *casulam*,
 quæ significat caritatem, quia ipse caritatis
 conficit sacramentum, scilicet Eucharistiam.

Sed

(*) *Al.* ornamentum.

Sed Episcopis adduntur novem ornamenta super sacerdotes, quæ sunt *calige*, *sandalia*, *fuccinctorium*, *tunica*, *dalmatica*, *mitra*, *chirobata*, *annulus*, & *baculus*: quia novem sunt quæ ipsi supra sacerdotes possunt, scilicet clericos ordinare, virgines benedicere, Pontifices consecrare, manus imponere, Basilicas dedicare, clericos deponere, Synodos celebrare, chrisma consecrare, vestes, & vasa consecrare. Vel per *caligas* significatur rectitudo gressuum: per *sandalia*, quæ pedes tegunt, contemptus terrenorum: per *fuccinctorium*, quo stola ligatur cum alba, amor honestatis: per *tunicam* perseverantia: quia Joseph tunicam talarem habuisse legitur quasi descendentem usque ad talos, per quos significatur extremitas vitæ: per *dalmaticam* largitas in operibus misericordiarum: per *chirobatas* cautela in opere: per *mitram* scientia utriusque Testamenti: unde & duo cornua habet: per *baculum* cura pastoralis, qua habet colligere vagos (quod significat curvitas in capite baculi) sustentare infirmos (quod ipse stipes signat baculi) & pungere lentos (quod significat stimulus in pede baculi.) Unde versus:

Colliga, sustenta, stimula, vaga, morbidâ, lema,

Per *annulum* sacramenta fidei, qua Ecclesia desponsatur Christo. Episcopi enim sunt sponsi Ecclesiæ loco Christi. Sed ulterius Archiepiscopi *pallium* habent, in signum privilegiatæ potestatis: significat enim torquem auream, quam solebant legitime certantes accipere.

Ad primum ergo dicendum, quod sacerdotibus veteris legis indicebatur continentia illo tantum tempore quo ad suum ministerium accedebant. Et ideo in signum castitatis tunc servandæ, in sacrificiorum oblatione femoralibus utebantur. Sed ministris novi Testamenti indicitur perpetua continentia. Et ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod mitra non erat signum alicujus dignitatis: fuit enim sicut quoddam galerum, ut Hieronymus di-

cit (epist. ad Fabiol. cir. med.) sed cidaris, (1) quæ erat signum dignitatis, solum Pontificibus dabatur, sicut & nunc mitra.

Ad tertium dicendum, quod potestas ministrorum est in Episcopo sicut in origine, non autem in sacerdote, quia ipse non confert illos ordines. Et ideo magis Episcopus quam sacerdos vestibus ministrorum utitur.

Ad quartum dicendum, quod loco superhumeralis utuntur stola, quæ ad idem significandum est, ad quod erat superhumeralis.

Ad quintum dicendum, quod pallium succedit loco rationalis.

Ad sextum dicendum, quod pro illa lamina habet Pontifex noster crucem, ut Innocentius III. dicit (Lib. I. de myster. Missæ cap. 11. & seq.) sicut pro femoralibus habet sandalia, pro linea albam; pro balteo cingulam, pro podere (2) (seu talari veste) tunicam, pro ephod amictum, pro rationali pallium, pro cidari mitram.

Ad septimum dicendum, quod quamvis non habeat alterius generis potestatem, tamen eandem habet ampliorem: & ideo ad hanc perfectionem designandam, ipsi pallium datur, (3) quo undique circumdatur.

Ad octavum dicendum, quod Romanus Pontifex non utitur baculo, quia Petrus misit ipsum ad suscitandum quemdam discipulum suum, qui postea factus est Episcopus Trevirensis. Et ideo in Diocesi Trevirensi Papa baculum portat, & non in aliis locis.

Vel etiam in signum quod non habet coarctatam potestatem; quod curvatio baculi significat.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem confodias errorem impiissimum *Faussti Manichæi* dicentis: vestes sacras spernendas esse. Ex hoc enim, quod illa inconvenienter fuisse institutas, a Diabolo deceptis, vel ex propria malitia, credebatur error prædictus. Si ergo eas recte institutas probaveris ex D. Thom. errorem ejus utrumque

(1) Juxta græcum *κίβητις* quod Suidas interpretatur ornamentum capitis quod gestabant Persarum Reges & similiter Pontifices: Hinc & Ezechielis 21. versu 26. *Aufer cidarium, tolle coronam*; quasi non minus quam corona regiam sive pontificiam dignitatem significaret: Erat autem *pileolum lineæ* Levitic. 26. quod & *cidaris munda* Zachar. 3. appellatur.

(2) Ex *rodipiis* quasi *pedalis*.

(3) De ejus usu, privilegio & potestate Gregorius lib. 4. epist. indict. 13. epist. 11. quam ad Joannem Ravennatem scribit, & epist. 53. quam ad Marinianum lib. 7. indict. 1. epist. 5. quæ *Benedictus* ibi scribitur; & epist. 113. quæ *Siagio*, ut & lib. 12. indict. 7. epist. 13. quæ *Augustino Episcopo Anglorum* dirigitur.

que rationabilitet explodes. *Secundo* habes : quomodo per rationem ostendas ; errorem ipsum , tanquam in radice , merito damnatum fuisse a *Damaso I. Papa* in epist. 4. *Episcopis orthodoxis omnibus scripta* . „ Quod vero eis non liceat sacerdotes consecrare , nec diaconos , aut subdiaconos ; nec virgines ; nec altare erigere ; nec unguere : aut sacrare : nec Ecclesias dedicare : nec chrisma conficere : nec chrismate baptizatorum frontes signare : nec publice quidem quemquam pœnitentem reconciliare : nec populum benedicere : nec ante episcopum in baptisterio , aut in sacrario introire : nec præsente episcopo infantem tingere , aut signare : pœnitentem sine præceptione episcopi sui reconciliare ; nec eo præsente (nisi illo jubente) sacramentum corporis , & sanguinis Christi conficere : nec eo coram posito populum docere , aut salutare : nec plebem exhortari : quæ omnia solis Pontificibus debentur , tam ex superioribus , quam ex aliis Patrum constitutis , aut sacris canonibus , edocti estis : ut per hoc discretio graduum , & dignitatis fastigium Pontificum demonstraretur . Similiter & de presbyteris hæc habeantur : quia , si nomen vilescit Pontificum , omnis status perturbatur Ecclesie . „ Hæc ibi . Ubi , cum dicat presbyteris non licere ea , quæ supra memoravit de Chorepiscopis , patet , quod hæc auctoritas facit directe pro *art. 4.* damnans errores contrarios positos ibi in app. item , cum consecrare diaconos , &c. quæ Pontificibus convenire dicit , sint vestium harum in corp. a. narratarum significata ut plurimum : patet quod *Damasus* ille per eandem auctoritatem , tanquam in radice , demonstrat , vestes Episcoporum convenienter esse institutas . Item a *Concil. Trident. sess. 22. cap. 5.* „ Pia mater Ecclesia ceremonias in missa adhibuit , ut mysticas benedictiones , luminaria , thymiamata , vestes , aliaque id genus multa , ex Apostolica disciplina , & traditione ; quo & majestas tanti sacrificii commendaretur , & mentes fidelium per hæc visibilia religionis , & pietatis signa ad rerum altissimarum , quæ in hoc sacrificio latent , contemplationem excitarentur . *Hæc ibi . Et cano. 7.* Si quis dixerit : ceremonias , vestes , & externa si-

„ gna , quibus in missarum celebratione Ecclesia catholica utitur , irritabula impietatis esse , magis , quam officia pietatis ; anathema sit . „ Hæc ibi . *Et sess. 7. de sacra. can. 13.* quem per te videas . Item a *Clemente I. Papa* , & *mar. in epi. 2. ad Jacobum fratrem Domini* . Postquam enim de sacratibus vestibus , vel vasis tractavit , circa finem subjungit . „ Hæc igitur , frater Jacobe , de ore S. Petri jubentis audivi . Si quis præcepta hæc non integra custodierit , sit anathema usque ad adventum Domini nostri . Hæc præcepta a S. Petro Apostolo accepi , & tibi , frater charissime , insinuare curavi , ut servari omnia præcipias sine macula . Si quis vero audierit te , utilis erit minister Christi : qui autem non audierit te , immo Dominum loquentem per te , ipse sibi damnationem accipiet . „ Hæc ibi . Vide *qu. 2. art. 3. append. de Balibasar* , & *qu. 33. art. 1. de Juliano Imperatoris Juliani avunculo* ; quorum pœnas justissimas contra *Faustum* applica bene in proposito . *Tertio* habes : quomodo per rationem prædicta Patrum , pro quanto vestes ministrorum dicunt convenienter institutas esse , & intelligas , & probes , & defendas . *Quarto* vides : quomodo &c.

Q U Æ S T I O XLI.

De Sacramento Matrimonii , inquantum est in officium naturæ , (1)

In quatuor articulos divisa .

Post hæc considerandum est de matrimonio : & primo agendum est de eo , inquantum est in officium naturæ ; secundo , inquantum est sacramentum ; tertio , inquantum absolute , & secundum se consideratur .

Circa primum quærentur quatuor .

Primo , utrum sit de jure naturali .

Secundo , utrum cadat sub præcepto .

Tertio , utrum ejus actus sit licitus .

Quarto , utrum possit esse meritorius .

(1) Non quod prout est in officium naturæ solum ut sic , sit formaliter sacramentum , cum in partitione mox adjuncta hæc duæ rationes a se invicem

distinguantur , sed quia materialiter & subjective illud quod est in officium naturæ , idem ipsum est quod subservitur denominationi & rationi sacramenti .

ARTICULUS I. 170

Utrum Matrimonium sit de jure naturali.

S. Thom. IV. dist. xxvi. quest. 1. art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non sit naturale. Quia jus naturale est quod natura omnia animalia docuit. (1) Sed in aliis animalibus est conjunctio sexuum absque matrimonio. Ergo matrimonium non est de jure naturali.

2. Præterea. Id quod est de jure naturali, invenitur in omnibus hominibus secundum quemlibet statum eorum. Sed matrimonium non fuit in quolibet statu hominum: quia, sicut dicit Tullius in 1. Rhetor. (sc. de invent. cit. princ.) *homines a principio silvestras erant, & tunc nemo scivit proprios liberos, nec certas nuptias*, in quibus matrimonium consistit. Ergo non est naturale.

3. Præterea. Naturalia sunt eadem apud omnes. Sed non eodem modo est matrimonium apud omnes; cum pro diversis legibus diversimode matrimonium celebretur. Ergo non est naturale.

4. Præterea. Illa sine quibus potest salvari naturæ intentio, non videntur esse naturalia. Sed natura intendit conservationem speciei per generationem, quæ potest esse sine matrimonio, ut patet in fornicariis. Ergo matrimonium non est naturale.

Sed contra est quod in principio Digestorum (*1. Juri operam ff. de just. & jure*) dicitur: *Jus naturale est &c. hinc descendit maris, & femine conjunctio, quam nos matrimonium appellamus.*

Præterea. Philosophus in VIII. Ethic. (3) dicit, quod *homo est magis naturaliter conjugale animal quam politicum. Sed homo est naturaliter animal politicum, & gregale, ut ipse*

Summ. S. Th. Tom. XXIII.

dicit (Lib. I. Politic. cap. 11. a princ.) Ergo est naturaliter conjugale: & sic conjugium, sive matrimonium est naturale.

Respondeo dicendum, quod naturale dicitur esse naturale dupliciter. Uno modo sicut ex principiis naturæ ex necessitate causatum, ut moveri sursum est naturale igni: & sic matrimonium non est naturale, nec aliquid eorum quæ mediante libero arbitrio complentur. Alio modo dicitur naturale, ad quod natura inclinatur, sed mediante libero arbitrio completur; sicut actus virtutum, vel virtutes dicuntur naturales: & hoc modo matrimonium est naturale: quia ratio naturalis ad ipsum inclinatur dupliciter. Primo quantum ad principalem ejus finem, qui est bonum prolis. Non enim intendit natura solum generationem prolis; sed traductionem, & promotionem usque ad perfectum statum hominis, in quantum homo est; qui est virtutis status. Unde secundum Philosophum (Lib. VIII. Ethic. cap. 11. & XII. a med.) *vria a parentibus habemus, scilicet esse, nutritionem, & disciplinam. Filii autem a patre educari, & instrui non posset, nisi determinatos, & certos parentes haberet: quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quæ matrimonium facit. Secundo quantum ad secundarium finem matrimonii, qui est mutuam obsequium sibi a conjugibus in rebus domesticis impensum. Sicut enim naturalis ratio dicitur ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus quæ ad ipsam vitam pertinent, ratione cujus dicitur homo naturæ politicus; ita etiam eorum quibus indiget ad humanam vitam, quædam opera sunt competentia viris, quædam mulieribus. Unde natura movet ut sit quædam associatio viri ad mulierem, in qua est matrimonium. Et hæc duas causas ponit Philosophus in VIII. Ethic. (loc. cit.)*

Ad primum ergo dicendum, quod natura

X x homi-

(1) Nempe quia naturæ instinctu constitutum, ex Iudoro lib. 5.

(2) Sive de rethorica inventionem sic plenius: *Fuis quoddam tempus cum in agro homines passim bestiarum more vagabatur, & sibi visum serino vitam propagabant: Nondum divine religionis, nondum humani officii ratio colebatur: Nemo legitimas videtas nuptias, non certos quisquam insperaverat liberos, &c.*

(3) Ut cap. 14. græco-lat. videre est vel in antiquis 12. & apud S. Thomam lect. 12. ubi proinde concluditur quod viri & uxoris amicitia sit quodam-

modo naturalis vel a natura derivetur. Appendix autem sequens quam subsumitur in Minori, *hominem esse politicum animal & gregale*, scilicet ad convicium civilem & ad societatem aptum ac inclinatum a natura, ex lib. 9. Ethicorum cap. 9. græco-lat. desumpta est, vel ex 10. in antiquis, & apud S. Thomam lect. 10. ut & quod subjungitur paulo infra *vria nos a parentibus accepisse* sumitur ex cap. 13. græco-lat. vel 11. in antiquis, & apud S. Thomam lect. 11. non cap. 12. sicut prius, & multo minus cap. 9. ut ad marginem quarti Sententiarum indicatur, & correximus ibi.

hominis ad aliquid inclinatur dupliciter. Uno modo quia est conveniens naturæ generis: & hoc est commune omnibus animalibus. Alio modo quia est conveniens naturæ differentiz; qua species (1) humana abundat a genere; in quantum est rationalis, sicut est prudentiæ actus, vel temperantiæ. Et sicut natura generis, quamvis sit una in omnibus animalibus, non tamen eodem modo est in omnibus; ita etiam non inclinatur eodem modo in omnibus, sed secundum quod unicuique competit. Ad matrimonium ergo inclinatur natura hominis ex parte differentiz, quantum ad rationem secundam assignatam: (2) unde Philosophus (loc. sup. cit. & Lib. 1. Politic. cap. 1.) hanc rationem assignat in hominibus supra alia animalia: sed quantum ad rationem primam inclinatur ex parte generis: unde dicit, quod filiorum procreatio communis est omnibus animalibus. Tamen ad hoc non inclinatur natura eodem modo in omnibus animalibus: quia quedam animalia sunt quorum filii nati statim possunt sufficienter sibi victum querere, vel ad quorum sustentationem mater sufficit; & in his non est aliqua maris ad feminam determinatio, in illis autem quorum filii indigent utriusque sustentatione, sed ad parvum tempus, invenitur aliqua determinatio quantum ad tempus illud, sicut in avibus quibusdam patet. Sed in homine, quia indiget filius cura parentum usque ad magnum tempus, est maxima determinatio masculi ad feminam ad quam etiam natura generis inclinatur.

Ad secundum dicendum, quod verbum Tullii potest esse verum quantum ad aliquam gentem; si tamen accipiatur principium proximum illius gentis, per quod ab aliis gentibus est distincta: quia non in omnibus perducitur ad effectum id ad quod naturalis ratio inclinatur: non autem est verum universaliter, quia a principio humani gene-

ris sacra Scriptura recitat fuisse conjugia.

Ad tertium dicendum, quod secundum Philosophum in VII. Eth. (3) *natura humana non est immobilis, sicut divina*. Et ideo diversificantur ea quæ sunt de jure naturali secundum diversos status, & conditiones hominum; quamvis ea quæ sunt in rebus divinis naturaliter, nullo modo varientur.

Ad quartum dicendum, quod natura non tantum intendit esse in prole, sed etiam perfectum esse, ad quod exigitur matrimonium, ut ex dictis patet (in corp. art.)

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem tanquam in radice conteras heresim *Albanensium* dicentium, matrimonium nullum esse. Item *Sectariorum* dicentium; matrimonium esse inventum quoddam humanum. Item *Adamianorum* dicentium, matrimonium, quasi per se malum, esse damnandum. Per hoc enim, quod matrimonium est de jure naturali, patet, quod est aliquid, & quod non est inventum humanum, neque per se malum. *Secundo* habes: Quomodo per rationem tanquam in radice ostendat, prædictos errores merito damnari a Conc. *Trid. sess. 24. can. 1. Si quis dixerit matrimonium, &c. sed ab hominibus in Ecclesia inventum: anathema sit*. Hæc ibi item a Concilio *Gangr. c. 1. Si quis nuptias in accusatione duxerit, aut abominandas, anathema sit*. Hæc ibi. Item a Concilio *Tolet. 1. c. 21. Si quis crediderit, conjugia hominum, quæ secundum Dei legem fiunt, esse execrabilia anathema sit*. Hæc ibi. Nota ly *secundum legem Dei*. Nam jus naturale est quodammodo lex Dei, in quantum de jure naturali existitia sunt a Deo, cum natura ipsa a Deo sit. Quo & modo dicitur *Rom. 2. Genes, que legem non habent* (sc. exterius scriptam)

(1) Juxta communem specierum omnium rationem a Porphyrio assignatam ut *abundare a genere* dicatur, id est plus aliquid quam genus importare quod sit proprium sibi, &c.

(2) Ethicorum 8. ubi supra: Sic enim ibi postquam præmisit filiorum productionem universis animalibus esse communem, addit: *Sed aliis animalibus quidem eatenus communicatio est; homines autem non tantum procreanda sobolis causa, sed eorum etiam que ad vitam pertinent rerum comparandarum necessitate cohabitans: Divisa enim inter illas a distributa officia sunt alia viri, & alia uxoris, quibus in vicem sibi opulantur, &c.*

(3) Equivalenter versus finem, ubi aliis verbis plenius ait: *Nulla res est qua sit eadem semper delectabilis ac suavis, quia natura nostra simplex non est, sed inest illi diversum quiddam prout corruptioni subjicitur: Unde sit ut si aliquid facis natura uno, hoc sit alteri quasi præter naturam; sed cum equaliter se habent, nec molestum sit nec jucundum quod agunt: Nam si sit simplex alicujus natura, eris etiam ei jucundissima semper obvio: Et propterea Deus una & simplici fruitur semper voluptate: Non enim voluptate gaudere motionis tantum est, sed immobilitatis operatio, magisque in quiete voluptas quam in motu consistit, &c.*

naturaliter ea, qua legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus Dei scriptum in cordibus suis. Item a Conc. Bracha. c. 1. *Si quis vituperat nuptias: Anathema sit.* Hæc ibi: & recitantur dist. 31. Item a scripturis 1. Timoth. 4. *Discedent quidam a fide, attendentes doctrinam demoniorum sequentium mendacium, & prohibentium nubere.* Ecce, quod Apost. hujusmodi errores prædictos vocat doctrinas demoniorum. Ille enim prohibet nubere (teste Aug. *cont. Faust. lib. 30. c. 6.*) qui, hoc malum esse, dicit: non qui huic bono, scilicet matrimonio, aliud melius anteponebat (sc. virginitatem, ut facit Ecclesia.) Item Hæb. 13. *Honorabile connubium, & sibi vobis immaculatus.* Per hoc ergo damnat dicentes, connubium per se damnabile esse, tanquam nihil, vel tanquam malum. Tertio habes; quomodo per rationem ostendas, merito institutum fuisse matrimonium in lege naturali. Gen. 2. & Philosophum merito dicere 8. *Est. quod homo est naturaliter conjugale animal, & merito in principio Dig. dici, quod jus naturale est maris, & femine conjunctio, quam nos matrimonium appellamus.* Quarto vides: quomodo per rationem prædicta Patrum, & scripturarum, ac Philosophorum, pro quanto matrimonium de jure naturali implicite, vel explicite insinuant esse, & intelligas, & probes; & defendas. Quinto vides: quomodo &c.

juravit, homo non separet. Ergo adhuc est matrimonium sub præcepto.

2. Præterea. Præcepta juris naturalis secundum omne tempus obligant. Sed matrimonium est de jure naturali, ut dictum est (art. præc.) Ergo &c.

3. Præterea. Bonum speciei est melius quam bonum individui: quia *bonum generis est divinius quam bonum unius hominis, ut dicitur in 1. Ethicor. (cap. 11. cir. fin.)* Sed præceptum primo homini datum ad conservationem individui per actum nutritivum adhuc obligat. Ergo multo magis præceptum de matrimonio, quod pertinet ad conservationem speciei.

4. Præterea. Ubi manet eadem ratio obligans, eadem obligatio manere debet. Sed propter hoc obligabantur homines ad matrimonium antiquo tempore, (1) ut multiplicatio humani generis cessaret. Cum ergo hoc idem sequatur, si quilibet libere potest a matrimonio abstinere, videtur quod matrimonium sit in præcepto.

Sed contra est quod dicitur 1. Corinth. 11. 38. *Qui non jungit matrimonio virginem suam, melius facit, scilicet quam qui jungit.* Ergo contractus matrimonii nunc non est sub præcepto.

Præterea. Nulli debetur præmium pro transgressione præcepti. Sed virginibus debetur speciale præmium, scilicet aureola. (2) Ergo matrimonium non est sub præcepto.

Respondeo dicendum, quod natura inclinatur ad aliquid dupliciter. Uno modo sicut ad id quod est necessarium ad perfectionem animi: (3) & talis inclinatio quemlibet obligat: quia naturales perfectiones omnibus sunt communes. Alio modo inclinatur ad aliquid quod est necessarium ad perfectionem multitudinis, & cum multa sint hujusmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti: alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam, & ædificatoriam, & ad hujusmodi officia, quæ sunt necessaria communitati humanæ; sed inclinationi naturæ satisficit, cum per diversos diversa de præ-

ARTICULUS II. 371

Utrum Matrimonium cadat sub præcepto.

S. Thom. ubi supra art. 2. *

AD secundum sic proceditur. Videtur quod matrimonium adhuc maneat sub præcepto. Quia præceptum obligat, quamdiu non revocatur. Sed prima institutio matrimonii fuit sub præcepto, ut in littera (IV. dist. xxvi.) dicitur: nec unquam hoc præceptum legitur revocatum, immo confirmatum Matth. xix. 6. *Quod Deus con-*

(1) Puta legis naturæ quæ Moysen præcessit, ut & legis Moyli quæ subinde continuavit usque ad Christum; quamvis & tunc cælibes quidam sed valde pauci, &c.

(2) Quod est præmium accidentale tantum, essentiali superadditum, ut suo loco infra ex professo dicitur, cum agatur de aureolis.

(3) Nempe ad cibum, potum, vestimentum, & similia sine quibus humana vita conservari non potest, & propterea usurpari precipiunt quantum fieri potest & ad vitam necessitatem sufficere: Unde ab illis abstinere omnino & presentem a cibo vel a potu velut ad vitam simpliciter necessariis, peccatum est.

dictis complentur. Cum ergo ad perfectionem humanæ multitudinis sit necessarium aliquos contemplativæ vitæ inservire, quæ maxime per matrimonium impeditur; inclinatio naturæ ad matrimonium non obligat per modum præcepti, etiam secundum Philosophos. Unde Theophrastus probat, quod sapienti non expedit nubere. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod præceptum illud non est revocatum; nec tamen obligat unumquemque, ratione jam dicta (in corp.) nisi illo tempore quo paucitas hominum exigebat ut quilibet generationi vacaret.

Ad secundum, & tertium patet solutio ex dictis.

Ad quartum dicendum, quod natura humana communiter ad diversa officia, & actus inclinatur, ut jam dictum est (in corp.) Sed quia est diversimode in diversis, secundum quod individuatur in hoc, vel in illo, unum magis inclinatur ad unum illorum officiorum, (*) & aliud magis ad aliud, ex diversitate complexionum diversorum individuorum. Et ex hac diversitate simul cum divina providentia, quæ omnia moderatur, contingit quod unus eligat unum officium, ut agriculturam, aliud aliud. Et sic etiam contingit quod quidam eligant matrimonialem vitam, & quidam contemplativam. Unde nullum periculum imminet.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem extermines hæresim *Calvini* dicentis: quod ad nuptias contrahendas omnes obligantur, & est præceptum universale. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito eam damnari a scripturis, 1. Cor. 7. *Bonum est homini mulierem non tangere*. Item ibi. *Volo omnes homines esse, sicut meipsum*. Hoc est (secundum Doct. præcipuos) vivere in calibatu. Item. *Dico autem non nuptis, bonum est illis, si sic per-*

manferint. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. Ecce, quod Apost. matrimonium concedit quasi coactus, ab incontinentia scilicet hominum. Unde cum limitatione dicit, *si non se continent, nubant*. Et rationem assignat hujus dicti, statim subdens: *melius est enim nubere, quam uri*. Ubi apertissime intelligenti patet, quod *ly uri* sumitur pro non se continere. Ac si dixerit, melius est enim nubere, quam non se continere. Ex quo tam manifesto contextuali sensu evidentissime damnatur error simul, & crassa nimis ignorantia, *Pauperum de Lugduno*, (Prat. *Basilian. Pauper. de Lugd.*) qui, ut creditur, hac auctoritate partim, perperam tamen intellecta, innixi evomebant, quod libidini satisfacere in quolibet actu turpi melius est, quam intus in corde tentari. Non enim *ly uri* sumitur pro tentari, ut littera docet. His incidenter explosis, redeamus ad rem. Quod si matrimonium esset in præcepto, dixisset absolute, dico, ut nubant: non autem cum ista conditione, *si non se continent*. Ratio in promptu est, quia præceptum adimplere, melius est, quam non adimplere. Per hoc igitur, quod absolute præsert cœlibatum nuptiis, manifeste demonstrat; quod nuptiæ non sunt de præcepto contrahendæ huic, vel illi. Item ibi. *Solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem*, item: *qui matrimonio non jungit virginem suam, melius facit*. Item: *cui vult nubat in domino: beatorum autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium*. Hoc est, beatorum erit, si non nupserit (ut patet per tot cap. de consilio Apost.) Totum igitur capitulum illud condemnat hæresim prædictam. Item a Concil. *Trid.* session. 24. canon. 10. *Si quis dixerit: non esse melius, ac beatus manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio: Anathema sit*. Hæc ibi. Quod utique nunquam dixisset Concil. si nuptiæ, seu matrimonium esset cœlibat de præcepto. Item a *Matth. 19.* ubi discipulis, audita obligatione conjugum, dicentibus Christo, quod

non

(1) De quo sic Hieronymus lib. I. contra Jovinianum cap. 28. *Ferretur, aureolus, Theophrasti liber de nuptiis, in quo quaerit an vir sapiens ducat uxorem; & cum definiisset si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipse sanus ac dives, sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim inferi: Hæc autem in nuptiis raro universa concordant: Non est ergo uxor ducenda sapienti; & causam subdit, impediri studia Philosophia per conjuga-*

gium, nec posse quemquam libris & uxori pariter inservire: Præter alias causas minus huic pertinentes, quas deinceps inculcat ex eodem; postquam cap. 25. non esse metuendum ostendit, ne sint tot virgines ut hominum propagatio cesset, quia difficilis res virginitas.

(*) Ita passim. Al. aliud ad aliud, & ex diversitate simul cum divina providentia &c. aliis omisso. *Forse & alium magis ad aliud.*

non expedit nubere, respondit ipse, quod non omnes capiunt verbum istud (notans per hoc utique Calvin.) mox addens: sed quibus datum est. Et quibus datum sit, capere verbum istud discipulorum, quod scilicet non expedit nubere, declaravit subinferens: sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum celorum. Hæc ibi. Per eunuchos autem hujusmodi sancti patres semper intellexerunt virgines, aut cœlibes castos. Tertio habes: quomodo per rationem prædicta patrum, & scripturarum, ac Philof. pro quanto matrimonium dicunt non esse quoad omnes de præcepto, & intelligas, & probes, & tuearis. Quarto vides, quomodo &c.

ARTICULUS III. 172

Utrum actus Matrimonii sit licitus.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod actus matrimonialis semper sit peccatum. Dicitur enim I. Cor. VII. 29. (*) Qui nubunt, sint tanquam non nubentes. Sed non nubentes non exercent actum matrimonialem. Ergo etiam nubentes peccant in actu illo.

2. Præterea. Isa. lix. 2. Iniquitates vestre diviserunt inter vos & Deum vestrum. Sed actus matrimonialis dividit hominem a Deo: unde Exodi XIX. præcipitur populo, qui debebat Deum videre, quod non accederet ad uxores suas; & Hieronymus dicit [epist. ad Ageruch a med. & Lib. I. cont. Jovin. cap. XVII. ad fin.] quod in actu matrimoniali Spiritus sanctus Propbetarum corda non tangit.

(1) Ergo est iniquitas.
3. Præterea. Illud quod secundum se est turpe, nullo modo potest bene fieri. Sed actus matrimonialis semper habet concupiscentiam adjunctam, quæ semper est turpis. Ergo semper est peccatum.

4. Præterea. Nihil excusatur nisi peccatum. Sed actus matrimonialis indiget excusari per bona matrimonii, ut Magister dicit (IV. dist. xxvi.) Ergo est peccatum.

5. Præterea. De similibus specie est idem judicium. Sed concubitus matrimonialis est ejusdem speciei cum actu adulterii, quia ad idem terminantur, scilicet ad speciem humanam. Ergo cum actus adulterii sit peccatum, & actus matrimonii similiter.

6. Præterea. Superfluitas in passionibus corrumpit virtutem. Sed semper in actu matrimoniali est superfluitas delectationis, adeo ut absorbeat rationem, quæ est principale humani bonum: unde Philosophus dicit in VII. Ethic. (cap. xi. ad fin.) quod impossibile est hominem aliquid in ipsa intelligere. Ergo actus matrimonialis semper est peccatum.

Sed contra. I. Cor. VII. 28. dicitur: Virgo si nupserit, non peccavit: & I. Timoth. v. 14. Volo juniores nubere, & procreare filios. Sed procreatio filiorum non potest esse sine carnali conjunctione. Ergo actus matrimonialis non est peccatum: alias Apostolus non voluissent illud.

Præterea, Nullum peccatum est in præcepto. Sed actus matrimonialis est in præcepto: I. Cor. VII. 3. Uxori vir debitum reddat. Ergo non est peccatum.

Respondeo dicendum, quod supposito (2) quod natura corporalis a Deo sit bono instituta, impossibile est dicere, quod ea quæ pertinent ad conservationem naturæ corporalis, & ad quæ natura inclinatur, sint universaliter mala. Et ideo cum inclinatio sit naturæ ad proles procreationem, per quam natura speciei conservatur; impossibile est dicere, quod actus quo procreatur proles, sit universaliter illicitus, ut in eo medium virtutis inveniri non possit: nisi ponatur secundum

(*) *Vulgata*: Qui habent uxores, tanquam non habentes sint.

(1) Colligitur ex Epistola XI. quæ de monogamia & ad Sizeruntiam inscribitur, ubi super hæc verba quæ de seipso dicit Ezechiel, *Mortua est uxor mea, & apertum est os meum*, ut & occasione Hieremias qui sub captivatem imminentem Babylonicam accipere uxorem prohibetur, sic ait: *Nec ducturus uxorem, nec ille qui duxerat, possunt in opere conjugali libere prophesare*: Quod rursus lib. I. contra Jovinianum cap. 18. urget ac diligenter attendi vult: Hoc autem quid est, nisi quod Prophetarum corda Spiritus sanctus in actu conjugali non tangit; quia nisi tangente corda Spiritu sancto non prophetant;

ut lib. I. de Spiritu sancto Dydimus notat inter opera Hieronymi a quo latine redditus est.

(2) Sicut certo secundum fidem Catholicam supponi debet, nec dubitare quisquam nisi alienus a fide potest, & hæresi Manichæorum aliquo modo consentiens, qui res aliquas ex natura volebant malas esse, proptereaque a malo quodam Deo velut auctore rerum corporearum esse productas. Non sic ergo loquitur S. Thomas quasi dubitative, sed eo modo quo principia certissima & notissima & indemonstrabilia propter evidentiam supponuntur, ut eruantur inde conclusiones quæ per illa probari possunt; sicut & hic pro Deo bono prius bona natura legebat.

dum quorundam infaniam, quod res corruptibiles creatæ sunt a malo Deo: ex quo forte derivatur illa opinio quæ in littera tangitur (IV. dist. xxvi.) Et ideo est pessima hæresis.

Ad primam ergo dicendum, quod Apostolus in verbis illis non prohibuit matrimonii actum, sicut nec rerum possessionem, cum dixit: *Qui usantur hoc mundo, sine quasi non usentes*: sed in utroque fruitionem prohibuit: quod patet ex ipso modo loquendi: non enim dixit, *sine non usentes* vel *non habentes*, sed *quasi non usentes*, vel *quasi non habentes*.

Ad secundum dicendum, quod Dea conjungimur & secundum habitam gratiæ, & secundum actum contemplationis, & amoris. Quod ergo primam conjunctionem separat, semper est peccatum; non semper autem quod secundam: quia aliqua occupatio licita circa res inferiores animum distrahit, ut actu Deo coniungi non sit idoneus: & hoc præcipue accidit in carnali conjunctione, in qua detinetur mens propter delectationem intensam. Et præter hoc illis quibus competit divina contemplari, aut sacra tractare, indicitur pro tempore illo abstinencia ab uxoris. (1) Et secundum hoc etiam dicitur quod Spiritus sanctus, quantum ad actum revelationis secretorum, non tangebatur mentes Prophetarum in usu matrimonii.

Ad tertium dicendum, quod turpitudine illa concupiscentiæ, quæ actum matrimonialem semper concomitatur, non est turpitudine culpæ, sed pœnæ, ex peccato primo proveniens, ut scilicet inferiores vires, & membra corporis rationi non obediant. Et propter hoc ratio non sequitur.

Ad quartum dicendum, quod illud proprie excusari dicitur quod aliquam similitudinem mali habet, & tamen non est malum, vel non tantum, quantum apparet: quia quædam excusantur a toto, quædam a tanto. Et quia actus matrimonialis propter corruptionem concupiscentiæ habet similitudinem actus inordinati, ideo per bona matrimonii excusatur a toto, ut non sit peccatum.

Ad quintum dicendum, quod quamvis sint in specie naturæ idem, tamen differunt in specie moris, quam una circumstantia variat, scilicet accedere ad suam, vel non suam; sicut etiam occidere hominem per violentiam, vel per justitiam, facit diversam speciem moris, quamvis sit una species naturæ; & tamen unam est licitum, aliud illicitum.

Ad sextum dicendum, quod superfluitas passionis, quæ virtutem corrumpit, non solum impedit rationis actum, sed etiam tollit rationis ordinem: quod non facit delectationis intentio in actu matrimoniali: quia etsi tunc non ordinetur homo, tamen a ratione est præordinatus.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem extermines hæresim *Catharorum* (ut refert Card. Turrecre. de ecclesia. lib. 4. cap. 35.) dicentium: matrimonium carnale est peccatum mortale. Item *Pauperum de Lugduno* (ut refert summ. fratris Yconeti 3. p. c. 2. in bibliotheca Vaticana manuscripta) dicentium; matrimonium esse fornicationem juratam, nisi continentur conjugati vivant. Item eorum ibid. dicentium: quaslibet alias immunditias esse licitas magis, quam copulam carnalem. Item *Tatiani* (Præf. *Tatiani Durand. de Uvandaeb.*) dicentis: matrimonium nihil differre a scortatione, sed idem esse: hoc est, matrimonium nil aliud esse, nisi occultum meretricium. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas; merito illas damnari a Genes. 2. *Hoc nunc os de ossibus meis, &c. homo adharebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Hæc autem verba, quæ Spiritui sancto, tanquam principali, Concil. *Trid.* sess. 24. in doctr. de sacr. matr. attribuit, humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: *hoc nunc os, &c. immo & ad idem significandum Matth. 19. & Marc. 10. dicitur: qui fecit hominem ab initio Deus, dixit: dimittes homo patrem, & matrem, & adheret*

(1) Quamvis Israelitæ quorum occasione hoc dicitur Deum in caligine tantum visuri essent, vel potius loquentem audituri ut vers. 9. patet; imo & ad videndum accedere prohiberentur ne perirent, ut subiungitur vers. 21. Nihilominus hanc ob causam ab uxoris abstinere jubentur vers. 15. Sic Sacerdotes quoque veteris legis cum per vices alternas ministrarent; ab illis toto illo tempore continere se teneban-

tur, ut Ambrosii suppositicius Commentarius in Epist. 1. ad Corinth. notat, & ex cap. 1. Luc. occasione Zachariæ colligi potest. Ob eam item causam 1. Reg. 21. vers. 4. nonnisi mundi a mulieribus panes propositionis edere permittuntur; Ut & 1. ad Corinth. 7. monentur abstinere conjuges ad vacandum orationi, &c.

bit uxori sua, & erunt duo in carne una. Cum ergo non sint duo in carne una, nisi quia prolem generant mediante actu matrimoniali, constat, quod Deus, in quo nulla est iniquitas, & cui sunt odio impius, & impietas ejus, mandat de actu matrimoniali consummando. Per hoc igitur, actum hunc secundum se non esse culpam definivit Deus: & consequenter per hoc idem damnavit prædictas hæreses. Item a, &c. ut *art. 1. append.* si recte applicatio fiat, item a 1. Cor. 7. *Si autem uxorem acceperis, non peccasti: & si nupseris virgo, non peccavit.* Quid clarius? Applica etiam ad *art. 1. append.* contra errores ibi dictos. Item a 1. Timot. 5. *volo autem juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.* Ecce: quod non tantum potest esse sine culpa actus conjugalis (alioquin Apostol. ad procreationem filiorum conjugum non hortaretur) sed etiam nullam præbet occasionem maledicti. Quamvis prædicti errantes ex propria malitia actui tali maledicant. Item 1. Corinth. septimo. *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro. Mulier sui corporis possessionem non habet, sed vir; similiter & vir possessionem sui corporis non habet, sed mulier.* Ecce, quod ad litteram loquitur de actu carnali conjugum, & non tantum dicit, eum secundum se esse sine culpa, sed etiam esse in præcepto per *ly vir uxori debitum reddat, & uxor viro.* Tertio habes: quomodo per rationem prædicta patrum, & scripturarum, pro quanto manifestant actum matrimonialem secundum se non esse peccatum, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 173

Utrum actus Matrimonii sit meritorius,

AD quartum sic proceditur. Videtur quod actus matrimonialis non sit meritorius. Chryostomus enim dicit supra Matth. (a-

lius Auctor hom. 1. in op. imperf. inter med. & fin.) *Matrimonium esse utentibus se penam non inferat, mercedem tamen non præstat.* Sed meritum respectu mercedis dicitur. Ergo actus matrimonialis non est meritorius.

2. Præterea. Illud quod est meritorium, dimittere non est laudabile. (1) Sed laudabilis est virginitas, per quam matrimonium dimittitur. Ergo matrimonialis actus non est meritorius.

3. Præterea. Qui utitur indulgentia sibi facta, beneficio recepto utitur. Sed ex hoc quod alicui præstatur beneficium, non meretur. Ergo actus matrimonialis non est meritorius.

4. Præterea. Meritum in difficultate consistit, sicut & virtus. Sed actus matrimonialis non habet difficultatem, sed delectationem. Ergo non est meritorius.

5. Præterea. Illud quod non potest fieri sine peccato veniali, nunquam est meritorium: (2) quia non potest homo simul mereri, & demereri. Sed in actu matrimoniali semper est peccatum veniale, quia etiam primus motus in hujusmodi delectationem est peccatum veniale. Ergo actus prædictus non potest esse meritorius.

Sed contra. Omnis actus quo impletur præceptum, est meritorius, si ex caritate fiat. Sed actus matrimonialis est hujusmodi: quia dicitur I. Corinth. vii. 3. *Uxori vir debitum reddat.* Ergo &c.

Præterea. Omnis actus virtutis est meritorius. Sed actus prædictus est actus justitiæ, quia dicitur redditio debiti. Ergo meritorius est.

Respondeo dicendum, quod cum nullus actus ex deliberata voluntate procedens sit indifferens, ut in II. Libro dictum est (3) actus matrimonialis semper est peccatum, vel meritorius in eo qui gratiam habet. Si enim ad actum matrimonialem virus inducat vel justitiæ, ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius. Si autem moveat libido sistens intra bona matrimonii, ut scilicet nullo modo ad

(1) Vel transposita constructione; *Dimittere illud quod est meritorium, non est laudabile*, ne cuiquam anceps videri sensus possit, quasi dicatur *laudabile non esse illud quod est meritorium dimittere*, ut prius.

(2) Quoad præmium saltem principale, quod sub meritum proprie cadit; cum aliquod præmium temporale non excludatur per quodcumque peccatum, ut 2. 2. ostensum est quantum ad obstetrices mentientes cum ageretur de mendacio quæst. 110. art. 4.

(3) Puta lib. 2. Sent. dist. 40. quæst. 1. art. 5. ad quem 4. Sententiarum se remittit convenienter S. Thomas quia continuarum opus erat: Cur autem hic non est mutatum propter supplementi continuationem cum reliquis partibus hujus operis, idest Summæ? ac non potius notatum est id esse dictum 1. 2. quæst. 18. art. 9. quoad individuos actus qui ostenduntur ibi nunquam esse indifferentes, &c.

ad aliam accedere vellet, est peccatum veniale; si autem extra bona matrimonii effertur, ut scilicet cum quacunque muliere idem facere proponeret, est peccatum mortale. Natura autem movere non potest quin vel ordinetur ratione, & sic erit motus virtutis; vel non ordinetur, & sic erit motus libidinis.

Ad primam ergo dicendum, quod radix merendi quantum ad præmium substantiale est ipsa caritas; sed quantum ad aliquod accidentale præmium ratio consistit in difficultate actus: & sic actus matrimonii non est meritorius, sed primo modo. (1)

Ad secundum dicendum, quod homo potest mereri & in minoribus bonis, & in majoribus. Unde quando aliquis minora dimittit, ut majora faciat, laudandus est a minus meritorio actu discedens.

Ad tertium dicendum, quod indulgentia quandoque est de minoribus malis: & sic indulgetur actus matrimonii, prout ad ipsum movet libido intra terminos matrimonii consistens, sic enim est veniale peccatum. Sed prout ad ipsum movet virtus, sic est meritorius; & non habet indulgentiam, nisi secundum quod est indulgentia de minoribus bonis, quæ idem est quod concessio. Nec est inconveniens quod ille qui tali concessione utitur, mereatur; quia bonus usus beneficiorum Dei meritorius est.

Ad quartum dicendum, quod difficultas laboris requiritur ad meritum præmii accidentalis; sed ad meritum præmii essentialis requiritur difficultas consistens in ordinatione mediæ: & hoc est etiam in actu matrimoniali.

Ad quintum dicendum, quod primus motus, secundum quod dicitur peccatum veniale, est motus appetitus in aliquod inordinatum delectabile: quod non est in actu matrimoniali: & ideo ratio non sequitur.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem tanquam in radice explodas hæresim Paternianorum, & Venustianorum dicentium, corporis humani inferiores partes non a Deo, sed a Diabolo esse factas. Qua enim ratione in usu debito illarum ostendis esse meritum, eadem, & a fortiori, ostendis illas non esse factas a Diabolo. Secundo habes: quomodo per rationem, tanquam radicaliter, ostendas, merito illam damnari a scripturis, Genes. 1. *Creavit Deus homines, masculum, & feminam creavit eos.* Item a Christo approbante factum hoc, qui tamen utique non approbasset, si fuisset factum Diaboli; cui semper contrarius iustissime fuit, Matth. 19. *Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam fecit eos, & Mar. 10. Ab initio autem creatura masculum, & feminam fecit eos Deus.* Ecce, quod partes inferiores hominum sunt opus Dei, quæ explicantur ibi per sexuum differentiam masculini, & feminini. Item a, &c. us 1. p. 9. 44. a. 1. app. & 9. 65. a. 1. app. & 9. 32. a. 4. app. Ibi enim videbis concilia, & alia canonicè dicta. Tercio habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatum esse a ven. Beda quod actus matrimonialis est quandoque meritorius, & sic. Secundum verba Apostol. *etiamsi vir continere voluisset, & tu noluisses, tibi debitum reddere cogeretur, & illi Deus imputaret ad continentiam, si non sua, sed tua cederet infirmitati: ne in adulterium caderes.* Hæc ibi. Ecce, quod manifeste ostenditur a Decreto illo, quod actus matrimonialis est quandoque meritorius: immo, quod & ad continentiam imputatur ei, qui debitum, quasi nolens, reddit. Item a Concil. Arelas. „ Si dicat vir, continere volo, nolo autem uxor, non potest. Quod enim

(1) Nec tamen auctoritas præterea Chrysofomi movere valde potest aut debet; cum ipsa non Chrysofomi sed suspecti auctoris esse censeatur. Et quidem nimis dure ibidem dicit quod cum quantum ad naturam ipsius rei copulatio vel coniunctio maritalis peccatum esset, concessione tamen Dei facta est licentia: Tum deinde: *Licentia (dico) facta est, non iustitia: Nam etsi propter necessitatem rei peccatum esse desit, iustitia tamen esse non meruit: Ideo utensibus se, etsi penam non inferat, mercedem tamen non præstat, &c.* Quomodo porro id iustitia non est, quod Apostolus debitum vocat, sive uxoris erga virum, sive vicissim viri erga uxorem, ut prædicte

ad Corinth. loco videre est. Mutua quippe utriusque obligatio intercedit, ut alterius corpus in alterius potestate constitutum sit: Unde ibidem Beda ex Augustino. *Secundum hæc apostolica verba etiamsi maritus ipse continere voluisset, & tu noluisses, debitum tibi reddere cogeretur, & illi Deus imputaret continentiam, si non sua sed tua infirmitati accedens, ne in adulterii damnabile flagitium caderes, maritalem tibi concubitus non cogeres: Quanto magis te quam magis esse subiectam decueras, ne ipse quoque in adulterium diabolica tentatione traheretur, in reddendo ejusmodi debito voluntati ejus obtemperata conveneras?*

enim tu vis, non vult illa. Nunquid per continentiam tuam debet illa fieri fornicaria? Si alii nupserit te vivo, adultera erit. Non vult Deus, tale damnum tali lucro compensari. Redde debitum, & si non exigis, redde. Pro satisfactione perfecta Deus tibi computabit: si non, quod tibi debetur, exigis, sed reddis, quod debetur uxori. Hæc illud: ut recitatur 33.

q. 5. Nota ly *Deus tibi computabit*: per quod ostendit manifeste, reddere debitum esse meritum. Item a Scripturis Ose. 1. *Sume tibi uxorem fornicariam, & fac tibi filios fornicationum*. Vide, quam expresse innuitur, actum matrimonialem esse meritum. Non enim facere filios ex seipso potuisset propheta, ut dicitur in sequenti contex. per ly *que concepit, & peperit ei filium*, nisi actu matrimoniali superveniente: neque negandum est, quod obedire Deo, sicut fecit Propheta in facto illo, sit meritum. Laudandus est ergo Propheta ex obedientia, & quoad primum, idest, quoad ducendum meretricem in uxorem, & quoad secundum, idest, quoad cognoscendum illam matrimonialiter. Item a Gen. 1. & 9. *Crescite, & multiplicamini*. Hoc enim non fit, nisi per copulam carnalem. Et nota, ad propositum art. loquentis de matrimoniali actu, quod verba illa non dixit Deus, nisi ad conjuges. Nam primo ea dixit ad illos: postquam Eva ex costa Adæ fuiteducta. Alioquin, quomodo ad Evam loqueretur? Mox autem uteducta est, decreta fuit uxor ipsius Adæ per ly *adhærebit uxori sue*. Unde intelligimus; illis jam conjugibus factis, Deum dixisse ly *crescite, & multiplicamini*. Quod vero in 1. c. legantur ista verba, hoc est per anticipationem factum (ut testatur Sanct. Doctor) summarie scilicet, recitando, quod postea in 2. c. diffusius, distinctiusque narratur. De ultimo autem dictis verbis ly *crescite, &c.* non est dubium aliquod, quin dixerit ad conjuges solum jam manifeste factos: quoniam hujusmodi verba dixit ad Noe, & filios eum uxoris eorundem. Hinc hæresim illam *Condormientium* (Prat. *Condormientes*) optime exclusam vides, eosque pessime abuti auctoritate prædicta, scilicet, *crescite, & multiplicamini*. Dicunt enim hi *Condormientes*, in communi debere viros, ac foeminas, juvenes, & virgines, in uno loco, & conclavi vivere: & in eodem cubiculo dormire, ubi, extinctis luminaribus, ad omnes promiscue dicendum, *crescite, & multiplicamini*. Contra hos vide etiam 1. p. q. 117.

Sum. S. Th. Tom. XIII.

art. 3. Quarto vides: quomodo per rationem prædicta patrum, & scripturarum, pro quantum actum matrimonialem dicunt esse meritum, & intelligas, & probes, & defendas. Quinto vides: quomodo &c.

QUESTIO XLII.

De Matrimonio, in quantum est Sacramentum.

In quatuor articulos divisa.

Deinde considerandum est de matrimonio, in quantum est sacramentum.

Circa quod quærentur quatuor.

Primo, utrum sit sacramentum.

Secundo, utrum debuerit institui ante peccatum.

Tertio, utrum conferat gratiam.

Quarto, utrum carnalis commixtio sit de integritate matrimonii.

ARTICULUS I. 174

Utrum Matrimonium sit Sacramentum.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Matrimonium non sit sacramentum. Omne enim sacramentum novæ legis habet aliquam formam, quæ est de essentia sacramenti. Sed benedictio, quæ fit per sacerdotes in nuptiis, non est de essentia matrimonii. Ergo non est sacramentum.

2. Præterea: Sacramentum secundum Hugonem Lib. I. de sacram. part. 1x. cap. 111. a princ.) est materiale elementum. Sed Matrimonium non habet pro materia aliquod materiale elementum. Ergo non est sacramentum.

3. Præterea. Sacramenta habent efficaciam ex passione Christi. Sed per Matrimonium non conformatur homo passioni Christi, quæ fuit pœnalis; eum habeat delectationem adjunctam. Ergo non est sacramentum.

4. Præterea. Omne sacramentum novæ legis efficit quod figurat. Sed Matrimonium non efficit conjunctionem Christi, & Ecclesie, quam significat. Ergo Matrimonium non est sacramentum.

5. Præterea. In aliis sacramentis est aliquid quod est res, & sacramentum. Sed hoc non potest inveniri in Matrimonio, cum non imprimat characterem: alias non iteraretur. Ergo non est sacramentum.

Sed contra est quod dicitur Ephes. v. 32.

Y y

Sa.

Sacramentum hoc est magnum. Ergo &c.

Præterea. Sacramentum est sacræ rei signum. Sed matrimonium est huiusmodi. Ergo &c.

Respondeo dicendum, quod sacramentum importat aliquod remedium sanctitatis homini contra peccatum exhibitum per sensibilia signa. Unde cum hoc invenitur in matrimonio, inter sacramenta computatur. (1)

Ad primum ergo dicendum, quod verba quibus consensus exprimitur matrimonialis, sunt forma huius sacramenti; non autem benedictio sacerdotis, quæ est quoddam sacramentale.

Ad secundum dicendum quod sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus qui sacramento illo utitur, sicut poenitentia. Et ideo sicut poenitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi; ita est de matrimonio.

Ad tertium dicendum quod quamvis matrimonium non conformetur passioni Christi quantum ad poenam, conformatur tamen ei quantum ad caritatem, per quam pro Ecclesia sibi in sponsam conjungenda passus est.

Ad quartum dicendum, quod unio Christi ad Ecclesiam non est res contenta in hoc sacramento, sed res significata, & non contenta; & talem rem nullum sacramentum efficit; sed habet aliam contentam, ac significatam quam efficit, ut dicitur (in solut. sequent.) Magister autem (IV. dist. xxvi.) ponit rem non contentam, quia erat hujus

opinionis, quod non haberet rem aliquam contentam.

Ad quintum dicendum, quod etiam in hoc sacramento sunt illa tria: quia sacramentum tantum sunt actus exterioris apparentes; sed res, & sacramentum est obligatio, quæ innascitur, viri ad mulierem, ex talibus actibus; sed res ultima contenta est effectus huius sacramenti; non contenta autem est res quam Magister determinat (loc. cit.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem confodias hæresim *Calvini* sententis, quod matrimonium non est sacramentum in ecclesia Dei, per hoc, quod tanquam erroneum imponit *Papistis* art. hunc, videlicet matrimonium est sacramentum in ecclesia Dei (ut videre est in tabula articulorum, quos *Calvinista* abjurant, & *Papistis* imponunt; ex *Calvini* libello contra acta *Concilii Tridentini*) item hæresim *Lutheri* (*Alfonso Nuptie*) aperte dicentis; Matrimonium non esse sacramentum. Item *Manicheorum* dicentium: conjugium esse legem, & constitutionem Diaboli. Ex articuli enim præsentis probatione patet, quod sanctitatis remedium confert: quod est contra Diabolum. *Secundo* habes, quomodo per rationem ostendas, hæreses prædictas merito damnari ab *Apostolo Ephes.* quinto. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & ahaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacra-*

(1) Sicut jam olim *Patres* computarunt & Ecclesia semper agnovit: Sic in libro de fide & operibus habet *Augustinus*: In Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere: Sic de nuptiis & concupiscentia lib. 1. cap. 10. post commendatum rursus quoddam sacramentum nuptiarum subjungit: Hujus proculdubio sacramenti res est ut conjugio copulati quamdiu vivunt inseparabiliter copulentur: Et *Paulo* infra: Cujus etiam sacramenti tanta observatio est in Ecclesia Christi, ut quamvis filiorum procreandorum causa vel nubans vel ducatur uxores, nec steritem conjugem fas sit relinqueret ut fecunda ducatur: Et cap. 21. *Conubii sacramentum* appellat sive conjunctionis inseparabile sacramentum: ac eo refert *Magnum sacramentum*, de quo ad *Ephes.* 5. ut iam supra. Sic & ad sacramenti sanctitatem pertinere vult lib. de bono conjugali cap. 24. ut uxor non discedat a viro; Postquam & cap. 18. præmisit plus in nuptiis Christianis valere sanctitatem sacramenti quam *Judaicam* uteri, &c. Sic *Ambrosius* lib. 9. de Abraham cap. 7. Cognoscimus velut prælorem custodemque conjugii esse Deum

qui non parietur alienum eorum potius, quod qui faceris, quia peccat in Deum cujus gratiam solvit, sacramenti celestis amittit consortium. Sic *S. Leo* epist. 92. quæ ad *Rusticum* inscribitur, societatem nuptiarum ita esse ab initio institutam intulcat, ut præter factam conjunctionem daretur in se Christi & Ecclesia sacramentum; indeque inferri mulierem in qua nuptiale mysterium non fuit, ad matrimonium non pertinere: Sic *Lucius* 3. Extra de hæreticis cap. Ad abolendam perpetui anathematis vinculo innodasse se dicit eos qui de baptismo vel de confessione peccatorum vel de matrimonio & aliis Ecclesia sacramentis aliter sentite non metuent quam Ecclesia docet: Sic *Eugenius* 4. in Decreto post concilium Florentinum ad appendicem pro Armenis edito matrimonium inter septem sacramenta recenset: Sic denique in Concilio Tridentino Sess. 24. dicitur quod merito inter nove legis sacramenta matrimonium annuendum sancti *Patres* & *Concilia* & universalis Ecclesia tradidit *Sompi.* docuerunt: Unde *Can.* 1. subjungitur: Si quis idcirco matrimonium non esse care ac proprie unum ex septem legis *Evangelica* sacramentis anathema sit.

mentum hoc magnum est. Item a Concil. Florent. sive ab Eugenio W. eod. Concil. approbante in decret. Armen. dato . . . Septimum est sacramentum matrimonii : quod est signum conjunctionis Christi , & ecclesie , secundum Apostol. dicentem : sacramentum hoc magnum est , ego autem dico in Christo , & in ecclesia . *Hec ibi . Item a Concil. Trident. sess. vigesimaquarta , c. de sacro matrim.* Cum matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis per Christum , gratia præstet : merito inter novæ legis sacramenta annumerandum Sancti Patres nostri , concilia , & universalis ecclesie traditio , semper docuerunt : adversus quam impii homines hujus sæculi insanientes , non solum perperam de hoc venerabili sacramento sentierunt : sed (de more suo) prætextu Evangelii libertatem carnis introducentes , multa ab ecclesie catholicæ sensu , & ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena , scripto , & verbo asseruerunt , non sine magna Christi fidelium iactura . *Hec ibi . Et can. 1.* Si quis dixerit : matrimonium non esse verum , & proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis : Anathema sit . *Hec ibi . Item a Papa Lucio III. extra de hæretic. ad abolendam :* Universos , qui de sacramento corporis , & sanguinis Christi , vel de baptisate , seu de peccatorum confessione , matrimonio , vel reliquis ecclesiasticis sacramentis , aliter sentire , aut docere non metuunt , quam sacrosancta Romana Ecclesia prædicat , & observat , vinculo perpetui anathematis innodamus . . . *Hec ibi .* Item nota , *Manicheos* prædictos damnari a Christo , dum matrimonium approbat , atque confirmat . *Matth. 19. & Marc. 10.* Vide etiam artic. præc. quæst. & appen. quoniam ad hoc propositum juvaverunt , specialiter vero ad Calvinii fallacias vigilantius pro damnatis , atque damnandis agnoscendas , ac firmissime habendas : vide vitam ejus ob hunc finem fusius descriptam , *qu. 9. ar. 4. app. Tertio* habes : quomodo per rationem prædicta patrum , & scripturarum , pro quanto matrimonium dicunt esse sacramentum , & intelligas , & prophes , & tuearis . *Quarto* vides quomodo &c.

ARTICULUS II. 175

Utrum hoc Sacramentum debuerit institui ante peccatum .

AD secundum sic proceditur . Videtur quod matrimonium non debuerit institui ante peccatum . Quia illud quod est de jure naturali , non indiget institutione . Sed matrimonium est hujusmodi , ut ex dictis patet (quæst. xli. art. 1.) Ergo non debuit institui .

1. Præterea . Sacramenta sunt quædam medicinæ contra morbum peccati . Sed medicina non præparatur nisi morbo . Ergo ante peccatum non debuit institui .

2. Præterea . Ad idem institutio una sufficit . Sed matrimonium fuit institutum etiam post peccatum , ut in littera dicitur (IV. dist. xxvi.) Ergo ante peccatum non fuit institutum .

3. Præterea . Institutio sacramenti debet esse a Deo . Sed ante peccatum verba quæ ad matrimonium pertinent , non sunt determinate dicta a Deo , sed ab Adam : illa autem verba , quæ Deus dixit (Gen. 1. 22.) *Crescite , & multiplicamini* , dicta sunt brutis etiam , in quibus non est matrimonium . Ergo matrimonium non fuit institutum ante peccatum .

4. Præterea . Matrimonium est sacramentum novæ legis . Sed sacramenta novæ legis a Christo initium sumpserunt . Ergo non debuit ante peccatum institui .

Sed contra est quod dicitur Matth. xix. *4. Non legistis , quia qui fecit hominem ab initio , masculinum , & feminam fecit eos ?*

Præterea . Matrimonium est institutum ad procreationem prolis . Sed ante peccatum erat necessaria homini procreatio prolis . Ergo ante peccatum debuit matrimonium institui .

Respondetur dicendum , quod natura inclinat ad matrimonium , intendens aliquid bonum : quod quidem variatur secundum diversos hominum status : & ideo oportet quod secundum illud bonum diversimode in diversis statibus hominum instituat . Et ideo matrimonium , secundum quod ordinatur ad procreationem prolis , quæ erat necessaria etiam peccato non existente , institutum fuit ante peccatum ; secundum autem quod remedium præbet contra vulnus peccati , institutum fuit post peccatum tempore legis naturæ ; secundum autem determinationem personatum

Y y 2 insti-

institutionem habuit in lege Moyſi; ſed ſecundum quod repræſentat myſterium conjunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, inſtitutionem habuit in nova lege: & ſecundum hoc eſt ſacramentum novæ legis. Quantum vero ad alias utilitates quæ ex matrimonio conſequentur, ſicut eſt amicitia, & mutuum obſequium ſibi a conjugibus impenſum, habet inſtitutionem in lege civili. Sed quia de ratione ſacramenti eſt quod ſit ſignum, & remedium, ideo quantum ad medias inſtitutiones, competit ei ratio ſacramenti: ſed quantum ad primam inſtitutionem, competit ei quod ſit in officium naturæ; quantum vero ad ultimam, quod ſit in officium civilitatis.

Ad primum ergo dicendum, quod illa quæ in communi ſunt de jure naturali, indigent inſtitutione quantum ad eorum determinationem, quæ diverſimode competit ſecundum diverſos ſtatus, ſicut de jure naturali eſt quod maleficia puniantur; ſed quod talis pœna tali culpæ apponatur, per determinationem juris poſitivi fit.

Ad ſecundum dicendum, quod matrimonium non eſt tantum in remedium contra peccatum, ſed principaliter eſt in officium naturæ: & ſic inſtitutum fuit ante peccatum, non autem prout eſt in remedium.

Ad tertium dicendum, quod ſecundum diverſa quæ oportet in matrimonio determinari, non eſt inconſuens quod habuerit diverſas inſtitutiones. Et ſic illa diverſa inſtitutio non eſt ejuſdem ſecundum idem.

Ad quartum dicendum, quod matrimonium ante peccatum inſtitutum fuit a Deo, quando homini mulierem de coſta formavit in adjutorium, & dixit eis: *Crescite & multiplicamini*: quod quamvis etiam aliis animalibus dixerit; non tamen per ea eodem modo implendum fuit, ſicut per homines. Adam vero verba illa protulit a Deo inſpiratus, ut intelligeret matrimonii inſtitutionem a Deo factam.

Ad quintum dicendum, quod quantum ad hoc quod matrimonium eſt ſacramentum novæ legis, non fuit ante Chriſtum inſtitutum, ut ex dictis patet (in corp. art.)

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem interſitas hæreſim *Manicheorum* (ſup. art. 1. app.) dicentium: conjugium eſſe conſtitutionem Diaboli. Item *Eraclitarum* (*Præ. Eraclita*) dicentium conjugia, ſive matrimonium, eſſe reſpuenda. Per hoc enim, quod a Deo inſtitutum eſt, radicitus deſtruitur quod matrimonium ſecundum ſe ſit, vel reſpuendum, vel conſtitutio Diaboli. *Secundo* habes: quomodo per rationem offendas, merito damnari prædictas hæreſes a, &c. ut *art. 1. app.* Item a, &c. ut *q. 41. art. 1. app.* cui & addere poteſ *art. 2. & 4.* Item a, &c. ut *1. part. qu. 72.* Item a *decr. 24. qu. 3. quidam*. Vide ibi de Eraclitis. Item a *Concil. Trid. ſeſſ. 24. in princ.*, *Matrimonii perpetuum, indiſſolubilemque necum primus humani generis parens divini ſpiritus inſtinctu pronuntiavit, &c.* Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi, Chriſtus dominus apertius docuit, cum poſtrema illa verba, tanquam a Deo probata, referens dixit; Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro, ſtatimque ejuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, hiſ verbiſ conſirmavit. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. *Hæc ibi, & can. 1.* Si quis dixerit: matrimonium non eſſe a Chriſto, Domino inſtitutum: anathema ſit. Item a, &c. ut *ſupra nos. poſt prob. concl. 1.* *Tertio* habes: quomodo dicta patrum, & ſcripturarum, pro quanto matrimonium dicunt inſtitutum fuiſſe ante peccatum, & intelligas, & probes, & tuearis. *Quarto* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 176

Utrum Matrimonium conferat gratiam.

AD tertium ſic proceditur. Videtur quod matrimonium non conferat gratiam. Quia ſecundum Hugonem (*Lib. I. de ſacram. part. ix. cap. 11. ante med.*) *ſacramenta ex ſanctificatione inviſibilem gratiam conferunt.* (1) Sed matrimonium non habet aliquam

(1) Vel continent; ut lib. 1. de Sacramentis parte 9. capite 2. videre eſt; cum ſacramentum ſic deſinit quod ſit *materiale ſeu corporale quoddam elementum ſenſibiliter propoſitum ex inſtitutione ſigni-*

ficans, ex ſimilitudine repræſentans, & ex ſanctificatione inviſibilem gratiam continens: Quod perinde tamen eſt, quia continent ut conferant.

aliquam sanctificationem quæ sit de essentia ejus. Ergo non confertur gratia in ipso.

2. Præterea. Omne sacramentum conferens gratiam confert ipsam ex materia, & forma sua. Sed actus qui sunt materia in hoc sacramento, non sunt causa gratiæ, quia hoc esset Pelagiana hæresis, scilicet quod actus nostri sint causa gratiæ: verba etiam exprimentia consensum non sunt causa gratiæ, nam ex eis non fit aliqua sanctificatio. Ergo in matrimonio nullo modo gratia datur.

3. Præterea. Gratia ordinata contra vulnus peccati est necessaria omnibus habentibus vulnus illud. Sed in omnibus invenitur concupiscentiæ vulnus. Si ergo in matrimonio daretur gratia contra vulnus concupiscentiæ, deberent omnes homines matrimonium contrahere; essetque stultum valde a matrimonio abstinere.

4. Præterea. Infirmetas non accipit medicamentum ab eo a quo accipit intentionem. Sed per matrimonium concupiscentia accipit intentionem: quia, sicut dicit Philosophus in III. Eth. (1) *insatiabilis est concupiscentia appetitus, & per operationem congruam augetur*. Ergo videtur quod in matrimonio non confertur remedium gratiæ contra concupiscentiam.

Sed contra. Definitio, & definitum debent converti. Sed in definitione sacramenti ponitur causalitas gratiæ. Ergo cum matrimonium sit sacramentum, erit gratiæ causa.

Præterea. Augustinus dicit (Lib. de bono viduit. cap. VIII. cir. fin. & Lib. IV. sup. Gen. ad lit. cap. VII.) quod *matrimonium est ægrotis in remedium*. Sed non est remedium, nisi in quantum aliquam efficaciam

habet. Ergo habet aliquid efficaciam ad reprimendam concupiscentiam. Sed concupiscentia non reprimitur nisi per gratiam. Er go in ipso confertur gratia.

Respondeo dicendum, quod circa hoc fuit triplex opinio.

Quidam enim dixerunt, quod matrimonium nullo modo est causa gratiæ, sed est tantum signum. Sed hoc non potest stare: quia secundum hoc in nullo abundaret a sacramentis veteris legis. Unde non esset aliqua ratio quare sacramentis novæ legis annumeraretur: quod enim remedium præbeat satisfaciendo concupiscentiæ, ne in præceptum ruat, dum nimis arctatur, habuit etiam in veteri lege ex ipsa natura actus. (2)

Et ideo alii dixerunt, quod confertur ibi gratia in ordine ad recessum a malo: quia excusatur actus a peccato, qui sine matrimonio peccatum esset. Sed hoc esset nimis parum: quia hoc etiam in veteri lege habuit. Et ideo dicitur, quod facit recedere a malo, in quantum constringit concupiscentiam, ne extra bona matrimonii feratur; non autem per gratiam illam fit aliquod auxilium ad bene operandum. Sed hoc non potest stare: quia eadem gratia est quæ impedit peccatum, & quæ ad bonum inclinat; sicut idem calor, qui auferit frigus, & qui calefacit.

Unde alii dicunt, quod matrimonium, in quantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operanda quæ in matrimonio requiruntur: & hoc probabilius est: (3) quia ubicunque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus homo convenienter uti possit facultate illa; sicut patet quod omnibus potentiis animæ respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint. Unde cum

(1) Paulo ante totius libri finem ubi non sic præcise tamen ait quod *concupiscentia appetitus per operationem congruam augetur*, seu quod *concupiscentia operatio cognatum auget* (*δ οὐρυγίης*) id est auget innatum vel congenitum appetitum non ut Parisiensis Editio inepte legit ibi *conatum pro cognatum*: Nec vero sic dicitur *congrua* ejusmodi operatio, sicut vocari solent quæ decencia vel honesta sunt, sed quia conformis est appetitui supradictæ, & propter illam ipsam conformitatem ipsum auget.

(2) Tum propter delectationem quam in uxore vir capere, ac in viro vicissim uxor potest; tum propter promptam & facilem satietatem quam actus ille frequentatus per spirituum exhaustionem & enervationem corporis ac defectum impure voluptatis inducit, nisi plusquam equina sit libido.

(3) Inno & modo fide certum post Concilii Tri-

dentini definitionem ac doctrinam: Sic enim supra Sess. 24. in doctrina de sacramento matrimonii postquam præmisit confirmatam a Christo esse indissolubilis nexus firmitatem, quæ constituit matrimonium subdit: *Gratiam vero quæ naturalem illum amorem perficeret, ac indissolubilem unitatem firmaret, conjugisque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor atque perfectior sua nobis passione promeruit*: Unde Can. 1. sicut supra: *Si quis dixerit matrimonium non esse vero ac proprio unum ex septem legis evangelice sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit*: Præter Decretum generale quo de omnibus indefinite sacramentis definierat Sess. 7. quod gratiam conferant, & contrarie sentientibus anathema dixerat, &c.

cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi uxore sua ad procreationem prolis, datur etiam gratia, sine qua id convenienter facere non posset; sicut etiam de potestate ordinis supra dictum est (quæst. xxxv. art. 1.) Et sic ista gratia data, est ultima res contenta in hoc sacramento.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut habet aqua baptismi quod corpus tangat, & cor abluat ex tactu carnis Christi; ita matrimonium hoc habet ex hoc quod Christus sua passione illud representavit, & non principaliter ex aliqua sanctificatione sacerdotis.

Ad secundum dicendum, quod sicut aqua baptismi cum forma verborum non operatur immediate ad gratiam, sed ad characterem; ita actus exteriores, & verba experimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum matrimonii: & huiusmodi nexus ex virtute divinæ institutionis dispositive operatur ad gratiam.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procederet, nisi contra concupiscentiæ morbum posset aliquod efficacius remedium adhiberi: adhibetur autem majus remedium per opera spiritualia, & carnis mortificationem, ab illis qui matrimonio non utuntur.

Ad quartum dicendum, quod contra concupiscentiam potest præstari remedium dupliciter. Uno modo ex parte ipsius concupiscentiæ, ut reprimatur in sua radice: & sic remedium præstat matrimonium per gratiam quæ in eo datur. Alio modo ex parte actus ejus; & hoc dupliciter: uno modo ut actus ad quem concupiscentia inclinat, exterius turpitudine careat; & hoc fit per bona matrimonii, quæ honestant carnalem concupiscentiam: alio modo ut actus turpitudinem habens impediatur: quod fit ex ipsa natura actus: quia dum concupiscentiæ satisficit in actu conjugali, ad alias corruptelas non ita incitat. Propter quod dicit Apostolus (I. Corinth. vii. 9.) *Melius est nubere quam uri*. Quamvis enim opera concupiscentiæ (*) congrua (1) secundum se nata sint concupiscentiam augere; tamen secundum quod ratione ordinantur, ipsam repriment: quia ex similibus actibus similes relinquuntur dispositiones, & habitus. (2)

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Lusberi* (*Alpbousf. Cast. Nuptie*) dicentis, quod matrimonium non est signum, neque confert gratiam. Ad hoc reducitur & hæresis *Calbarvianorum* dicentium: matrimonium carnale esse peccatum mortale. Et *Tasiamorum* dicentium matrimonium nihil differre a fornicatione, sed idem esse. De quibus duabus ultimis vide *qu. 41. art. 3. app.* Si enim carnale matrimonium, vel peccatum mortale esset, vel a fornicatione non differens, proculdubio non conferret gratiam: quoniam neque peccatum mortale, neque fornicatio, confert gratiam. Contra has igitur etiam ratio articuli militat. Item hæresim *Liberianorum*, qui matrimonium carnale sacramentum ecclesiæ dissolvunt, & consequenter per hoc ab ipso gratiam dari negant. Ne autem matrimonium totaliter e mundo tollere videantur, fingunt quoddam matrimonium spirituale: asserentes esse illud, in quo promiscui sunt concubitus: modo alter altero sit contentus. Ex quo etiam revera patet, quod conferri gratia per matrimonium illud non potest, cum fictitium, & Diabolicum inventum tale sit. Hæresis hæc postrema recenseri potest etiam *art. 1. app.* & damnari *ibid.* Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito hæreses prædictas damnari a Papa *Leone X.* in *bullo contra errores Lusberi*: cujus damnationem vide *qu. 1. art. 1. app.* jungendo *qu. 24. art. 1. app.* Item a Conc. *Flor.* in *Decr. Armen. dat. ab Eugenio IV. de sacramentis. Nova legis sunt septem sacramenta, &c. Matrimonium. Hæc continent gratiam, & ipsum digne suscipientibus conferunt.* Hæc ibi. Item a Conc. *Trident.* session. septima, de sacrament. canon. 1. „ Si quis dixerit: sacramen- „ ta novæ legis esse pauciora, quam septem, „ *Ec.* matrimonium jungendo canon. 6. Si „ quis dixerit: sacramenta novæ legis non „ continere gratiam, quam significant, aut „ gratiam ipsam non ponentibus obicem non „ conferre. *Et can. 7.* Si quis dixerit: non „ dari gratiam per huiusmodi sacramenta „ semper, & omnibus, quantum est ex par- „ te

(*) *Al. congregata, Nicolajus cognata.*

(1) Seu fornicaria & affinia, ut ex *græco οὐνομίης* Ethicorum 3. usurpatum iam notavimus paulo ante.

(2) Ut ex lib. 2. Ethicorum cap. 2. colligitur ex-

preffe versus finem quoad habitus tantum (*ἐξαι*). Perinde tamen de dispositionibus idem subintelligi potest, cum & habitus definiatur *dispositio difficilis mobilis, &c.*

te Dei, etiam si rite ea suscipiunt, sed aliquando, & aliquibus: Anathema sit. *Et can. 8.* Si quis dixerit: per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam: Anathema sit. *Hæc ibi. Item ab eod. sess. 24. in princ.* gratiam vero, quæ naturalem illum amorem, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugisque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor, atque perfectior sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens. Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam: & seipsum tradidit pro ea, mox subjungens, sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in ecclesia. *Hæc ibi. Et canon. 1.* Si quis dixerit: Matrimonium non esse vere, & proprie unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis, &c. neque gratiam conferre. Anathema sit. *Hæc ibi. Item 2, &c. ut prima part. qu. 72. app. Tertio* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto matrimonium dicunt conferre gratiam, & intelligas, & probes, & defendas. *Quarto* vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 177

Utrum carnalis commixtio sit de integritate Matrimonii.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod carnalis commixtio sit de integritate matrimonii. In ipsa enim institutione matrimonii dictum est (Gen. 11. 24.) *Erunt duo in carne una.* Sed hoc non fit nisi per carnalem commixtionem. Ergo est de integritate matrimonii.

2. Præterea. Illud quod pertinet ad sacramenti significationem, est de necessitate sacramenti, ut prædictum est (art. 2. hu. quæst.

& qu. ix. art. 1.) Sed carnalis commixtio pertinet ad significationem matrimonii, ut in littera dicitur (IV. dist. xxvi. (1) Ergo est de integritate sacramenti.

3. Præterea. Hoc sacramentum ordinatur ad conservationem speciei. Sed conservatio speciei non potest fieri sine carnali commixtione. Ergo est de integritate sacramenti.

4. Præterea. Matrimonium est sacramentum, secundum quod remedium contra concupiscentiam præstat: de quo dicit Apostolus I. Corinth. vii. 9. quod *melius est nubere quam uri.* Sed hoc remedium non præstat his qui carnaliter non commiscuntur. Ergo idem quod prius.

Sed contra. In paradiso fuit matrimonium. Sed ibi non fuit carnalis copula. Ergo commixtio carnalis non est de integritate matrimonii.

Præterea. Sacramentum ex suo nomine sanctificationem importat. Sed sine carnali commixtione est matrimonium sanctius, ut in littera dicitur (IV. dist. xxvi.) Ergo carnalis commixtio non est de necessitate sacramenti.

Respondeo dicendum, quod duplex est integritas: una, quæ attenditur secundum perfectionem primam, quæ consistit in ipso esse rei; alia, quæ attenditur secundum perfectionem secundam, quæ consistit in operatione. Quia ergo carnalis commixtio est quadam operatio, sive usus matrimonii, per quod facultas ad hoc datur; ideo erit carnalis commixtio de secunda perfectione matrimonii, & non de prima.

Ad primum ergo dicendum, quod Adam exposuit integritatem matrimonii quantum ad utramque perfectionem: quia res ex suo actu innoteceat.

Ad secundum dicendum, quod significatio rei contentæ est de necessitate sacramenti: & ad hanc significationem non pertinet carnalis com-

(1) Sic enim ibi, nempe, distinct. 26. tit. F. seu paragr. 6. *Cum conjugium sacramentum sit, signum est sacre rei, scilicet conjunctionis Christi & Ecclesie: Ut enim inter conjuges conjunctio est secundum consensum animorum & secundam permixtionem corporum, sic Ecclesia Christo copulatur voluntate & natura, quia idem vult cum eo, & ipse formam sumpsit de natura hominis: Copulata est ergo sponsa sponso spiritaliter & corporaliter, idest charitate ac nature conformitate: Hujus utriusque copula figura est in conjugio: Consensus enim conjugum copulam spirituales Christi & Ecclesie quæ fit per charitatem, significat. Commixtio vero sexuum illam significat*

quæ fit per nature conformitatem. Sed lit. G. five paragr. 7. sic explicat. ut non ad principalem sacramenti significationem ostendat pertinere, sed ad secundariam tantum. Unde concludit, sicut posteriori argumento Sed contra indicatur, non minus propterea sanctum esse sine carnali commixtione conjugium, quia plus valet sacramenti sanctitas, quam fecunditas usuri, ut jam supra: Et in exemplum affert matrimonium inter Mariam & Joseph sancto sanctius, quanto a carnali opere immunius; ideoque matrimonium verum & perfectum, quod non tale sentire nefas sit: Præter illa quæ suo loco 3. part. quæst. 29. art. 2. de hoc matrimonio notata sunt.

commixtio, sed ad rem non contentam, ut ex dictis patet (quæst. xlii. art. 1. ad 4. & 5.)

Ad tertium dicendum, quod res non pervenit ad finem suum nisi per actum proprium. Unde ex hoc quod finis matrimonii non habetur sine carnali commixtione, oportet quod sit de integritate secunda, & non de prima.

Ad quartum dicendum, quod ante commixtionem carnalem est matrimonium in remedium ex gratia quæ in eo datur, quamvis non ex actu, qui pertinet ad integritatem secundam.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas errorem scelestum hæreticorum Evangelicorum asserentium, matrimonium Evangelicum esse illud, cum Christo devotas nefario polluunt adulterio, error enim est hic, inquantum de ratione matrimonii volunt esse carnalem copulam, scelus autem, inquantum sic spurcissime commiscetur: hæresis vero, inquantum hanc spurcissimam commixtionem dicunt esse matrimonium. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illos merito damnari per Apostolum, qui *Hebr. ult.* quasi definiens matrimonium legis Evangelicæ etiam quoad secundam perfectionem prædictam dicit, *bonorabile connubium in omnibus, & iboribus immaculatus*. Item 1. *Thessal. 4.* *ut sciat unusquisque vestrum possidere vas suum in honore, & sanctificatione: non in passione desiderii*. Item *Tob. 6.* *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a sua mente excusiant: & sua libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem demonium super eos*, Vidisti prædictos Evangelicos? Hi sunt, qui a Raphaelæ Angelo his verbis actu tanguntur, & ad vivum describuntur, Cæterum de matrimonio vere sancto subjungit ibi. *Tu autem, &c. Transacta tertia nocte accipies Virginem cum timore domini, amoris filiorum magis, quam libidinis, ductus, ut benedictionem in filiis consequaris*. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, merito iniquatum fuisse a Nicolao Papa, quod carnalis commixtio non est de integritate essentiali matrimonii. Sufficiat solus secundum leges consensus eorum, de quorum, quarumque consensu, & conjunctionibus agitur: qui solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Cum ergo inter istos consensus intercesserit, qui solus matrimonium facit;

patet, hos conjuges fuisse. Nam, si consensus copulæ carnalis facit matrimonium, inter Mariam, & Joseph non fuit conjugium. Consensus ergo cohabitandi, & individuum via consuetudinem retinendi interveniens, eos conjuges fecit. Hæc ille, 27. qu. 2. Beata Maria. Item a c. conjuges, tit. eod. Conjuges verius appellantur a prima desponsationis fide: quamvis adhuc ignoretur inter eos conjugalis concubitus. Hæc ibi. Item a tit. eod. Cum initiatur conjugium, conjugii nomen nascitur. Nam defloratio virginis non facit matrimonium, sed pactio conjugalis. Denique, cum mulier conjugitur viro, conjugium est: non cum viri admixtione cognoscitur. Hæc ibi. Item a tit. eod. Matrimonium non facit coitus, sed voluntas, Hæc ibi. Ecce, quod per omnia hæc, verum fuit conjugium inter B. Virginem, & Joseph, & consequenter, quod copula carnalis non est de essentia matrimonii veri. Quarto habes: quomodo prædicta patrum, pro quanto dicunt, copulam carnalem non esse de essentiali integritate matrimonii, & intelligas, & probes, & tuearis. Quinto vides: quomodo, &c.

QUESTIO XLIII.

De Matrimonio quantum ad Sponsalia,

In tres articulos divisa.

Consequenter considerandum est de matrimonio absolute considerato: ubi primo agendum est de sponsalibus; secundo de matrimonii ratione; tertio de ejus causa efficiente, scilicet de consensu; quarto de ejus bonis; quinto de impedimentis ipsius; sexto de secundis nuptiis; septimo de quibusdam matrimonio annexis.

Circa primum queruntur tria.

Primo, quid sint sponsalia.

Secundo, qui possint contrahere sponsalia.

Tertio, utrum sponsalia dirimi possint.

ARTICULUS I. 178

Utrum Sponsalia sint futuratum nuptiarum promissio.

S. Thom. IV. dist. xxvii. quæst. 11. art. 1. & sequent.

AD primum sic proceditur. Videtur quod sponsalia non convenienter dicantur futuratum nuptiarum promissio, ut habetur ex verbis

verbis (1) Nicolai I. Papæ Quia, sicut dicit Isidorus (Lib. IX. Etym. cap. VIII. cir. princ.) est aliquis sponsus, non quia promissit, sed quia spondet, & sponsores dat. Sed a sponsalibus dicitur aliquis sponsus. Ergo male dicuntur promissio.

2. Præterea. Quicumque promittit aliquid, debet compelli ad solvendum. Sed illi qui sponsalia contraxerunt, non compelluntur per Ecclesiam ad matrimonium complendum. Ergo sponsalia non sunt promissio.

3. Præterea. In sponsalibus non est quandoque sola promissio, sed additur juramentum, & aliquæ arrhæ. (2) Ergo videtur quod non debuerint solum per promissionem definiti.

4. Præterea. Matrimonia debent esse libera, & absoluta. Sed sponsalia quandoque iunt sub aliqua conditione etiam accipiendæ pecuniæ. Ergo non convenienter dicuntur promissio nuptiarum.

5. Præterea. Promissio, quæ est de rebus uturis, vituperatur Jacobi IV. Sed circa sacramenta non debet aliquid esse vituperabile. Non ergo debet fieri futurarum nuptiarum promissio.

6. Præterea. Nullus dicitur sponsus nisi a sponsalibus. Sed aliquis dicitur sponsus ex præsentibus nuptiis, ut in littera dicitur (3) Ergo sponsalia non semper sunt futurarum nuptiarum promissio.

Respondeo dicendum, quod consensus in conjugalem copulam per verba de futuro non facit matrimonium, sed matrimonii promissionem: & hæc promissio dicitur sponsalia a spondendo, ut dicit Isidorus (loc. cit.) Nam nunc usum tabularum, matrimonii cautiones abant, quibus spondebant, se invicem continentire in jure matrimoniali, & fidejussores abant. Fit autem ista promissio dupliciter,

Summ. S. T. b. Tom. XIII.

scilicet absolute, & sub conditione. Absolute quatuor modis. Primo nuda promissione, ut cum dicitur: *Accipiam te in meam*, & e converso. Secundo datis arrhis sponsalitiis, ut pecunia, vel aliquo hujusmodi. Tertio annuli subarrhatione. Quarto interveniente juramento. Si autem fiat dicta promissio sub conditione, distinguendum est: quia aut est conditio honesta; ut cum dicitur: *Accipiam te, si parentibus placeat*: & tunc, stante conditione, stat promissio, & non stante non stat: aut est inhonesta; & hoc dupliciter: quia aut est contraria bonis matrimonii; ut si dicam: *Accipiam te, si venena sterilitatis procures* & tunc non contrahuntur sponsalia: aut non est contraria bonis matrimonii, ut si dicam: *Accipiam te, si factis meis consentias*: & tunc stat promissio; sed tollenda est conditio.

Ad primum ergo dicendum, quod ipsa sponsalia, & sponsozum datio est promissionis confirmatio: & ideo ab hoc denominatur quasi a perfectiori.

Ad secundum dicendum, quod ex tali promissione obligatur unus alteri ad matrimonium contrahendum; & peccat mortaliter non solvens promissum, nisi legitimum impedimentum interveniat: & secundum hoc Ecclesia cogit, injungendo penitentiam pro peccato. Tamen in foro contentioso non compellitur, quia matrimonia coacta confueverunt malos exitus habere: nisi forte juramentum intèrvenerit; quia tunc cogendus est qui promissit, ut quidam dicunt; quumvis aliis non videatur, propter causam prædictam, præcipue si de uxoricidio timeretur. (4)

Ad tertium dicendum; quod illa addita non sunt nisi ad confirmandam promissionem: unde non sunt aliud quam promissio. (5)

Ad quartum dicendum, quod conditio illa

Z z

la

(1) Quæ capite *Nostrates* in Decretis *Causa 30. uæst. 5.* sic referuntur ex cap. 3. ad consulta *Bullariorum*: *Post sponsalia quæ futurarum sunt nuptiarum promissa & fœdera celebrantur*, nuptialia empe: ut deinceps explicat.

(2) Ac potissimum quidem sponsalitiis annulus, ex eodem Nicolai responso colligitur, cum addit *mod postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digiti sui fidei annulo insignitum despondit, dosem ei assignat*, &c.

(3) Nimirum 5. Sent. distinct. 27. lit. I. seu pag. 9. ubi varias sponsi & sponsæ significationem & varias loquutiones conciliandas ex professo explicans ita dicit: *Fit aliquando desponsatio ubi est com-*

missio viri & mulieris de contrahendo matrimonio: Et est desponsatio habens consensum de presenti, id est pactiorem conjugalem: Et paulo infra: *Secundum hanc distinctionem desponsationis de sponsis variè loquuntur Doctores: Aliquando enim sponsas vocant quæ talem habuerunt desponsationem ubi fuit pactio conjugalis de presenti*: Et id ex Greg. probat *divina legis nomen esse notante ut conjuges appellat sponsas*; puta Deuter. 22. vers. 24. ubi eadem sponsa nuntupatur quæ uxor, ut & Matth. I. vers. 20. *coniux*, &c.

(4) Ut ex Alexandro 3. & Lucio 3. Extra de sponsalibus colligi potest.

(5) Quo sensu Hieron. ad Eph. 1. explicans *pignus her-*

la quæ apponitur, non tollit matrimonii libertatem: quia si est inhonesta, debet abjici; si autem honesta, aut est de bonis simpliciter, ut si dicatur: *Accipiam te, si places parentibus*: & hæc conditio non tollit libertatem sponsalium, sed auget ei honestatem; aut est de utilibus, ut si dicatur: *Construam tecum, si dabis mihi censum*: & tunc hæc non ponitur (*) quasi ad vendendum consensum matrimonii, sed intelligitur ut promissio dotis: unde matrimonium libertatem non perdit. Quandoque autem apponitur conditio pecuniæ per modum pœnæ: & tunc quia matrimonia debent esse libera, talis conditio non stat; nec potest exigi pœna illa ab eo qui non vult matrimonium complere.

Ad quintum dicendum, quod Jacobus non intendit prohibere quod omnino aliquis nullam promissionem faciat de futuris, sed quod non promittat quasi fiduciam habens de vita sua: unde docet, quod debet apponi conditio, *si Deus voluerit*; quæ etiam verbis non exprimitur, corde tamen debet intelligi.

Ad sextum dicendum, quod in matrimonio potest considerari ipsa conjunctio matrimonialis, & actus ejus: & a sponsione primi in futurum dicitur sponsus a sponsalibus contractis per verba de futuro; & a sponsione secundi dicitur aliquis sponsus, etiam quando contractum est matrimonium per verba de presenti, quia ex ipso spondet matrimonii actum. Tamen a prima sponsione dicuntur sponsalia proprie, quæ sunt quædam sacramentalia matrimonii, sicut exorcismus baptismi,

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per D. Thomam ostendas, recte dictum fuisse a Niccolao Papa, ut recitatur 30. qu. 5. Nostrates, &c. „ Post sponsalia fœdera, quæ futurarum

„ sunt nuptiarum promissio, fœdera quo-
 „ que eorum, qui hæc contrahunt, & ho-
 „ rum, in quorum potestate sunt, celebran-
 „ tur. *Hæc ibi. Item ab Alexandro Tertio*
 „ *ad Panormis. Episcopum*. De istis autem,
 „ qui promittunt, se aliquas mulieres ductu-
 „ ros præstito juramento: & postea, eis in-
 „ cognitis, dimittunt terram se ad partes a-
 „ lias transferentes. Hoc tibi volumus inno-
 „ tescere, quod liberum erit mulieribus ipsis
 „ (si non amplius in factis est processum)
 „ ad alia se vota transferre. „ Hæc ille de
 „ sponsal. & matrim. Ecce, quod sponsalia et-
 „ iam jurata non faciunt matrimonium, &
 „ consequenter; quod (secundum *Alexandrum*)
 „ sunt tantum futurarum nuptiarum promissio.
 „ Item a *Gregor. IX.* tit. eod. Gemma mulier,
 „ &c. „ Cum sponsalia contracta fuerunt, pœ-
 „ nam solvendam a parte, quæ contraveni-
 „ ret, in stipulatione appositam ab ipsa ni-
 „ titur extorquere. Cum itaque libera ma-
 „ trimonia esse debeant, & ideo talis stipu-
 „ latio propter pœnæ interpositionem sit me-
 „ rito improbanda: mandamus, quatenus,
 „ si ita est, eundem B. ut ab extorsione præ-
 „ dictæ pœnæ desistat, ecclesiastica censura
 „ compellat. „ Hæc ibi. Ecce, quod conditio
 „ pecuniæ, tanquam pœnæ, rejicitur. I-
 „ tem a *Lucio III.* ad Episcopum Rappalenti-
 „ rit. eod. „ Requisivit a nobis tua fraterni-
 „ tas, qua censura mulier compelli debeat,
 „ quæ jurisjurandi religionem neglecta nubere
 „ renuit, cui se nuptiarum interposito jura-
 „ mento firmavit. Ad quod breviter respon-
 „ demus; quod cum libera debeant esse ma-
 „ trimonia, monenda est potius, quam co-
 „ genda, cum coactiones soleant difficiles e-
 „ ritus frequenter habere. „ Hæc ibi. De
 „ hac compulsionem prudenti, præ timore mali
 „ exitus sponsorum, vide ibi *Innocentium III.*
 „ capit. *Præterea hi, qui*: & *Alexandrum III.*
 „ cap. *Præterea de muliere*. Secundo habes: quo-
 „ modo per D. Tho. prædicta statuta Pontificum,
 „ pro quanto & sponsalia promissionem,
 „ & pœ-

hereditatis nostræ in redemptionem adoptionis ibi expressum verſ. 14. Pignus pro arrhabone (inquit) positum est: Non ipsum autem arrhabo & pignus sonat. Arrhabo enim emptioni futura quasi quoddam testimonium & obligamentum datur. Hinc Ambrosius quoque ut epist. 34. videre est, sanctam Agnetem sic loquentem inducit ad arcendum prophanum amatorem: Jam ab alio amatore præventa sum qui mihi

meliore obtulit ornamenta, & qui annulo fidei suæ subarrhavit me: Ut & Maximus Taurinensis in familia quam de illa consecravit, insinuat & Ecclesia in officio canit: nempe: Discede a me pabulum mortis; annulo suo subarrhavit me Dominus Jesus Christus, & tanquam sponsam decoravit me corona, &c.

(*) Ita exemplum an. 1486. Al. quasi ad utendum consensu matrimonii.

& pœnam a sponfalibus rejiciendam, & prudentiam in compulfione pro fervanda fide adhibendam, dicunt, intelligas, atque defendas. *Tertio* vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S II. 179

Utrum tempus feptennii fit convenienter assignatum Sponfalibus contrahendis.

AD secundum fic proceditur. Videtur quod tempus feptennii non fit convenienter assignatum sponfalibus contrahendis. Contractus enim qui per alios fieri potest, non requirit discretionem in illis ad quos pertinet. Sed sponfalicia fieri possunt per parentes, utroque illorum ignorante quorum sunt sponfalicia. Ergo ita possunt fieri ante feptennium, sicut post.

2. Præterea. Sicut ad contractus sponfalium requiritur aliquis rationis ulus, ita ad consentiendum in peccatum mortale. Sed, sicut Gregorius narrat in IV. Dialog. (1) quidam puer quinque annorum propter blasphemiam peccatum a diabolo extinctus est. Ergo etiam ante feptennium possunt contrahi sponfalicia.

3. Præterea. Sponfalicia ad matrimonium ordinantur. Sed in matrimonio non assignatur unum tempus puellæ, & puero. Ergo nec in sponfalibus feptennium utrique assignari debet.

4. Præterea. Ex tunc aliqui possunt sponfalicia contrahere, ex quo eis possunt futuræ nuptiæ placere. Sed signa talis placentiæ frequenter apparent in pueris ante feptennium. Ergo ante illud tempus possunt contrahi sponfalicia.

5. Præterea. Si aliqui ante feptimum annum contrahant sponfalicia, & postea post se-

premium ante tempus pubertatis contrahant per verba de præfenti, reputantur inter eos esse sponfalicia. Sed hoc non est ex secundo contractu: quia tunc non intendunt sponfalicia, sed matrimonium contrahere. Ergo ex primo: & sic ante feptennium possunt sponfalicia contrahi.

6. Præterea. In his quæ communiter sunt a pluribus, quod deest uni, suppletur ab altero; sicut patet in trahentibus navem. Sed contractus sponfalium est quædam actio communis inter contrahentes. Ergo si unus sit pubes, (2) potest contrahere sponfalicia cum puella quæ non habet feptem annos: quia quod uni deficit de tempore, alteri superabundat.

7. Præterea. Si aliqui juxta ætatem pubertatis, quamvis ante eam, contrahant per verba de præfenti, reputatur inter eos matrimonium esse. Ergo pari ratione si ante feptennium, dummodo (*) sit propinquum, contrahant per verba de futuro, reputabuntur inter eos esse sponfalicia.

Respondeo dicendum, quod feptennium est tempus determinatum a jure sponfalibus contrahendis satis rationabiliter: quia cum sponfalicia sint quædam promissiones futurorum, ut dictum est (art. præc.) oportet quod illorum sint qui aliquo modo promittere possunt; quod non est nisi illorum qui habent aliquam providentiam de futuris, quæ usum rationis requirit; respectu cuius triplex gradus notatur, secundum Philosophum in I. Eth. (cap. xv. in fin.) Primus est cum quis neque ipse intelligit per se, neque ab alio capere potest. Secundus est status, quo homo ab alio capere potest, sed ipse per se non sufficit ad considerandum, & intelligendum. Tertius est cum homo & ab alio jam capere potest, & per seipsum considerare.

Z 2 2

Et

(1) Ubi cap. 18. ad ostendendum quod nonnullis parvulis regni caelestis aditus a parentibus clauditur, si male nutriantur plenius quam hic narrat quod cum nimis cum diligens pater nutrices remissus, & ipse mox ut ejus animo aliquid obtinisset, majestatem Dei blasphemare consuevisset, proximis tandem moti malignos ad se spiritus venire tremens oculis aspiciens clamare capit. Obsta pater, mauri homines venerunt, qui me tollere volunt; & majestatis nomen prostratus blasphemavit, ac animam tradidit, &c.

(2) Qui nimirum ætatem attigerit qua ut plurimum accidere pubertas consuevit, hoc est lanugo quædam circa partes quæ genitales vel naturales appellantur: hæc autem est vel quoad mares ætas quatuordecim annorum, vel quoad puellas,

quamvis aliqui tardissime pubescant, ut cap. *Puberes* Extra de desponsatione impuberum ex Isidoro videre est apud quem libro 11. etymologiarum vel originum cap. 2. & cap. 7. id habetur: Quod autem subjungitur de feptennio secundum jura sponfalibus determinatum, ex eodem titulo de impuberum desponsatione colligitur, ubi Alexander 3. Eboracensi Archiepiscopo mandat matrimonium inter quandam & cujusdam puellæ quæ desponsata ipsi fuerat matrem celebratum inviolabiliter observari, si constitueris quod puella non esset feptennis quando desponsata fuit, nec postea in eum consenserit, ut cap. *Accessit* videre est: Quamvis valere sponfalicia significentur anno 6. si cohabitatio sequatur ex Clemente 3. capite *Duo*.

(*) Al. sint propinqui.

Et quia ratio paulatim in homine convalescit, secundum quod quietantur motus, & flexibilitas humorum: ideo primum statum rationis obtinet homo ante primum septennium; & propter hoc illo tempore nulli contractui aptus est, & ita nec sponsalibus. Sed ad secundum statum incipit pervenire in fine primi septennii: unde etiam tunc temporis pueri ad scholas ponuntur. Sed ad tertium statum incipit homo pervenire in fine secundi septennii, quantum ad ea quæ ad personam ipsius pertinent, in quo ratio naturalis ejus convalescit; sed quantum ad ea quæ extra ipsum sunt, in fine tertii septennii. Et ideo ante primum septennium nulli contractui homo aptus est; sed in fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittenda in futurum, præcipue de his ad quæ ratio naturalis inclinat magis; non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non firmam voluntatem habet: & ideo tali tempore possunt contrahi sponsalia. Sed in fine secundi septennii jam potest obligare se de his quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad religionem, vel ad conjugium. Sed post tertium septennium etiam potest de aliis se obligare; & secundum leges constituitur ei potestas de rebus suis disponendi (1) post vigesimum secundum annum.

Ad primum ergo dicendum, quod si ante annos pubertatis fiunt contractus sponsalium per alium, ambo, vel alter reclamare possunt: unde nihil tunc actum est, adeo quod nec aliqua affinitas contrahitur ex hoc. Et ideo sponsalia quæ inter aliquos per personas alias contrahuntur, robur habent, in quantum illi inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes non reclamant; ex quo intelliguntur consentire his quæ per alios facta sunt.

Ad secundum dicendum, quod quidam dicunt, quod ille puer de quo Gregorius narrat, non fuit damnatus, nec mortaliter peccavit; sed visio illa fuit ad patrem contri-

standum, qui in puero illo peccaverat, non corrigens eum. Sed hoc est expresse contra intentionem Gregorii dicentis (loc. cit. in arg.) quod *pater patri animam parvuli filii negligens, non parvum peccatorem gehennæ ignibus nutrit.*

Et ideo dicendum, quod ad peccatum mortale sufficit etiam consensus in præsens; sed in sponsalibus est consensus in futurum. Major autem discretio rationis requiritur ad providendum in futurum, quam ad consentiendum in actum unum præsentem. Et ideo ante potest homo peccare mortaliter quam possit se obligare ad aliquid in futurum.

Ad tertium dicendum, quod in tempore contractus matrimonii non solum requiritur dispositio ex parte usus rationis, sed etiam ex parte corporis, ut sit tempus generationi aptum. Et quia puella in duodecimo anno ad hoc venit ut possit esse actui generationis apta, puer autem in fine secundi septennii, ut Philosophus ait Lib. VII. de histor. animalium (cir. princ. Lib.) simul autem usum discretionis accipiunt, qui tantum in sponsalibus requiritur; ideo in sponsalibus determinatur unum tempus utrique (2) non autem in matrimonio.

Ad quartum dicendum, quod illa placencia quæ est in pueris ante septennium, non procedit ex perfecto usu rationis, cum nondum susceptibiles sint plene disciplinæ, sed magis contingit ex motu naturæ quam ex aliqua ratione. Et ideo non sufficit talis placencia ad sponsalia contrahenda.

Ad quintum dicendum, quod quamvis per secundum contractum in casu illo non faciant matrimonium; tamen ostendunt se ratam habere priorem promissionem: & ideo prior contractus accipit firmitatem ex secundo.

Ad sextum dicendum, quod trahentes navem agunt per modum unius causæ: & ideo quod deest uni, potest suppleri ex altero. Sed sponsalia contrahentes agunt ut distinctæ personæ,

(1) Sic passim hujus loci exemplaria, quia tunc forte saltem apud populos quosdam emancipatio filiorum fiebat illo anno, quæ communiter anno 15. faciendâ notatur: Nam non fuisse consuetudo emancipandi apud omnes ex eo colligitur quod Burdigalæ post 20. ætatis annum impune contrahere matrimonium sine parentum nutu & consensu passim filii permittuntur, ut Gregorius Tolosanus in Syntagmate juris lib. 92. cap. 15. num. notat. Alia tamen exemplaria notant 15. ut & in Sententiis reddidimus.

(2) Ex lib. 4. Decretalium tit. 2. cap. 2. indicatur ad marginem, sed ibi tantum (nempe cap.

Ubi ex Nicolao Papa) sic dicitur: *Discretio inibi- bema ut aliqui quorum uterque vel alter ad ætatem legibus vel canonibus determinatam non pervenerit, coniungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente (utpote pro bono pacis) talis conjunctio celebretur: Quod non ad sponsalia sed ad matrimonium actu contrahendum pertinet, sicut planum est ex adiunctis: Hoc porro est non assignari verum tempus utrique quod matrimonium, quia non eadem est legitima utriusque contrahentium ætas, cum in mare tardius quam in femina eveniat, ut notatum est.*

forz; quia sponsalia non nisi inter duos esse possunt: unde in utroque requiritur quod sit sufficiens ad contrahendum: & ideo defectus unius sponsalia impedit; nec ex altero potest suppleri.

Ad septimum dicendum, quod in sponsalibus etiam similiter si appropinquant contrahentes ad tempus septennii, contractus sponsalium habet robur: quia secundum Philosophum in II. Physic. (tex. 56.) quod parum deest, quasi nihil deest: videtur. Hæc autem propinquitas a quibusdam determinatur tempus sex mensium. Sed melius est quod determinetur secundum conditionem contrahentium: quia in quibusdam magis acceleratur usus rationis quam in aliis.

A P P E N D I X.

A R T I C U L U S III. 180

Utrum Sponsalia dirimi possint.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam fuisse ab *Alexandro Tertio*, quod sponsalia ante septennium nullius sunt roboris. Intellige, ut ex contextu *Alexandri* colligitur, quod uterque sponsorum prædictum tempus habere debet. Insinuatam autem fuit par. 6. capit. 7. quando Archiepiscopo *Eboracensi* scriptis dicens. „ Si tibi constiterit: quod puella præfata non esset septennis, quando præmorato Uvilhelmo desponsata fuit, & postea in eum non consenserit; matrimonium inter eundem Uvilhelmum, & matrem puellæ celebratum præcipias immobiliter observari, & eorundem proles denunciare esse legitimas. Quia desponsationes ante septimum annum fieri non possunt: si consensus postea non intervenit. Hæc ibi. Item ab *Innocentio Tertio*. Inter juvenem, & puellam sponsalia non fuisse contracta pronuntiavimus: cum constet, nuellam nondum ad septennium pervenisse. Hæc ille de desponsatione impuber. Ad dissolvendum. Item ab *Alexandro* eodem ad Episcopum *Ersfordiensem*. „ Quiddam perfectæ ætatis quandam puellam in cunabulis desponsavit: procedente vero tempore matrem puellæ cognovit, & eam in uxorem accepit. Si præfatus vir matrem puellæ, antequam septimum annum compleisset, in uxorem accepit, matrimonium non dissolvat, cum desponsationes hujusmo-

„ di nullæ sint, quæ in incuabilibus fiunt. „ Verum, si postquam puella septimum annum complevit, prædictus vir matrem ejus accepit uxorem, cum sponsalia ex tunc placere consueverint; inter eos sententiam divortii non differas promulgare: nec ipsum filiam, seu matrem habere permit- tas. Hæc ille tit. eodem. *Secundo* habes: quomodo per *D. Thomam* ostendas, multa merito esse dicta in multis capitulis, extra de sponsal. & matrim. item de despon. impuber. item in *Concilio Lateranensi* sub *Alexandro Tertio*, tit. de sponsal. Tertio habes: quomodo per *Divum Thomam* illa jura, pro quanto pertinent ad hunc locum, defendas. Quarto vides: quomodo &c.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod sponsalia dirimi non possint, altero religionem intrante. Quia de pecunia quam alicui promisi, non possum alteri licite obligationem facere. Sed ille qui sponsalia contrahit, corpus suum promittit mulieri. Ergo non potest se offerre Deo ulterius in religione.

2. Item. Videtur quod non debeant dirimi, quando alter conjugum ad longinquam regionem se transfert. Quia in dubiis semper tutior pars est eligenda (1). Sed tutius esset quod eum expectaret. Ergo tenetur eum expectare.

3. Item. Videtur quod nec dirimantur per ægritudinem, quam aliquis incurrit post contracta sponsalia. Quia pro pœna nullus debet puniri. Sed vir qui infirmitatem incurrit, punitur in hoc quod ei jus suum aufertur, quod in illam habebat quæ sibi fuerat desponsata. Ergo propter corporalem infirmitatem non debent sponsalia dirimi.

4. Item. Videtur quod nec propter affinitatem intervenientem; utpote si sponsus consanguineam sponsæ fornicario concubitu cognoscat. Quia secundum hoc sponsa puniretur pro peccato sponsi; quod non est conveniens.

5. Item. Videtur quod non possint se invicem absolvere. Quia hoc est maximæ levitatis,

(1) Sic alia occasione *Clemens 3.* Extra de homicidio involuntario vel casuali c. *Ad audientiam*, ubi dubium homicidam (de quo scilicet notum non est

an homicida realiter fuerit) ab Ordinis nihilominus ministerio removendum declarat ac decernit, cum in dubiis (inquit) semitam debeamus eligere tutiorem.

tatis, ut primo contrahant, & postmodum se absolvant. (1) Sed talia non debent ab Ecclesia sustineri. Ergo &c.

6. Item. Videtur quod nec propter alterius fornicationem. Quia per sponsalia unus non accipit adhuc potestatem in corpus alterius: & sic videtur quod in nullo contra invicem peccent, si interim fornicantur. Et sic sponsalia dirimi non debent per hoc.

7. Item. Videtur quod nec per contractum cum alia per verba de presenti. Quia venditio secunda non derogat venditioni primæ. (2) Ergo nec secundus contractus potest derogare primo.

8. Item. Videtur quod nec per defectum ætatis possint dirimi. Quia quod non est, non potest dissolvi. Sed ante ætatem determinatam nulla fuerunt sponsalia. Ergo dirimi non possunt.

Respondere dicendum, quod in omnibus prædictis casibus sponsalia contracta dirimuntur; sed diversimode: quia in duobus, scilicet

cum quis ad religionem confugit, & cum alter conjugum cum altero per verba de presenti contrahit, ipso jure sponsalia dirimuntur; sed in aliis casibus dirimi debent secundum iudicium Ecclesiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod talis promissio solvitur per mortem spiritualem, cum sit spiritualis tantum, ut dicitur (quæst. lxi. art. 2.)

Ad secundum dicendum, quod dubium illud determinatur ex hoc quod alter non comparet tempore statuto ad matrimonium perficiendum. Unde si ex parte ejus non deficit quin matrimonium completeret, potest licite alteri nubere sine peccato aliquo. Si autem per eum stetit quod matrimonium non est completum, debet agere penitentiam de peccato fractæ promissionis, aut juramenti, si juramentum intervenerit: & contrahere potest cum alio, si vult, iudicio Ecclesiæ. (3)

Ad tertium dicendum, quod si ante contractum matrimonium aliquam gravem infirmitatem

(1) Id est ab obligationis vinculo se mutuo eximant & in plena relinquunt libertate ut cum alio viro vel alia femina respective uterque contrahere sine alterutrius impedimento possit.

(2) Quasi eam irritet ac rescindat, ita ut res primo vendita in secundi emptoris dominium existimetur transisse, quantumvis jam alteri fuerit obligata; hoc enim esset fraudulentum & contrarium fidei ac in primi emptoris injuriam & dispendium redundaret, licet aliter decernendum putarint quædam jura, nempe ut secundo emptori assignetur, si nondum primo tradita est; sicut in Syntagmate juris libro 25. cap. 18. num. 5. videre est, ubi varis leges ad id probandum referuntur, quantumvis durum per se videri possit, nisi temperamentum adhibeatur, ut Gregor. Tolosanus ibidem notat.

(3) Juxta Decretum Alexandri 3. quod cap. De illis ad Archiepiscopum Panormitanum scribit Extra de sponsalibus & matrimonio ubi ait. De illis qui præstito juramento promittunt se aliquas mulieres ducturos & postea eis incognitis (hoc est matrimonio non consummato, vel copula carnali non sequuta) dimittunt terram se ad partes alias transferentes, hoc sibi volumus innovescere quod liberum erit mulieribus ipsis, si non est amplius in facto processum, ad alia se vota transferre (id est aliud matrimonium contrahere cum quibuscunque voluerint) recepta prius tamen de perjurio penitentia, si per eas fuerit matrimonium consummatum: Sed expressus cap. Sicut, ex Innocentio 3. Appendix autem sequens quoad epilepsiam (juxta græcum τῆν ἐπιληψίαν hoc est morbum taducum ex vigoris defectu, vel paralyticum, hoc est dissolutionem membrorum (juxta græcum etiam τὴν ἀσθένειαν) & similia impedimenta vel incommoda, colligitur ex Innocentio 3. Extra de iurjurando cap. Quædammodum sub finem, ubi ait quod si post ju-

vamentum) de contrahendo matrimonio inter aliquos factum mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica vel oculos vel nasum amitteret, seu quicumque ei turpius eveniret, non teneretur tam in uxorem ducere, quamvis ductam non possit dimittere, quia interdum contractum non dirimit id quod impedit contrahendum. Quod item subiungitur de sola fama quæ ad probandam consanguineam cognitionem propter scandalum sufficiat, habetur Extra de consanguinitate & affinitate cap. Super eo, ubi sic Urbanus 3. Archiepiscopo Burdigalensi scribit: Si manifestum est juvenem cognovisse propinquam suæ matris puella vel etiam non est manifestum, fama tamen hoc habet, cum esset sponsa tantum de futuro, idem ab ejus impositione debet absolvi: Quamvis post jam contractum cum femina cognita consanguinea matrimonium aliter Cælestinus 3. Extra de eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ cap. Super eo dæternat; nempe rumor viciniae non adeo validum esse judicandum, quæ nisi rationabiles & fide dignæ probationes accesserint, posse matrimonium bene contractum irritari. Denique Decretalis quæ subiungitur argum. Sed contra, est Innocentii 3. Extra de sponsalibus & matrimonio capite præterea ubi paulo alia serie sic habetur: Qui de matrimonio contrahendo pure & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt & modis omnibus inducendi ut præstitam fidem observent. Si autem se de invicem admittente noluerint, ne forte deterius inde contingat, ut saltem scilicet ducas quam odio habet, videtur quod ad instar eorum qui sinceritatem interpositione fidei contrahant, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari: Quam appendicem in Sententiis cum dispendio veri sensus mutilatam integritatem reddidimus.

uitatem incurrat aliter eorum inter quos sunt contracta sponsalia, quæ ipsum debilitet nimis (ut epilepsia, vel paralytis) aut eum deformet (ut abscissio nasi, vel orbitas oculorum, aut aliquid huiusmodi) aut quæ sit contra bonum prolis (utpote lepra, quæ solet prolem inficere ;) possunt sponsalia dirimi ne sibi invicem displiceant, & matrimonium sic contractum malum exitum fortiatur. Nec pro pœna punitur aliquis, sed ex pœna damnium reportat : quod non est inconueniens.

Ad quartum dicendum, quod si sponsus cognovit consanguineam sponsæ, vel e contra, tunc dirimi debent sponsalia : & ad hoc probandum sola fama sufficit, propter scandalum vitandum : causæ enim quæ in futurum expectant effectus suos, impediuntur a suis effectibus, non solum ex eo quod est, sed ex eo quod futurum est. Unde sicut affinitas si esset tempore contractus sponsalium impedivisset contractum illum ; ita si interveniat ante matrimonium, quod est effectus quidam sponsalium, prior contractus ab effectu suo impeditur. Nec in hoc aliquid detrahitur alteri, immo ei confertur : quia absolvitur ab eo qui per fornicationem se Deo odiosum reddidit.

Ad quintum dicendum, quod quidam non recipiunt istum casum. Sed contra eos est Decretalis (cap. *Præterea hi*, de sponsalib. & matrim.) quæ expresse dicit : *Ad instar*, (*) inquit, *corum qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, potest in patientia tolerari, si mutuo se absolvunt, qui sponsalia contraxerunt*. Sed ad hoc dicunt, quod Ecclesia magis hoc sustinet, ne pejus eveniat, quam hoc sit de iure. Sed hoc non videtur exemplo convenire, quod Decretalis adducit.

Et ideo dicendum, quod non semper est levitatis retractare quæ prius firmata sunt : quia *incepta sunt providentia nostra*, ut dicitur Sapientiz 1x: 14.

Ad sextum dicendum, quod quamvis nondum dederint sibi mutuo potestatem corporis sponsalia contrahentes ; tamen ex hoc efficiuntur sibi invicem suspecti de non servanda fide in futurum : & ideo potest sibi præcavere unus contra alium, sponsalia dirimendo.

Ad septimum dicendum, quod ratio illa teneret, si esset unius rationis uterque contractus ; sed secundus contractus matrimonii

est fortior primo : & ideo solvit ipsum.

Ad octavum dicendum, quod quamvis non fuerint vera sponsalia, tamen fuit ibi quidam sponsalium modus. Et ideo ne videatur approbare ad annos legitimos veniens, debet petere solutionem sponsalium iudicio Ecclesiæ faciendam, propter bonum exemplum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas (non obstante, quod frangere sponsalia absque causa legitima grave crimen adeo sit, ut Concilium *Elibertinum* cap. 54. dicat. „ Si qui parentes fidem frangerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se a communione. Si vero sponsus, vel sponsa in illo gravi crimine fuerint, tantum, parentibus excusatis, superior sententia servetur), merito dictum fuisse ab *Alexandro Tertio* in Concil. *Lateranensi* part. quinquagesima, cap. 30. super eo, quod quædam mulier suo fidem dedit, & ipse illi, quod matrimonium inter se contraherent : & viro volente sacramentum ferre, mulier castam disposuit ducere vitam, discretionem tuam respondemus. Si iuncti non fuerint, mulier permittatur ad religionem transire, & Domino, relicto saculo, militare. *Beatum enim Joannem & complures e sponsalitiis ad vitam contemplativam legimus evocatos : & ideo eidem mulieri confidenter permittere poteris, ut transeat ad religionem castitatis votum servatura*. „ Hæc ibi. En, a fortiori denotatum, quod sponsalitia altero ingrediente religionem solvuntur. Item ab *Urano Tertio ad Flavens. Episc. par. 10. capit. sexagesimo tertio post Concilium Lateranense sub Alexandro Tertio*. „ Utrum postquam sponsalia inter personas legitimas contracta fuerint, & antequam a viro mulier traducatur, si alter eorum lepræ morbum incurrat, aliter ad consummandam copulam maritalem compelli debeat, vel se possit ad secunda vota transferre : respondemus, quod ad accipiendum eum cogi non debet, cum inter eos matrimonium non tam sit consummatum. „ Hæc ibi. Unde de similibus in textu adductis simile inferas. Item ad propositum vide tu, de sponsal. & matrim. capitula multa ; & idem videas in de delicto impub. *Secundo* habes : quomodo per rationem

(*) *Redundat hic inquit ; nisi legendum sit inquam, ut habet exemplum n. 1489.*

nem prædicta patrum, pro quanto sponsalia dicunt posse in casibus his dirimi, & intelligas, & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O XLIV.

De Matrimonii definitione,

In tres articulos divisa.

DEinde considerandum est de ratione matrimonii.

Circa quod quærentur tria.

Primo, utrum matrimonium sit in genere conjunctionis.

Secundo, utrum convenienter nominetur.

Tertio, utrum convenienter definiatur.

A R T I C U L U S I. 181.

Utrum Matrimonium sit in genere conjunctionis.

S. Th. IV. dist. XXVII. quest. I. art. I. quest. I. & seq.

AD primum sic præceditur. Videtur quod matrimonium non sit in genere conjunctionis. Quia vinculum quo aliqua ligantur, differt a conjunctione ipsa, sicut causa ab effectu. Sed matrimonium est vinculum quoddam, quo juncti matrimonio ligantur. Ergo non est in genere conjunctionis.

2. Præterea. Omne sacramentum est sensibile signum. Sed nulla relatio est accidens sensibile. Ergo matrimonium, cum sit sacramentum, non est in genere relationis; & ita nec in genere conjunctionis.

3. Præterea. Conjectio est relatio æquiparantæ, sicut & æqualitas. Sed non est una numero æqualitatis relatio in utroque extremorum, ut Avicenna dicit. Ergo nec una conjunctio: & sic si matrimonium est in genere conjunctionis, non est unum tantum matrimonium inter duos conjuges.

Sed contra. Relatio est secundum quam aliqua ad invicem referuntur. Sed secundum matrimonium aliqua ad invicem referuntur: dicitur enim maritus vir uxoris; & uxor mariti uxor. Ergo matrimonium est in genere relationis; nec est aliud quam conjunctio.

Præterea. Unio duorum ad aliquid unum non fit nisi secundum conjunctionem. Hoc autem fit per matrimonium; ut patet Gen.

11. 24. *Erunt duo in carne una. Ergo matrimonium est in genere conjunctionis.*

Respondeo dicendum, quod conjunctio adnationem quandam importat: unde ubicunque est adunatio aliquorum, ibi est aliqua conjunctio. Ea autem quæ ordinantur ad aliquid unum, dicuntur in ordine ad illud adunari, sicut multi homines adunantur ad unam militiam, vel negotiationem exequentem, ex qua dicuntur commilitones ad invicem, vel socii negotiationis. Et ideo cum per matrimonium ordinentur aliqui ad unam generationem, & educationem proles, & iterum ad unam vitam domesticam, constat quod in matrimonio est aliqua conjunctio, secundum quam dicitur maritus, & uxor; & talis conjunctio ex hoc quod ordinatur ad aliquid unum, est matrimonium: conjunctio autem corporum, & animorum ad matrimonium consequitur.

Ad primum ergo dicendum, quod matrimonium est vinculum quo ligantur formaliter, non effective; & ideo non oportet quod sit aliud a conjunctione.

Ad secundum dicendum, quod quamvis ipsa relatio non sit sensibile accidens; tamen causæ ejus possunt esse sensibiles. Nec in sacramento requiritur quod sit sensibile illud quod est res, & sacramentum: hoc enim modo se habet in hoc sacramento prædicta conjunctio: sed verba exprimentia consensum, quæ sunt sacramentum tantum, & causa prædictæ conjunctionis sunt sensibilia.

Ad tertium dicendum, quod relatio fundatur in aliquo sicut in causa, ut similitudo in qualitate, & in aliquo sicut in subiecto, ut in ipsis similibus: & ex utraque parte potest attendi unitas, & diversitas ipsius. Quia ergo in similitudine non est eadem qualitas numero, sed specie in utroque simili, & iterum subiecta similitudinis sunt duo numero, & similiter est de æqualitate; ideo & æqualitas, & similitudo omnibus modis est alia numero in utroque similibus, & æqualium. Sed relatio, quæ est matrimonium, ex una parte habet unitatem in utroque extremorum, scilicet ex parte causæ, quia ad eandem numero generationem ordinatur; sed ex parte subiecti habet diversitatem secundum numerum; & ideo hæc relatio est una ex parte causæ, & multiplex ex parte subiecti: & secundum quod est multiplex ex parte subiecti, significatur his nominibus, *uxor*, & *maritus*; secundum autem quod est una, significatur hoc nomine *matrimonium*.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas, infirmarum merito fuisse in sacris litteris, & Papa, &c. quod in genere conjunctionis est matrimonium. A sacris quidem litteris Matth. 19. *Quod Deus coniunxit homo non separet*. Item prim. Corinth. septimo. *Alligatus es uxori*. Item Roman. 6. *Lex in homine dominatur, quanto tempore vivis. Nam, quae sub viro est matris, vivente viro alligata est legi*. Ecce ; quod nupti dicuntur conjungi, alligari, & matrimonium dicitur lex : ex quo manifeste datur intelligi, quod matrimonium est conjunctio ; vinulum, & ligamen. A Papa autem *Alexandro Tertio* de praesumpt. Illud, &c. *Cum matrimonium sit matris, & femina conjunctio*, haec ibi. Item Concil. Trident. sess. 24. ubi in principio matrimonium vocat nexum, inculum, copulatio, conjunctio duorum. *Matrimonium*, inquit, *perpetuum, indissolubile, quae nexum, &c. Hoc autem vinculo duos autummodo copulari, & conjungi, &c.* Item 27. *quasi. secund. in princ. & cap. cum iniatur*. Secundo habes : quomodo per rationem praedicta patrum, & scripturarum, pro tanto matrimonium dicunt esse conjunctioem, & intelligas, & probes, & tuearis. *tertio* vides : quomodo &c.

ARTICULUS II. 182

Utrum Matrimonium convenienter nominetur.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod matrimonium inconvenienter nominetur. Quia denominatio debet fieri a digniori. Sed pater dignior est matre. Ergo magis debet denominari a patre quam a matre, conjunctionis utriusque,

Summ. ST. b. Tom. XIII.

2. Præterea. Res debet denominari ab eo quod est de essentia sua : quia *ratio, quam significat nomen, (2) est definitio*, ut dicitur in IV. Metaph. (tex. 28.) Sed nuptiæ non sunt de essentia matrimonii. Ergo non debet matrimonium *nuptiæ* appellari.

3. Præterea. Species non potest proprio nomine nominari ab eo quod est generis. Sed conjunctio est genus ad matrimonium. Ergo non potest proprie *conjugium* nominari. Sed in contrarium est communis usus loquentium.

Respondeo dicendum, quod in matrimonio est tria considerare. Primo essentiam ipsam, quæ est conjunctio : & secundum hoc nominatur *conjugium*. Secundo causam ejus, quæ est desponsatio ; & secundum hoc vocatur *nuptiæ* a *nubo* quia in ipsa solemnitate desponsationis, qua matrimonium perficitur, capita nubentium velantur. Tertio effectum qui est proles : & sic dicitur *matrimonium*. ut Augustinus dicit contra Faustum (Lib. XIX. cap. xxvi. a med.) *ex hoc quod mulier non debeas ob aliud nubere, nisi ut sis mater* : Potest etiam matrimonium quasi *matris munium*, idest officium dici, quia feminis incumbit maxime educandæ prolis officium, vel dicitur matrimonium, quasi *matrem nutiens* ; quia jam habet quo defendatur, & muniatur, scilicet virum : vel dicitur matrimonium, quasi *matrem monens*, ne virum relinquat, alteri adhærens : vel dicitur matrimonium, quasi *materia unius* : quia in eo sit conjunctio ad unam prolem materialiter inducendam, ut dicatur matrimonium a *monos* (*unus*) & *materia* : vel dicitur matrimonium, ut Isidorus dicit (Lib. IX. Etym. cap. ult. cir. med.) a *matre*, & *nato* : quia per matrimonium efficitur aliqua mater nati.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis pater sit dignior quam mater, tamen circa prolem mater magis est officiosa quam pater.

A a 2

Vel

(1) Vel juxta græcum λόγος ἢ τὸ ὀνομαστικόν, ratio cujus nomen signum est, ut cap. 7. græco. lat. erfus finem, vel text. 18. in aliis habetur.

(2) Tum quoad nomen matrimonii, quod sequens usurpatur : Tum quoad nomen nuptiarum quomiliter matrimonium significari solet, cum secundum matrimonium contrahentes dicuntur ad secundas aptias convolare. Tunc quoad nomen conjunctionis vel conjugii ex quo conjuges vel conjuncti dicuntur passim quasi per antonomasiam qui sunt matrimonio copulati, quia nulla strictior vel intimior conjunctio. Matrimonii porro explicatio prima nomine Augustini notata colligitur ex lib. 19. contra Fau-

stum cap. 26. ubi plenius ait Marcellinos alloquens : *Verum tamen a vobis ex vestri erroris sacrilega vanitate quæro cur displiceas dimittere uxorem quam non ad matrimonii fidem, sed ad concupiscentie crimen habendam esse censes ? Matrimonium quippe ex hoc appellatum est quod non ob aliud debeas sumina nubere quam ut mater sis, quod vobis odiosum est, &c.* Secunda est Raymundi tit. de matrimonio quod ut munium matris idest officium, quia das materibus esse matres, vel quia mulieris officium plus apparet in matrimonio quam officium viri : Ultima Isidori ex lib. 9. etymolog. vel origin. tit. de conjugio desumpta est : Cæteris non occurrunt.

Vel dicendum, quod mulier ad hoc principaliter facta est ut sit homini in adiutorium prolis; non autem vir propter hoc factus est. Unde magis pertinet ad rationem matrimonii mater quam pater.

Ad secundum dicendum, quod aliquando essentialia cognoscuntur per accidentalialia; & ideo etiam per accidentalialia aliqua nominari possunt, cum nomen detur causa rei innotescendæ.

Ad tertium dicendum, quod aliquando species nominatur ab eo quod est generis, propter imperfectionem speciei, quando scilicet complete habet generis rationem, nec tamen aliquid addit quod ad dignitatem pertineat; sicut proprium accidentiale retinet nomen proprii, quod ipsi, & definitioni est commune: aliquando autem propter perfectionem, quando in una specie complete invenitur ratio generis, & non in alia; sicut animal denominatur ab anima, quæ competit animato corpori, quod est genus animalis; sed animatio non invenitur perfecte in animatis quæ non sunt animalia. Et similiter est in proposito. quia conjunctio viri ad mulierem per matrimonium est maxima, cum sit & animarum, & corporum: & ideo *conjugium* nominatur.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, matrimonium merito vocari matrimonium a scripturis 1. Cor. 7. *Igitur, qui matrimonio jungit virginem suam, &c.* Item, *bis qui matrimonio juncti sunt, præcipio, &c.* Item Esd. 9. *neque matrimonia jungeremus, &c.* Item Prov. *cum in matrimonio fueris, &c.* Item Eccl. 23. *ex alieno matrimonio, &c.* Et vocari conjugium Gen. 26. *sibi esse sociata conjugio.* Item 36. *dedique illi in conjugium.* Item Deut. 7. *nec faciatis cum eis conjugia.* Item Tob. 6. *conjugium ita suscipiunt.* Item, *ovimus in conjugio nostro.* Et vocari nuptias Gen. *Operas positas nuptiis.* Item 5. Tob. 9. *nuptiarum convivium exerce.* Item Hest. 2. *pro conjunctione, & nuptiis.* Item Sap. 14. *neque nu-*

prias mundas. Item 1. Machab. 9. *filii Jacob faciant nuptias.* 2. Machab. 14. *nuptias fecit, quiete egit.* Marc. 2. *non possunt filii nuptiarum.* Item Luc. 17. *dabantur ad nuptias.* Merito etiam vocari conjugium a summis Pontificibus. *de convor. conjugator. cap. multis.* Item vocari matrimonium; *de conjug. & affinis. de spons. de eo, qui du. in matrimon. qu. poll. de sponsal. & matrim. capitulis multis.* Merito etiam vocari nuptias 35. q. 8. c. 1. Item a Conciliis passim: quando de hac materia tractant. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, Pontificum, Conciliorum, pro quanto se nominant, & intelligas, & defendas. *Tertio* videt: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 18;

Utrum Matrimonium convenienter definiatur in littera.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod inconvenienter definiatur in littera (1) Quia in mariti definitione oportet quod matrimonium ponatur: quia maritus est qui est mulieri junctus matrimonio. Sed *maritalis conjunctio* ponitur in definitione matrimonii. Ergo videtur quod sit circulario in definitionibus istis.

2. Præterea. Per matrimonium sicut efficitur vir maritus mulieris, ita & mulier uxor viri. Ergo non debet magis dici *conjunctio maritalis* quam uxoris.

3. Præterea. Consuetudo ad genus moris pertinet. (2) Sed frequenter matrimonio juncti sunt valde moribus diversi. Ergo non debet poni in definitione matrimonii: *individuum vite consuetudinem retinens.*

4. Præterea. Inveniuntur alie definitiones de matrimonio datæ. Quia secundum Hugonem (3) Lib. II. de sacram. par. xi. cap. 1v. & tract. vii. Sum. sent. cap. vi. in prin. *matrimonium est duorum idonearum personarum legitimus de conjunctio consensus.* Secundum quosdam autem *matrimonium est consortium communis vite, & communicatio divi-*

(1) Nimirum quod sit *virii mulierisque conjunctio maritalis inter legitimas personas individuum vite consuetudinem retinens* 4. Sentent. dist. 27. tit. 3. h. v. §. 4.

(2) Et expressius quidem juxta significatum græce vocis *εὐνομία*, ex qua desumptum ἵδιος; id est mos.

(3) Paulo aliter definiendum prope finem capituli quod sit *legitimus consensus, hoc est inter legitimas personas, & legitime factus ad individuum vite consuetudinem conservandam*: Sequentem vero habet Raymundus ubi supra, qui eam refert ex ff. de ritu nuptiali leg. 1. post aliam proprio sensu assignatam quæ relata est.

divini, & humani juris. Et queritur, qualiter hæc definitiones differant.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. præc.) in matrimonio tria considerantur, scilicet causa ipsius, & essentia ejus, & effectus: & secundum hoc tres definitiones inveniuntur de matrimonio dæte. Nam definitio Hugonis tangit causam, scilicet consensum: & est per se nota. Definitio aperta in littera posita tangit essentiam matrimonii, scilicet *conjunctionem*; & addit determinatam subiectum, in hoc quod dicit, *inter legitimas personas*: ponit etiam differentiam contrahentium ad speciem, in hoc quod dicit, *maritalis*: quia causa matrimonium sit conjunctio in ordine ad aliquid unum, talis conjunctio in speciem trahatur per illud ad quod ordinatur: & hoc est id quod ad maritum pertinet: ponit etiam virtutem hujus conjunctionis, quia indissolubilis est, in hoc quod dicit, *indivisam* &c. Sed alia definitio tangit effectum ad quem ordinatur matrimonium, scil. vitam communem in rebus domesticis. (1) Et quia omnis communicatio aliqua lege ordinatur, ideo ponitur ordinativum istius communicationis, scil. jus divinum, & humanum: alia autem communicationes, ut negotiationum, & militantium, solo jure humano institutz sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquando priora, ex quibus debet dari definitio, non sunt nota quoad nos. Et ideo in definitione aliquorum ponuntur aliqua posteriora simpliciter, quæ sunt priora quoad nos: Sicut in definitione qualitatis ponitur *quale* a Philosopho, cum dicit: (*cap. de Qualit. ro. 1.*) *Qualitas est, secundum quam quales esse dicimur.* Et ita etiam hic in definitione matrimonii ponitur *conjunctio maritalis*: ut sit sensus, quod matrimonium est conjunctio ad ea, quæ mariti officium requirit; quæ non

poterant uno nomine exprimi.

Ad secundum dicendum, quod per hanc differentiam tangitur finis conjunctionis, ut dictum est. (a. præc.) Et quia, ut dicit Apostolus, (1. cor. xi.) *Vir non est propter mulierem, sed mulier propter virum*, ideo hæc differentia potius debet sumi a viro, quam a muliere.

Ad tertium dicendum, quod sicut vita civilis non importat actum singularem hujus, vel illius, sed ea quæ ad communicationem civilem pertinent; ita vita conjugalis nihil aliud est quam conversatio ad communicationem talem pertinet: & ideo quantum ad hanc vitam semper in conjugibus consuetudo est individua, quamvis sit divisa quantum ad actus singulares utriusque.

Ad quartum patet solutio ex dictis (in corp. art.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum ab *Alexandro Papa Tertio* ad Genensem Episcopum: ut recitatur de presumptionibus. Illud quoque, &c. *Utrum, quia in hujusmodi dubitate fama vicinie magis debet attendi, si fama loci habet, quod vir ipsam in lecto, & in mensa, sicut uxorem, tenuerit (cum matrimonium sit maris, & femina conjunctio individua visa consuetudinem retinens) cogenda est mulier, ut eidem viro affectu serviat conjugali.* Hæc ibi. Ex quo patet & definitio, & quod conjunctio maritalis dicta a Magistro vocatur a Papa conjunctio, & affectus conjugalis. Ex quo etiam videre datur, quod Papa non omnem conjunctionem approbat pro matrimonio. Hinc damnatas vides, & a definitionibus in articulo positis damnatas merito ostendere potes hæreses omnes illas e-

A a a 2 nar-

(1) Quod Gratianus tamen in Decretis causa 27. initio 2. questionis omittit, sic tantum definiens: *Matrimonium est viri mulierisque conjunctio individua visa consuetudinem retinens.* Melius porro addit ac exprimit Magister, quia nisi *legitima persone* supponatur, cetera possunt adulterinis conjunctioni vel concubinatui convenire, si perpetuam fidem tales invicem sibi jurent, sicut de concubina sua Augustinus indicat lib. 6. Confess. cap. 15. Potest nihilominus hoc etiam omisso ita subintelligi ut ad matrimonium solum pertineat, & ei soli proprie assignetur, sicut assignat & explicat Raymundus ubi supra; nec solum ex Decretis loco citato, sed ex Decretalibus tit. de Prescriptionibus c. *Illud*

eam refert, ubi sic Alexander 3. ad Archiepiscopum Genensem usurpat, ut confirmet matrimonium inter virum & mulierem extitisse, quia vir eam ut uxorem in lecto & in mensa per decem annos tenuerat, licet uxorem se fuisse negaret. Non sic ergo intelligenda tantum *individua visa consuetudo*, ut sit talis de facto, sed de jure, quod concubinatui non convenit: Hoc est *ut neuter absque consensu alterius possit conscientiam profiteri, & orationi vacare, ac inser eos dum vivunt, conjugale vinculum permanens, & neutri liceat se alteri copulare*, ait Raymundus ubi supra; vel uno verbo ut *indissolubilis* per ipsum nomen *individua* significetur, sicut explicat S. Thomas in textu.

narratas supra *qu. 41. art. 3. & qu. 42. art. 3. & 4. & qu. 40. art. 2. append.* Vide & in locis ibi allegatis: & maxime contra spurcitas *Libertinorum*, & falsorum *Evangelicorum*. Secundo habes: quomodo per rationem de *ly maritalis*, & interimas prædictas hæreses, & dicta *Alexandri*, pro quanto essentiali definitionem matrimonii asserunt, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

QUESTIO XLV.

De Consensu Matrimonii secundum se,

In quinque articulos divisa.

Consequenter considerandum est de consensu. Ubi primo agendum est de ipso consensu secundum se considerato. Secundo de consensu juramento, vel carnali copula firmato. Tertio de consensu coacto, & conditionato. Quarto de obiecto consensuum.

Circa primum queruntur quinque.

Primo, utrum consensus sit causa efficiens matrimonii.

Secundo, utrum consensus oporteat per verba exprimi.

Tertio, utrum consensus expressus per verba de futuro faciat matrimonium.

Quarto, utrum consensus per verba de presenti expressus, si desit interior consensus, exterius faciat verum matrimonium.

Quinto, utrum consensus in occulto factus per verba de presenti faciat matrimonium.

ARTICULUS I. 184

Utrum Consensus si causa efficiens Matrimonii.

3. Thom. ubi sup. art. 2. quest. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod consensus non sit causa efficiens matri-

monii. Sacramenta enim non sunt a voluntate humana, sed ab institutione divina, ut ostensum est (IV. dist. 11. quest. 1. art. 4. quest. 4. & III. P. quest. 121. art. 2.) Sed consensus ad voluntatem humanam pertinet. Ergo non est causa matrimonii, sicut nec aliorum sacramentorum.

2. Præterea. Idem non est causa sui ipsius. Sed matrimonium nihil aliud videtur esse quam consensus: quia consensus ipse significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Ergo consensus non est causa matrimonii.

3. Præterea. Unius debet esse una causa. Sed matrimonium inter duos est unum, ut dictum est (quest. præc. art. 1.) consensus autem duorum sunt diversi, quia & diversorum sunt, & in diversa: ab una enim parte est consensus in virum, ex alia in uerem. Ergo mutus consensus non est causa matrimonii.

Sed contra est quod Chrysostomus (1) dicit (alius Auctor hom. xxxii. in op. imperf. parum ante med.) *Matrimonium non facit coitus, sed voluntas.*

Præterea. Unus non accipit potestatem in eo quod est libere alterius, nisi per eius consensum. Sed per matrimonium accipit uterque conjugum potestatem in corpus alterius, ut patet I. Corinth. vii. cum prius uterque liberam potestatem sui corporis haberet. Ergo consensus facit matrimonium.

Respondeo dicendum, quod in omnibus sacramentis est aliqua spiritualis operatio, mediante materiali operatione, quæ eam significat; sicut per ablutionem corporalem in baptismo fit ablutio interior spiritualis. Unde cum in matrimonio sit quedam spiritualis conjunctio, in quantum matrimonium est sacramentum, & aliqua materialis, secundum quod est in officium naturæ, & civilis vitæ, oportet quod mediante materiali fiat spiritualis virtute divina. Unde cum conjunctiones materialium contractuum fiant per mutuum consensum, oportet quod hoc modo etiam fiat matrimonialis

(1) Cujus nomine citat Magister Sentent. lib. 4. distinct. 27. lit. D. seu Paragr. 4. Et Gratianus in Decretis Causa 27. quest. 2. cap. *Matrimonium*: Sed ex auctore imperfecti operis in Matthæum homil. 32. desumptum est, ut in moderna Decretorum Editione annotatur: Indeque alterutro loco inferitur quod *ideo non solvit illud separatio corporum sed separatio voluntatum*: Et Idem reperitur cap. *Omnis* ex eodem. Potest & addi quod cap. *Beata* nullum nome auctoris præferente sed ex variis Augustini locis confato sic dicitur de Joseph & B. Virginis

conjugio: Consensus ergo cohabitandi & indivisum vite consuetudinem retinendi interveniens eos conjuges facit: Præter alia quæ notanda recurrent iobrius, cum ostenditur speciatim qualis consensus ad perfectum matrimonium requiratur: Hic autem tantum generatim queratur an consensus præcise, qualiscunque ad veritatem matrimonii requisitus, habeat se ad illud velut causa, & non quomodolibet ad illius contractum requiratur, sed vere ac reipâ sit eius effectivum.

ialis conjunctio .

Ad primum ergo dicendum, quod sacramentorum prima causa est divina virtus, quoniam eis operatur salutem; sed causas secundas, sive instrumentales sunt materiales operationes, ex divina institutione habentes efficaciam: & sic consensus in matrimonio est causa.

Ad secundum dicendum, quod matrimonium non est ipse consensus, sed quedam ratio ordinatorum ad unum, ut dictum est quæst. præc. art. 1.) quam consensus facit. Nec consensus, proprie loquendo, conjunctionem Christi ad Ecclesiam significat, sed voluntatem ejus, qua factum est ut Ecclesie coniungeretur.

Ad tertium dicendum, quod sicut matrimonium est unum ex parte ejus in quod fit conjunctio, quamvis sit multiplex ex parte conjunctorum; ita etiam consensus est unus ex parte ejus in quod consentitur, scilicet rædictæ conjunctionis, quamvis sit multiplex ex parte consentientium. Nec est directe consensus in virum, sed in conjunctionem ad virum ex parte uxoris; & similiter ex parte viri est consensus in conjunctionem ad uxorem. (1)

A P P E N D I X.

¶ **EX** art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam fuisse Conciliis & summis Pontificibus, quod consensus est causa efficiens matrimonii. Insinuatam autem est hoc a Concil. Floren. in ecr. *Eugenii IV.* Armenis dato, quando ait de sacramentis loquens; *Septimum est sacramentum matrimonii, &c. Causa efficiens matrimonii regulariter est mutus consensus per verba de presenti expressus.* Hæc ibi. Ubi ly regulariter non cadit super consensum, sed super expressionem consensu per verba. Quasi licet. Consensus est semper causa efficiens matrimonii: sed, quod exprimitur per verba, hoc non semper est; sed regulariter tantum. Potest enim exprimi quandoque per aliquod æquivalens verbis, ut infra art. 2. ad secundum, & tertium. Item Concil. Trident. ess. 24. cap. 1. de reform. „Dubitandum, non est, matrimonia clandestina, libero, contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea

„ irrita non fecit, & proinde jure damnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant. *Hæc ibi. Et infra.* Parochus, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo, &c. „ Hæc ibi. Ubi nota ly *mutuo*, pro confirmatione quæst. 47. art. 4. quod scilicet consensus in matrimonium non debet claudicare, facit etiam ad appen. ibi positam. Item a Papa *Alexandro III.* ad Papiensem Episcopum, „ Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur, &, ubi de ipso quæritur, plena debet securitate illi gaudere, cujus est animus indagandus: ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. „ Hæc ille de sponsalibus, & matrimonio. Item ab *Innocentio III.* ad Episcopum Brixiensem titulo eodem. *Tua fraternitati, &c. Respondemus, quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum.* Hæc ibi per ly *in veritate* intellige, quod consensus est de substantia matrimonii. Item ab eodem ibidem: *Tua nos duxit, &c. Non debes ex illo facto conjugium judicare: quoniam ex altera parte defuit omnino consensus, sine quo cetera nequeunt factus perficere conjugale.* Hæc ibi. Secundo habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto consensum mutuum dicunt esse causa matrimonii, & intelligas, & probes, & tuearis. Tertio vides: quomodo &c.

AR-

(1) Sic ergo est consensus in idem sed sub diversa habitudine, vel respectu hinc & inde consideratum; i-

mo eadem habitudo vel relatio sub diversis terminis quos respicit.

ARTICULUS II. 185

*Utrum oporteat Consensum per verba
exprimi.*

AD secundum sic proceditur. Videtur quod non oporteat consensum per verba exprimi. Quia sicut per matrimonium redigitur homo in potestatem alterius, ita per votum. (1) Sed votum obligat quoad Deum, etiam si non exprimitur verbis. Ergo & consensus facit matrimonii obligationem, etiam sine expressione verborum.

2. Præterea. Matrimonium potest esse inter aliquos qui suam consensum sibi mutuo verbis exprimere non possunt, quia vel sunt muti, vel diversarum linguarum. Ergo expressio consensum per verba non requiritur ad matrimonium.

3. Præterea. Si omittatur illud quod est de necessitate sacramenti, quacunque ex causa, non est sacramentum. Sed in aliquo casu est matrimonium sine expressione verborum; sicut quando puella tacet pro verecundia, parentibus eam viro tradentibus. Ergo expressio verborum non est de necessitate matrimonii.

Sed contra. Matrimonium est sacramentum quoddam. Sed in omni sacramento requiritur aliquod sensibile signum. Ergo & in matrimonio: & ita oportet ibi esse saltem verba exprimentia consensum sensibiliter.

Præterea. In matrimonio fit contractus in-

ter virum & mulierem. Sed in quolibet contractu oportet esse expressionem verborum, quibus se invicem homines obligent. Ergo & in matrimonio oportet esse consensum per verba expressum.

Respondeo dicendum, quod, sicut ex dictis patet (art. præc.) conjunctio matrimonialis fit ad modum obligationis in contractibus materialibus. Et quia materiales contractus non possunt fieri, nisi sibi invicem voluntatem suam verbis promant qui contrahunt; ideo etiam oportet quod consensus matrimonium faciens verbis exprimat; ut expressio verborum se habeat ad matrimonium sicut ablutio exterior ad baptismum.

Ad primum ergo dicendum, quod in voto non est aliqua sacramentalis obligatio, sed spiritualis tantum: & ideo non oportet quod fiat ad modum materialium contractuum, ad hoc quod obliget, sicut est de matrimonio.

Ad secundum dicendum, quod quamvis tales non possint vota sua mutuo verbis exprimere, possunt tamen exprimere nutibus: & tales nutus pro verbis computantur. (2)

Ad tertium dicendum, quod, sicut dicit Hugo de S. Victore (tract. vii. Sum. Sent. cap. vi. a princ.) eos qui conjunguntur, sic oportet consentire, ut invicem se spontanee recipiant; quod judicatur fieri, si in desponsatione non contradicant. Unde verba parentum computantur in casu illo, ac si essent puellæ: sunt enim sufficiens signum quod sunt ejus, ex quo non contradicit.

AP-

(1) Non per quodlibet votum in potestatem alterius hominis ut sic, eo modo quo uxor in potestatem viri, & vicissim vir in uxoris etiam potestatem quoad mutuum conjugalis debiti vicem suo modo se tradit, Sed per solum votum obedientiæ formaliter si de hominis potestate intelligatur, ut stet comparatio matrimonij: Vel materialiter tantum & indirecte per aliquod aliud votum, prout cum obedientiæ voto conjunctum est, ut sunt professionis religiosæ vota quæ sub obedientiam quoad executionem ipsorum cadunt: Quamvis ad institutum præsens infinita loquutio sufficit, ut per votum aliquod saltem in potestatem alterius hominis vovens redigatur, quia quodlibet votum quantumcunque homini factum obligat quoad Deum, quod hic intendit S. Thomas, quia non tam homini quam Deo fit, &c.

(2) Ut cap. Cum apud sedem Extra de sponsalibus & matrimonio Innocentius 3. Arelatensi Archiepiscopo rescribit; sane (inquit) consultum nos utrum mutus & surdus alicui possit matrimonialiter copulari: Ad quod taliter respondemus; quod cum prohibitorium sit editum de matrimonio contrahenda, ut

quicumque non prohibetur, per consequentiam admittatur, & sufficiens ad matrimonium solus consensus illorum de quorum conjunctionibus agitur, videtur quod si talis velit contrahere; sibi non possit denegari; cum quod verbis non potest, signis valeat declarare: Nec dissimile quod Episcopo Brixiensi rescribit, ut cap. Tuae fraternitati videre est: Postulasti utrum ex solis verbis & ex quibus matrimonium contrahatur: Nos igitur inquisitioni tue taliter respondemus. quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri & mulieris consensum, sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de presenti. Nam surdi & muti (vel muti tantum, ut in antiquis codicibus) possunt contrahere matrimonium per consensum mutuum sine verbis, & parvi ante annos legitimos per verba sola non contrahunt cum intelligantur minime consentire. Quod autem ex Hugone notatur paulo super lib. 2. de Sacramento part. 11. cap. 4. versus finem æquivalenter indicatur, cum ait conjugatos federe sponsionis mutua consecrari quando uterque promissionem voluntaria debuerunt alteri se facit, &c.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem rejicias errorem *Joan. Wicleff*, & *Abbatis Paworm.* (ut refert *Joseph Angles lib. Flores quæst. Theologic. sis. de essentialib. matrim. dist. 27. art. 2.*) dicentium , ad matrimonium , sive nuptias contrahendas sufficere consensum solum internum . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , errorem hunc merito reprobari a *Concil. Florent.* quod ad litteram ponitur *art. 1. append.* Item a *Concil. Trident. sess.* ut ibid. Item , & clarius , b *Innocentio III.* ad *Episcopum Brixiensem* scribente sic : *Necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de presenti.* Hæc ille de spons. & matrim. cap. *uz.* Vide in his sensum *Innocentii* infra *rt. 5.* exam. immediate ante ad *primum.* Item ab eod. ibid. *Cum apud* , &c. *Consulimus nos , utrum maritus , & fardus , alicui possint matrimonialiter copulari . Respondimus , quod , si talis velit contrahere , sibi non possit , vel debeat derogari : cum , quod verbis non potest , signis valeat declarare .* Hæc ibi . Unde attere potest , quod ultra consensum requiruntur verba , sive aliquid verbis æquivalens . Tertio habes : quomodo per rationem prædita Patrum , pro quanto verba esse necessaria pro consensu exprimendo ad matrimonium assumant , & intelligas , & probes , & defensas . Quarto vides : quomodo &c.

ARTICULUS III. 186

Utrum Consensus expressus per verba de futuro faciat Matrimonium.

AD tertium sic proceditur . Videtur quod consensus expressus per verba de futuro matrimonium faciat . Quia sicut se habet præsens ad præsens , ita futurum ad futurum . Sed consensus per verba de presenti expressus facit matrimonium in presenti . Ergo consensus expressus per verba de futuro facit matrimonium in futuro .

2. Præterea . Sicut in matrimonio fit quædam obligatio per verba exprimentia consensum , ita & in aliis civilibus contractibus . Sed in aliis contractibus non differt , utrum per verba de presenti , vel de futuro obligatio fiat . Ergo nec in matrimonio differt .

3. Præterea . Per votum religionis homo contrahit matrimonium spirituale cum Deo . Sed votum religionis fit per verba de futuro ,

& obligat . Ergo & similiter potest fieri matrimonium carnale per verba de futuro .

Sed contra est quod ille qui consentit in aliquam per verba de futuro , & postea cum alia per verba de presenti , secundum jura debet habere secundam pro uxore (*C. Sicut ex litteris* , de sponsalib. & mattim.) Sed hoc non esset , si consensus per verba de futuro faceret matrimonium : quia ex quo verum est matrimonium cum una , ea vivente non potest contrahi cum alia . Ergo consensus per verba de futuro non facit matrimonium .

Præterea . Qui promittit aliquid se facturum , nondum facit illud . Sed qui consentit per verba de futuro , promittit se cum aliqua contracturum matrimonium . Ergo non contrahit adhuc cum illa .

Respondedo dicendum , quod causæ sacramentales significando efficiunt : unde hoc efficiunt quod significant . Quia ergo cum aliquis consensum suum per verba de futuro exprimit , non significat se facere matrimonium , sed promittit se facturum ; ideo talis expressio consensus non facit matrimonium , sed sponsonem ejus , quæ sponsalia nominatur .

Ad primum ergo dicendum , quod cum consensus exprimitur per verba de presenti , & verba sunt præsentia , & in præsens consentitur pro eodem tempore : sed quando consensus fit per verba de futuro , verba sunt præsentia , sed consentitur in futurum , & ideo non pro eodem tempore . Et propter hoc non est simile .

Ad secundum dicendum , quod etiam in aliis contractibus , qui verbis futuris utitur , non transfert potestatem rei suæ in alterum ; ut si dicat , *Dabo tibi* ; sed solum quando verbis præsentibus utitur .

Ad tertium dicendum , quod in voto promissionis actus spiritualis matrimonii per verba de futuro exprimitur , scilicet obedientia , vel observantia regulæ , & non ipsum matrimonium spirituale . Si autem spirituale matrimonium in futurum voleatur , non est matrimonium spirituale , quia nondum ex hoc aliquis est monachus , sed se futurum monachum pollicetur .

APPENDIX.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas, merito insinuarum fuisse a summis Pontificibus, quod verba de futuro exprimentia consensum non faciunt matrimonium : sed tantum verba de presenti . Insinuarum autem est hoc a Gregorio IX. de sponsalibus, & matrimonio . „ Si inter virum, „ & mulierem legitimus consensus interveniat de presenti, ita, quod unus alterum „ mutuo consensu verbis expresso recipiat, „ five sit juramentum interpositum, five non : non licet alteri ad alia vota transire . „ Quod si fecerit, secundum matrimonium de facto contractum, etiam si sit carnalis copula subsequuta, separari debet, & primum „ in sua firmitate manere. Verum, si inter „ ipsos accessit tantummodo promissio de futuro, idest : ego te recipiam in meam, „ & ego te in meum, sive similia verba : „ si alius mulierem illam per verba de presenti desponsaverit, etiam si inter ipsam, „ & primum intervenierit juramentum de futuro, secundum matrimonium non poterit „ separari, sed eis est de violatione fidei „ pœnitentia injungenda . Hæc ibi . Ecce, quod consensus expressus per verba de futuro non faciunt matrimonium, sed tantum sponsalia, secundum Papam . Alioquin tales consensum sic exprimentes non separarentur per sequeas matrimonium . Faciunt etiam antedicta Pontificis verba pro appendice articuli præcedentis . Item ibidem ab eod. *Adolescens, qui desponsatam sibi per verba de futuro (licet sape nisus fuerit) carnaliter non cognoscens, cum alia postmodum per verba de presenti contraxit : non primam, eum qua non fuit verum matrimonium, sed secundam debet habere uxorem.* Hæc ibi . Item ab Innoc. III. in *tit. eodem, cap. Sicut ex litteris.* Ibi enim dicit idipsum, quod Gregorius . Item a Papa Urbano ad Eberardum Paduanum . „ Si primus vir, & mulier pari consensu de presenti sese receperint, ipsa debet primo restitui, cum nec potuerit, nec debuerit, „ post talem consensum alii nubere . Si vero „ consensus talis inter eos non intercesserit

„ sub illis verbis, quæ diximus, nec carnalis copula : secundo viro, qui eam potest, itea traduxit, atque cognovit, mulier ipsa „ debet relinqui . Hæc ille, par. 6. cap. 22. post Concilium Lateran. sub Alexandro III. Faciant etiam hæc, pro verbis necessario exprimentendis, ad art. 2. append. Secundo habes : quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto verba de futuro insinuant, non faciunt matrimonium, & intelligas, & probes, & defendas . Tercio vides : quomodo &c.

ARTICULUS IV. 187

Utrum Consensus etiam per verba de presenti expressus, si desit interior consensus, faciat Matrimonium .

AD quartum sic proceditur . Videtur quod consensus etiam per verba de presenti expressus, si desit interior consensus, faciat matrimonium . Quia *fraus, & dolus nemini patrocinari debent*, secundum jura (cap. *Et tenore*, de rescriptis, & cap. *Si vir de cognat. spirituali.*) (1) Sed ille qui verbis exprimit consensum, quem in corde non habet, dolum committit . Ergo non debet sibi patrocinari, ut ab obligatione matrimonii liber reddatur .

2. Præterea . Consensus mentalis alterius non potest esse alicui notus, nisi quatenus per verba exprimitur . Si ergo expressio verborum non sufficit, sed consensus interius requiritur in utroque conjugum, tunc neuter poterit scire de altero, an sit ei verus conjugus ; & ita erit fornicator, quandocumque matrimonio utetur .

3. Præterea . Si aliquis probatur per verba de presenti in aliquam consensisse, cogitur per excommunicationis sententiam eam habeat in uxorem, quamvis dicat consensum mentalem desuisse, etiam si potest alia contraxerit consensu mentali verbis expresso . Sed hoc non esset, si requiretetur consensus mentalis ad matrimonium . Ergo non requiritur .

Sed contra est quod Innocentius III. dicit in *Decret. quadam* (cap. *Tua nos*, de sponsalib. & matrim.) in casu isto loquens :

Sic

(1) Sic enim Alexander 3. *Extra de cognitione spirituali* cap. *Si vir*, occasione viri & mulieris qui simul ambo filium suum de sacro fonte susceperant, & propterea dubium erat an ab invicem separari deberent vel non, Archiepiscopo Salernitano scribit :

Si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur : Sed si ex malicia eis sua fraus non debet patrocinari & dolus . Generalius autem Innocentius 3. Extra de rescriptis cap. Ex more, sicut hic .

Sine consensu nequeunt cetera factus perficere conjugale. (1)

Præterea. Intentio requiritur in omnibus sacramentis. Sed ille qui corde non consentit, non habet intentionem matrimonii contrahendi. Ergo non fit matrimonium.

Respondeo dicendum, quod sicut se habet blutio exterior ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum, ut lectum est (art. 2. hu. quæst.) Unde sicut i aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere sacramentum, sed lulum, & dolum facere, non esset baptizatus; ita expressio verborum sine interiori consensu matrimonium non facit.

Ad primum ergo dicendum, quod ibi sunt duo, scilicet defectus consensus, qui sibi parocinatur in foro conscientiæ, ut non astringatur vinculo matrimonii, quamvis non in foro Ecclesiæ, in quo iudicatur secundum allegata; & dolus verborum: & hic non parocinatur nec in foro conscientiæ, nec in foro Ecclesiæ, quia in utroque pro hoc puniur.

Ad secundum dicendum; quod si desit consensus mentalis ex parte unius ex neutra arte est matrimonium; quia matrimonium consistit in mutua conjunctione, ut dictum est (quæst. præc. art. 1.) Tamen probabiliter potest credi dolus non esse, nisi signa videtia doli appareant: quia de quolibet presumendum est bonum, nisi probetur contrarium (2) unde ille ex cuius parte dolus non est, a peccato excusatur per ignorantiam.

Ad tertium dicendum, quod in tali casu Ecclesia compellit eum ad standum cum prima uxore: quia secundum eam iudicat quæbris apparent; nec decipitur in iustitia, si ve ure, quamvis decipiatur in facto. Sed ille debet potius excommunicationem sustinere quam ad primam uxorem accedat; vel de-

Summ. S. Tb. Tom. XIII.

bet in alias regiones remotius fugere.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum ab Innocentio III. de sponsalib. & matrimo. cap. Tua nos, &c. „ Cum quendam mulierem, „ quidam aliter inducere nequivisset, ut sibi „ commiseretur carnaliter, nisi desponsasset eandem, nulla solemnitate adhibita, „ vel alicujus præsentia dixit illi: te Joannes desponsat, cum ipse Joannes non vocaretur, sed finxit, se vocari Joannem, „ non credens esse conjugium, eo, quod ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet propositum contrahendi, sed copulam tantum exequendi carnalem. Utrum inter prædictos sit matrimonium celebratum, cum mulier consenserit in eundem, & ille dissenserit, & dissentiat. Dicimus, quod si ille eam non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, non debet ex illo facto conjugium iudicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium, valeat inveniri; quoniam niam ex altera parte dolus solummodo affuit, & defuit omnino consensus, sine quo cætera nequeunt factus perficere conjugale „ . Hæc ibi. Item a Concil. Florent. &c. ut art. 1. append. de consensu. Item a Concilio Tridentino, &c. ut ibi, & sess. 7. de sacram. can. 11. *Si quis dixerit: in ministris, dum sacramenta conficiunt, & consecrunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Hæc ibi. Dig tu etiam, a simili, tale quid circa requisitionem intentionis recipientium, ut patet per eundem Innocentium, quando loquitur de adultis in de baptis. & ejus effect. cap. Majoris. Secundo habes: quomodo per

B b b ratio-

(1) Nempe *Tua nos* Extra de sponsalibus & matrimonio ad Episcopum Brixientem de quodam qui nontito nomine se aliquam ducere in uxorem simulaverat, nec in matrimonium consensisse presumebatur: dicimus (inquit) quod si res ita se habuerit videlicet quod eam ille non proposuit ducere in uxorem, nec unquam consensit in prædictam personam, conjugium ex illo facto non debet iudicari, cum in eo nec substantia conjugalis contractus, nec forma valeat inveniri; quoniam ex altera parte dolus solummodo affuit & defuit omnino consensus sine quo cætera nequeunt factus perficere conjugale.

(2) Ut videtur est Extra de presumptionibus cap.

dudum ex Innocentio 3. ad Archidiaconum (vel Archiepiscopum) & Præpositum Mediolanensem referente quod non obstante clausula illa quam scriptis suo inseruerat, persona fuerit idonea, cum de beneficio scholari cuidam conferendo provisoria literas exhiberet, nulla proinde necessitas ei probandi se idoneum imponatur, cum prima facie presumeretur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur. Appendix autem sequens in responsione ad 3. insinuat Extra de sponsalibus & matrimonio cap. Ex parte quod est Alexandriæ. & ex cap. licet Extra de sponsa duorum quod ejusdem etiam receptum est.

rationem prædicta Patrum, pro quanto consensus exterioriorem sine interiori insinuant non facere matrimonium, & intelligas, & probes, & tuearis. *Tertio* vides: quomodo, &c.

ARTICULUS V. 183

Utrum consensus in occulto factus per verba de præsentis faciat Matrimonium.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod consensus in occulto factus per verba de præsentis non faciat matrimonium. Res enim in potestate alterius existens non transfertur in potestatem alterius, nisi consentiente illo in cuius potestate erat. Sed puella erat in potestate patris. Ergo non potest per matrimonium transire in potestatem viri, nisi patre consentiente: & ita si fiat in occulto consensus, etiam per verba de præsentis expressus, non erit matrimonium.

2. Præterea. Sicut in matrimonio actus noster est quasi de essentia sacramenti, ita etiam in penitentia. Sed sacramentum penitentiae non perficitur nisi mediantibus Ecclesiae ministris, qui sunt sacramentorum dispensatores. Ergo nec matrimonium perfici potest in occulto absque sacerdotali benedictione.

3. Præterea. Baptismus, quia potest in occulto, & aperto fieri, non prohibetur ab Ecclesia fieri in occulto. Sed Ecclesia prohibet clandestina fieri matrimonia (cap. *Cum inhibitis* de clandest. despons.) Ergo non possunt fieri in occulto.

4. Præterea. Inter eos qui in secundo gradu sibi attinent, matrimonium contrahi non potest, quia Ecclesia prohibuit. Sed similiter Ecclesia prohibuit clandestina matrimonia.

(1) Ergo non possunt esse vera matrimonia. Sed contra. Posita causa, ponitur effectus. Sed causa sufficiens matrimonii est consensus per verba de præsentis expressus. Ergo si fiat in publico, siue in occulto, matrimonium sequitur.

Præterea. Ubiunque est debita materia & debita forma sacramenti, ibi est sacramentum. Sed in occulto matrimonio servatur debita materia, quia ibi sunt legitime personæ ad contrahendum; & debita forma, quia ibi sunt verba de præsentis consensus exprimentia. Ergo est ibi verum matrimonium.

Respondeo dicendum, quod sicut in aliis sacramentis quædam sunt de essentia sacramenti, quibus omisissis non est sacramentum, quædam autem ad solemnitatem sacramenti pertinent, quibus omisissis verum nihilominus perficitur sacramentum, quamvis peccet qui omittit: ita etiam consensus expressus per verba de præsentis, inter personas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit: quia hæc duo sunt de essentia sacramenti: alia autem omnia sunt de solemnitate sacramenti: quia ad hoc adhibentur, ut matrimonium convenientius fiat. Unde si omitantur, verum est matrimonium; (2) quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur.

Ad primum ergo dicendum, quod puella non est in potestate patris quasi ancilla, ut sui corporis potestatem non habeat, sed quasi filia ad educandum: & ideo secundum hoc quod libera est, potest se in potestatem alterius absque consensu patris dare; sicut etiam potest aliquis, vel aliqua intrare religionem absque consensu parentum, cum sit persona libera.

Ad

(1) Sic enim in Decretis *Causa 30. qu. 5. cap. Aliter* ex Evaristo, *cap. Nullus*, ex Hormisdæ, *capite Sponsus* ex Concilio Chartaginensi 4. ca. *Nullus* ex Concilio Arelatensi: Sed expressus *Extra de clandestina desponsatione cap. Cum inhibitis*, ubi cum Concilio generali sic loquitur Innocentius 3. *Prohibitorum nostrorum vestigiis inherendo clandestina conjugia penitus inhibemus prohibentes etiam ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat, &c.* Et paulo infra: *Si quis vero huiusmodi clandestina conjugia inire presumpserit, soboles ex tali conjunctione susceptæ, prorsus illegitima constentur.*

(2) Bene quidem tunc ita scribere S. Thomas potuit, cum hæc matrimonia clam contracta pro illicitis quidem, sed non pro invalidis haberentur, quia quod secundum se illicitum est, potest in casu pro-

pter aliquam causam necessariam excusari: Nunc autem postquam per Concilium Tridentinum non illicita tantum sed invalida declarata sunt; longe aliter dicendum est: Sic enim *Sess. 24. in Decreto de reformatione matrimonii: Tametsi ducendum non est clandestina matrimonia ex libero contrahentium consensu facta, vasa & vera esse matrimonia: quoadmodum Ecclesia ea irrita non facit, &c. Nihilominus sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper desolata est atque prohibuit. &c. Peram vum sancta Synodus animadvertens prohibitionem illam propter hominum inobedientiam non prodesse, & gratia peccata perpendas qua ex eisdem clandestinis conjugis ortum habens, &c. idcirco huiusmodi contrahens irritos & nullos esse decernit, prout eorum patris decretis irritas facit & annullat.*

Ad secundum dicendum, quod actus noster in penitentia, quamvis sit de essentia sacramenti, non tamen est sufficiens ad inducendum proximum effectum sacramenti, scilicet abolutionem a peccatis: & ideo oportet quod ad perfectionem sacramenti interveniat actus sacerdotis. Sed in matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio: quia quicumque est sui juris, potest se alteri obligare: & ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio, quasi de essentia sacramenti.

Ad tertium dicendum, quod etiam prohibitum est ne baptismum aliquis accipiat, præterquam a sacerdote, nisi in articulo necessitatis. Matrimonium autem non est sacramentum necessitatis. Et ideo non est similis ratio. Prohibentur autem clandestina matrimonia propter pericula quæ inde evenire solent: quia frequenter in talibus est aliqua fraus ex altera parte: frequenter etiam ad alia conjugia transeunt, dum penitent de his quæ subito facta sunt: & multa alia mala inde accidunt: & speciem turpitudinis præter hoc habent.

Ad quartum dicendum, quod non sunt prohibita clandestina matrimonia, quasi contra essentialia matrimonii existentia; sicut sunt prohibita matrimonia illegitimarum personarum, quæ sunt materia indebita huic sacramento. Et ideo non est simile. (*)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas errorem aliquorum, ut ex Concil. Trid. patebit, dicentium, quod matrimonia in occulto facta non sunt valida. Intellige semper; antequam illegitimum personæ ab Ecclesia. Putabant siquidem illi errantes, ut credi potest probabiliter, quod consensus fieri in manifesto, esset de necessario requisitis ad matrimonium, quod tamen est falsum, juxta Concil. etiam Florent. & in decret. de sacram. dicens, quod sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, materia, forma, & persona ad sacramentum concurrente, & vestita intentione Ecclesiæ. De hac intentione Ecclesiæ vide qu. 48. art. 2. ad 3. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, errorem prædictum merito damnari ab Alexand. III. de sponsal. & matri-

mon. cap. Ex parte, &c. „ And. juramentum præstitit, quod C. mulierem ab eo tempore pro conjuge teneret, & ei sicut uxori suæ fidem servaret. Ipsa quoque eidem And. juravit, se illum pro marito habituram, & fidem ei tanquam proprio viro servaturam. Quo facto prænominatus And. reliquit eandem. Mandamus quatenus eundem And. ut (superinducta dimissa) ad uxorem suam redeat, & eam maritali affectione pertractet, monitione præmissa per ecclesiasticam censuram cogatis „ . Hæc ibi; ubi nota ly *superinducta dimissa*, quod iste And. aliam in aperto uxorem superinduxerat, quasi quod consensus in occulto cum prima non causasset verum matrimonium, cujus contrarium ostendit Pontifex. Item a 32. qu. 1. dixit: *de divor. cap. Ex litteris*. Item a Concil. Trident. sess. 24. c. 1. de reform. „ Tamen si dubitandum non est: clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde jure dampnandi sunt illi, ut eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant: nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit „ . Hæc ibi. *Et ad plerumque tollenda incommoda hujusmodi clandestinorum matrimoniorum subdit*: „ Cum sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non proficere, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiiis ortum habent: præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt: præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahant, &c. Qui aliter, quam præsentis parochi, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabant, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsentis decreto irritos facit, & annullat „ . Hæc ibi. Tertio habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto consensum in occulto

Bbb 2

(*) Vide Concilium Tridentinum sess. xxiv. in decret. de reformatione matrimonii.

occulto factum per verba de præfenti dicunt facere matrimonium, & intelligas, & probes, & defendas. Quarto vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O XLVI.

*De Consensu cui advenit juramentum,
vel copula carnalis,*

In duos articulos divisa.

DEinde considerandum est de consensu cui advenit juramentum, vel copula carnalis. Circa quod queruntur duo.

Primo, utrum juramentum adjunctum consensui per verba de futuro expresso faciat matrimonium.

Secundo, utrum copula carnalis eidem consensui adveniens faciat matrimonium.

A R T I C U L U S I. 189

*Utrum juramentum adjunctum consensui per
verba de futuro expresso faciat
Matrimonium.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod juramentum adjunctum consensui per verba de futuro expresso faciat matrimonium. Nullus enim potest se obligare ut faciat contra jus divinum. Sed implere juramentum est de jure divino, ut patet Matth. v. 33. (1) *Reddes autem Domino juramenta tua.* Ergo per nullam obligationem sequentem potest evenire quod homo non debeat implere juramentum prius factum. Si ergo post consensum in aliquam per verba de futuro juramentum firmatum aliquis alteri se obligat per ver-

ba de præfenti, videtur quod nihilominus debeat juramentum primum servare. Sed hoc non esset, nisi illo juramento esset matrimonium illud perfectum. Ergo juramentum adjunctum consensui per verba de futuro facit matrimonium.

2. Præterea. Veritas divina fortior est quam veritas humana. Sed per juramentum veritate divina firmatur aliquid. Cum ergo verba exprimentia consensum de præfenti, in quibus est sola veritas humana, matrimonium perficiant; videtur quod multo amplius id efficere possint verba de futuro juramento firmata.

3. Præterea. Secundum Apostolum ad Heb. vi. 16. *Omnis controversiæ finis ad confirmationem est juramentum.* Ergo in judicio saltem plus standum est juramento quam simplici verbo. Si ergo aliquis simplici verbo consentiat in aliquam per verba de præfenti, postquam consenserit in aliam cum juramento per verba de futuro, videtur quod iudicio Ecclesiæ debeat compelli stare cum prima, & non cum secunda.

4. Præterea. Verba de futuro simpliciter prolata faciunt sponsalia. Sed juramentum ibi aliquid operatur. Ergo facit plus quam sponsalia. Sed ultra sponsalia non est nisi matrimonium. Ergo facit matrimonium.

Sed contra. Quod futurum est, non est. Sed juramentum additum non facit quin verba de futuro significant consensum de futuro. Ergo adhuc matrimonium non est.

Præterea. Postquam perfectum est matrimonium, non oportet quod alius consensus interveniat ad matrimonium. Sed post juramentum advenit alius consensus, qui matrimonium facit: alias frustra juraretur illud esse futurum. Ergo non facit matrimonium.

Re-

(1) Ubi tanquam veteris legis institutum refertur ex persona loquentis Christi vers. 33. *Audistis, (inquit) quia dictum est antiquis, Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua: Quod Levit. 19. vers. 12. quantum ad primam partem exprimitur. Non perjurabis (inquit) in nomine meo; sed in his ipsiis verbis pars posterior æquivalenter & impletè continetur, quia Domino juramenta non reddit qui perjurat in eius nomine, id est qui iurat se aliquid facturum, & non facit: Unde Canone 4. in Matth. sic Hilarius; *Lex pœnam perjurio pœnit, ut mentium fraudulentiam sacramenti religio contineret (seu cohiberet a fallendo)* Et Chryostomus homilia 17. in Matth. *Quid est, Reddes Domino; juramenta? Hoc est, verum loqueris: Quamvis aliter Hieronymus reddere Domino juramenta explicat, non**

jurare sicut Gentiles per idola, sed per solius Dei nomen: *Qui juras (inquit) aut veneratur aut diligis cum per quem juras: In lege præceptum est ut non juramus, nisi per Dominum Deum nostrum: Judæi per angelos & urbem Hierusalem & templum & elementa jurantes, creaturas resque carnales venerantur honore & obsequio Dei: Denique confidens quod hic Salvator non per Deum jurare prohibuerit, &c. Et hoc quasi parvulis fuerat lege concessum, ut quomodo victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent, sic & jurare permitterentur in Deum: non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo id exhibere quam demonibus. Plenior autem prior sententia videtur, quam postmodum loquitur S. Thomas, & in responsione præsupponit.*

Respondeo dicendum, quod juramentum adhibetur ad confirmationem dictorum: unde illud tantum confirmat quod in dictis significatur, nec significatum mutat. Et ideo cum verba de futuro ex ipsa sua significatione habeant quod matrimonium non faciant, quia quod futurum promittitur, nondum fit, etiam si juramentum adveniat, nondum est matrimonium factum, sicut Magister in littera dicit (IV. dist. xxviii.)

Ad primum ergo dicendum, quod implere juramentum licitum est de jure divino, non autem implere juramentum illicitum. Unde si aliqua obligatio sequens juramentum faciat illud illicitum, cum prius fuisset licitum, non derogat juri divino qui juramentum prius factum non servat. Et ita est in proposito: illicite enim jurat qui illicite promittit: promissio autem de alieno est illicita. Unde consensus sequens per verba de presenti, quo quis transfert dominium sui corporis in aliam, facit præcedens juramentum esse illicitum, quod prius licitum erat.

Ad secundum dicendum, quod veritas divina efficacissima est ad firmandum illud cui adhibetur.

Unde patet solutio ad tertium.

Ad quartum dicendum, quod juramentum aliquid operatur, non novam obligationem faciens, sed factam confirmans: & sic gravius peccat qui eam violat.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas; recte insinuatum fuisse a summis Pontificibus, quod sponsalia de futuro, ro jurata non faciunt matrimonium. Insinuatum autem est hoc a Papa Lucio III. ad Episcopum Rappatensem. *Requisivit a nobis tua fraternitas: qua censura debeat compelli mulier, qua nubere renuit, cui se nupturam interposito juramento firmavit. Ad quod respondemus, quod, cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda.* Hæc ille, de sponsal. & matrimo. Nota ly potius, quam cogenda: quoniam per hoc ostendit, quod supra diximus. Nam, si juramentum tunc causaret matrimonium, non

tantum cogenda esset qualitercumque, sed etiam ecclesiastica censura, ut patet ibi a simili per *Alexand. III. cap. Ad audiendum, & cap. Ex parte.* Item ab *Innocentio III. ibid.* sicut ex litteris, &c. *Respondemus, quod, si tibi constiterit, quod idem Laurentius P. per verba de futuro, E. vero desponsaverit per verba de presenti, imposita ei penitentia competenti, quia primam fidem irritam fecit, matrimonium secundo contractum legitimum iudices, & ad illud servandum compellas eundem.* Hæc ibi. Ubi præmiserat *Innocen.* quod in desponsatione prima, scilicet P. mulieris intervenerat juramentum firmans sponsalia. Secundo habes: quomodo per rationem præmissa Pontificum, pro quanto juramentum dicant non facere, quod sponsalia de futuro faciant matrimonium, & intelligas, & probes, & tueris. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 190

Utrum carnalis copula post verba de futuro consensus exprimentia faciat Matrimonium.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod carnalis copula post verba de futuro consensus exprimentia faciat matrimonium. Quia majus est consentire facto quam verbo. Sed ille qui carnaliter commiscetur, facto consentit promissioni quam prius fecit. Ergo videtur quod magno magis per hoc fiat matrimonium, quam si solis verbis de presenti consensus fieret.

2. Præterea. Consensus non solum expressus, sed etiam interpretativus facit matrimonium. Sed nulla potest esse major interpretatio consensus quam carnalis copula. Ergo perficitur matrimonium per hoc.

3. Præterea. Omnis conjunctio carnalis præter matrimonium facta est peccatum. Sed mulier non videtur peccare admittendo sponsum ad carnalem copulam. Ergo per hoc fit matrimonium.

4. Præterea. Non dimittitur peccatum, nisi restituatur oblatum. (1) Sed aliquis non potest mulieri quam defloravit sub specie ma-

(1) Ex August. epist. 54. sic ad Macedonium rescribente: *Si veraciter agitur penitentia, non remittitur peccatum, nisi, &c. Ut & refertur in Decretis caus. 14. quest. 6. cap. Si res:* Inde quarta Regula Juris lib. 6. Decretal. posterius edita, ut notatur in Sententijs: Quod autem argum. Sed contra ex Nicolao Papa subjungitur, est Nicolai Pape primi cap.

sufficiat ex ejus ad Consulta Bulgarorum responsione 3. in Decretis causa 17. quest. 2. ubi paulo plinius ait: *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur: Qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, tunc omnia ut in textu.*

trimonii, restituere ablatam, nisi eam conjugio ducat. Ergo videtur quod si etiam post carnalem copulam cum alia contraxerit per verba de presenti, teneatur ad primam redire, quod non esset, nisi inter eos esset matrimonium. Ergo carnalis copula post consensum de futuro facit matrimonium.

Sed contra est quod dicit Nicolaus I. Papa (cu resp. ad consul. Burgar. cap. 111. & hab. cap. Tuas dudum, de clandest. despons.) *Si consensus in nuptiis desierit, cetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.*

Præterea. Quod sequitur ad aliquid, non facit ipsum. Sed carnalis copula sequitur ipsum matrimonium, sicut effectus causam. Ergo non potest facere matrimonium.

Respondeo dicendum, quod de matrimonio possumus loqui dupliciter. Uno modo quantum ad forum conscientie: & sic in rei veritate carnalis copula non habet quod perfectat matrimonium, cujus sponsalia præcesserunt per verba de futuro, si consensus interior desit, quia verba etiam de presenti consensum exprimentia, si consensus mentalis deesse, non faciunt matrimonium, ut supra dictum est (quæst. præc. art. 4.) Alio modo quantum ad iudicium Ecclesie: & quia in exteriori iudicio secundum ea quæ foris patent iudicatur, cum nihil possit expressus significare consensum quam carnalis copula; ideo secundum iudicium Ecclesie carnalis copula consequens sponsalia matrimonium facere iudicatur; (1) nisi aliqua signa expressa deli, vel fraudis appareant. (Extra de sponsalib. & matrim. cap. *Is qui fidem*, ex Gregorio IX. & cap. *Tua nos* ex Innocentio III.)

Ad primum ergo dicendum, quod ille qui carnaliter commiscetur, facto consentit in

carnalem copulam secundum rei veritatem; sed in matrimonium non consentit ex hoc ipso, nisi secundum interpretationem juris.

Ad secundum dicendum, quod interpretatio illa non mutat rei veritatem, sed iudicium quod de rebus exterius fit.

Ad tertium dicendum, quod si sponsa sponsum admittat, credens eum velle matrimonium consummare, excusatur a peccato, nisi aliqua signa expressa fraudis appareant; sicut si sint multum distantis conditionis, vel quantum ad nobilitatem, vel quantum ad fortunam, vel aliud signum evidens appareat. Sed tamen sponsus peccat fornicando, & puniendus est de fraude quam facit.

Ad quartum dicendum, quod in tali casu sponsus, antequam aliam duxerit, teneatur eam ducere in uxorem, si sint æqualis conditionis, vel si sponsa sit melioris conditionis. Sed si aliam duxerit, iam factus est impotens ad solvendum illud ad quod tenebatur: & ideo sufficit, si ei de nuptiis provideat. Et ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, si sponsus sit multo melioris conditionis, aut aliquod signum fraudis evidens fuerit: quia presumi probabiliter potest quod sponsa non fuerit decepta, sed decipi se finxerit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a Pontificibus, & quod carnalis copula subsequens sponsalia facit matrimonium, & quod non facit. A Gregorio enim IX. in de sponsal. & matrim. dicitur: „Is, qui fidem dedit „M. mulieri super matrimonio contrahendo, „carnali copula subsecuta: etsi in si-
„cie

(1) Ut ex cap. *Is qui fidem* quod Gregorii non restrictum est ad Episcopum Cenomanensem Extra de sponsalib. & matrimonio quantum ad primam partem colligi potest, ubi dicitur quod *is qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, cœnubi copula subsequens, nisi in facie Ecclesia deus sciam & cognoscit, ad primam redire tenetur, quia licet presumpsum primum matrimonium videatur, contra presumptionem tamen huiusmodi non est propositio admittenda: Ex quo sequitur quod nec verum nec aliquod censetur matrimonium quod de facto postmodum est sequutum. Quoad secundam vero partem que præcedenti exceptionem superaddit, colligi potest ex cap. *Tua nos* quod est Innocentii 3. ad Episcopum Brixientem, ubi dicitur quod cum quondam mulierem quidam aliter inducere nequissimè ut sibi commisceretur carnaliter nisi eandem desponsasset,*

nulla solemnitate adhibita vel alicujus presentia dixit illi Te Ioannes desponsat, cum ipse Ioannes non vocaretur, sed finxit se vocari Ioannem, non credens hoc esse conjugium, eo quod ipse non vocaretur hoc nomine, nec haberet præsumptum contrahendi, sed copulam tantum quædam carnalem: Inde a Papa quaeritum est, anrum inter predictos sit matrimonium celebratum cum mulier consentiente in eandem & ille dissenserit ac dissentiat, nec aliud quidquam agerit quam superius est expressum, nisi quod cognoverit eandem. Papa vero respondet quod etsi videatur pro conjugio presumendum, eo quod presatus vir predictam mulierem desponsaverit propria persona, & inter eos sit carnalis copula subsequens, quoniam tamen ex altera parte delus tantum adfuit, & desinit appropinquare consensus, conjugium non debet iudicari.

„ vie Ecclesiæ ducat aliam , & cognoscat ,
 „ ad primam redire tenetur ; quia nec ve-
 „ rum , nec aliquod censetur matrimonium ,
 „ quod de facto est postmodum subsequen-
 „ tum „ . Hæc ibi . A Nicolao autem insinuatam , &c. ut in *arg.* 1. facto in contra-
 rium ; vide 27. qu. 2. cap. *Sufficit* . Secundo habes : quomodo per rationem prædicta Pontificum , pro quanto sponsalia transire , & non transire in matrimonium sentiunt per carnalem copulam subsequutam , & intelligas , & probes , & defendas . Tertio vides : quomodo , &c.

Ergo non potest esse coactus .

2. Præterea . Violentum idem est quod coactum . Sed *coactum* secundum Philosophum (Lib. III. Ethic. cap. 1.) est *cujus principium est extra , non consentaneum viro passo* . Sed omnis consensus principium est intra . Ergo nullus consensus potest esse coactus .

3. Præterea . Omne peccatum consensus perficitur . Sed illud quod perficitur peccatum cogi non potest : quia secundum Augustinum (Lbi. III. de lib. arb. cap. xviii. a princ.) *nullus peccat in eo quod visum non potest* . Cum ergo vis a iustis (l. 1. ff. de eo quod metus &c.) definiatur esse *majoris vii impetus , qui repelli non potest ; videtur quod consensus non possit esse coactus , vel violentus* .

4. Præterea . Dominium libertati opponitur . Sed coactio ad dominium pertinet ; ut patet in quadam Tullii (1) definitione : dicit enim , *Vis est impetus dominantis rei ; id est intra terminos alienos* . Ergo vis in libertatem arbitrium non eadit , & ita nec in consensusum , qui est actus ejus .

Sed contra . Illud quod esse non potest , non potest aliquid impedire . Sed coactio consensus impedit matrimonium , ut in *Itera* dicitur (IV. dist. xxx.) Ergo consensus cogi potest .

Præterea . In matrimonio est quidam contractus . Sed in contractibus potest esse voluntas coacta : unde legislator in integrum restitutionem adjudicat , ratum non habens *quod vi , metusve causa factum est* . (Lib. I. ff. sup. cit.) Ergo etiam in matrimonium potest esse consensus coactus .

Respondeo dicendum , quod duplex est coactio , vel violentia . Una , quæ facit necessitatem absolutam : & tale violentum dicitur a Philosopho (loc. sup. cit.) *violentum simpliciter* ; ut cum quis aliquem corporaliter impellit ad motum . Alia , quæ facit necessitatem conditionatam : & hanc vocat Philosophus *violentum mixtum* ; sicut cum quis proicit merces in mare , ne periclitetur : & in isto violento quamvis hoc quod fit , non sit per se voluntarium ; tamen consideratis circumstantiis hic & nunc , voluntarium est .

Et

QUÆSTIO XLVII.

De Consensu coacto , & conditionato ,

In sex articulis divisa .

DEinde considerandum est de consensu coacto , & conditionato .

Circa quod quaeruntur sex .

Primo , utrum aliquis consensus possit esse coactus .

Secundo , utrum aliqua coactio metus cadat in constantem virum .

Tertio , utrum consensus coactus tollat matrimonium .

Quarto , utrum consensus coactus faciat matrimonium ex parte cogentis .

Quinto , utrum consensus conditionatus matrimonium faciat .

Sexto , utrum aliquis possit cogi a patre ad matrimonium contrahendum .

ARTICULUS I. 191

Utrum aliquis consensus possit esse coactus .

S. Thom. IV. dist. xxix. quæst. iii. art. 1. & sequens .

AD primum sic proceditur . Videtur quod nullus consensus possit esse coactus , coactio enim in liberum arbitrium cadere non potest secundum aliquem statum ejus , ut in II. Sent. dist. xxv. (quæst. i. art. 2.) dictum est . Sed consensus est actus liberi arbitrii .

(1) In Tullio seu Cicerone non occurrit , et si Albertus quoque Magnus ex illo citat in hunc locum , sed in Orat. pro Carcinna sic tantum ipse : *Vis est quæ periculo aut decedere nos aliunde cogit aut prohibet accedere* : Postquam præmisit paulo ante : *Non eo sola vis est quæ ad corpus nostrum vimque per-*

venit , sed etiam multo major ea quæ periculo mentis iniecto , formidine animum perterritum loco sepe & certo de statu demoveret . Illa porro definitio quæ præmittitur ex Juristis , habetur lib. 4. Digest. (ff.) tit. 2. *Quod metus causa gestum* , §. *Vis autem* VI & illa quæ infra ex eisdem refertur circa finem .

Et quia actus in particularibus sunt, ideo simpliciter voluntarium est, sed secundum quid involuntarium. Unde hæc violentia, vel coactio potest esse in consensu, qui est actus voluntatis, non autem prima. Et quia hæc coactio fit ex hoc quod timetur aliquod periculum imminens, ideo ista vis idem est quod metus, qui voluntatem cogit quodammodo; sed prima vis cadit in corporalibus actibus. Et quia legislator considerat non solum interiores actus, sed magis (1) exteriores, ideo per vim intelligit coactionem simpliciter: propter quod vim contra metum dividit. Sed nunc agitur de consensu interiori, in quem non cadit coactio, seu vis, quæ a metu distinguitur. Et ideo, quantum ad propositum pertinet, idem est coactio quod metus. Est autem metus secundum Jurisperitos, *instantis, vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* (loc. sup. cit.)

Et per hoc patet solutio ad objecta: nam primæ rationes procedunt de coactione prima, secundæ de secunda.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito a Scripturis insinuatam esse, quod consensus voluntatis potest esse coactus, quamvis sit, & remaneat liber. Insinuatam autem est hoc Gen. 2. *Quamcumque die comederis ex eo, morte morieris*; ecce, quod adstringitur voluntas hominis tunc liberi facti, & adstrictione quidem maxima per comminationem mortis, tum animæ, tum corporis. Quod autem liber factus esset homo, nemini dubium est. Monstratur ergo per hoc, quod adstrictio præceptorum, quibus videlicet adstringuntur subditorum voluntates ad faciendum, vel omittendum aliquid, non tollit libertatem hominis, & consequenter, quod nec consensum liberum. Coactionem vero, timorem, seu adstrictionem huiusmodi, non excludere consensus libertatem, idest non facere, quod consensus inde causatus non sit liber, confirmatur ex *Concil. Trid.* per hoc, quod declarat *sess. 4. cap. 4.* contritionem ex gehennæ, & pœnarum metu conceptam, esse liberam, & vo-

luntariam, non extortam, & coactam; & *con. 5.* anathematizat dicentes, illum dolorem esse inutilem, coactum, & non liberum, ac voluntarium, vide supra *qu. 1. art. 1. &c.* huiusmodi Concilii locum contra errores *Lutheri* adductum. Est enim error *Lutheri*, quod talis consensus sit non voluntarius, neque liber. Quem etiam *Philos.* damnat in corp. art. Item insinuatam Luc. 14. *Compello intrare.* Manifestum est enim, quod illi, qui intrabant, voluntarie intrabant (neminem enim Deus cogit ad iustitiam, secundum *Damas.* coactione scilicet pura) & consequenter, quod compulsio hæc erat mixta, non excludens voluntarium consensum. Item insinuatam ab Apostolo 1. Cor. 15. *Deinde tanquam abortivo, visus est mihi*, ubi secundum *D. Th.* sumitur *ly abortivo* non tantum pro fœtu, qui extra tempus nascitur, & qui ad mensuram aliorum non pervenit; sed etiam pro fœtu illo, qui cum violentia extrahitur. In cuius signum dicit *August.* volens ipsum Paulum tanquam abortivum ostendere; quod alii Apostoli voluntarie venerunt ad Christum, Paulus vero coactus. Intellige *ly voluntarie*, idest sine quacunque coactione timorosa, & *ly coactus*, idest coactione mixta. Quam coactionem expressit & ipse Christus Act. 9. dicens: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Per quod ostendit, ipsum Paulum esse abortivum, idest per violentiam quandam a se ex utero Synagogæ educum. Vide supra nunc *Concil. Trident.* Secundo habes, quomodo per rationem prædicta Scripturarum, pro quanto aliquem consensum voluntarium innuunt posse esse simul, atque coactum, & intelligas, & probes, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 193

Utrum aliqua coactio metus cadat in constantem virum.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod coactio metus non cadat in constantem virum. Quia de ratione constantis est quod non trepidet in periculis. Cum ergo metus sit trepidatio mentis ratione periculi immin-

(1) Sive *comparative* intelligatur illud *magis*, quia tamen actus exteriores tantum legislator directe consideret, quasi eorum tantum verus iudex, interiores tamen indirecte per coniecturam quandam considerare potest, ut in exteriores reflectuntur: Si-

ve *adversative* vel *exclusivæ*, ut sit sensus quod legislator non considerat actus ut sunt solum interiores, quia de illis iudicare non potest ut sic, sed considerat potius illos, ut sunt exteriores tantum, &c.

mentis, videtur quod non cogatur metu.

2. Præterea. *Omnium terribilium finis est mors*, (secundum Philoſophum in III. Eth. (cap. vi. a med.) quali perfectiſſimum inter terribilia. Sed conſtans non cogatur morte: quia fortis etiam pericula mortis ſuſtinet. Ergo nullus metus cadit in conſtantem virum.

3. Præterea. Inter alia pericula præcipue a bonis timetur periculum famæ. Sed timor infamæ non reputatur timor cadens in conſtantem virum: quia, ut dicit lex (Lib. VII. ff. de eo quod metus Cre.) *timor infamia non continetur illo edito: Quod metus causa factum est*. Ergo nec aliquis alius metus cadit in conſtantem virum.

4. Præterea. Metus in eo qui metu cogitur, peccatum relinquit: quia facit eum proſtitere quod non vult ſolvere; & ſic facit eum mentiri. Sed non eſt conſtantis aliquod peccatum etiam minimum pro aliquo timore facere. Ergo nullus metus cadit in conſtantem virum.

Sed contra. Abraham, & Isaac conſtantes fuerunt. Sed in eis accidit metus, quia ratione metus dixerunt, uxores ſuas ſibi eſſe ſorores. (1) Ergo metus poteſt cadere in conſtantem virum.

Præterea. Ubiſcunque eſt violentum mixtum, eſt aliquis metus cogens. Sed aliquis, quantumcunque conſtans, poteſt pari tale violentum: quia ſi ſit in mari, merces proiicit tempore naufragii. Ergo metus poteſt cadere in conſtantem virum.

Reſpondeo dicendum, quod cadere metum in aliquem, eſt cogi ipſum metu. Cogitur autem aliquis metu, quando aliquid facit quod alius non vellet, ad evitandum id quod timet. In hoc autem conſtans ab inſtantem diſtinguitur quantum ad duo. Primo quantum ad qualitatem periculi quod timetur:

Summ. S. T. b. Tom. XIII.

quia conſtans ſequitur rationem rectam, per quam ſcit quid pro quo dimittendum ſit, vel faciendum. Semper autem minus malum, vel majus bonum eligendum eſt. Et ideo conſtans ad minus malum ſuſtinendum cogitur metu majoris mali; non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum. Sed inſtantem cogitur ad majus malum propter metum minoris mali, ſcilicet ad peccatum propter metum corporalis pœnæ. Sed pertinax e contra non poteſt cogi etiam ad minus malum ſuſtinendum, vel faciendum, ut evitet majus malum. Unde conſtans eſt medius inter inſtantem, & pertinacem. Secundo differunt quantum ad æſtimationem periculi imminentis: quia conſtans non niſi ex forti æſtimatione, & probabili cogitur; ſed inſtantem ex levi. Proverb. XXVIII. *Fugis impius, nemine perſequentem*.

Ad primum ergo dicendum, quod conſtans, ſicut & de forti dicit Philoſophus (Lib. III. Ethic. cap. vi.) eſt intrepidus; non quod omnino non timeat, ſed quia non timet quæ non oportet, vel ubi, vel quando non oportet.

Ad ſecundum dicendum, quod peccata ſunt maxima malorum: & ideo ad hæc nullo modo poteſt homo conſtans cogi; immo magis debet homo mori quam talia ſuſtinere, ut etiam Philoſophus in III. Ethic. dicit (cap. vi. & ix.) Sed quædam damna corporalia ſunt minora quibusdam aliis: inter quæ ſunt præcipua quæ ad perſonam pertinent; ſicut mors, verbera, (2) dehoneſtatio per ſtuprum, & ſervitus. Et ideo ex iſtis conſtans cogitur ad alia damna corporalia ſuſtinenda. Et hæc continentur in hoc verſu:

Stupri, ſive ſtatus, verberis, atque necis.

Nec differt, utrum hæc pertineant ad perſonam propriam, vel uxoris, vel filiorum, vel aliorum huiusmodi.

Ccc

Ad

(1) Sic enim Genef. 12. verſ. 11. Abraham (ſive Abram: ut adhuc eo tempore vocabatur cum prope jam ingrederetur in Ægyptum, dixit uxori ſuæ, *Novi quod pulchra ſis mulier, & quod cum viderint 20 Ægyptii dilecti ſunt Uxor ipſius eſt, & interficiant me: Dic ergo, obſecro te, quod ſoror mea ſis, &c.* Et Genef. 20. verſ. 2. cum in Geraris eſſet peregrinus dixit de Sara uxore ſua *Soror mea eſt*, inquit ſiquæ verſ. 11. quidni uxorem non ſororem dixiſſet, ſic reſpondit: *Cogitavi tecum dicens: Perſevam non eſt timor Dei in loco iſto, & interficiens me propter uxorem meam, &c.* Similiter Isaac Genef. 26. verſu 7. in Geraris habitans cum interrogaretur a viris loci illius ſuper uxore ſua reſpondit, *Soror mea*

eſt: *Timueras enim conſiteri quod ſibi eſſet ſociata conjugio, repugnans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem: Subindeque ab Abimelech Rege qui jocantem cum illa videns uxorem eſſe iudicaverat non ſororem, interrogatus cur ſororem dixiſſet, verſ. 9. reſpondit: Timui ne moverer propter eam.*

(2) Interjiciunt Editiones quædam, & ipſa quidem Duaceniſis ac noviffimæ Pariſienſis, *item carceri*, conſtructione interrupta & parum apte ad metrum ſequens qui carceris omnino non meminit: Coloniaeſis vero & Antuerpienſis & præcedentes Pariſienſis & Gothica etiam ut hic per *ſtatus* nomen ſervitus indicatur.

Ad tertium dicendum, quod quamvis infamia sit majus damnum, tamen ei de facili occurrere potest. Et ideo non reputatur cadere in constantem virum metus infamiae, secundum jura.

Ad quartum dicendum, quod constans non cogitur ad mentiendum; quia tunc vult dare, sed tamen postea vult petere restitutionem, vel saltem judici denuntiare, si se promisit non petiturum restitutionem. Non potest autem promittere se non denuntiatum: quia cum hoc sit contra bonum justitiæ, ad hoc cogi non potest, ut scilicet contra justitiam faciat.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte insinuatam ab Innocentio III. quod aliquis metus cadit in constantem virum. Insinuatam autem est sic. *Cum dilectus filius, &c. Non obstant se violentia, qua proponebatur, illata, cum neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, & ideo non debuerat cadere in constantem, super restitutione posita silentium eis duximus sententialiter imponendum.* Hæc ille de his, quæ vi, metusve cau. si. Præsupponit ergo manifeste Innocentius; quod aliquis metus possit cadere in virum constantem, & exprimit metum mortis, & cruciatum corporis esse hujusmodi, ubi per metum mortis, etiam verbera intelligere possumus, sicut & per cruciatum corporis, stuprum, cum cruciatus honoris sit major. Id, quod expressit, ff. l. neque vimorem, in sit. eod. Idem insinuavit Innocent. ibi, *Ad audientiam nostram, &c. Si constiterit vobis, per talem metum fuisse coactum, qui posuerit, & debuerit cadere in virum constantem, præfatam ecclesiam ei restitui faciatis.* Hæc ille. Ad hunc locum facient & dicenda in append. art. seq. ubi de isto metu tractabitur. Secundo habes: quomodo per rationem prædicta, pro quanto metum aliquem innuunt cadere posse in virum constantem, & intelligas, &

probes, & tuearis. *Tertio vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S III. 193

Utrum consensus coactus tollat Matrimonium.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod consensus coactus non tollat matrimonium. Quia sicut ad matrimonium requiritur consensus, ita ad baptismum requiritur intentio. Sed coactus timore ad recipiendum baptismum recipit sacramentum. (1) Ergo coactus ad consentiendum aliquo timore, matrimonio obligatur.

2. Præterea: Violentum mixtum, secundum Philosophum (Lib. III. Ethic. cap. 1.) plus habet de voluntario quam de involuntario. Sed non potest aliter consensus esse coactus nisi per violentum mixtum. Ergo non omnino excluditur voluntarium. & ita adhuc est matrimonium.

3. Præterea: Ei qui consentit in matrimonium coactus, consulendum videtur quod in matrimonio illo steterit: quia speciem mali habet promittere, & non solvere, a quo Apostolus vult nos abstinere (I. Thessal. v.) Hoc autem non esset, si consensus coactus omnino matrimonium tolleretur. Ergo &c.

Sed contra est quod Decretalis (2) dicit (c. Cum locum, de sponsalib. & matrim.) *Cum consensus locum non habeat, ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est ut ubi assensus cujusquam requiritur, coactionis materia repellatur.* Sed in matrimonio requiritur communis consensus. Ergo &c.

Præterea: Matrimonium significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam, quæ sit secundum libertatem amoris: Ergo non potest fieri per consensum coactum.

Respondeo dicendum, quod vinculum matrimonii est perpetuum. Unde illud quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem, qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit: quia potest repeti restitutio in integrum. Et ideo hæc coactio metus quæ cadit in constantem virum,

(1) Ut suo loco notatum est, ac eorum exemplo confirmatum quos ad Baptismum Sisebutus rex flagellorum & exilii comminatione coegerat; sic enim in Decretis distinct. 45. cap. De Judeis ex Concil. Toletano 4. cap. 56. *Qui jam pridem ad Christianitatem coacti sunt venire, constat eos Sacramentis divinis sociatos, &c.*

(2) Nempte Alexandri 3. referentis ad Episcopum

Papientem Extra de sponsalibus & de matrimonio cap. *Oum locum*; ubi addit quoddam ad Minorem hic subsumptam & ad consequentiam inde illatam spectat: *Matrimonium autem solo consensu contrahitur, & ubi de ipso queritur, plena debet securitate ille gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicas sibi placere quod odit, & sequatur exitus qui de invidis solet nuptiis provenire.*

virum, tollit matrimonium, & non alia. Constans autem viri iudicatur virtuosus, qui est mensura in omnibus operibus humanis, ut Philosophus dicit in III. Eth. (cap. IV, id fi. (1)

Quidam autem dicunt, quod si adfit consensus, quamvis coactus, interior est matrimonium quantum ad Deum, sed non quantum ad statum Ecclesie, quae praesumit ibi non fuisse consensum interiorem propter metum. Sed hoc nihil est: quia Ecclesia non lebet praesumere de aliquo peccatum, quousque probetur. Peccavit autem, si dixit se consentire, & non consensit. Unde Ecclesia praesumit eum consensisse, sed iudicat consensum illum extortum non esse sufficientem ad faciendum matrimonium.

Ad primum ergo dicendum, quod intentio non est causa efficiens sacramenti in baptismo, sed solum eliciens actionem agentis; ad consensum est causa efficiens in matrimonio: & ideo non est simile.

Ad secundum dicendum, quod ad matrimonium non sufficit quodcumque voluntarium, sed voluntarium complete, quia debet esse perpetuum: & ideo per violentum mixtum impeditur.

Ad tertium dicendum, quod non semper debet induci ad hoc quod in matrimonio illud, sed solum quando timetur periculum ex dissolutione: alias autem non peccat: quia non solvere promissa quae nolens facit, non fit species mali.

A P P E N D I X.

X art. habes primo: quomodo per rationem ostendas: merito insinuatam fuisse b Alexandro III. quod consensus per metum cadentem in constantem virum non facit matrimonium, & hoc, quando ait: *Veniens ad nos, & caetera. Si inveneris, quod primam post fidem praestitam cognoveris: ipsam carnem tuam remanere. Alioquin secunda, nisi metu coactus, qui posses in virum constantem cadere, am desponsaveris, adherere facias, ut uxori.* Hec ille, de sponsal. & matr. Item ab Ho-

norio III. ibid. Consultationi, &c. *Mis, quae benedictione accepta, mox a sponsis aufugiunt ante carnis copulam subsecutam, & ridentes, se nunquam in illos veraciter consensisse, sed metu illato compulsas verba contulisse consensus, licet animo dissentirent, non statim est audientia deneganda: sed de illato metu est diligentius inquirendum. Et, si talis metus invenitur illatus, qui potuit cadere in constantem virum, error non immerito audiendus: Hec ibi. Item merito insinuatam ab eodem Alexandro III. ibi, quod non omnis violentia, seu coactio impedit matrimonium; & sic: *De muliere, quae est in viro tradita viro, & detenta, cum inter vim, & vim sit differentia, utrum postea consensus intercesserit certum nobis nihil postea expressisti; nihil certum inde tibi possimus respondere.* Hec ibi. Ecce, quod consensus per metum alium a cadente in virum constantem non sic impedit matrimonium, sicut ipse cadens. Alioquin Alexand. non faceret differentiam inter vim, & vim; sed responderet de isto alio metu, sicut de cadente in constantem responderat in cap. *Veniens ad nos. Secundo* habes: quomodo per rationem praedicta Pontificum, pro quanto consensum per metum cadentem in virum constantem non facere matrimonium; aliumque facere innunt, & intelligas, & defendas. Tertio vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S IV. 124

Utrum consensus coactus ex parte cogentis faciat Matrimonium.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod consensus coactus saltem ex parte cogentis faciat matrimonium. Quia matrimonium est signum spiritualis conjunctionis. Sed spiritualis conjunctio, quae est per caritatem, potest esse ad eum qui non habet caritatem. Ergo & matrimonium ad eum qui non vult. 2. Praeterea. Si illa quae fuit coacta, postmodum consentiat, erit verum matrimonium. Sed iste qui cogit primo, ex consensu illius non ligatur. Ergo ex primo consensu ligatur.

Ccc 2 batu r

(1) Ex cap. graeco-lat. 6. prope finem quod ad marginem in Sententiis ut ex cap. 9. inverfa nota numerali perperam notatum est; vel ex 20. in antiquis & apud S. Thomam lect. 10. colligitur, ubi dicitur quod vir probus in dignoscendo vero sanquam regula & mensura consideratur; sicut corporaliter uno affectu ea quae salubria vixisse sunt sive dulcia, sic videntur; & e converso perniciosa vel amara. Similia etiam lib. 10. Ethic. cap. 3. graeco-lat.

versus finem vel cap. 8. in antiquis & apud S. Thomam lect. 8. ubi dicitur quod *ut febricitanti non eadem quae sano vel iucunda videntur vel molesta, sic in aliis quoque videre est: Videtur autem in omnibus id esse quod sic apparet viro probi: Quid si hoc velle dicitur sicut videtur & est, & uniuscuiusque mensura est vir bonus, error: vere iucunda quibus gaudet vel oblectatur, &c.*

batur matrimonio.

Sed contra. Matrimonium est relatio æquiparantiz. Sed talis relatio æqualiter est in utroque. (1) Ergo si fit impedimentum ex parte unius, non erit matrimonium ex parte alterius.

Respondeo dicendum, quod cum matrimonium sit quedam relatio, & non possit in nasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio; ideo quicquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero: quia non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum, sicut nec mater non habens filium: & ideo dicitur communiter, quod matrimonium non claudicat.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis actus amantis possit transire in non amantem; tamen unio inter eos non potest esse, nisi sit mutua amatio. Et ideo dicit Philosophus in VIII. Ethic. (cap. 11.) quod ad amicitiam, que in quadam unione consistit, requiritur redamatio.

Ad secundum dicendum, quod ex consensu libero illius qui primo coactus est, non fit matrimonium, nisi in quantum consensus præcedens in altero adhuc manet in suo vigore: unde si dissentiret, non fieret matrimonium.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse insinuatam a Nicolao Papa, quod matrimonium claudicare non debet. Insinuatam autem est hoc 3^o q. 2. ubi non est consensus utriusque, ibi non est conjugium. Hæc ille. Item a Concil. Trid. ut annot. est de ly muso supra qu. 45. o. 1. append. vide ibid. connotando, quod mutuum utrimque dicitur, quod utramque partem concurrere ad aliquid significat. Ad has autem difficultates a præcedentibus articulis tactas removendas Concil. Trid. sess. 24. ca. 19. de reform. statuit, libertatem matrimonii nullo

modo impediendam esse ab aliquo, & sic: „ Ita plerunque temporalium dominorum „ mentis oculos terreni affectus excæcant, ut „ viros, & mulieres minis, & pœnis adigant „ cum iis matrimonium invito contrahere, „ quos ipsi domini illis præscripserint. Qua- „ re, cum maxime nefarium sit, matrimo- „ nii libertatem violare, & ab eis injurias „ nasci, a quibus iura expectantur, præcipit „ sancta Synodus omnibus, cujuscunque gra- „ dus, dignitatis, & conditionis existant, „ sub anathematis pœna, quam ipso facto in- „ currant: ne quovis modo directe, vel in- „ directe subditos suos, vel quoscunque alios „ cogant, quo minus libere matrimonia con- „ trahant. „ Hæc ibi. Secundo habes: quo- „ modo per rationem prædicta Patrum, pro „ quanto matrimonium non debere claudicare „ insinuant, & intelligas, & probes, & defen- „ das. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S V. 195

Utrum per consensum conditionatum fiat Matrimonium.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod nec per consensum conditionatum fiat matrimonium. Quia quod sub conditione ponitur, non simpliciter enuntiat. Sed in matrimonio oportet esse verba simpliciter exprimentia consensum. Ergo conditio alicujus consensus non facit matrimonium.

2. Præterea. Matrimonium debet esse certum. Sed ubi dicitur aliquid sub conditione, ponitur illud sub dubio. Ergo talis consensus non facit matrimonium.

Sed contra. In aliis contractibus fit obligatio sub conditione, & stat stante conditione. Ergo cum matrimonio fit contractus quidam, videtur quod possit fieri per conditionatum consensum.

Respondeo dicendum, quod conditio appo- sita aut est de præsentī, aut de futuro. Si de præsentī, & non est contraria matrimo- nio,

(1) Hinc enim *æquiparantia* appellatur, per oppositum ad aliam que *disæquiparantia* dici solet: quia per idem nomen exprimitur prima, ut ipsa relatio æqualitatis vel similitudinis vel per diversum secunda, ut relatio paternitatis vel similitudinis; matrimonium quippe similiter ex una & ex alia parte, per idem nomen *conjunctionis* exprimitur, indeque per *conjunctum* & per *conjunctam* vel per *conjugis* nomen utrinque designatur: Sive potius *relatio æquiparantia* dicitur, quia eisdem diversam viri ad uxorem

& uxoris ad virum habitudinem significet, ut indicat in adjunctis cum *uxor viri* & *vir uxoris*, appellatur una tamen est secundum rem ratione *conjunctionis* relatio & æqualiter ut sic ad utrumque se habens non ut in patris & filii relatione, quarum alte a fundamentum aliud habet ab altera, scilicet actionem vel passionem, & alium terminum specificum, scilicet patrem generantem vel filium genitum, &c. Sive iterum *æquiparantia*, quia in extremo utroque realiter existit, ut ex adjunctis rursus patet.

nio, five sit honesta, five non honesta, stat matrimonium stante conditione, (1) & ea non stante non stat. Sed si sit contraria bonis matrimonii, non efficitur matrimonium; sicut etiam de sponsalibus dictum est (quest. XLII. art. 1.) Si autem sit conditio de futuro, aut est necessaria, sicut Solem oriri cras; & tunc est matrimonium, quia talia futura sunt presentia in causis suis: aut est contingens, ut datio pecunie, vel acceptatio parentum: & tunc idem est iudicium de tali consensu, sicut de consensu qui fit per verba de futuro: unde non facit matrimonium. Et per hæc patet solutio ad objecta.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per D. Thomam ostendas, merito esse dictum a Gregorio IX. quod conditio, dummodo non sit contraria matrimonio, non vitiat illud, idest adhuc stat matrimonium. Insinuavit autem hoc in de condition. apposit. „ Si conditiones contra substantiam conjugii inferantur; puta, si alter dicat alteri: contra ho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam, honore, vel facultatibus digniorem, aut si pro questu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu, licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi. „ Hæc ibi. Ecce, quod conditio etiam inhonesta de presenti apposita matrimonio, nisi contra substantiam ejus sit, non tollit matrimonium. Item ab Urbano III. ibi. Super eo, &c. Utrum ille, qui in quandam mulierem consensit, si pater ejus suum præstaret assensum, sit ad consummandum matrimonium compellendus. Respondemus, quod, cum consensu liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reservatur, nisi voluntas patris postmodum intercidat, nequaquam cogendus est ad matrimonium contrahendum.

„ Nam, licet Alexand. Papa respon. quod sponsalia contracta interposita conditione, ipsa non impleta, si consensus de presenti intercidat, vel carnalis copula subsequatur, dissolvi non debent, sed firmiter observari, nequaquam est nostræ definitioni adversum, cum hujusmodi consensus non sit de presenti habendus, licet per verba de presenti exprimat, qui in alieno arbitrio non habito, sed habendo consistit. „ Hæc ibi. Ecce, quod loquens de illo, qui contraxit per verba de presenti, secundum *Glos.* cum muliere sub conditione ratihabitionis parentum, non iudicatur contraxisse matrimonium, sed sponsalia. Et hoc, quia consensus non potest simpliciter liber esse, quando in alieno arbitrio habendo consistit. Et, licet per verba de presenti exterius fiat ad litteram; tamen, quantum ad veram sensum verborum, non de presenti, sed de futuro fit. Quod vero dicit de Alexandro, vide tu ibid. cap. De illis. Semper tamen & hic, & alibi, quando de carnali copula sponso- rum fit mentio, memento diligenter, quod hodie talia jura non valent, quoniam per Trident. Concil. pro diversitate temporum prudentissime aliter sanctum est, ut supra, *quest. 45. art. 5.* append. fuit allegatum. Secundo habes quomodo per D. Thom. prædicta Pontificum, pro quanto de consensu conditionato sic statuunt, & intelligas, & tuearis. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI.

Utrum aliquis præcepto patris possit compelli ad Matrimonium contrahendum.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod aliquis præcepto patris possit compelli ad matrimonium contrahendum. Dicitur enim Coloss. III. 20. *Filii obedite parentibus per omnia.* Ergo & in hoc etiam obedire tenentur.

2. Præterea: Genes. XXV. Isaac præcepit Jacob quod non acciperet uxorem de filia-

(1) Hoc enim est quod Gregorius 9. Extra de conditionibus apposis in desponsatione cap. Si conditiones insinuat, cum ait quod si conditiones contra substantiam conjugii inferantur, puta si alter dicat alteri. Contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro questu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcunque sit favorabilis, ca-

ret effectu, licet alia conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi: Quoad conditiones autem de futuro videri potest quod cap. De illis in eodem tit. Alexander 3. & Urbanus 3. Alexandrum ibidem interpretans cap. Super eo decernit quando illæ valeant vel non ad infringendum matrimonium vel firmandum.

liabus. Chanaan. Non autem præcepisset nisi de jure præcipere potuisset. Ergo filius in hoc tenetur obedire patri.

3. Præterea. Nullus debet promittere, præcipue per juramentum, pro illo quem non potest cogere ad servandum. Sed parentes promittunt futura matrimonia pro filiis, & etiam juramento firmant. Ergo possunt præcepto cogere filios ad implendum.

4. Præterea. Pater spiritualis, scilicet Papa, potest compellere præcepto ad matrimonium spirituale, scilicet ad Episcopatum accipiendum. Ergo potest & pater carnalis ad matrimonium carnale.

Sed contra. Patre imperante matrimonium filius potest sine peccato religionem intrare. Ergo non tenetur ei in hoc obedire.

Præterea. Si teneretur obedire, sponsalia per parentes contracta absque consensu filiorum essent stabilia. Sed hoc est contra jura.

(1) Ergo &c.

Respondeo dicendum, quod cum in matrimonio sit quasi quædam servitus perpetua, pater non potest cogere filium ad matrimonium per præceptum, cum sit liberæ conditionis; sed potest eum inducere ex rationabili causa: & tunc sicut se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris; ut scilicet si causa illa cogat de necessitate, vel de honestate, & præceptum patris similiter cogat; alias non.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Apostoli non intelligitur in illis in quibus est liber sui, sicut pater. Et hujusmodi est matrimonium, per quod etiam filius fit pater.

Ad secundum dicendum, quod Jacob alias tenebatur ad faciendum hoc quod mandabat Isaac, tum propter malitiam illarum mulierum, tum quia semen Chanaan de terra quæ femini Patriarcharum promittebatur, erat disperdendum: & ideo Isaac præcipere poterat.

Ad tertium dicendum, quod non jurant, nisi alia conditione subintellecta, si illis placuerit: & ipsi obligantur ad eòs bona fide inducendum.

Ad quartum dicendum, quod dicunt quidam, quod Papa non potest præcipere alicui quod accipiat Episcopatum: quia consensus debet liber esse. Sed hoc posito, periret ecclesiasticus ordo: nisi enim aliquis posset cogi ad suscipiendum regimen Ecclesiæ, Ecclesiæ conservari non posset; cum quandoque illi qui sunt idonei ad hoc, nolint suscipere nisi coacti.

Et ideo dicendum, quod non est simile hinc inde: quia non est aliqua corporalis servitus in matrimonio spirituali sicut in corporali: est enim spirituale matrimonium, sicut quoddam officium dispensandæ reipublicæ.

I. Corinth. iv. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysterium Dei.*

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse ab Honorio Papa, quod parentes non possunt adstringere filios ad matrimonium contrahendum: & consequenter, quod in idem redit, filium non teneri præcepto patris ad matrimonium contrahendum. Insinuatam autem est sic: „Tua nos requisivit fraternitas de filio „adulto, quem pater matrimonium vult con- „trahere, si sine voluntate filii adulti face- „re potest. Ad quod dicimus: si aliquo „modo non consentit filius, fieri non posse. „Hæc ille de desponsat. impub. Ubi vides, quod contra voluntatem filii non potest pater eum adstringere ad hoc, ubi & dicitur glos. sic ad litteram. „Si coactione paterna ductus „consentiret in aliquam, quam alias non esset „ducturus, eam voluisse videtur, & est matri- „monium: cogi tamen non debet, ff. eod. „non cogitur, & C. de nuptiis, nec filium „potest compellere invitum. ff. de spon- „sal. fili. famil. „Hæc ille. Quod si de filio non adulto fiat instantia, responderet idem Honorius, dicens: „Potest autem fi- „lius nondum adultum, voluntas cujus di- „scer-

(1) Ut cap. De illis Extra de desponsatione impuberum ex Alexandro 3. videre est, ubi dicitur quod qui infra annos aptos matrimonio sponsalia contrahunt, si alteruter vel uterque postquam ad annos illos pervenerint nec in altero voluerit consentire, iudicio Ecclesiæ poterunt ab invicem separari. Et cap. A nobis ex eodem quod qui ante nobiles annos matrimonii nomine conjunguntur, pro eo quod consensum conjugalem non habeat, usque ad legitimam ætatem expectare tenentur, & tunc aut confirmetur

matrimonium, aut si simul esse noluerint, separantur; Ut & cap. Ex literis puellæ quæ impulsæ in natis parentum desponsata fuerat nolens, facultas cum alio nubendi ab Urbano 3. tribuitur: Nec obstat cap. Tua fraternitas ibidem, ubi dicit Honorius quod filius matrimonium sibi nondum adulto destinatum omnino debet adimplere: Significat siquidem quid ex obedientia debeat, non ex necessitate. Hinc damnantur anathemate in Concilio Tridentino sess. 24. qui hæc matrimonia irrita esse affirmant.

„ scerni non potest, pater, cui vult, matri-
 „ monio tradere. Et, postquam filius perve-
 „ nerit ad perfectam ætatem, omnino debet
 „ hoc adimplere. „ Hæc ibi. Ubi *ly debet*,
 dicit debitum honestatis, non necessitatis, se-
 cundum *glos.* Secundo habes: quomodo per
 rationem prædicta, pro quanto dicunt filium
 non posse compelli præcepto patris ad matri-
 monium contrahendum, & intelligis, & de-
 fendas. Tertio vides: quomodo &c.

QUESTIO XLVIII.

De objecto Consensus,

In duos articulos divisa.

DEinde considerandum est de objecto con-
 sensus.

Circa quod quærentur duo.

Primo, utrum consensus qui facit matri-
 monium, sit consensus in carnalem copulam.

Secundo, utrum consensus in aliquam pro-
 pter causam inhonestam faciat matrimonium.

ARTICULUS I. 197

*Utrum consensus qui facit Matrimonium, sit
 consensus in carnalem copulam,*

S. Thom. IV. dist. xxviii. art. 4.

AD primum sic proceditur. Videtur quod
 consensus qui facit matrimonium, sit
 consensus in carnalem copulam. Dicit enim
 Hieronymus, (1) hab. ex Aug. Lib. de bo-
 no viduit. æquivalenter cap. ix. ante med.
 vide c. *Voventibus*, dist. xxviii.) quod *vov-*
ventibus virginitatem non solum nubere, sed
etiam velle nubere damnabile est. Sed non esset
 damnabile, nisi esset virginitati contrarium,
 cui nuptiæ non contrariantur, nisi ratione

carnalis copulæ. Ergo consensus voluntatis
 qui est in nuptiis, est in carnalem copulam.

2. Præterea. Omnia quæ sunt in matri-
 monio inter virum & uxorem, possunt esse
 licita inter fratrem & sororem, excepta car-
 nali copula. Sed non potest fieri licite inter eos
 consensus matrimonialis. Ergo consensus ma-
 trimonialis est consensus in carnalem copulam.

3. Præterea. Si mulier dicat viro, *Consen-*
tio in se, dum tamen non cognoscas me, non
 est consensus matrimonialis: quia est ibi ali-
 quid contra substantiam prædicti consensus.
 Sed non esset, nisi dictus consensus esset in
 carnalem copulam. Ergo &c.

4. Præterea. In qualibet re initium con-
 summationi responderet. Sed matrimonium
 consummatur per carnalem copulam. Ergo
 cum initietur per consensum, videtur quod
 consensus sit in carnalem copulam.

Sed contra. Nullus consentiens in carna-
 lem copulam est virgo mente, & carne. Sed
 B. Joannes Evangelista post consensum nup-
 tialem fuit virgo mente, & carne. (2) Ergo
 non consentit in carnalem copulam.

Præterea. Effectus responderet causæ. Sed
 consensus est causa matrimonii. Cum ergo
 de essentia matrimonii non sit carnalis copu-
 la, videtur quod nec consensus qui matrimo-
 nium causat, sit in carnalem copulam.

Respondeo dicendum, quod consensus qui
 matrimonium facit, est consensus in matri-
 monium: quia effectus proprius voluntatis est
 ipsum volitum. Unde sicut carnalis copula
 se habet ad matrimonium, ita consensus qui
 matrimonium causat, est in carnalem copu-
 lam. Matrimonium autem, ut supra dictum
 est (3) non est essentialiter ipsa conjunctio car-
 nalis, sed quedam associatio viri, & uxoris
 in ordine ad carnalem copulam, & alia quæ
 ex consequenti ad virum, & uxorem perti-
 nent; secundum quod eis datur potestas ad
 invicem respectu carnalis copulæ: & hæc as-
 socia-

(1) Sic refertur in Decretis dist. 27. cap. *Voven-*
tibus; ut & sub eodem indice *Causa* 17. quæst. 5.
 Sed apud Hieron. id non extare in prædictæ distin-
 ctionis appendice notatur. Velut ex August. refert
 Glossa 1. ad Timoth. 5. super illud *Habentes dam-*
nationem, quia primam fidem irritam fecerunt: Ac
 ex eodem super eundem locum citat Beda indicans
 librum de bono viduitatis ad Julianam scriptum, ubi
 tautqm aliquid æquivalenter ac implicite cap. 9. in-
 dicatur; ut & a Fulgentio libro de Fide ad Petrum
 cap. 42.

(2) Juxta opinionem illam quam hic veram sup-
 ponit S. Thomas quod in nuptiis Chana fuerit spon-

sus quem inde Christus ad cælibatum traduxerit; &
 quam aliquo modo in 2. 2. quæst. 186. art. 4. indi-
 cavit, cum dixit quod *Joannem volentem nubere*
Christus a nuptiis revocavit: Sed id paulo post ex-
 pendemus.

(3) Velut ex quæst. 44. art. 1. in corp. & ex
 quæst. 45. art. etiam 1. ad 2. prius indicabatur ad
 marginem, sed ibi tantum exprimitur quod conjun-
 ctio corporum & animorum matrimonium consequat-
 ur; & quod matrimonium per consensum in ejus-
 modi conjunctionem fiat; Sic porro 4. Sentent. dicit
 S. Thomas quasi ad 27. distinctionem se remittens
 quod auctor Supplementi minus advertit.

fociatio conjugalī copula dicitur. Unde patet quod bene dixerunt, quod consentire in matrimonio est consentire in carnalem copulam implicite, non explicite: non enim debet intelligi, nisi sicut implicite continetur effectus in sua causa: quia potestas carnalis copulæ, in quam consentitur, est causa carnalis copulæ, sicut potestas utendi re sua est causa usus.

Ad primum ergo dicendum, quod consensus in matrimonium ideo est damnabilis post votum virginittatis, quia per talem consensum datur potestas ad id quod non licet, sicut peccaret qui daret alteri potestatem accipiendi illud quod ipse in deposito habet, non solum in hoc quod ei actualiter traderet. De consensu autem beatæ Virginis supra dictum est (IV. dist. 111. quæst. 11. art. 2. & III. P. quæst. xxix. art. 2. (1))

Ad secundum dicendum, quod inter fratrem & sororem non potest esse potestas invicem ad carnalem copulam, sicut nec licite carnalis copula. Et ideo ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod illa conditio explicita non solum actui, sed etiam potestati contrariatur copulæ carnalis: & ideo est contraria matrimonio.

Ad quartum dicendum, quod initium matrimonium respondet consummato, sicut habitus, vel potestas actui, qui est operatio. Rationes autem in contrarium ostendunt quod non sit consensus in carnalem copulam explicite: (2) & hoc est verum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam a summo Pontifice, quod consensus fertur in copulam conjugalem, & non explicite in carnalem. Insinuatam autem est hoc a Papa Nicolao 27. quæst. secund. *sufficit*, & cætera. „ Quæritur, quis consensus facit matrimonium? An consensus cohabitationis, an

„ carnalis copulæ, an uterque? Si cohabitationis consensus matrimonium facit: tunc „ frater cum sorore matrimonium potest contrahere. Si carnalis copulæ: inter Mariam „ & Joseph non fuit conjugium. Voverat „ enim Maria se virginem perseveraturam. „ Si ergo contra suum propositum postea consensit in carnalem copulam, rea facta est „ voti virginalis mente, etsi non corpore, „ violati, quod de ea sentire nefas est, *Or.* „ *Et infra de mente Aug. idem Papa, c. seq.* „ B. Maria proposuit, se servaturam votum „ virginittatis in corde: sed ipsum votum „ virginittatis non expressit ore. Subjecti se „ divinæ dispositioni, dum proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei „ revelaret. Committens ergo virginittatem „ suam divinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed „ divinæ inspirationi in utroque obediendo. „ Consensus ergo cohabitandi, & individuum „ vitæ consuetudinem retinendi interveniens „ eos conjuges facit. „ Hæc ibi. Vide S. Th. 4. sent. ubi sup. corol. post ad primum, „ & sine errore apertius dicta hujusmodi intelligere poteris. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædicta Papæ, pro quanto consensus non ferri directe in carnalem copulam dicunt, & intelligas, & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 198

Utrum Matrimonium possit esse ex consensu alicujus in aliquam propter causam inhonestam

S. Thom. IV. dist. xxx. quæst. 1. art. 3. quæst. unica.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non possit esse ex consensu alicujus in aliquam propter causam inhonestam. Unius enim unica est ratio. Sed matrimonium est unum sacramentum. Ergo

(1) Non sicut prius *infra* dicitur; quod rursus Auctor Supplementi non satis caute usurpavit ex lib. 4. Senten. ubi bene dictum est: quia distinct. 30. sequenti de consensu & conjugio Deiparæ Virginis a Magistro agendum erat & ab ipso: sed quid ad præsens?

(2) Ex hypothese quod fuerit sponsus & tamen carne simul ac mente virgo perseveravit semper. Et quidem quod nuptias appetierit, imo & inierit actu, ex quibusdam præsumptiis Augustini verbis putarunt olim quidam quia in ejus Tractatum super Joannem Prædicatione sic dicitur: *Iste est quem Dominus de stu-*

divaga nuptiarum tempestate vocavit: Sed Augustini non est hæc præfatio, qui alterius opinionis videtur esse Tract. 124. in Joan cum veluti congruum insinuat quod quidam censuerunt a Christo plus amatum quia uxorem non duxerit: Etsi maritum simul & virginem appellat lib. 1. contra Jovinianum Hieronymus, quem tamen quidam pro sententia contraria citant, & nominatim Baronius ad annum 37. num. 3. ac sequentibus; ubi rigide nimis pro idicolo habet quod nuptias dicatur contraxisse.

Ergo non potest fieri ex alterius finis intentione quam illius ad quem a Deo institutum est, scilicet ad procreationem prolis.

2. Præterea. Conjunctio matrimonii est a Deo, ut patet Matt. xix. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Sed conjunctio quæ fit propter turpes causas, non est a Deo. Ergo non est matrimonium.

3. Præterea. In aliis sacramentis si non servetur intentio Ecclesiæ, non est verum sacramentum. Sed intentio Ecclesiæ in sacramento matrimonii non est ad aliquam turpem causam. Ergo si ex aliqua turpi causa matrimonium contrahatur, non erit verum matrimonium.

4. Præterea. Secundum Boetium (in Top. loco 4 causa fin.) *cujus finis est bonus, ipsum quoque bonum est.* Sed matrimonium semper est bonum. Ergo non est matrimonium, si propter malum finem fiat.

5. Præterea: Matrimonium significat conjunctionem Christi, & Ecclesiæ. Sed ibi non cadit aliqua turpitudine. Ergo nec matrimonium potest contrahi propter aliquam turpem causam.

Sed contra est quod qui baptizat alium intentione lucrandi, vere baptizat. Ergo & qui contrahit cum aliqua intentione lucri, verum est matrimonium.

Præterea. Hoc idem probant exempla, & auctoritates, quæ ponuntur in littera (IV. dist. xxx. (1))

Respondet dicendum, quod causa finalis matrimonii potest accipi dupliciter, scilicet per se, & per accidens. Per se quidem causa matrimonii est, ad quam matrimonium est de se ordinatum: & hæc semper bona est, scilicet procreatio prolis. & vitatio fornicationis. Sed per accidens causa finalis ipsius est hoc quod contrahentes intendunt ex ma-

Summ. S. Tb. Tom. XIII.

trimonio. Et quia hoc quod ex matrimonio intenditur, consequitur ad matrimonium, & priora non variantur ex posterioribus, sed e converso; ideo ex illa causa non recipit matrimonium bonitatem, vel malitiam, sed ipsi contrahentes, quorum est finis per se. Et quia causæ per accidens sunt infinitæ, ideo infinitæ tales causæ possunt esse in matrimonio, quarum sunt quædam honestæ: & quædam inhonestæ.

Ad primum ergo dicendum, quod verum est de causa per se, & principali; sed quod habet unum finem per se, & principalem potest habere plures fines secundarios per se, & infinitos per accidens.

Ad secundum dicendum, quod conjunctio potest accipi pro ipsa relatione, quæ est matrimonium: & talis semper est a Deo, & bona est, a quacumque fiat causa: vel pro actu eorum qui conjunguntur; & sic est quandoque mala, & non est a Deo, simpliciter loquendo. Nec est inconveniens quod aliquis effectus sit a Deo, cujus causa est mala; sicut proles quæ ex adulterio suscipitur: non enim est ex illa causa, in quantum est mala, sed in quantum habet aliquid de bono secundum quod est a Deo; quamvis non simpliciter sit a Deo.

Ad tertium dicendum, quod intentio Ecclesiæ, qua intendit sacramentum tradere, est de necessitate cujuslibet sacramenti; ita quod ea non observata, nihil in sacramento agitur. Sed intentio Ecclesiæ, qua intendit, utilitatem ex sacramento proveniente, est de bene esse sacramenti, & non de necessitate ejus: unde si non observetur, nihilominus est verum sacramentum. Sed tamen prætermittens hanc intentionem peccat; sicut si

D d d

in

(1) Hoc est in textu libri 4. Sentent. qui ex distinct. 28. lib. 4. prius indicabatur ad marginem, sed ibi nihil quod huc spectet: Annon potius distinct. 30. lit. D. seu paragr. 4. ubi dicitur: *Est igitur finalis causa matrimonii contrahendi principalis procreatio prolis; propter hoc enim Deus instituit conjugium inter primos parentes quibus dixit, Crescite & multiplicamini: Secunda est post peccatum Adæ vitatio fornicationis: Unde Apostolus (1. ad Corinth. 7.) Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam, & unaquæque habeat virum suum: Sunt & alia cause honestæ, ut inimicorum reconciliatio & pacis reintegratio: Sunt etiam alia cause minus honestæ propter quas aliquando contrahitur; ut viri mulierisque pulchritudo que animos amore inflammatos sepe impellit inire conjugium, ut valeant suum explere desiderium: Questus quoque & divitiarum possessio frequenter est conjugii causa, & alia mala*

qua cuique diligentiam adhibenti facile est discernere: Nec est assentiendum illis qui dicunt non esse conjugium quod propter has causas minus honestas contrahitur: Constat enim ex præmissis conjugium fieri ex communi consensu verbis de præsentis expresso, quamvis amor ad hoc attraxerit: Cujus rei documentum præstat Jacob qui Rachel decoram facie & venusto aspectu amavit, eamque diligens multum ait (Genes. 29.) Serviam tibi pro Rachel multis annis: Deuteronomio etiam cap. 25. legitur: Si videris in medio captivorum mulierem pulchram & ad-amaveris eam, voluerisque uxorem habere: introduces eam in domum tuam: Et licet sine non bono contrahatur, conjugium, quando species contrahentis movet animum, conjugium tamen bonum est, quia vita mala vel intentio perversa sacramentum non contaminat.

in baptismo non intendatur sanitas mentis, quam Ecclesia intendit. Et similiter ille qui intendit matrimonium contrahere, quamvis matrimonium non ordinet ad illum finem quem Ecclesia intendit, nihilominus verum matrimonium contrahit.

Ad quartum dicendum, quod illud matrimonium intentum non est finis matrimonii; sed contrahentium.

Ad quintum dicendum, quod ipsa unio est signum conjunctionis Christi, & Ecclesie, & non operatio unitorum: & ideo ratio non sequitur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a Gregorio IX. quod consensus in matrimonium propter aliquam inhonestam causam non tollit ipsum. Insinuatam autem est sic. *Conditionis appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debent propter favorem ejus pro non adjectis haberi.* Hæc ille: in de conditio apposi. Si conditiones. Ubi est idem *ly pro non adjectis haberi*, quod matrimonium tenet, etiam secundum glossam. Item a Concilio Africano ibi. *Quicumque sub conditionis nomine aliquam desponsaverit, & eam relinquere voluerit: dicimus, quod frangatur conditio, & desponsatio irrefragabiliter teneatur.* Hæc ibi. Ubi loquitur de conditionibus turpibus, alias non contrariis substantiæ conjugii. Puta, si quis contrahat matrimonium, intendens, quod confors furtum faciat, vel hominem interficiat. Quod intentum, si exprimatur ad extra (contraho tecum, si furtum, vel homicidium feceris) tunc vocatur conditio: si autem in mente solummodo pro fine ultra matrimonium habeatur, tunc vocatur causa inhonesta, propter quam matrimonio consensus datur: sive autem hoc, sive illo modo accipiat, non tollit matrimonium secundum Papam, & Concilium. Et nota, quod, prout dicit conditionem ex Papa, allegatur supra q. 47. art. 5. append. &, ut dicit intentionem consensus propter causam finalem inhonestam, allegatur in hoc loco: quemadmodum & eadem auctoritas sæpius in diversis locis pro varietate materialium, quibus deserviunt, allegari solet. *Secundo* habes: quomodo per rationem prædi-

cta, patrum, pro quanto matrimonium dicunt posse esse ex consensu alicujus in aliquam propter causam inhonestam, & intelligas, & probes, & defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

Q U Æ S T I O · XLIX.

De bonis Matrimonii,

In sex articulos divisa.

Consequenter considerandum est de bonis matrimonii.

Circa quod quærentur sex.

Primo, utrum debeant haberi aliqua bona excusandum matrimonium.

Secundo, utrum sufficienter assignentur.

Tertio, utrum bonum sacramenti sit principaliter inter alia bona.

Quarto, utrum actus matrimonii per prædicta bona a peccato excusetur.

Quinto, utrum sine eis aliquando a peccato excusari possit.

Sexto, utrum quando est sine eis, sit semper peccatum mortale.

A R T I C U L U S I. 199

Utrum haberi debeant aliqua bona ad excusandum Matrimonium.

S. Thom. IV. dist. xxxi. quæst. I. art. 1. & seq.

AD primum sic proceditur. Videtur quod matrimonium non debeat habere aliqua bona, quibus excusetur. Sicut enim conservatio individui, quæ fit per ea quæ ad nutritivam pertinent, est de intentione naturæ; ita conservatio speciei, quæ fit per matrimonium; & multo magis, quanto melius, & dignius est bonum speciei quam bonum unius individui. Sed ad actum nutritivæ excusandum non indiget aliquibus bonis. Ergo nec etiam ad excusandum matrimonium.

2. Præterea. Secundum Philosophum in VIII. Ethic. (cap. xii. a med.) amicitia quæ est inter virum & uxorem, est naturalis; & claudit in se honestum, utile, & delectabile. (1) Sed illud quod de se est honestum,

(1) Ut ex capite 24. græco-lat. colligitur vel ex cap. 24. In antiquis, & apud S. Thomam lect. 12. ubi *delectabile & utile* dicuntur esse simpliciter in

eiusmodi amicitia, sed *honestum* ex hypothesi, nempe a adit virtus, &c.

sum, non indiget aliqua excusatione. Ergo nec matrimonio deberent attribui aliqua bona excusantia.

3. Præterea. Matrimonium est institutum in remedium, & in officium, ut supra dictum est (quæst. xlii. art. 2.) Sed secundum quod est in officium, non indiget excusatione: quia sic etiam in paradiso excusatione indiguisset; quod falsum est, ibi enim fuissent *honorabiles nuptiæ*, & *torus immaculatus*, ut Augustinus dicit (1) Similiter nec secundum quod est in remedium, sicut nec alia sacramenta, quæ in remedium peccati sunt instituta. Ergo matrimonium huiusmodi excusantia habere non debet.

4. Præterea. Ad omnia quæ honeste fieri possunt, virtutes dirigunt. Si ergo matrimonium aliquibus bonis potest honestari, non indiget aliis honestantibus quam animi virtutibus: & sic non debent matrimonio aliqua bona assignari, quibus honestetur, sicut nec aliis in quibus virtutes dirigunt.

Sed contra. Ubicumque est indulgentia, ibi est necessaria aliqua excusationis ratio. Sed matrimonium conceditur in statu infirmitatis *secundum indulgentiam*, ut patet I. Corinth. vii. Ergo indiget per aliqua bona excusari.

Præterea. Concubitus fornicarius, & matrimonialis sunt ejusdem speciei quantum ad speciem naturæ. Sed concubitus fornicarius de se est turpis. Ergo ad hoc quod matrimonialis non sit turpis, oportet ei aliquid addi quod ad honestatem ejus pertineat, & in aliam speciem moris trahat.

Respondendo dicendum, quod nullus sapiens debet jacturam aliquam sustinere, nisi præ aliqua recompensatione alicujus æqualis, vel

melioris boni. Unde electio alicujus quod aliquam jacturam habet annexam, indiget alicujus boni adjunctione, per cujus recompensationem ordinetur, & honestetur. In conjunctione autem viri, & mulieris rationis jactura accidit: tum quia propter vehementiam delectationis absorbetur ratio, ut non possit aliquid intelligere in ipsa, ut Philosophus dicit (Lib. VII. Ethic. cap. xi. cir. fin.) tum etiam propter tribulationem carnis, quam oportet tales sustinere ex sollicitudine temporalium, (2) ut patet I. Corinth. xii. Et ideo talis conjunctionis electio non potest esse ordinata, nisi per recompensationem aliquorum ex quibus dicta conjunctio honestetur, & hæc sunt bona quæ matrimonium excusant, & honestum reddunt.

Ad primum ergo dicendum, quod in actu comestitionis non est tam vehemens delectatio rationem absorbens, sicut est in prædicta actione: tum quia vis generativa, per quam originale traducitur, est infecta, & corrupta; (*) nutritiva autem, per quam non traducitur, non est corrupta, neque infecta: (3) tum etiam quia defectum individui quilibet magis sentit in seipso quam defectum speciei. Unde ad excitandum ad comestitionem, secundum quam defectui individui subvenitur, sufficit sensus ipsius defectus; sed ad excitandum ad actum quo defectui speciei subvenitur, divina providentia delectationem apposuit in illo actu: quæ etiam animalia bruta movet, in quibus non est infectio originalis peccati. Et ideo non est simile:

Ad secundum dicendum, quod ista bona quæ matrimonium honestant, sunt de ratione matrimonii: (4) & ideo non indiget eis quasi exterioribus quibusdam ad honestandum,

D d d 2 sed

(1) Nimirum libro 9. super Genesim ad lit. cap. 3. sub his verbis *Conjunctionis masculi & femina benedictio nec post peccatum hominis panamque defecit: quoniam enim jam emissi de paradiso convivisse ac genuisse commemorantur* (id est non antequam emissi essent) tamen non video quid prohibere possit ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ & torus immaculatus, hoc Deo præstante fideliter esseque viventibus eique obedienter sanctisque servientibus ut sine ullo inquieto ardore libidinis nullo labore ac dolore pariendi fetus ex eorum semine gignerentur: Etsi non eo sensu Apostolus honorabiles nuptias vel etiam immaculatum torum ad Hebr. 13. vocat verſ. 4. quia non potest actus matrimonii sine aliquo sensu libidinis fieri modo (sicut in paradiso si tunc homines genuissent) sed eo tantum sensu quod honeste, congrue, ac decenter & legitimo sint.

(2) Non ut quidam explicant parum caute, quasi *vibulatio carnis* titillatio sit carnalis.

(*) Ita recentiores communiter cum Nicolajo. Al. nutritiva autem per quam traducereetur, non est corrupta, & non infecta: item nutritiva autem, per quam non traducitur, est corrupta, & non infecta.

(3) Corrupta quantum ad se, infecta quantum ad alios: Nam corruptio quidem soli corrupto nocet, sed infectio transit ac refunditur in alia: Unde *infectum esse plus est quam corruptum*.

(4) Quasi matrimonio intrinseca, & ad illius finem pertinentia per se: Non quod ab illis prout actu existentibus essentia matrimonii dependeat, cum aliqui sine illis matrimonium constet (saltem tamen si fides & proles desit quæ subinde matrimonium consequuntur) Sed quod eorum intentio ad rationem matrimonii requiratur, quamvis aliter ex post facto contingat.

sed quasi causantibus in ipso honestatem, quæ ei secundum se competit.

Ad tertium dicendum, quod matrimonium ex hoc ipso quod est in officium, vel in remedium, habet rationem utilis, & honesti. Sed utrumque horum ei competit ex hoc quod huiusmodi bona habet, quibus fit & officium, & remedium concupiscentiæ adhibens.

Ad quartum dicendum, quod aliquis actus virtutis honestatur & virtute quasi principio elicetivo, & circumstantiis quasi formalibus principiis ipsius. Hoc autem modo se habent bona matrimonii ad matrimonium, sicut circumstantiæ ad actum virtutis, ex quibus habet quod virtutis actus esse possit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem, tanquam in radice, rejicias hæresim *Libertinorum* dicentium: conjugia inter fratres esse spiritualia: unde & uxores habent communes, nec patiuntur eas suis maritis non suæ sectæ reddere debitum. Primum ergo, scilicet conjugia inter, &c. dicunt verbo: secundum, scilicet uxores habent communes, & cætera, dicunt factò. Cum enim per hunc articulum D. Thomas demonstrat, quod aliqua bona, quæ sunt fides, sacramentum, proles, artic. seq. requiri ad matrimonium honestandum: profecto, ut patet consideranti, monstrat ex hoc, quod uxores non debent esse communes, & quod suis maritis solis reddere debitum debent, & consequenter, quod falsa est illa expositio *Liberorum*, conjugia inter fratres sunt spiritualia, id est, uxores sint communes, & eisdem non reddant debitum maritis extra sectam nostram. *Secundo* habes: quomodo radicaliter per rationem ostendas, merito damnari prædictam hæresim a, & cæt., *questio. quadragesim. non. articulo sexto*, append. & *question. quinquagesim. quart. articul. tertii*. append. Item a 1. Cor. 7. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaqueque suum virum. Uno-*

vi vir debitum reddat, similiter aster viro. Ecce, quod secundum Apostolum solis maritis suis uxores debent reddere debitum, & e converso, alioquin fornicatio non evitatur ab eis. *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuari a Corinth. 7. *Hæc dico secundum indulgentiam*, & a Concil. *Florent. artic. sequen. appen.* quod aliqua bona haberi debent ad excusandum matrimonium. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta scripturarum, & patrum, pro quanto insinuant id, quod diximus nunc, & intelligas, & probes, & defendas. *Quinto* habes: quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 200

Utrum bona Matrimonii sufficienter assignentur.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod insufficienter bona matrimonii assignentur a Magistro Sententiarum (1) scilicet *fides, proles, & sacramentum*. Quia matrimonium non solum fit in hominibus ad prolem procreandam, & nutriendam, sed ad consortium communis vitæ, propter operum communicationem, ut dicitur in VIII. Ethic. (cap. XII. vers. fin.) Ergo sicut ponitur proles bonum matrimonii, ita debet poni communicatio operum.

2. Præterea. Conjunctio Christi ad Ecclesiam, quam matrimonium significat, perficitur per caritatem. (2) Ergo inter bona matrimonii magis debet poni caritas quam fides.

3. Præterea. In matrimonio sicut exigitur quod neuter conjugum ad alterius toram accedat, ita exigitur quod unus alteri debitum reddat. Sed primum pertinet ad fidem, ut Magister dicit (3) Ergo deberet etiam iustitia propter redditionem debiti inter bona matrimonii computari.

4. Præterea. Sicut in matrimonio, in quantum significat conjunctionem Christi, & Ecclesie, requiritur indivisibilitas, ita & unitas ut sit una unius. Sed sacramentum, quod inter

(1) Ut videre est lib. 4. Sentent. dist. 30. lit. A seu paragr. 1. ubi ex Augustino ea citat.

(2) Hinc Apostolus ad Ephes. 5. vers. 25. *Viri alligite uxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea &c.*

(3) Sic enim lib. 4. Sentent. dist. 30. lit. A seu paragr. 1. ex cap. 7. libri 9. super Genesim ad litteram: *Nuptiale bonum tripartitum est; scilicet fi-*

des, proles, & sacramentum: In fide attenditur ut post vinculum conjugale cum alio vel cum alia coeatur: vel ne præter vinculum conjugale cum altero vel cum altera concubatur, ut Augustini textus habet: indivisibilitas autem quæ mox ponitur, idem est ac inseparabilitas utriusque conjugis; quamvis alio sensu indivisa unitas dici potest prout sunt una caro, sive duo in carne una, &c.

inter tria bona matrimonii computatur, pertinet ad indivisionem. Ergo deberet esse aliquid aliud quod pertineret ad unitatem.

5. Sed contra. Videtur quod superfluant. Quia unica virtus sufficit ad unicum actum honestandum. Sed fides est una quædam virtus. Ergo non oportuit alia duo addere ad honestandum matrimonium.

6. Præterea. Non ex eodem aliquid accipit rationem utilis, & honesti; cum utile, & honestum ex opposito bonum dividant. Sed ex prole matrimonium accipit rationem utilis. Ergo proles non debet computari inter bona quibus matrimonium honestatur.

7. Præterea. Nihil debet poni ut proprietas, vel conditio sui ipsius. Sed hæc bona ponuntur ut quædam conditiones matrimonii. Ergo cum matrimonium sit sacramentum, non debet poni sacramentum inter bona matrimonii.

Respondeo dicendum, quod matrimonium est in officium naturæ, & est sacramentum Ecclesiæ. (1) Inquantum autem est in officium naturæ, duobus ordinatur, sicut & quilibet alius virtutis actus: quorum unum exigitur ex parte ipsius agentis; & hoc est intentio finis debiti: & sic ponitur bonum matrimonii proles: aliud exigitur ex parte ipsius actus, qui est bonus in genere ex hoc quod cadit supra debitam materiam; & sic est fides, per quam homo ad suam accedit, & non ad aliam. Sed ulterius habet aliquam bonitatem, inquantum est sacramentum: & hoc significatur ipso nomine *sacramenti*.

Ad primum ergo dicendum, quod in prole non solum intelligitur procreatio proles, sed etiam educatio ipsius, ad quam sicut ad finem ordinatur tota communicatio operum quæ est inter virum & uxorem, inquantum sunt matrimonio conjuncti: quia patres naturaliter thesaurizant filiis, ut patet II. Corinth. XXI. Et sic in prole, quasi in principali fine alius quasi secundarius includitur.

Ad secundum dicendum, quod fides non accipitur hic prout est virtus theologica, sed prout est pars iustitiæ, secundum quod fides dicitur ex hoc quod *fiant dicta* in conservatione promissorum; quia in matrimonio, cum sit quidam contractus, est quædam promissio, per quam talis vir tali mulieri determinatur.

Ad tertium dicendum, quod sicut in promissione matrimonii continetur ut neuter ad alienum torum accedat; ita etiam quod sibi invicem debitum reddant: & hoc etiam est principalis, cum sequatur ex ipsa mutua potestate invicem data: & ideo utrumque ad fidem pertinet. Sed in Lib. Sentent. ponitur illud quod est minus manifestum.

Ad quartum dicendum, quod in sacramento non solum intelligenda est indivisio, sed omnia illa quæ consequuntur matrimonium, ex hoc quod est signum.

Vel dicendum, quod unitas quam objectio tangit, pertinet ad fidem, sicut indivisio ad sacramentum.

Ad quintum dicendum, quod fides non accipitur hic pro aliqua virtute, sed pro quadam conditione virtutis, ex qua fides nominatur, quæ ponitur pars iustitiæ. (2)

Ad sextum dicendum, quod sicut debitus usus boni utilis accipit rationem honesti, non quidem ex utili, sed ex ratione, quæ rectum usum facit; ita etiam ordinatio ad aliquod bonum utile potest facere bonitatem honestatis ex vi rationis debitam ordinationem facientis, Et hoc modo matrimonium ex hoc quod ordinatur ad prolem, utile est, & nihilominus honestum, inquantum debite ordinatur.

Ad septimum dicendum, quod sicut Magister dicit xxxi. dist. IV. Sentent. sacramentum non dicitur hic ipsum matrimonium, sed inseparabilitas ejus, quæ ejusdem est rei signum cujus est matrimonium.

Vel dicendum, quod quamvis matrimonium

(1) Hos tantum duos modos assignat pretermisso tertio qui est *in remedium concupiscentiæ*, quia veluti per accidens & extrinsece ad matrimonium se habet iste modus, nec ex natura vel ex parte matrimonii ad cotrahendum illud requiritur quasi ad essentiam pertinens ut sic, sed ex parte subjecti contrahentis quod propter suam infirmitatem hoc remedium eget. Alii autem duo modi quos hic exprimit S. Thomas, pertinent per se ad rationem ac naturam matrimonii prout vel civiliter vel supernaturaliter instituti. Quid si etiam *remedium concupiscentiæ* in officio ipso naturæ quodammodo subintelligi

possit, quia hoc officium quoque ad fornicationem vitandam ordinatur; Sicut & 1. ad Corinth. 7. vers. 2. *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaqueque suum virum.*

(2) Prout fidelitatem significat secundum illud Ciceronis 1. de officiis: *Fundamentum iustitiæ fides est, id est dictorum conventorumque constantis & veritatis ex quo, quanquam hoc videatur fortasse cuiuspiam durius, tamen ut videamur imitari Stoicos qui studiose exquirunt unde verba sunt dicta credantur quia fiet quod dictum est, appellasam fidem, &c.* Sicut & *fides Dei* ad Rom. 8. fidelitas ejus est, &c.

nium sit sacramentum; tamen aliud est matrimonio esse matrimonium, & aliud est ei esse sacramentum: quia non solum ad hoc est institutum ut sit in signum rei sacræ, sed etiam ut sit in officium naturæ. Et ideo ratio sacramenti est quædam conditio adveniens matrimonio secundum se considerato, ex quo honestatem etiam habet. Et ideo sacramentalitas ejus, ut ita dicam (1) ponitur inter bona honestantia matrimonium. Et secundum hoc in tertio bono matrimonii, scilicet sacramento, non solum intelligitur inseparabilitas, sed etiam omnia quæ ad significationem ipsius pertinent.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Phariseorum*, Directi. Inquisit. parte 2., quæst. 4. & *Marc.* 10. dicentium: licitum esse uxorem dimittere, etiam non fornicationis ratione, & libellum repudii ei dare. Item *Herodianorum*, Directo. Inquisit. ibidem dicentium, quod licitum est, uxorem alterius etiam marito vivente sibi in uxorem accipere. Item *Priscillianistarum*, *Alfonfus Casti. Nuptia*, facto suo dicentium, nuptiis conjugatos esse separandos. Facto suo, inquam: quia Priscillianistæ hoc servarunt, quod feminas a nolentibus viris, & viros a nolentibus feminis, quantum poterant, disjungebant. Contra hos omnes enim militat articulus præsens, eosque expugnat, dum fidem, & sacramentum; bona esse matrimonii dicit. Quod, ut clarius intelligas, vide supra declarationem de *ly fides* & *ly sacramentum*. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito *Phariseorum* hæresim damnari a Christo *Mar.* 10. „ Ad duritiam cordis vestri scripsit Moyses vobis „ præceptum istud, &c. quod ergo Deus „ conjunxit, homo non separet, &c. Qui „ cumque dimiserit uxorem suam, & aliam „ duxerit, adulterium committit super eam, „ &, si uxor dimiserit virum suum, & alii „ nupsit, mœchatur. „ Hæc ibi. Ubi nota *ly ad duritiam cordis vestri*; quia per hoc innuitur, quod illi erant tam corde indomabili, ut potius, quam uxores exofas jam factas retinerent, occiderent eas. Et ideo ad vitandum hoc majus malum, uxoricidium

scil., Moyses permiserat eis scribere libellum repudii, & dimittere, *Deuter.* 24. Nota *ly quicumque dimiserit*, scil. extra causam fornicationis, quod expressit *Matth.* 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*. Item *Rom.* 7. Hierodianos damnari merito ostendas per *ly* „ lex in homine „ dominatur, quanto tempore vivit. Nam, „ quæ sub viro est mulier, vivente viro, „ ligata est legi. Si autem mortuus fuerit „ vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri. „ Item 1. *Corinth.* 7. ubi idem refert in fin. & Priscillianistas damnans in princ. dicit: „ Uxori vir debitum reddat, „ similiter autem & uxor viro. Mulier „ sui corporis potestatem non habet, sed vir „ similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. „ Hæc ibi. Ubi nota *ly fraudare*, quod scil. injustitiæ fraudulentæ adscribitur, nolle reddere debitum sibi invicem conjugatos. Et *ly nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*, monstrat, quod neque ex consensu possunt se alteri tradere, quoniam tempus orationis tantum excipitur. Et *ly ne tentet vos Satanas*, idest, ne tentando decipiat: quoniam nonnullos conjugatorum sub prætextu continentis ad hujusmodi fraudes in invicem conducit a Satana, demonstrat. Hæc omnia contra *Priscillianistas*, & partim etiam a fortiori. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum ab *Eugenio IV.* in decreto Armenis dato, sacro approbante Concilio *Florentino*: „ Septimum est sacramentum matrimonii, „ &c. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda, & educanda ad cultum Dei. Secundum est fides: quam unus conjugum alteri servare debet. Tertium est indivisibilitas matrimonii: propter hoc, quod significat indivisibilem conjunctionem Christi, & Ecclesiæ, „ Hæc ibi. Quarto habes: quomodo, prædicta Scripturarum, & Patrum, pro quanto bona matrimonii, vel fidem, vel sacramentum

(1) Ad excusandam inusitatæ vocis notionem quæ conditio sacramentalis dici potuit, sive id ex quo tale matrimonium bonum denominatur sacramentum:

Quamvis in sententiis *us infra dicam* quasi ad articulum hic proxime sequentem alluderet.

cramentum, vel etiam prolem insinuant, & intelligas, & probes, & defendas: *Quinto* vides: quomodo &c.

& ideo sicut est matrimonium sine prole, ita potest esse sine sacramento, & sic idem quod prius.

A R T I C U L U S III. 201

Utrum Sacramentum sit principalis inter bona Matrimonii.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod sacramentum non sit principalis inter bona matrimonii. Quia finis est potissimum in unoquoque (1) Sed proles est matrimonii finis. Ergo proles est principalis matrimonii bonum.

2. Præterea. Principalis in ratione speciei est differentia, quæ complet speciem, quam genus; sicut forma quam materia in constitutione rei naturalis. Sed sacramentum competit matrimonio ex ratione sui generis; (2) proles autem, & fides ex ratione differentię, inquantum est tale sacramentum. Ergo alia duo sunt magis principalia in matrimonio quam sacramentum.

3. Præterea. Sicut invenitur matrimonium sine prole, & fide (3) ita invenitur sine inseparabilitate; sicut patet quando alter conjugum ante matrimonium consummatum ad religionem transit. Ergo nec ex hac ratione sacramentum est in matrimonio principalis.

4. Præterea. Effectus non potest esse principalior sua causa. Sed consensus, qui est causa matrimonii, frequenter immutatur. Ergo & matrimonium dissolvi potest; & sic inseparabilitas non semper concomitatur matrimonium.

3. Præterea. Sacramenta quæ habent effectum perpetuum, imprimunt characterem. Sed in matrimonio non imprimitur character. Ergo non adest ei inseparabilitas perpetua:

Sed contra. Illud quod ponitur in definitione rei, est ei maxime essentialia. Sed indivisio, quæ pertinet ad sacramentum, ponitur in definitione supra de matrimonio data (quæst. xlv. art. 3.) non autem proles, vel fides. Ergo sacramentum inter alia est matrimonio essentialius.

Præterea. Virtus divina, quæ in sacramentis operatur, (4) est efficacior quam virtus humana. Sed proles, & fides pertinent ad matrimonium, secundum quod est in officium naturæ humanæ; sacramentum autem, secundum quod est ex institutione divina. (5) Ergo sacramentum est principalis in matrimonio quam alia duo.

Respondeo dicendum, quod aliquid dicitur in re aliqua principalis altero duobus modis, aut quia est essentialius, aut quia dignius, sic omnibus modis sacramentum est principalis inter tria conjugii bona, quia pertinet ad matrimonium, inquantum est sacramentum gratiæ, alia vero duo pertinent ad ipsum, inquantum est quoddam naturæ officium: perfectio autem gratiæ est dignior perfectione naturæ. Si autem dicatur principalis, quia essentialius, sic distinguendum est: quia fides, & proles possunt dupliciter considerari. Uno modo in seipsis: & sic pertinent ad usum matrimonii, per quem & proles producitur, & pactio conjugalis servatur. Sed indivisibilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se: quia ex hoc ipso quod per pactioem conjugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum conjuges tradunt, sequitur quod separari non possunt: & inde est quod matrimonium nunquam invenitur sine inseparabilitate; invenitur autem sine fide, & pro-

(1) Ut id gratia cujus vel propter quod cætera fiunt; Ex hoc enim sequitur quod etiam principalis inter cætera dici possit.

(2) Quia matrimonium nempe species quædam sacramenti est, sive unum de septem sacramentis.

(3) Inter steriles quidem sine prole, sicut & inter illos qui vel religionis causa propter privatam pietatem, vel propter votum castitatis quod ante invidas nuptias emiserunt, mutuo nutu & consensu ab actu nuptiarum abstinere. Inter fornicarios autem & adulteros qui conjugalis tori honestatem violant, sine fide; quia nec sterilitas nec perpetua conjugium voluptatum abstinencia nec illicitus concubitus matrimonium solvit.

(4) Ex Isidoro lib. 6. etymologiarum vel originum cap. seu tit. de officiis in dictione *Sacramentum*.

(5) Non illa tantum prima quæ facta est a Deo in Genesi statim atque res productæ sunt & inter illas homo, ac in adiutorium eius mulier, sed secunda quam Christus tandem in statu novæ legis perfecit; quia inchoative tantum ex prima illa institutione rationem habuit sacramenti, sed complete ac formaliter ex hac secunda sit verum ac proprium legis evangelicæ sacramentum. Hinc & paulo post eo sensu vocatur *sacramentum gratiæ*, sicut & status novæ legis per oppositum ad veterem *status gratiæ* appellatur. Nisi etiam *sacramentum gratiæ* quasi gratiam causans vel conferens.

& prole: quia esse rei non dependet ab usu suo. Et secundum hoc sacramentum est essentialius matrimonio quam fides, & proles. Alio modo possunt considerari fides, & proles, secundum quod sunt in suis principiis; ut pro prole accipiatur intentio prolis, & pro fide debitum servandi fidem: sine quibus etiam matrimonium esse non potest: (1) quia hæc in matrimonio ex ipsa passione conjugali causantur; ita quod si aliquid contrarium his exprimeretur in consensu, qui matrimonium facit, non esset verum matrimonium. Et sic accipiendo fidem, & prolem, constat quod proles est essentialissimum in matrimonio, & secundo fides, & tertio sacramentum; sicut etiam homini est essentialius esse naturæ quam esse gratiæ, quamvis esse gratiæ sit dignius.

Ad primum ergo dicendum, quod finis secundum intentionem est primum in re, sed secundum consecutionem est ultimum, & similiter proles se habet inter matrimonii bona; & ideo quodammodo est principalis, quodammodo non.

Ad secundum dicendum, quod sacramentum, etiam prout ponitur tertium matrimonii bonum, pertinet ad matrimonium ratione suæ differentiæ: dicitur enim sacramentum ex significatione huius rei sacræ determinatæ, quam matrimonium significat.

Ad tertium dicendum, quod nuptiæ secundum Augustinum (2) sunt bonum mortaliū. Unde in resurrectione *neque nubent, neque nubentur*, ut dicitur Matth. XXI. Et ideo vinculum matrimonii non se extendit ultra vitam, in qua contrahitur; & ideo dicitur inseparabile, quia non potest in hæc vita separari, sed per mortem sive corporalem post carnalem conjunctionem, sive spi-

ritualem post spirituale tantum.

Ad quartum dicendum, quod *quamvis* consensus, qui facit matrimonium, non sit perpetuus materialiter, idest quantum ad substantiam actus, quia ille actus cessat, & potest contrarius succedere: tamen formaliter loquendo, est perpetuus, quia est de perpetuitate vinculi: alias non faceret matrimonium: non enim consensus ad tempus in aliquam matrimonium facit. Et dico formaliter, secundum quod actus accipit speciem ab objecto: & secundum hoc matrimonium ex consensu inseparabilitatem accipit.

Ad quintum dicendum, quod in sacramentis in quibus imprimitur character, traditur potestas ad actus spirituales, sed in matrimonio ad actus corporales. Unde matrimonium ratione potestatis quam in se invicem conjuges accipiunt, convenit cum sacramentis in quibus character imprimitur; & ex hoc habet inseparabilitatem, ut Magister dicit (IV. dist. xxxi.) sed differt ab eis, in quantum potestas illa est ad actus corporales: & propter hoc non imprimitur characterem spiritualem.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem rejicias errorem *Armenorum*, quem postmodum docuit *Lutherus*, dicentium: nuptiis non inesse sacramentum, idest illam maris, & foeminae indissolubilem conjunctionem, neque per eam conferri gratiam. Item heresim *Libertinorum* dicentium: matrimonia posse dissolvi, ubi uxor mariti sui tedium coeperit. Ostendendo namque D. Thomas, quod inter bona matrimonii sacramentum est principalis secundum rationem gratiæ: procul-

(1) Quo ad intentionem saltem consideratis & per ordinem ad institutionem matrimonii sive ad legitimum finem ob quem est institutum: Alioqui matrimonium actu perseverat etiam sine prole in sterilibus, & sine fide in adulteris; ut jam supra; quamvis nec sine prolis intentione saltem virtuali, nec sine conjugalis fidei cautione iniri vere possit.

(2) Colligitur ex libro de bono conjugali cap. 9. *Sane videtis* (inquit) *alia bona Deum nobis dare que propter seipsa expetenda sunt* (sicut est sapientia, salus, amicitia) *alia que propter aliquid sunt necessaria; sicut doctrina, cibus, potus, somnus, conjugium, concubitus: Horum enim quedam necessaria sunt propter sapientiam* (sicut doctrina) *quedam propter salutem* (sicut cibus, potus, & somnus) *quedam propter amicitiam, sicut nuptia vel concu-*

bitus: Hinc enim subsistit propagatio humani generis in quo societas amicitialis magnum bonum est. Ut & cap. 20. *Veteres conjugatos comparans novis: Non solum officio querebant filios ex nuptiis quasi ducuntur ista ex quodam sensu nature mortalis successorem decessioni requirentis: Quod quisquis bonum negat, ignorat Deum bonorum omnium ab immortalibus usque ad mortalia creatorem: Et cap. 24. Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est &c. Que cum sola sit qua nuptie fiunt, nec ea re non subsequente propter quam fiunt, solvitur vinculum nuptiale nisi conjugis morte: Quasi dicat hoc bonum nuptiarum non permanere nisi quamdiu mortaliter vivitur, & se non nisi mortaliū durat atque bonum esse.*

caudubio militat contra *Libertinos, & Armenos*, utrosque confodiens. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, errores præmissos merito damnari a, & cætera, ut *quæst. 42. artic. 1. & 3. append.* Item a Concilio Tridentino sess. 24. cap. 1. *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum, &c.* Et canon. 5. *Si quis dixerit, propter molestiam cohabitationem dissolvi posse matrimonii vinculum, Anathema sit.* Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, & merito esse, & in quo sensu sit, dictum ab *Eugenio IV.* quod *bonum matrimonii, primum est proles, secundum est fides, tertium est indivisibilitas.* Hoc recitatur supra *art. 2. app.* Quarto habes: quomodo per rationem prædicta, & allegata Patrum, pro quanto ad hunc locum pertinent, & intelligas, & probes, & defendas. Quinto vides quomodo &c.

passionis, ibi est vitium in moribus. Sed bona matrimonii non possunt efficere quia delectatio illius actus sit immoderata. Ergo non possunt excusare quin sit peccatum.

4. Præterea. Verecundia non est nisi de turpi actu secundum Damascenum (Lib. II. orth. Fid. cap. xv. (1) Sed bona matrimonii non tollunt erubescerentiam ab illo actu. Ergo non possunt excusare, quin sit peccatum,

Sed contra. Concubitus conjugalis non differt a fornicatione nisi per bona matrimonii. Si ergo hæc non sufficiunt excusare ipsum, tunc matrimonium semper illicitum remaneret: quod est contra id quod habitum est supra (quæst. xlix. art. 3.)

Præterea. Bona matrimonii se habent ad actum ejus sicut circumstantiæ debite sicut dictum est (art. 1. hu. quæst. ad 4.) Sed circumstantiæ tales sufficienter faciunt quod actus aliquis non sit malus. Ergo & hæc bona possunt excusare matrimonium, ut nullo modo sit peccatum.

Respondéo dicendum, quod aliquis actus dicitur excusari dupliciter. Uno modo ex parte facientis, ita quod non imputetur facienti in culpam, quamvis sit malus; vel saltem non in tantam culpam; sicut ignorantia dicitur excusare peccatum in toto, vel in parte. (2) Alio modo dicitur excusari actus ex parte sui, ita scilicet quod non sit malus: & hoc modo prædicta bona dicuntur excusare actum matrimonii. Ex eodem autem habet actus aliquis quod non sit malus in genere moris, & quod sit bonus: quia non est aliquis actus indifferens, ut in secundo Libro dictum est (3) Dicitur autem aliquis humanus actus bonus dupliciter. Uno modo bonitate virtutis: & sic habet actus, quod sit bonus ex his quæ ipsum in medio ponunt: & hoc faciunt in actu matrimonii fides, & proles, ut ex dictis patet (art. 2. hu. quæst.) Alio modo bonitate sacramenti, secundum quod actus non solum bonus, sed etiam sanctus dicitur: & hanc bonitatem habet actus matrimonii ex indivisibilitate conjunctionis,

E e e secun-

ARTICULUS IV. 202

Utrum actus Matrimonii excusetur per bona prædicta.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod actus matrimonii non possit excusari per bona prædicta, ut non sit omnino peccatum. Quia quicumque sustinet damnatum majorem boni propter minus bonum, peccat, quia inordinate sustinet. Sed bonum rationis, quod læditur in ipso actu conjugali, est majus quam hæc tria conjugii bona. Ergo prædicta bona non sufficiunt ad excusandum conjugalem concubitus.

2. Præterea. Si bonum malo addatur in genere moris, totum efficitur malum, non autem bonum: quia una circumstantia mala facit actum malum, non autem una bona facit ipsum bonum. Sed actus conjugalis secundum se est malus; alias excusatione non indigeret. Ergo bona matrimonii adjuncta non possunt ipsum bonum facere.

3. Præterea. Ubiunque est immoderatio Summ. S. Tb. Tom. XIII.

modo quo peccatum excusat vel non.

(3) Hoc est lib. 2. Sentent. distinct. 40. quæst. 2. art. 5. Sed quorundam non est indicatum ut ex 1. 2. quæst. 18. art. 9. propter connexionem Supplementi cum Summa? licet aliter bene in sententiis juxta seriem loci notatum sit. Quod autem subiungitur de illis quæ faciunt humanum actum *bonum vel sanctum & in medio ipsum ponunt*, significat quod ipsum ad medium reducunt in quo ratio bonitatis consistit, &c.

(1) Vel sic: *Verecundia timor est ex expectatione convitii: Erubescencia timor ex re turpi perpetrata, Sed græcum ἀιδος pro quo verecundia prius redditur, potest per erubescerentiam vel per pudorem reddi: Ut & græcum ἀεσχον pro quo erubescencia posterius vertitur, potest reddi tam bene quoad sensum verecundia, ut reddiderat vetus Interpres tenet quod desumpsit sanctus Thomas.*

(2) Juxta ea quæ circa illam ex professio dicta sunt suo loco; nempe 1. 2. quæst. 76. art. 3. de

secundum quam significat conjunctionem Christi ad Ecclesiam. Et sic patet quod prædicta bona sufficienter actum matrimonii excusant,

Ad primum ergo dicendum, quod per matrimonii actum non incurrit homo damnatum rationis quantum ad habitum, sed solum quantum ad actum. Nec est inconueniens quod quandoque aliquis actus qui est melior secundum genus suum, interrumpatur pro aliquo minus bono actu: hoc enim sine peccato fieri potest: sicut patet in eo qui ab actu contemplationis cessat, ut interdum actioni vacet. (1)

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procederet, si malum quod inseparabiliter comitatur concubitus, esset malum culpæ. Nunc autem non est malum culpæ, sed pœnæ tantum, quæ est inobedientia concupiscentiæ ad rationem. Et ideo (*) non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod superabundantia passionis, quæ facit vitium, non attenditur secundum quantitativam ipsius intentionem, sed secundum proportionem ipsius ad rationem. Unde tunc solum passio reputatur immoderata, quando limites rationis excedit. Delectatio autem quæ fit in actu matrimoniali; quamvis sit intensissima secundum quantitatem, non tamen excedit limites sibi a ratione præfixos ante principium suum, quamvis in ipsa delectatione ratio eos ordinare non possit.

Ad quartum dicendum, quod turpitudine illa quæ semper est in actu matrimoniali, & erubescientiam facit, est turpitudine pœnæ, & non culpæ: quia de quolibet defectu homo naturaliter erubescit.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Aginensium*, *Manicheorum*, & *Tatianorum*, dicentium: nuptiarum fœdera inter se jungentes peccare. Item nuptias execrabiles, & spurcas esse. Si enim actus matrimonialis carnalis bonus,

(1) Cum necessitas, & præsertim spiritualis, id postulat propter aliquod bonum ad salutem pertinens, vel ad quodcumque officium ac subsidium charitatis. Hoc nimirum est quod Augustinus lib. 19. de civit. Dei cap. 16. ait: *Ex tribus vitæ generibus (otioso, actuoso, & composito ex utroque) samesi salua fide quiescere possit in quolibet eorum vitam ducere & ad sempiterna premia pervenire, interest tamen quid amore teneat veritatis quid officio charitatis impendat: Nec sic quisque debet esse otiosus ut in eodem*

& sanctus est: patet a fortiori ex hoc, quod fœdus contractus nuptiarum neque execrabilis, neque spurcus, neque peccatum est: *Secundo habes*: quomodo per rationem ostendas, merito damnatas fuisse illas hæreses 2, &c. ut q. 41. ar. 1. appen. & ar. 3. & 4. app. Item 2, &c. ut 1. par. q. 72. ar. 1. append. Item 2, &c. ut supra in multis locis. Item a Concil. *Gangrensi*. „ Si quis vi- „ tuperat nuptias, & dormientem cum viro „ suo fidelem, ac religiosam detestatur, aut „ culpabilem æstimat, velut quæ in regnum „ Dei introire non possit: Anathema sit. „ Item a Concil. *Brachar.* 1. cano. 11. „ Si „ quis conjugia humana damnat, & procrea- „ tionem nascentium perhorrescit, sicut Ma- „ nich. & Priscill. dixerunt: anathema sit. *Tertio habes*: quomodo, per rationem ostendas, merito esse dictum ab *Eugenio Quarto*, quod prædicta sunt bona matrimonii. Si enim bona sunt ejus; reddunt illud bonum, & sanctum. Vide *Eugenium artic. 2.* appen. *Quarto habes*: quomodo per rationem prædicta patrum, ac scripturarum, pro quanto matrimonium innuunt sive divisim, sive conjunctim excusari per illa tria bona & intelligas, & probes, & defendas. *Quinto vides*: quomodo &c.

ARTICULUS V. 203

Utrum actus matrimonialis excusari possit sine bonis Matrimonii.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod actus matrimonialis excusari possit etiam sine bonis matrimonii. Qui enim a natura tantum movetur ad actum matrimonii, non videtur aliquod bonum matrimonii intendere: quia bona matrimonii pertinent ad gratiam, vel virtutem. Sed quando aliquis solo appetitu naturali movetur ad actum prædictum, non videtur esse peccatum: quia nullum naturale est malum, cum malum sit præter naturam, & præter ordinem, ut Dionysius dicit (2) Ergo actus matrimonialis excu-

otio utilitatem non cogites proximi; nec sic otiosus ut contemplationem non requirat Dei: Præter illa quæ 22. quæst. 185. art. 1. ex professione indicata sunt.

(*) Al. rationem sequitur:

(2) Libro scilicet de divinis nominibus cap. 4. vel in modernis §. 10. quod fit præter naturam (viti- quos) & §. 28. quod fit præter ordinem vel est motu inordinato proveniens (detructos uxores) & §. 32. quod fit inordinatum quiddam ac symmetricum præ- vatio.

excusari potest etiam sine bonis matrimonii.

2. Præterea. Ille qui utitur conjuge ad fornicationem vitandam, non videtur aliquod bonum matrimonii intendere. Sed talis non peccat, ut videtur: quia ad hoc est matrimonium concessum humanæ infirmitati, ut fornicatio vitetur, ut patet I. Corinth. VII. Ergo etiam sine bonis matrimonii potest actus ejus excusari.

3. Præterea. Ille qui utitur re sua ad libitum, non facit contra justitiam; & sic non peccat, ut videtur. Sed per matrimonium uxor efficitur res viri, & e contrario. (1) Ergo si se invicem ad libitum utuntur libidine movente, non videtur esse peccatum & sic idem quod prius.

4. Præterea. Illud quod est bonum ex genere, non efficitur malum, nisi ex mala intentione fiat. Sed actus matrimonialis, quo quis cognoscit suam, est ex genere bonus. Ergo non potest esse malus, nisi mala intentione fiat. Sed potest bona intentione fieri, etiamsi non intendat aliquod bonum matrimonii; puta cum quis salutem corporalem per hoc intendit servare, aut consequi. Ergo videtur quod etiam sine matrimonii bonis actus ille possit excusari.

Sed contra. Remota causa, removetur effectus. (2) Sed causa honestatis actus matrimonialis sunt matrimonii bona. Ergo sine eis non potest actus matrimonialis excusari.

Præterea. Non differt actus prædictus ab actu fornicario nisi in prædictis bonis. Sed concubitus fornicarius semper est malus. Ergo si non excusatur prædictis bonis, etiam matrimonialis actus semper erit malus.

Respondeo dicendum, quod sicut bona matrimonii, secundum quod sunt in habitu, faciunt matrimonium honestum, & sanctum; ita etiam secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt actum matrimonii honestum, quantum ad illa duo bona matrimonii

quæ ipsius actum respiciunt. Unde quando conjuges conveniunt causa proles procreandæ, vel ut sibi invicem debitum reddant, quod ad fidem pertinet, totaliter excusantur a peccato. Sed tertium bonum non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam ipsius, ut dictum est (art. 3. hu. quæst.) unde facit ipsum matrimonium honestum non autem actum ejus, ut per hoc actus ejus absque peccato reddatur, quia causa alicujus significationis conveniunt. Et ideo duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa procreandæ proles, & debiti reddendi: alias autem semper est ibi peccatum, ad minus veniale.

Ad primum ergo dicendum, quod proles, prout est bonum sacramenti, addit supra prolem, prout est bonum intentum a natura. (3) Natura enim intendit prolem, prout in ipsa salvatur bonum speciei; sed in prole, secundum quod est bonum sacramenti matrimonii, ultra hoc intelligitur ut proles suscepta ulterius ordinetur in Deum. Et ideo oportet quod intentio naturæ, quæ prolem intendit, referatur actu, vel habitu ad intentionem prolis, prout est bonum sacramenti: alias staretur in creatura; quod sine peccato esse non potest. Et ideo quando natura tantum movet ad actum matrimonii, non excusatur a peccato omnino, nisi in quantum motus naturæ ordinatur actu, vel habitu ulterius ad prolem, secundum quod est bonum sacramenti: nec tamen sequitur quod motus naturæ sit malus, sed quod sit imperfectus, nisi ad aliquod bonum matrimonii ulterius ordinetur.

Ad secundum dicendum, quod si aliquis per actum matrimonii intendat vitare fornicationem in conjuge, non est aliquod peccatum: quia hæc est quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet. Sed si intendat vitare fornicationem in se, sic est ibi aliqua

E e e 2 liqua

(1) Vel e converso *vir efficitur res uxoris*: Et enim *res nostræ* tunc dicuntur quæ sunt in potestate nostrâ constitutæ: Vir autem potestatem sui corporis non amplius habet sed uxor, sicut nec uxor sui sed vir; ex Apostolo I. ad Corinth. 7. vers. 4.

(2) Ad eum modum quo causa est: Si enim tantum in *ferri* causa sit, & non in *facto esse*, remota quidem illa nihilominus adhuc eius effectus manet postquam factus est, sed fieri non potest sine illa, nec omnino sit; si eam removeri contingat, vel ab agendo desistere: Si vero causa in *facto esse* reipsa sit, non in *ferri* tantum, ea remota permanere non potest ullo modo effectus vel in *esse proprio* confer-

vari: Sic porro est in proposito: Bona enim prædicta quæ dicuntur matrimonium honestare, non ad id solum requiruntur ut recte fiat, sed ut rectum & sanctum perseveret, sensu iam prius explicato.

(3) Præcise sumpta ut natura, sive quantum ad finem quem natura immediate ac directe attingit, nempe productionem proles tantum, ut in adiunctis explicatur: Natura enim prout subordinata sacramento referri mediate & ordinari ad altiorem finem debet, nempe ut proles ad cultum Dei & pietatem christianam quantum fieri potest educetur, sicut & sequentia insinuant.

liqua superfluitas: (1) & secundum hoc est peccatum veniale: nec ad hoc est matrimonium institutum, nisi secundum indulgentiam, quæ est de peccatis venialibus.

Ad tertium dicendum, quod una debita circumstantia non sufficit ad hoc quod actus sit bonus. Et ideo non oportet quod qualitercunque quis re sua utatur, usus sit bonus; sed quando utitur re sua, sit debet, secundum omnes circumstantias.

Ad quartum dicendum, quod quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur quod non est ad hoc de se ordinatum; sicut qui ex sacramento baptismi tantum salutem corporalem quereret: (2) & similiter etiam est in proposito in actu matrimonii.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem excludas errorem *Libertinorum*, & *Quintiniſtorum*, dicentium, quod vitium est virtus, & virtus est vitium. Sic enim non differet: si quis cognosceret uxorem suam intendens bona matrimonii, & non intendens: & si actus matrimonialis excusari potest per bona matrimonii, etiam excusari posset sine illis. Quorum oppositum tamen articulus præfens, tanquam contra illos militans, ratione validissima probat: simul etiam pro probationibus, addendo duo argumenta dicta in *ly sed contra*. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas: errorem illum merito damnari ab Isaia 5. *Vob: qui dicitis bonum malum, & malum bonum*. Et, quia contra omnino improbabilia proferentem sollicitum esse non deest secundum *Philosophum in topic.* ideo sufficiat hætenus ista dixisse contra huiusmodi. Tertio habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam fuisse a *Concil. Florent.* (supra art. 2. appendic.) quod matrimonium sine bonis suis non potest excusari in suo actu. Insinuatam autem est ab oppositis, ubi dixit: quod triplex est bonum

matrimonii. Cum igitur nihil sit bonum, nisi per bonitatem; & remota causa removeatur effectus: sequitur, Concilium per hoc innuisse, quod remotis illis bonis non excusabitur. Quarto vides: quomodo per rationem prædicta Patrum, pro quanto insinuar, quod diximus, & intelligas, & probes, & defendas. Quinto vides quomodo &c.

A R T I C U L U S VI. 204

*Utrum cognoscens uxorem, non intendens ali-
quod bonum Matrimonii, sed solam delectationem, mortaliter peccet.*

AD sextum sic proceditur. Videtur quod quandocunque aliquis uxorem cognoscit, non intendens aliquod bonum matrimonii, sed solam delectationem, mortaliter peccet. Sola, sicut Hieronymus dicit (sup. illud Ephes. v. *Viri diligite*) & habetur in littera (IV. dist. xxxi.) *voluptates que de meretricum amplexibus capiuntur, in uxore damnanda sunt*. Sed non dicitur esse damnabile nisi peccatum mortale. Ergo cognoscere uxorem propter voluptatem solam est semper peccatum mortale.

2. Præterea. Consensus in delectationem est peccatum mortale, ut in secundo Lib. dictum est (dist. xxiv. quæst. 111. art. 4. & 1. 2. quæst. lxxiv. art. 8.) Sed quicumque cognoscit uxorem suam causa delectationis, consentit in delectationem. Ergo mortaliter peccat.

3. Præterea. Quicumque usum creature non refert in Deum, creatura fruitur, quod est peccatum mortale. Sed quicumque uxore propter solam delectationem utitur, hunc usum non refert in Deum. Ergo mortaliter peccat.

4. Præterea. Nullus debet excommunicari nisi pro peccato mortali. Sed aliquis uxorem sola libidine cognoscens ab introitu Ecclesie arcetur, ut in littera dicitur (3) quasi sit excommunicatus. Ergo omnis talis peccat mortaliter.

Sed

(1) Cum sint alii modi convenientiores & Mederatiōi Christianæ magis consentanei quibus propriam libidinem vel fornicationem vitare possit seu per orationem seu per abstinentias quasdam & ieiunia vel alia exercitia pietatis, præsertim quando coniugale debitum non aliud requirit, &c.

(2) Cum nihil minus quam ad illam ordinetur Baptismus, aut saltem per se non ordinetur; quamvis interdum per accidens contingat hanc etiam sa-

litem corporalem conferri per Baptismum; sicut contigit Constantino Imperatori per Baptismum & lepra liberato. ut historis quedam narrant, quos Baronius ad annum 324. num. 32. ac deinceps admittit, & Judæis etiam aliquibus qui per baptismum a nativo fœtore inolito liberati sunt, ut ad annum 579. Baronius iterum refert.

(3) Vel in textu Sententiarum lib. 4. distinct. 31. littera H sive paragr. 8. ubi ex Gregor. lib. 12. epist.

Sed contra est quod secundum Augustinum (Lib. II. cont. Julian. cap. x. a princ. & Lib. de 10. chordis cap. xi. a med. & ferm. xli. de Sanctis parva a princ.) talis concubitus ponitur inter peccata quotidiana, pro quibus dicitur, *Pater noster* &c. ut habetur in littera (loc. cit.) Sed talia non sunt peccata mortalia. Ergo &c.

Præterea . Qui cibo utitur ad delectationem tantum, non peccat mortaliter. Ergo pari ratione qui utitur uxore tantum causa libidinis satiantur.

Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, quod quandoque ad actum conjugalem libido principaliter movet, est peccatum mortale; sed quando movet ex latere, tunc est peccatum veniale, quando autem omnino delectationem despicit, & displicet ei, tunc est omnino sine veniali peccato: ut sic delectationem in isto actu querere sit peccatum mortale, delectationem oblatam acceptare sit peccatum veniale, sed eam odire sit peccatum mortale. Sed hoc non potest esse: quia secundum Philosophum in X. Ethic. c. III. & xv.) idem iudicium est de delectatione, &

operatione: quia operationis bonæ est delectatio bona, & malæ mala. Unde cum actus matrimonialis non sit per se malus, nec querere delectationem erit peccatum mortale semper.

Et ideo dicendum, quod si delectatio queratur ultra honestatem matrimonii, ut scilicet aliquis in conjugem non attendat quod conjux est, sed solum quod mulier, paratus idem facere cum ea, si non esset conjux, est peccatum mortale: & ideo talis dicitur ardentior amator uxoris, (1) quia scilicet ardor ille extra bona matrimonii effertur. Si autem queratur delectatio intra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quereretur quam in conjugem, sic est veniale peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quod tunc voluptates meretricis vir in uxore querit, quando nihil aliud in ea attendit quam quod in meretrice attenderet. (2)

Ad secundum dicendum, quod consensus in delectationem concubitus, qui est peccatum mortale, est peccatum mortale; non autem talis est delectatio matrimonialis actus.

Ad

91. sic refertur: *Vir cum propria conjuge dormiens nisi locus aqua Ecclesiam intrare non debet, quamvis omnia diversa hominum rationes de hac re diversa sentiant & alia custodire videantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit post admixtionem conjugis & lavacri purificationem querere & ab ingressu Ecclesie paulum temperare:* Indeque in Decretis Causa 33. quest. 4. cap. *Vir* expresse recensetur. Quod autem subiungitur ex August. & In littera similiter haberi indicatur, habetur ibi lit. F. seu §. 6. ut & ex illo refert Hugo de S. Victore in Tract. 7. Summæ Sententiarum cap. 3.

(1) Ideoque adulter, ut ex Xisti Pythagorici sententiis Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum refert, ac in textu Sententiarum proxime indicata refertur.

(2) Vnde sic Hieronymus plene ibi ad illa verba viri diligite uxores vestras sicut & Christus Ecclesiam, ut & cap. *Liberorum* refertur in Decretis causa 32. quest. 4. & in textu Magistri ubi supra: *Liberorum opera in matrimonio concessa sunt, voluptates autem que de meretricum capiuntur amplexibus, in uxore admittuntur:* Quasi dicat que non propter hoc ipsam quod est uxor ad procreandam prolem homini data capiuntur. Quod autem Gregorius non propterea velut it ab ingressu Ecclesie coniuges post mutua commixtionem arceantur vel abstineant, quia pro peccato mortali actum habeat conjugalem, sed propter causam quam in solutione quarti reddit S. Thomas, ex ipsis Gregorii adiunctis verbis patet: *Nec hec dicentes (inquit) deputamus culpam esse conjugium; sed quia ipsa licita commixtio conjugum sine*

voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingres- su abstinendum est, quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio vel fornicatione sed de legitimo conjugio natus fuerat qui dicebat Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum & in delictis peperit mater mea: In quibus tamen verbis non ipsam admixtionem conjugum iniquitatem nominat, sed ipsam videlicet admixtionis voluptatem: sunt enim multa licita & legitima; & semen in eorum actu aliquatenus sudamus; sicut sepe irascendo culpas insequimur, & tranquillitatem in nobis animi perturbamus: Et cum rectum sit quod agitur, non est tamen approbabile quod in eo animus perturbatur: Et paulo inferius: Oportet legitima carnis copula ut sit causa prolis non voluptatis; & carnis commixtio procreandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum: Si quis ergo sua conjuge non cupidine voluptatis captus sed solummodo liberorum procreandorum gratia utitur, iste profecto de ingressu Ecclesie seu de sumendo corporis dominici sanguinisque mysterio suo est relinquendus iudicio, quia illud a nobis prohiberi non debet accipere qui in igni possessus nescit ardere: Cum vero non amor procreanda prolis sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habens coniuges etiam de sua commixtione quod desineat: Et paulo infra: Vigilans ergo mente pensandum est quod in Sina monte Dominus ad populum loquutus prius eundem a mulieribus abstinere præcepit; & si illic ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta provisione est munditia corporis requisita, ut qui verba Dei perciperent, mulieribus mixti non essent

quanto

Ad tertium dicendum, quod quamvis delectationem non referat actu in Deum, non tamen ponit in ea ultimum voluntatis finem: alias eam ubicunque indifferenter quæreret. Et ideo non oportet quod creatura fruarer, sed utitur creatura actu propter se, se autem habitualiter propter Deum, quamvis non actu.

Ad quartum dicendum, quod hoc non dicitur propter hoc quod ex hoc peccato homo excommunicationem mereatur; sed quia spiritalibus se reddit inhabilem, propter hoc quod efficitur in actu illo totus caro.

A P P E N D I X.

EX art. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Nicolaitarum*, & *Simonis Magi*, dicentium: coitum promiscuum fœminarum licere, ut quilibet qualibet sine peccato uti possit. Si enim conjux ultra honestatem delectationem quærens in cognoscendo uxorem propriam peccat mortaliter, ut *prima* conclusio dixit: ostenditur profecto per hoc a fortiori, quod promiscue uti fœminis non licet absque peccato mortali. *Secundo* habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ab Apoc. 2. „Habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. „ Hæc ibi. Ex quo patet, quod doctrina *Nicolaita-*

rum prædicta, ceu quæ affundatur doctrinæ Balaam ad Balac, est scandalosa Populo Christiano: & per hoc damnabilis omnino, & ibi damnata. Item a Levit. 20. *Si Machabus quis fuerit cum uxore alterius, morte moriatur & machbus, & adultera.* Item a Matth. 15. *de corde exiunt cogitationes mala, adulteria, fornicationes.* Ecce, quod nec solutus cum soluta absque peccato mortali convenire potest. Unde & damnatur 1. Corin. th. 6. *Neque fornicari, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* *Tertio* habes: quomodo per rationem ostendas, merito insinuatam esse a 32. *quæst. 2. cap. Quicquid*, &c. quod sola delectatione conjuges se cognoscentes non peccant mortaliter. „ Et si eos pravi mores ad talem concubitum impellunt, nuptiæ ab adulterio, seu fornicatione defendunt: neque illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur. „ Hæc ibi. Et insinuatam esse a 32. *quæst. 4. cap. Origo*, &c. quod sola delectatione conjuges se cognoscentes peccant mortaliter. „ In aliena uxore omnis amor turpis est: in sua nimius. Non regnet in eo voluptatis imperus, nec preceps ferat ad coitum. Nihil est fœdus, quam uxorem amare, quasi adulteram. „ Hæc ibi. *Quarto* habes: quomodo per rationem prædicta Patrum, & Scripturarum, pro quanto consensum conjugum adinvicem propter delectationem solam, & insinuant mortale, & non, & intelligas, & probes, & defendas. *Quinto* vides quomodo &c.

SUMMÆ THEOLOGICÆ S. THOMÆ AQUINATIS.

F I N I S T O M I XIII.

quanto magis qui corpus Domini omnipotentis accipiens, custodire in se munditiam carnis debens, ne inestimabilis mysterij magnitudine prægraventur: Quibus omnibus verbis vel significat culpam venialem duntaxat, non mortalem, cum ad eundem sensum illud Apostoli referat, *Qui se continere non potest, habeat uxorem suam; hoc autem dico secundum*

indulgentiam; & hinc inferat culpam esse quod indulgeri dixit, nec mortalem utique committendam sic indulgeret: Vel si mortalem culpam intellexit, eam in illis tantum intellexit qui sicut supra indicatum est, meretriciam voluptatem in coniugali actu quæruunt non uxoriam &c.



